£30

Duke University Medical Center Library
Trent Collection

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/embryologiahisto01schu

5918

EMBRYOLOGIA
HISTORICO-MEDICA
HOC EST
INFANTIS HVMANI
CONSIDERATIO
PHYSICO-MEDICO-FORENSIS,

QVA

EJVSDEM IN VTERO NVTRITIO,
FORMATIO, SANGVINIS CIRCVLATIO, VITALITAS SEV
ANIMATIO, RESPIRATIO, VAGITVS ET MORBI,

DEINDE

IPSIVS EX VTERO EGRESSVS
PRAEMATVRVS ET SEROTINVS, IMPRIMIS PARTVS
LEGITIMVS ET CIRCA EVNDEM OCCVRRENTIA,

VERBI GRATIA

PARTVS DIFFICILIS, POST MATRIS MORTEM,
NVMEROSVS ET MVLTIPLEX, TAM PVELLARVM, QVAM
VETVLARVM, ITEM PER INSOLITAS VIAS,
ET PLANE INSOLITVS,

PORRO

VARIA SYMPTOMATA, E. G. VTERI PROLAPSVS
EJVSQVE INVERSIO ET RESECTIO,

DENIQVE

PARTVS CAESAREVS ET SVPPOSITITIVS CVM
PVERPERARVM TORTVRA
RARIS OBSERVATIONIBVS EXHIBENTVR

A

D. MARTINO SCHVRIGIO,
PHYSICO DRESDENSI.

DRESDAE & LIPSIAE
APVD CHRISTOPH. HEKELII B. FILIVM,
M DCC XXXII.

1132

I

Schurig

PRAEFATIVNCVLA

POſtquam in ovario muliebri fœcundatum ovum dicto in Syllepſilogia noſtra modo ordinarie per tuabs Fallopianas ad uteri cavitatem deſcendit, perfectionem ſuam ibidem loci exſpectat, donec in eo detentus embryo, omnibus membris & partibus abſolutis, certo tempore tanquam maturus fœtus ex carcere ſuo materno per partum excludatur vel extrahatur; quanquam non raro tales embryones adhuc immaturi ex improviſo atque a variis cauſis prolabantur, vel etiam a meretricibus ſtudio & malitioſe expellantur.

Cum autem non ſolum circa dictum embryonis incrementum atque perfectionem, verum etiam excluſionem, ſeu partum, varia conſideranda occurrant, eadem in hac noſtra Embryologia decem Sectionibus includere propoſuimus; quarum prima de embryonis in utero materno latitantis nutritione ejusque liquore nutritivo, item de ipſius formatione & membranis eundem continentibus, Chorio ſcilicet ac Amnio, hujusque liquore, funiculo item umbilicali cum placenta uterina ſanguinis fœtusque circulatione agit.

Secunda Embryologiæ Sectio fœtus in utero vitam & præterea quæſtionem: an fœtus propriam vitam vivat, an vero ſemper cum matre gravida moriatur? fœtus item animationem, reſpirationem atque vagitum in utero proponit.

Tertia varios embryonum ſeu infantum in utero adhuc latitantium morbos & obitum, exſiccationem, corruptionem ipſorumque oſſium per varias vias excretionem, putrefactionem, item petrificationem ſeu lapideſcentiam, demumque fœtum extra uterum in abdomine & alibi locorum repertum deſcribit.

Dehinc Sectio quarta ordinarium ut & diverſum partus tempus tam præmaturum, quam ſerotinum, ſcilicet a bimeſtri ad octimeſtrem, deinde a decimeſtri ad novendecimeſtrem, cum cauſa remorationis, ob oculos ſiſtit.

In quinta Sectione ſequitur abortus variæque ejusdem violentæ atque nefandæ cauſæ; item ejusdem ſigna & præſervatio,

 additis

additis inſitis abortus exemplis & pœna cum quæſtione, annon interdm medicis abortum promovère liceat?

Poſt prtum præmaturum ſeu abortivum Sectio ſexta partum ordinarium ejusque inſtantis ſigna, cauſas & modum cum annexo intr autores hactenus ventilato problemate: an oſſa pubis in patu hient & diducantur? exponit; fœtus item membranis ſuisadhuc incluſi, & mirabilem, nec non difficilem partum variaque ejusdem cauſas ac ſymptomata; atque partum poſt matri mortem, numeroſum quoque & multiplicem, nec non tam apuellis quam vetulis excluſum fœtum explicat.

Extraordinarium autem partum perque inſolitas vias excretos fœtus, quin etiam inſolitum plane partum, v. g. hominis a cane, vacca, capra, ſimio, urſo & equa progeniti, deinde variorum brutorum & aliorum animalium, e. g. bufonum, ranarum, murum, glirium &c. a feminis editorum exempla Sectio ſeptima continet.

Cui ſuccedit octava de uteri prolapſu vulgo dicto, ſive de differente vaginæ uterinæ procidentia cum ipſius uteri prolapſu, additis variis ejusdem cauſis, exemplis & cura, cum quæſtione: an ipſe uterus cum prolapſu ſimul quoque inverti, vel etiam penitus reſecari queat?

In Sectione nona primo de fœtus in utero materno diuturna mora, ejusque tam vivi quam mortui ſignis, deinde de ejusdem ex matricis ergaſtulo extractione aut exſectione, ſive de partu cæſareo, & quidem fœtus vivi ex matre mortua, vel infantis mortui ex matre adhuc viva, vel etiam fœtus vivi ex viva matre, nec non alia huc pertinentia tractantur.

Hanc Sectionem denique decima excipit & ultima, fœtum recens natum ejusque ejulatum, loquelam & reviviſcentiam, umbilicalis funiculi deligationem & reſectionem legitimam, ejusque procidentiam, defectum in protoplaſtis, herniam umbilicalem & varia per umbilicum excreta, porro ſecundinæ devorationem hujusque varium uſum medicum, & plura de fœtu perfecto, vitali, legitimo & ſuppoſititio, & denique de puerperarum cura, coitu & tortura annectens.

EMBRYO-

EMBRYOLOGIA
SECTIO I.
De Fœtu in utero, adhuc detento.
CAPUT I.
De Fœtus nutritione.

§. 1.

TEmpore conceptionis ovulum aliquod in ovario, vel dextro, vel ſiniſtro, fœcundatum per ejusdem lateris tubam Fallopianam ad uteri cavitatem protrudi, ibidemque ad perfectionem & partum usque conſervari in Syllepſilogia ſeu in tractatu noſtro de Conceptione monſtravimus. Ut autem ſubtiliſſima dicti embryonis, in ovulo contenti, ſtamina magis magisque explicentur, fœtusque ſucceſſive debitam perfectionem acquirat, neceſſario hic indiget nutrimento, donec legitimo demum partus tempore ex uterino ſuo ergaſtulo prorumpat: de quo fœtus nutrimento ipſiusque nutritione, quæ continuata eſt generatio, hoc loco agemus. *Fœtus nutrimentum*

§. 2.

Fœtus ſcilicet non modo in utero adhuc incarcerati, per totum geſtationis intervallum, ſed poſtmodum etiam partu excluſi, nutrimentum plerique veterum medicorum in menſtruo matris ſanguine quærebant, quibus etiam ſequentibus ſeculis alii conſentiunt. Inquit enim Guilielmus Rondeletius *Method. curand.* *ac ſanguis maternus?* *affirmant nonnulli.*

morb. cap. 61. p. m. 290. b. ſanguine menſtruato augetur fœtus, nutritur novem menſibus, & poſt nativitatem nutritur lacte, quod ex menſtruo fit ſanguine, ſecundum Jacob. Holler. *de morb. intern. Lib. 1. cap. 54. Schol. p. m. 164.* ſanguis menſtruus generationi & alendo fœtui deſtinatus eſt. Juxta Andreæ Laurentii *Hiſtor. anat. Lib. VIII. cap. 6. fol. 315.* fœtus a maternis venis & uteri ſubſtantia ſanguinem haurit. Eorum animantium, quæ vivum fœtum edunt, feminas menſtruo abundare neceſſum eſt, ut hoc fœtum, quem ſtato tempore utero gerunt, plene alant ac ſuſtentent, ait Johannes Fernelius *Phyſiolog. Lib. VII. cap. 7. p. 179.* Secundum Vopiſci Fortunati Plempii *Fundam. medic. Lib. II. Sect. III. cap. 4. fol. m. 57.* fœtus in utero materno ſanguine per umbilicum alitur. Et Johannes Anton. van der Linde *Meletemat. phyſiol. n. 148. p. 64.* ſanguini menſtruo triplicem adſcribit uſum, nimirum irrigare muliebres locos, ubi naſcendi initia conſiſtunt: fœcundare feminam & embryoni eſſe materiæ incrementi. Danieli Sennerto *Practic. Libr. IV. Part. II. Sect. II. cap. 1. p. 135.* primarius finis, cur ſanguis menſtruus in feminis generetur, eſt fœtus formatio & nutritio & lactis ad alendum generatio. Eandem ſententiam pariter fovent nonnulli adhuc recentiorum autorum, v. g. Daniel Beckherus *Medic. microcoſm. Lib. I. cap. 7. p. 22.* menſtruo, inquiens, ſanguine intra uterum contento ſi mulier fœtum geſtet, natura pro aptiſſimo fœtus tum nutrimento utitur: imo fœtu in lucem edito eundem ſanguinem in lac convertit, quo & ſic familiariſſimo illo pabulo ſuſtentetur. Sanguinem maternum menſtruatum, effluere ac minui ſolitum pro fœtus pabulo ac nutrimento habendum eſſe, merito ſe ob varias cauſas concludere putat Franciſcus Sylvius *Prax. med. Lib. III. cap. 3. §. 31. fol. m. 364.* Fœtum in utero ſanguine matris nutriri ſcribit Abrahamus Cyprianus *Epiſt. de Fœt. extra uter. p. 55.* Et ſecundum verba Johannis Bapt. de Wenckh menſtrui ſanguinis exuberantia in mulieribus, peracta conceptione, ad nutriendum fœtum, aut jam enixis, proli lactandæ deſervit atque ad uterum

per

per arterias cum nutrimentali chylo defertur, ut ibidem placentam efformet, &c. *vid. M. N. C. Dec. III. An. IX. & X. Obſ. 136. p. 259. ſeq.*

§. 3.

Hanc tamen de fœtus per ſanguinem menſtruum nutritione ſententiam plerique recentiorum autorum rejiciunt, & potius ſuccum quendam lacteo-chyloſum eligunt. Inquit enim Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. II. p. 27.* olim quidem & per plura ſecula receptum dogma fert, fœtum ſanguine materno ali: verum eo ipſo, dum nec primis a conceptione diebus, quibus embryoni nulla adhuc cum utero connexio obtigit, nec ultimis, ubi placenta in duas laminas diviſa utero vicinior vix aliquid ſanguinis fundit, illum recipere valet, adeoque & illa vaſorum uterinorum ac umbilicalinm anaſtomoſis decantata diu ſatis exploſa eſt, cruentum ejusmodi victum fœtus abhorret, concedente huic præprimis Hippocrate *de Carn. t. 8. & de Natur. puer. t. 21.* gratiorem & ſuaviorem, i. e. lacti potius analogum ſuccum, qualem in glanduliferis ex cotyledonibus, & in placentiferis ex placenta, ab utero avulſis exprimere licet. Quem ergo arteriæ matris hypogaſtricæ cum ſpermaticis adducebant utero, ſanguis minime integer fœtus canalem ſanguinis ſubit, ſed ejus tantum aliqua portio ſeroſo-gelatinoſa, dulcis ac mitis, & particulis aſperioribus liberata eſt, utpote mucoſo & delicatulo ejus corpuſculo congrua magis. Secundum Georg. Abrah. Mercklin. *de Transfuſ. Sangvin. cap. 5. p. 61.* fœtus in utero non purpureo ſanguine, ſed vel materia alburginea in placenta concocta, ovique albo non abſimili, vel lacte aut chylo materno per peculiares ductus ad uterum, & inprimis uterinum hepar confluente, graviſſimorum anatomicorum probabiliſſima opinione, alitur. Et Antonius Sidobre nutritionem fœtus in utero non per ſanguinem, ſed per lacteum ſuccum, certis lactiferis ductibus contentum, fieri firmiter perſuaſus eſt, *vid. Act. Erudit. An.* *negant alii.*

 1703.

1703. menſ. Septembr. p. 412. quo loco etiam hos ipſos lactiferos ductus, geſtationis tempore internum uteri involucrum irrigantes, extra illud autem agglomeratas veſiculares glandulas repræſentantes, primum ſibi a Profeſſore Monſpelienſi, Chyrac, demonſtratos fuiſſe, cum laude meminit. Materialem ſeu conſtitutivam nutritionis cauſam eſſe quendam benignum, ſuavem mitemque ſuccum ſpiritibus abunde refertum, & ovorum albumini ex omni parte conſimilem aſſerit Gualterus Charleton *Oeconom. animal. Exercit. I.* §. *9. p. m. 12.* Et *Exercit. VIII.* §. 16. p. 177. fœtum non ſanguine, per umbilicum illi delato, ſed lacteo quodam humore nutriri defendit. Juxta Georg. Franc. verba, hodie univerſa fere ſchola medica credit, fœtum non tam matris ſanguine, quam ſucco quodam lacteo, ſive chyloſo a matre ſuppeditato nutriri &c. v. Paul. Zacch. *Quæſt. med. leg. Lib. I. Tit. 2. Qu. 1. n. 115. annot. fol. 1481.* item *Lib. I. Tit. 4. Qu. 8. n. 16. fol. 133.* Juxta Michaelis Ettmuller. *Inſtitut. medic. cap. 22. Oper. Tom. I. fol. m. 166.* menſtrui fluxus cauſa finalis, ut vulgo dicunt, minime eſt fœtus in utero nutrimentum, quia bruta multipara fluxum menſium non patiuntur, fœtus tamen eorum feliciter nutriuntur. Sanguinem quidem fovere vitam animalium, veriſſimum arbitratur Georgius Entius *de Circulat. Sangv. Digreſſ. V. pag. m. 119.* eundem autem ſanguinem nutrire, ſive partes novas exſtruere, aut deperditas inſtaurare, minus ipſi veriſimile videtur. Et *pag. 121.* inquit idem: Fœtus in utero non alitur ſanguine materno, qui nullus adeſt, ſed ſucco nutritio, qui in eum a matre transfertur. Succus nutritius matris fœtum in utero nutrit, juxta Fr. Hoffmann. *Medicin. ration. Tom. prior. Part. II. cap. 13. p. 450.* Ad quæſtionem: Fœtus nutrimentum quodnam ſit? & unde id habeat? ita reſpondet Theodorus Craan *de Generat. Homin. Qv. 19. in Oecon. animal. p. 288.* Antiquitas ſanguinem menſtruum alimentum fœtus eſſe credidit, quam ſententiam rejicimus, & potius fœtus nutrimentum ex ſanguine materno, per vaſa uterina aſportato, venire dicimus. Non autem univerſus ſanguis maternus hoc præſtat: Sed tantum ejus particulæ chyloſæ

loſæ a fermento vel ſpiritu ſeminis maſculini in uteri poris hærente præcipitatæ, & in placentam uterinam depluentes, ex qua a ramulis infinitis venæ umbilicalis reſorbentur, & ad venam portarum infantuli deducuntur, ut ſic tandem ad cor deveniant.

§. 4.

Scribit etiam Gualterus Charleton *de Cauſ. Catamenior. cap. 4. p. 42. ſeq.* Utut ſententia Galeni ſanguinis pleonaſmum in prægnantibus nutriendo fœtui inſervire, longitudine temporis patronorumque ingenti multitudine ſit commendata; nihil tamen futilius, nihil magis a veritate alienum fingi poteſt. Nam utrum animalia perfectiora ſanguine, tanquam ultimo ſolidarum corporis partium alimento, nutriantur; an eorum ſuccus nutritius ſit alterius familiæ, atque a ſanguinis natura longe diverſus? in magna quæſtione habent haud infimi ſæculi hujus philoſophi. Deinde dictus autor Georgii Entii modo adductam ſententiam prolixe defendit. Et *pag. 44. ſeq.* ait: Sunt quidem ex modernis anatomiæ cultoribus, qui, ut ſanguinem ex utero matris ad fœtum inibi commorantem commode traducerent, vaſa uteri ſanguifera cum fœtus vaſis umbilicalibus conjuncta eſſe, eorumque commiſſuras & anaſtomoſes cotyledonas appellari ſcripſerint. His vero ipſa refragatur ſenſuum fides; nullæ etenim inoſculationes aut commiſſuræ inter vaſa uteri & umbilicalia hactenus comparuerunt &c. Idem Henricus Snelle *Delineat. Theor. mechan. Part. II. p. 112.* Johannem Freind perſtringit, quod ex falſa hypotheſi de anaſtomoſeos inter uterina & umbilicalia vaſa exiſtentia, quæ nondum in arteriis & venis ullis demonſtrata ſit, menſtrua per conceptum ſuppreſſa nutrimentum embryoni præbere, ex Galeno defendat. Fœtum, pergit Snelle, a matre nutrimentum obtinere, ſaltem cum utero quaſi per gomphoſim annexus eſt, veriſſimum eſt, ſed an ipſiſſimus ſanguis, de quo quæritur, a matre ad fœtum fluat, non ſine ratione cum Entio, Whartonio, Charletonio & Georgio *item.*

 Bidloo,

Bidloo, in dubium voco, quem (Bidloo) decantatam vaſorum uterinorum & umbilicalium anaſtamoſin diligentiſſime & armatis omnium adſtantium oculis inquirentem in vaccinis ſubjectis ſæpius vidimus, quod experimentum deinde poſtmodum reiteravi, ſed nunquam me ullam vaſorum quorumvis connexionem videre potuiſſe fateor, etiam armatis oculis. Quod ſi etiam ſanguis menſtruus pro nutritione fœtus neceſſarius eſſet, cur brutis quæſo conſuluiſſet natura melius, quam hominibus, illa enim absque ſordido illo profluvio, ſi ſimiam excipias, ſubſiſtunt, impraegnantur & ſuos nutriunt fœtus. Deinde ſi nutritio inde penderet, omnes impraegnatæ mulieres more ſolito menſtruantes nunquam vivos edere poſſent partus, quod tamen multifariæ experientiæ & medicæ hiſtoriæ repugnat; cum ſaniſſimæ menſtruantes per impragnationem ſanos enitantur fœtus, quos miſeros aut mortuos in lucem mittunt menſtruis ſuppresſis &c. Ad quæſtionem, an menſtrua embryoni in alimentum cedant? multis rationibus etiam negative reſpondet Johannes Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An. VIII. Obſ. 162. Schol. p. 367.* it. Chriſt. Joh. Lang. *Oper. Tom. I. f. 239.* item Johannes Veslingius *Syntagm. Anat. cap. 8. p. 116. ſeq.* inquit: Utcunque purus ſit, qui alendo embryoni ſumminiſtratur a matre ſanguis, attamen cum temperamento fœtus haud dubie diſſimilis ſit, ſupervacuorum ſeparationem denuo & mutationem in officina ſanguinis ſuſtinere debet. Et Gerardus Blaſius *Comment. in. h. l. p. 117.* annectit: Everardus ſanguinem menſtruum nutritioni fœtus inſervire neutiquam poſſe, probare contendit, argumento maxime triplici; quorum primum eſt, quod plurimæ mulieres nunquam fluxus menſtruales patiantur, quæ interim vivunt incolumes, ſanosque fœtus & robuſtos pariunt. Secundum, quod experientia conſtet, mulieres non paucas, quibus parciſſimus eſt menſium fluxus, ad uncias ſcilicet quatuor aut tres, fœtus nihilominus prægrandes & robuſtiſſimos in lucem edere, quod fieri neutiquam poſſet, ſi ex tantilla ſangui-

nis

nis copia tam magna fœtus moles ſpatio nonimeſtri deberet conſtitui. Tertium quod ſi menſtruo ſanguine nutriretur embryo, quo fœtus fit grandior, eo pauciora menſtrua reddi debeant, cum tamen contrarium verum ſit. Daniel Tauvry *Tr. de Gener. & Nutrit. fœt.* demonſtrat, interiorem uteri cavitatem conſiderandam eſſe tanquam exiguis glandulis repletam, per quas filtretur ſuccus nutritius, magis tenuis, minus viſcoſus, & ad naturam lactis ſive chyli magis accedens, quam liquor amnii, per arterias eo derivatus, & per poroſitates placentæ fluens, atque cum ſanguine ex arteriis fœtus propullulante in venam umbilicalem abreptus. *vid. Act. Erudit. An. 1706. menſ. Novembr. pag. 528.*

§. 5.

Dictam autem medicorum diſcrepantiam hoc modo reconciliare nititur Elias Camerarius *Medicin. conciliatr. cap. 4. pag. 118.* quando, inquiens, alii fœtum ſanguine nutriri, alii vero lympha ſuccove chyloſo ſtatuunt, quam facilis eſt conciliatio, illis cauſam remotiorem, his proximam allegantibus. Quamvis enim recte cum Hippocrate moderni ſuccum lacti analogum fœtui nutriendo inſervire cenſeant, anaſtomoſi vaſorum uterinorum & umbilicalium exploſa, nec ſanguine matris integro fœtus vaſa ſubeunte, id tamen non obſtat, quo minus dicamus, ſanguine fœtum nutriri, cum & iſte humor ſit melior pars ſanguinis, modo ab eo ſecreta, nec rubedo præciſe ſanguinem conſtituit, cujus minima portio eſt. Unde & hoc ſenſu recte quidam moderni aſſerunt, fœtum non nutriri ſanguine menſtruo imprægnationis tempore circa uterum ſtagnante; deſinant tamen ſuccenſere veteribus iſtique eorum formulæ loquendi: Fœtum ſanguine menſtruo nutriri; cum ea in tantum vera mitiusque explicanda ſit, cum iſte ſanguis, qui menſtruatim alias, tanquam ſuperfluus effluit, nunc cedat revera in fœtus nutrimentum, poſtquam debita per placentam percolatione ad id diſpoſitus fuit. Eodem modo etiam Johannes *Opinionum conciliatio.*

hannes Freind *Emmenolog. cap. 2. p. 4. ſeq.* Galeni mentem explicat: fluxum menſtruum fœtui præbere nutrimentum, aſſerit Galenus, eique ſcriptores fere omnes aſſentiunt; refragantur tamen nonnulli, & hoc potiſſimum argumento in Galenum inſurgunt, nimirum ne guttulam quidem materni ſanguinis ad fœtum derivari ajunt; quia ſcilicet neque ulla datur inter vaſa uterina & umbilicalia anaſtomoſis: neque fœtus ſanguine, ſed ſucco lacteo per os nutritur. Qui hoc aſſerunt, pari etiam ratione poſſent dicere, infantes a materno ſanguine non haurire alimentum, quoniam lacte, non ſanguine nutriuntur. Unde vero id ipſum lac ſuppeteret, niſi ex materni ſanguinis penu ad mammas deferretur? Jam in fœtu nutriendo eadem valet ratio; ſive enim ipſo matris ſanguine per arterias uterinas delato, ſive liquore, qui in amnio continetur, alatur fœtus, utrinque facile conſtat, ſanguinem maternum fœtui alendo inſervire: quis enim iſtius liquoris aliam inveſtigabit originem? qui eum ex materno ſanguine derivari neget? ita ut ſi concedatur, fœtum per os nutriri, quicquid fuerit pabuli, id omne a matre ſit petendum. Et *p. 6.* idem Freind etiam ad alterum, contra ſanguinis menſtrui pro fœtus nutrimento uſum, ab aliis adductum argumentum, ſcilicet, quia quantitas novem menſium ſpacio evacuata nimis exigua videtur, ut alendo fœtui ſufficiat, ſimul reſpondet. Idem etiam *pag. 8.* ait: Quæſtio, an fœtus menſtruo ſanguine alatur? perridicula eſt, & a ſana h. e. Galeni mente alieniſſima: quaſi vero ille unquam crediderit, fœtum nutriri eo ipſo ſanguine, qui foras ejicitur: quaſi non hoc potius voluerit, ſanguinem in muliere redundare, ut non tantum proprio corpori alendo ſatis habeat, ſed & concepto fœtui pabulum inſuper miniſtret.

§. 6.

Viæ nutrimenti. Per quas porro vias ejusmodi a ſanguine materno ſecretus liquor chyloſo-nutritius embryoni communicetur, iterum diſſentiunt autores, dum ſecundum hactenus dicta id alii per umbi-

umbilicum, alii per os, alii etiam tam per os quam vaſa umbilicalia fieri contendunt; alii fœtus nutrimentum in glandula Thymi quærunt, & adhuc alii per poros vel mammillas transſudare ſtatuunt. Præſertim vero primum ſtatim embryonis nutrimentum, per aliquod temporis ſpatium, & quamdiu ovulum ipſi utero mediante placenta nondum adhæret, plerique ex ipſius ovuli connato liquore petunt.

§. 7.

Primum nutrimentum, liquor ovuli

Ineſſe autem ovulo imprægnato talem liquorem alimentoſum imprimis confirmat Carolus Drelincurtius *de Concept. adverſ. Claſſ. IV. pag. 52. ſeq.* inquiens, ſicuti gemmula quævis inditum ſibi primævum nutrimentum habet ab illa pulpa; ita omnino gemmula quævis embryonica inſitum requirit ab ovulo fœmineo nutrimentum. Concludere eſt igitur, ſemina quævis aliquid in ſe alimenti continere, quod una cum generandi principio natura profundit, ſicut in ovis. Eſt itaque procul omni vero, providum illum vegetabilium atque brutorum animantium educatorem & altorem minimis illis vegetantium apicibus pullulaturis, ac minimis etiam vel inſectorum ovulis vermiculos excluſuris, nutrimentum indidiſſe primævum, nequaquam vero ſuorum operum complemento proſpexiſſe, alimoniæ nimirum primigeniæ embryonis in utero concreſcendi. Sicut igitur in iſtis innatum illud alimentum prorſus eſt a generante principio diſtinctum, ita certe recens omnis in ovulo concretus embryo, futurus quondam naturæ totius mirificum exemplar, primigeniam ſuam alituram habet a vitæ ſuæ principiis energiticis longe diſcrepantem. Deus ergo, ut id medullitus inculcem, nullum embryonem providentia ſua deſtitutum nude abjecit. Nullus quippe compingitur unquam, niſi in media ovuli lympha, embryonum profecto perinde nutritia, ac vel ovorum liquor pullitiei genuinus altor eſt, vel vegetantium in obvio quovis ſemine pulpa germinis ſui nutrix eſt primæva. Secundum verba Dionis *des Accouchem. Lib. I.*

cap. 12. pag. m. 95. un oeuf ayant été receu & embraſſé dela matrice commence par jetter de petits filamens en forme de racines, qui ſe gliſſant entre les fibres dela ſubſtance dela matrice, en reçoivent un ſang, qu'ils rapportent à l'oeuf pour le nourrir, l'augmenter & developer ce qu'ils contient; il reſſemble en cela à un grain de bled, qui jetté dans une terre fertile, commence par repandre des racines, qui lui apportent une ſeve, qui lui ſert à nourrir la plante, qu'il renferme.

§. 8.

Alii autores. Sic credit etiam Guilielmus Harvæus *de Generat. animal. Exercit. LVIII. p. m. 379.* liquorem amnii, ſive colliquamentum aquamve, in qua natat fœtus, ei pro alimento inſervire partemque ejus tenuiorem & ſinceriorem intra venas umbilicales hauſtam, primogenitas fœtus partes conſtituere & augere; ex reliquo autem, ceu lacte, per ſuctionem in ventriculum deglutito, ibidemque cocto ſive chylificato & venarum meſaraicarum opera attracto, novellum embryonem nutriri & creſcere. Idque variis argumentis probat. Duplex fœtus alimentum ſtatuit Johannes Jacobus Franciſcus Vicarius *Baſ. univ. Medicin. Lib. I. c. 3. §. 7. p. 44 ſeq.* unum ſcilicet ſtatim moto puncto ſaliente, & hoc eſt reliquum ovi colliquamentum, a vero germine diſtinctum, in oviparis valde copioſum: nam in his ad integram fœtus formationem & excluſionem ſufficere debet; in viviparis autem ſolum eousque, donec abſumptum eſt, ubi jam quaſi circulatio in embryone incipit; deinde vero alio indiget nutrimento, nam mox venulæ illæ umbilicales dicendæ radices ſuas (antequam per placentæ primordia firmantur) in uteri ſubſtantiam agendo aliquid humiditatis imbibunt & fœtui apportant, eousque donec placenta uterina perfecte formata hujus plenior proventus in venam umbilicalem, hinc hepar & tandem cor fœtus derivetur. Materia hæc non eſt ſanguis maternus, ſed materia quædam limpida & albuginea, chyloſa & gelatinoſa, qualis in amnio continetur, & in qua fœtum natare deprehendi-

hendimus, quæ materia ex utero ſtillans defertur partim per placentam, ex qua in amnion abit, pro fœtus jam grandioris per os etiam nutritione; nutritur etiam per os &c. Et juxta Joh. Bohn. *Circul. anat. phyſiol. Progymn. I. p. 6.* non ſine adæquata ac proportionata alimonia primus conceptus ſeu ovulum imprægnatum habitaculum ſuum novimeſtre ſubintrat, ſed priorum dierum annonam ſecum apportat; hinc veroſimile fit, quod uteri lateribus nondum cohæreſcat, adeoque nec a matre ſtatim pabulum recipere queat. Et Andreas Ottomarus Gœlicke inquit *Medicin. Forenſ. Specim. I.* §. *13. p. 25.* Quemadmodum plantæ, telluri commiſſæ, non ſtatim primo, quo ſeruntur, die, radiculas ſuas in terram exporrigunt, quibus alimentares ſuccos imbibant, & intra ſe reſorbeant; ſed medulla, quam intra capſulas ſuas recondunt ſemina, nutriantur neceſſe eſt. Et quemadmodum pulli gallinacei toto eo tempore, quo intra teſtas ſuas commorantur, omne ſuum nutrimentum ex vitello hauriunt: ita nihil rationi magis conſentaneum eſt, quam ipſum quoque embryonem primis conceptionis diebus ſuum haurire nutrimentum ex eo, in quo primum conceptus eſt, liquore, ſubtili nempe lympha illa, qua veſiculas ovulorum muliebrium repletas eſſe videmus.

§. 9.

Sed ad majoris embryonis vias nutrimenti & primo quidem ad glandulam Thymi ut redeamus, recenſet Laurentius Heiſterus *Orat. de Increm. Anat. p. 84.* in Anglia Bellingerum Anglice edidiſſe tractatum, Londini impreſſum, & de Fœtu Nutrito inſcriptum, in quo præcipue oſtendere conetur, nutrimentum fœtus in glandula Thymi præparari atque inde ad glandulas ſalivales, maxillares dictas, transmitti, & ex his pro nutrimento fœtus ad os deponi. Vid. etiam ejusdem Heiſteri *Compend. anatom. p. 209.* Item in Act. Erudit. Lipſ. *Ann. 1718. menſ. Januar. pag. 6. ſeq.* de hac Billingeri diſſertatione ſequentia legimus: Quemadmodum dictus autor embryonem nec liquore amnii, nec ore, *Ex glandula Thymo.*

ſuſtentari poſſe, exemplo fœtus, vel cum amnii humore fœtido, vel ſine capite, vel ore, cum conſueto tamen ventriculi fluido in lucem editi evincit, ita omnem ejus alimoniam per ſola vaſa umbilicalia adferri, hujus autem grandioris peculiarem ſimul uſum adverti, tali aſſeverat ratione. Scilicet, dum humores uteri, æque ac ovi albumen, non tam nutrimentum, quam molle ſaltem pulvinar fœtui præbent, ſuper quod tenera ſua moveat membra, embryonem conceptum i. e. vermiculum ſeminis maſculini cum ovulo aliquo intra ovarium matris unitum, ab ovuli liquido, veluti vitelli ovi quadam ſpecie omnium primum eousque nutriri, donec vaſorum umbilicalium rami, inſtar radicum vegetabilium, per corticem ovuli excreverint, ac interventu placentæ uterinæ cum ramis capillaribus arteriarum uteri hypogaſtricarum coiverint. Tunc liquorem lacteo-chyloſum in placentæ uterinæ parenchymate glanduloſo ſecerni, ſecretumque cum ſanguine a venæ umbilicalis ramis recipi, ut per truncum hujus ad hepar, ſive venam portæ, ab hac ad venam cavam, porroque ad dextrum cordis moveatur ventriculum, medioque foraminis ovalis ab auricula dextra ventriculum una ſiniſtrum ingrediatur, ab hoc demum magna ex parte per inſignem arteriæ carotidis ramum ad Thymum propellendus. In Thymi hinc glandulis globuloſis chyloſum itidem ſuccum a ſanguine non tantum ſecerni, ac per vaſcula minora in ductum, veluti receptaculum commune, infundi, ſed per canales quoque duos in duobus proceſſibus latentes & juxta tracheam aſcendentes ad glandulas maxillares, ceu quibus duo ejusmodi Thymi proceſſus non tam contigui, quam continui Whartono jamdum reputati fuerunt, deferri per diſtincta oſcula ductuum ſalivalium ſub lingua oris cavo tam inſtillandum, quam per gulam ad ventriculum pro hujus liquore mucilaginoſo, chylificationem incipiente, ac inteſtinorum meconio, ſine deglutitionis motione deſtillandum. Hanc Thymi cum glandulis maxillaribus

bus ſalivalibus commixtionem ex fœtu vitulino depictam ibidem reperies.

§. 10.

Ad præparationem ſucci nutritii pro fœtu in tertia uteri ovini tunica certa vaſa Fridericum Ruyſchium inveniſſe ſcribit Jean Palfyn *dans la deſcript. anat. des part. de la Generat. p.m.64.* Monſieur Ruyſch, inquiens, pretend avoir decouvert le premier dans la troiſieme tunique de la matrice d'une brebis, certains petits vaiſſeaux, qui ſervent, a ce qu'il croit, pour la preparation d'un ſuc pour la nourriture du fœtus; il les appelle vaiſſeaux vermiculaires, parce qu'ils vont en ſerpentant comme les vers. Ipſe autem Fridericus Ruyſchius *Theſaur. anat. II. Aſſer. 4. n. 19. p. m. 56.* ſiſtit portionem tunicæ tertiæ ſeu interioris uteri ovini imprægnati, per quas myriades vaſorum incognitorum diſſeminantur, in quibus nutrimentum, fœtui dicatum, præparatur; ſuntque vermicularia ab ipſo dicta, propterea quod vermium reptatu repunt per integram tunicam intimam uteri. *vid. Tab. VI. fig. 6. p 97. vid. etiam Theſaur. V. p. 16. ſeq.* De hac vero Ruyſchii ſententia ita ſcribit Martinus Liſter *de Humorib. cap. 48. p. m. 438.* Nuper vir diligens Ruyſchius exhibuit neſcio quæ vaſa vermicularia, hactenus, ut ait, incognita, per intimam & tertiam tunicam integram, uteri puta ovini imprægnati diſſeminata: in his putat nutrimentum fœtui dicatum præparari. At hæc vaſa ſunt glandularum vice, vel potius ſunt ipſæ glandulæ: nam glandulæ eſſe poſſunt vaſa ſoluta ſparſaque; æque ac in nodulos collecta aliterque diſpoſita, ut in viſceribus majoribus videre eſt; in eo certe conveniunt, quod univerſa illa excretoria ſunt. Idem vero dubitat, an ulla vaſa per ſe apta ſint ad humorem peculiarem conficiendum; ſibique reſpondet, quod ſeminalia ſemen conficiunt ſine ullis glandulis; ita nec ullæ glandulæ in hepate, & tamen bilis conficitur. Verum errat Ruyſchius, quod non animadvertit, illa viſcera majora, teſticulorum puta, aut hepatis, eſſe per ſe integras glandulas: ipſæque illæ glandulæ

ex tertia uteri membrana.

dulæ non mera vaſcula ſunt excretoria, ſed ſimul etiam humorum officinæ: Male itaque glandulas definivit, de ſolis neſcio quibus ſolidis, duris & nodoſis corpuſculis, certis quibusdam tunicis involutis, comprehenſisque inque ipſis viſceribus reperiendis &c. E glandulis autem uterinis ſuccum nutritium excerni variis rationibus probat idem Liſter. *l. a. p. 436. ſeqq.*

§. II.

per poros. Aliam rationem, qua fœtus in utero materno enutritur, ſtatuit Antonius Deuſingius, nimirum per corporis communionem. Si enim, ut dicit, certum eſt, fœtum non niſi ad trigeſimum vel quadrageſimum usque diem nec affixionem, nec communicationem, ullam cum matre habere, ſed, uti ovum ſaltem aliquod, utero gallinæ incluſum eſſe, non poteſt non aliud accipere alimentum præter illud, quod per modum roris per membranas ſuas recipit atque imbibit; eadem plane ratione, qua piſa vel fabas terræ mandatas per tunicas ſuas humores nutrientes germinantesque attrahere experimur. vid. Frid. Nitzſch. *Ephemerid. Erudit. An. 1666. p. 305. ſeq.* Inquit etiam Franciſcus Stockhamer. *Microcoſmogr. cap. 18. p. 230.* quod, ubi ovum fœcundum in uterum receptum eſt, illud incipiat ſenſim augeri, humores ab utero transſudantes intra ſuas membranas recipiendo. Fuit hæc opinio Alcmæonis ſtatuentis, infantem nutriri per omnes partes corporis attrahendo, miniſterio pororum, alimentum neceſſarium. v. de Saint Romain *Phyſ. cap. 4. p. 295.* Vel juxta Georg. Frid. Rall. *de Generat. Animal. Sect. VI.* Alcmæonis ſententia fuit, corpus embryonis laxum & ſpongioſum per corporis habitum nutriri, quam non adeo improbabilem judicat D. Courvée, qui exiſtimat, primis menſibus fœtum non ali, per intus ſuſceptionem materiei, ſed per juxta appoſitionem, ſeu, quod idem eſt, non advenire intrinſece alimentum per vaſa, ſed extrinſecus appoſitum agglutinari. De hac fœtus nutritione ita ſcribit Petrus Stalpartius van der Wiel *p. 8.* Ovum in uterum demiſ-

demiſſum indies increſcere nemo, opinor, negabit, nec accretionem illam a nihilo procedere ullus contendet. Demonſtrandum itaque eſt, quomodo ovulum illud, quod accreſcit indies, accipiat nutrimentum, ſive materiam incrementi cauſam; hanc per materna in embryonis, ſeu ovi, vaſa ſatis liquet non immitti, quoniam tum nondum affigitur utero, vel ſaltem non ita notabiliter, ut ſanguis fœtæ queat tranſire in ovi ſeu embryonis vaſa: Quoniam itaque materia illa, qua ovum accreſcere debet, prædicto modo non deponitur, perſpicua magis quærenda eſt via, eamque non aliam ſuppono, quam poros uteri intus foras, & poros membranularum ovi foris intro ſpectantes, per quos materia illa nutritura forma roris, aut vaporis, transmittitur ad augmentationem partium futuri, aut jam embryonis. Nonnulli etiam per poros ſeu habitum ipſius fœtus liquorem vel rorem transſudare denuoque ab ipſius ore hauriri ſtatuunt, quam transſudationem olim etiam ſe foviſſe inquit Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. II. p. 30.* de quo paulo infra, ubi de liquore amnii per os aſſumendo, agemus. De adducta autem ſententia ſcribit Coſmopolita *Hiſt. natur. p. 145.* non poſſum induci, quo credam, fœtum in utero per habitum corporis nutriri, ut placuit Alcmæoni, vel primis diebus augeri per alimenti juxta poſitionem, quæ æque vera nutritio cenſetur, ac ea, quæ fit per alimenti intus ſuſceptionem. Et G. B. de Saint Romain opinionem Alcmæonis ſtatuit falſam eſſe, nam ſi infans ſpongiæ inſtar eſſet, non nutriretur, ſed intumeſceret ab aqua vel ſeroſo humore, in quo natat, & qui in amnio continetur. Hæc transcolatio etiam Johanni Bohnio ob diverſas circumſtantias ambigua videtur.

§. 12.

Circa magis autem communes, de fœtus nutritione, opiniones, dum eandem nonnulli per umbilicum, nonnulli per os, & alii tam per os, quam umbilicum, fieri ſtatuunt, maximus inter medicos deprehenditur diſſenſus, qui tamen utram- *an per os? rationes.*

que

que opinionem ſatis prægnantibus rationibus defendere ſtudent; quales pro nutritione per os adducuntur, ſunt v. g. quod 1) fœtus plerumque ore aliquo modo aperto liquori amnii gelatinoſo & maxime nutritio innatet, 2) quod fœtus intra uterum, ſimul ac chylificationi inſervientia organa ſunt efformata, nutrimentum per os admittat &, ſecundum Hippocratem, comprimens labia ſugat & lacte fruatur, 3) quod fœtus recens natus aperto ore mammam appetat & ſtatim ſugat, 4) quod in embryonibus non tantum humanis, ſed & brutis, oculi exiſtant clauſi, & ſub palpebris, firmiter admodum ſibi adhærentibus, occulti, verum ex adverſo labia ſeparata, 5) quod fœtus os etiam tunc, cum embryonum vix diſcerni poſſunt rudimenta, apertum conſpiciatur, 6) quod in fœtibus, qui ex utero prodeunt mortui, lingua inter maxillas nonnihil prominens obſervetur, 7) quod interdum ex fœtus ore talis liquor, cui in amnio innatant, quamvis paulo craſſior, poſt partum educatur, 8) quod juxta Hippocratem in recens nati infantis inteſtinis excrementa nigricantia (quæ vulgo meconium vocantur) lateant, 9) quod in fœtus œſophago & ventriculo ſubſtantia reperiatur, quæ quantum ad colorem, ſaporem & conſiſtentiam a liquore amnii non differt, quæque in ventriculo aliquantulum cocta lac coagulatum refert; unde inquit Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 15. Oper. p. m. 375.* quod fœtus per os & non per juxta poſitionem nutriatur, in fœtus diſſectione conſpicuum evadit; nam liquorem colore & ſapore ſimilem in embryonis ventriculo ac amnio reperimus, 10) quod multi recens nati infantes lacteum nutrimentum ante evomuerint, quam mammas ſuxerint, aut aliud quicquam extra corpus matris aſſumſerint. Cujus rei manifeſtum exemplum vidit Isbrandus de Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap. 32. fol. m. 224.* in filia ſua, quæ circiter poſt unam a nativitate horam lac copioſum & album evomuit, 11) quod etiam in fœtu œſophagi, ventriculi & vaſorum lacteorum cavitas non coaleſcat. Ubicumque enim notabilis

tabilis aliqua datur cavitas vel apertura, cujus interior circumferentia, vel interna latera ſunt mollia, cauſa etiam quædam materialis exiſtit, quæ cavitatem illam conſervet, alias enim latera illa omnino coirent & in ſolidum aliquod corpus coaleſcerent; quod evidenter in deligatis vaſis umbilicalibus recens natorum infantum patet. vid. Corn. Stalp. van der Wiel *Cent. II. Obſ. 32. Sch. p. 331. ſeqq. 339. & 352. ſq.* 12) quod fœtus poſt conceptionem ad trigeſimum aut quadrageſimum diem usque, nuſpiam aliquam connexionem aut communionem cum ipſa matre per placentam habeat. 13) quod nutritio per umbilicum minime ſufficiens ſit, & 14) quod quandoque fœtus humanus absque umbilico editus obſervetur, quale exemplum vid. Corn. Stalp. van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. II. Obſ. 32. p. 327.* Ex his & aliis rationibus etiam ipſius filius Petrus Stalpart peculiari diſſertatione, fœtum ſuccum alimentarium per os tantum ſumere oſtendit. *vid. pag. 10. ſeq. 17.* item Valent. Andr. Mœllenbr. *de Varis c. 4.* & Chriſt. Joh. Lang. *Oper. Tom. I. f. 238. ſeq.* Huc facere etiam videtur, quod de variis fœtibus fere maturis inquit Johannes Jacobus Wepfferus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 129. pag. 228.* ſcilicet, qui attente in generationem & formationem fœtus in utero inquirent, obſervabunt conceptum ſeu ovum in aliquibus, ut in homine, damis, aliisque, non ſtatim ac formatum eſt, in aliquibus tardius, ut in equabus, in ſuibus nunquam, utero adhærere. Fœtum equinum, penitus formatum, ſed nondum piloſum, quamvis chorion verruculis carneis præditum eſſet, nullibi utero annexum, reperire potui, licet blandisſime uterum tractaſſem, ac levi attactu uteri tunicas removiſſem: Inter chorion & fœtum fluctuavit humor limpidus, ſed paucus. Vidi etiam porcellos partim propemodum maturos mediante chorio nullibi utero ſerophæ adhæſiſſe, ſed chorion in liquore quodam lutoſo, turbido & copioſo quaſi nataſſe &c. Fœtum nutriri & augeri ſeroſo humore per placentam a ſanguine matris in ſanguinem fœtus transmiſſo, & per ſuperficiem externam fœtus ite-

rum excreto, iterumque per os aſſumpto, qui continuis circulationibus a ſuperficie externa in internam, & vice verſa ſui partes transmittit, donec, quicquid ibi fuerit augendo corpori utile, ſingulis partibus accreverit, ſtatuit Caſpar Bartholinus *de Ovar. Mulier. p. m. 37. ſeq. & Act. Hafn. Vol. V. n. 13. p. 49.*

§. 13.

per umbilicum. His tamen rationibus rejectis alii nutritionem fœtus per umbilicum defendunt; unde inquit Georgius Philippus Nenterus *Phyſiol. med. cap. 11. membr. 2. §. 4. p. m. 337. ſeq.* Quamvis hæc argumenta probabilitate non careant, magis mihi tamen probabile videtur, fœtum tantum per umbilicum nutriri: quoniam 1) nulla ſufficiens ratio allegari poteſt, cur nutritio per umbilicum non ſufficiat: ſi enim in homine adulto, magnitudine fœtum maxime ſuperante, ductus thoracicus, quoad multorum ſententiam, ad advehendam materiam nutritiam ſufficit, vena quoque umbilicalis, quoad capacitatem ductum thoracicum ſuperans, in fœtu ſufficere poterit. 2) Quia absque reſpiratione impoſſibilis eſt ſuctio. Cum ergo certiſſimum ſit, fœtum in utero non reſpirare, quomodo ſugere poterit? Quod vero 3) meconium concernit, falſo exinde concluditur, quod fœtus quoque per os nutriatur: nam meconium illud nil niſi ſerum mucoſum eſt, quod per glandulas ſecernitur, ac in cavitatem inteſtinorum infunditur: Cum vero eidem etiam portio bilis excrementitiæ jungatur, aliquo modo nigricantem poſtmodum acquirit colorem. Juxta Andr. Laurent. *Hiſtor. anat. Lib. VIII. cap. 6. fol. 315.* fœtus materno utero vaſorum & membranarum interjectu alligatus per oſcula venarum miro artificio coëuntia, maternum ſanguinem trahit eumque puriſſimum &c. Nutritionem per umbilicum ſequentibus verbis defendit Fridericus Hoffmannus *Medicin. ration. Tom. prior. Part. II. cap. 13. §. 18. p. 451.* Non probabile eſt, fœtum ultimis menſibus ſucco gelatinoſo in amnio contento nutriri. Inepta videtur ſententia, infantem per os, non vero per umbilicalem

calem funiculum accipere nutrimentum ; nam organa ventriculi, inteſtinorum cum vaſis lacteis in tenello corpore minutiſſima ſunt, ut ſuccum nutritium non bene capere, multo minus per tam longum iter venarum lactearum & ductus thoracici ad cor deducere poſſint, cum via longe brevior & amplior ad cor per funiculum umbilicalem detur. Neque ego ullam magni momenti rationem invenire poſſum, quæ mihi nutritionem fœtus per os ultimis menſibus fieri perſuadeat, nam ſuctio & deglutitio ſine reſpirationis ope fieri nequit, quæ tamen in utero materno plane ceſſat. Deinde illud tam certum eſt, quam quod certiſſimum, aquas inter amnium contentas fœtu grandiori facto non decreſcere, ſed augeri, quia plus urinoſi, quanquam inſipidi, emittit. Sique fœtus in utero alimentum ore aſſumeret, tanta excrementorum moles in ejus inteſtinis colligi deberet, ut neceſſe haberet, in utero alvum deponere. Neque hic objicere ſufficit, liquorem amnii eſſe nutritiis partibus turgidum, eum enim nutrire, inde haudquaquam evinci poteſt, nam ſerum hydropicorum extravaſatum ejusdem indolis eſt. Varias rationes contra funiculum umbilicalem ab autoribus adductas refutat Chriſtianus Joh. Langius *Oper. Tom. I. fol. 241. ſeq.* atque obſervationes de funiculi umbilicalis defectu, aut fabulis, aut fallaciis, vel figmentis annumerat. Sanguinem per umbilicum ſufficientem nutrimenti quantitatem fœtui præbere, per calculum docet Johannes Freind *Emmenolog. cap. 2. p. 6. 7.* Andreas Ottomarus Gœlicke exinde, quod aperto cadavere feminæ gravidæ humorem amnii prorſus atramentitii coloris deprehendit, concludit, fabuloſam eſſe phyſiologorum quorundam aſſertionem, quod fœtus in utero per os amnii humore nutriatur, uti ex Exercit. ſubſeciv. Francof. *Tom. I. Sect. II.* referunt Acta Erudit. Lipſ. *Ann. 1718. menſ. Novembr. p. 500.* Ex humore amnii fœtido idem judicat F. Billingerus, ſcilicet fœtum amnii liquore ſuſtentari non poſſe *l. a. menſ. Januar. p. 6.* Secundum de Saint

Romain *Phyſic. Part. IV. cap. 6. pag. 296.* opinio de nutritione infantis per os probabilis non eſt: Infantis enim caput inter utrumque genu ſitum eſt, nec ſugere prætenſas carunculas, ut ſupponitur, poteſt, niſi una eademque opera aquam, in qua latet, attrahat, aut membranam, qua involvitur, penetret; quapropter illorum opinionem majore fundamento niti credit, qui ſtatuunt, infantem in utero nullum aſſumere nutrimentum, niſi per venas umbilicales. Porro fœtum per os ſolummodo non nutriri, ſatis probant monſtra ſine capite in lucem edita, & nonnulli ore naribusque obturatis infantes; ulterius adhuc proceſſit medicorum in re anatomica peritia, & fœtum, placenta intercedente, ſanguine materno ali luculenter ſatis evicit. Ad quæſtionem, an infans etiam per os nutriatur, quando eſt in utero materno, ita reſpondet Theodorus Craan *de Generat. Homin. Quæſt. 20. pag. 289.* Hippocrates, Everhardus aliique magni nominis medici, non contenti nutritione per vaſa umbilicalia facta, ſtatuunt inſuper, infantem per os nutriri; ſed argumentum eorum, quo hoc demonſtrant, non eſt magni momenti. Dicunt enim, infantem, quamprimum in lucem prodiit, artificium lac ſugendi ex mammis optime ſcire, adeoque eum debuiſſe intra uterum hoc modo alimentum quæſiviſſe. Sed imbecillum hoc admodum eſt; quæri enim poſſet, quisnam infantem primum ſuctionis conatum intra uterum edocuiſſet. Cum igitur ſola inſtigante natura intra uterum id potuerit, quidni poſſet adultior factus extra uterum, licet antea nunquam in utero ſuxiſſet? Nos itaque ſequentes ob rationes hanc rejicimus ſententiam. Primo, quia ante quartum menſem infans in utero nondum os habet, nec labia a ſe invicem diducta, qui igitur tum infans nutriretur? Secundo ſi nutriretur per os, etiam deberet reſpirare, quod locum non habet in fœtu, quamdiu eſt in utero. Tertio metus eſſet, ſi os aperiret, quod aqua illa, cui innatat, eum ſuffocaret, aut propter ſuam fæculentiam maxima incommoda, imo vel ipſam mor-

mortem inferret; hanc enim aquam eſſe excrementitiam mox videbimus. Quapropter, fœtum ſolum dicto modo per vaſa umbilicalia nutriri concludimus. Inquit etiam Carolus Raygerus de binorum infantum, juſto tempore, ſed mortuorum, excluſorum ſectione: In ventriculo nihil erat, quam mucus quidam inſipidus, an rudimentum fuerit futuri fermenti, dubium? Exigua tamen moles ventriculi nos certos reddidit, nihil fœtum per os nutrimenti accipere, quod legitima via deſcenderet in ventriculum, illumque taliter qualiter extenderet, id quod poſtmodum in alio infante, tribus vel quatuor poſt partum diebus mortuo, obſervavi, ubi ſtatim grandior ventriculus cum reliquiis lactis apparuit. *Vid. M. C. Dec. I. An. VI. & VII. Obſ.202. p.298.* Nutritionem fœtus per os in dubium quoque vocat Guſtavus Caſimirus Gahrliep. *M. N. C. Dec. II. An. X. Obſ. p. 17.* item Georg. Wolffg. Wedel. *Phyſiol. Sect. III. cap. 30. p. 219.* Sic Georgius Fridericus Rallius *de Generat. Animal. Sect. VI. p. 329.* ſententiam ſuam ita explicat: fœtus ex eadem materia, ex qua delineatur & formatur, primum etiam nutrimentum capit, nempe ex colliquamento, cui in amnio innatat, quod ipſum ſimul ac delineata eſt veſicula, pulſans, cum annexis utrinque vaſis, per venas attrahitur, & poſtquam in veſicula pulſante vitali fermento imbutum eſt, per arterias propellitur, ut ſic cum ipſa vita circuitus ſanguinis incipere & deſinere etiam videatur. Illa vero vaſa paulatim magis magisque extenſa, corporis ambitum tandem egrediuntur, & tunc in ipſam placentam uterinam, vel in carunculas, aut etiam in chorii membranam diſſeminata, ſuccum nutritium ſanguini commixtum ad fœtum apportant. Nec obſtat, quod venæ umbilicales ſanguinem vehant, ille enim ſucco chyloſo commixtus eſt; nec enim in adultis chylus ad cor impermixtus fertur, ſed vel in venis meſaraicis, vel in vena cava, antequam hæc cor ingreditur, ſanguini confunditur, ut ita ex hoc capite nullum Everhardi ſententiæ ſubſidium accedat. Cætera, quæ laudatus autor affert, fœtum per hos nutriri evincunt

quidem, ſed non probant, vaſis umbilicalibus officium id deferendi ſuccum nutritium ad fœtum denegandum eſſe. Huic ſententiæ quoque favet Dominus Mery, qui juxta Eliæ Camerar. *Diſſert. phyſ. med. IX. p. 128. ſeq.* quæſtionem diu inter medicos agitatam decidere videtur. Alii enim ſtatuunt, fœtum unice nutriri ſanguine, quem ipſi advehant maternæ arteriæ, quemque recipiat per venam umbilicalem funiculi partem conſtituentem: ſuperfluum vero ſanguinem per arterias umbilicales reduci ad placentam indeque ad matrem. Alii malunt aſſerere, fœtum nutriri chylo, quem ipſi ſubminiſtrent glandulæ uteri materni, rejiciuntque anaſtomoſin vaſorum matris atque fœtus, ſeu commercium inter hunc atque matrem per ſanguinis circulationem. Tres autem a Dn. Mery adducuntur rationes obſervationesque ultimæ huic hypotheſi haud faventes; quarum prima eſt, uterum glandulis deſtitui; altera, ſuperficiem uteri interiorem non obductam eſſe membrana, uti nec placentæ uterinæ exterior ſuperficies membrana tegatur; quod videri merito queat eum in finem ita factum diſpoſitumque, ut immediate conjungi fœtus matrisque ſanguifera vaſcula poſſint. Tertio loco obſervatum lego, conſpici poſſe oſcula horum vaſorum manifeſte patentia ex utraque parte. His vero ſuperadditur præcipuum argumentum receptæ opinionis jugulum penitus petere viſum. Femina partui proxima corruit lapſu vehemente, ac paulo poſt ex lapſus vehementia moritur. Inventæ ſunt in ventris cavo ſeptem vel octo ſanguinis menſuræ, vacua vero omnino deprehendebantut ſanguiveha vaſa, tam matris, quam infantis, qui ſine ullo vulnere vel læſione obierat. Qui explicabitur (quærunt) effuſio omnis ſanguinis hujus fœtus in cavitatem ventris materni, niſi ſupponatur circulatio reciproca inter utrumque? Vides, difficultatem explicandi hoc phænomenon, ſi anaſtomoſin vaſorum infantis cum maternis vaſculis non admittas, pergit Camerarius prolixius de his rationibus pro & contra agens.

§. 14.

§. 14.

Omnem econtra embryonis nutritionem per umbilicum impugnarunt Claudius dela Courvée in Paradoxis de nutritione fœtus in utero, atque Antonius Everardi in novo & genuino Hominis brutique exortu, ambo anatomici perſpicaciſſimi, in hoc tamen diſpares, quod ille fœtum primis menſibus per habitum ac juxtapoſitionem fluidi ambientis nutriri & creſcere, perfectiorem per os alimentum ſumere, alter vero nutritionem illam per juxta poſitionem damnet, & ſtatim ab initio adeoque ſemper alimoniam ore fœtum haurire ſibi perſuadeat. Uti ex Johannis Bohnii Programmate ad Sectionem publicam, refert Theoph. Bierling. *Theſ. theoret. pract. obſ. 51. ſchol.* §. *1. pag. 655. ſq.* Ubi ita pergit Bohnius: Argumenta eorum transſcribere nolo, multo minus, quid in his approbandum quidve rejiciendum ſit, fuſius explicare: Venæ nihilominus umbilicalis uſum adductorium, ſive pro embryone, ſive pro fœtu alendo, ancipitem mihi reddere videntur ſequentia: Primum eſt venæ ejusdem exilitas atque anguſtia corpuſculo animalis irrorando ac vegetando haut proportionata in cotyledoniferis ſeu glandiferis præprimis animalibus, ita quidem, ut ſi hujus binos ramos majores, funiculum ſpirali tractu ſtipantes, cum vena v. g. jugulari externa, ejusdem fœtus comparemus, hæc utrosque illos craſſitie notabiliter antecellat, quamvis hæc parti tantum, illi toti proſpiciant; illa ſocias non tantum alterius lateris venam, ſed internas & cervicales quoque habeat, umbilicalis ſolitaria exiſtat; illa ſanguinem tantum a capite refluum & multa lympha exutum ferat, hæc vero præter ſanguinem per arterias ſecundinæ appulſum ſuccum inſimul a matre deciduum & fœtus alimoniam apportare dicatur. Attendens ergo hæc, & quidem ſuperioribus adhuc diebus, in conceptibus ovillis, an fœtui, an membranis potius, harumque placentulis ſive protuberantiis glanduloſis, cotyledonibus uteri immerſis, aut adnatis, aſſignarem vaſa umbilicalia, hærebam: arterias nempe, ut ſanguinem vitalem per has fœtus

non per umbilicum, ſed per os.

huc

huc diſpenſet, venam vero, quæ eundem reducat. Conſpectiores equidem rami hi venoſi in placentiferis obſervantur, per quod tamen phænomenon dubio concepto non eripior, ſed eidem profundius immergor, quatenus plus carnoſitatis & ſubſtantiæ alendæ major moles plus ſucci nutritii, hinc majores arterias ac venas poſtulato, adeoque minora vaſa eminentialis chorii exilioribus ſufficiunt. Præterea, pergit Bohnius, ipſa experientia edocemur, quorundam animalium conceptus, horumve tunicas, aut ultimo demum menſe, ſc. equarum, aut nunquam, nempe ſuum, aliquid carnoſitatis aſſumere, hinc utero vix connecti, multo minus ab eo, ſive immediate ſive mediate, horum venas umbilicales aliquid abſorbere. Quid porro in his præſtabunt aliud, quam ut ſanguinis illud, quod per arterias umbilicales in tunicas horum fœtuum profundebatur, revehant? Denique quod conjecturis his meis plus nobilitatis conciliet, eſt, quod in duobus conceptibus ovillis nuperrime viderim tractulos & punctula candicantia, ſeu ſeri caſeſcentis veſtigia, non modo per harum tunicarum interſtitia ſparſa, ſed ſtrias quoque quaſi lacteas breviores ex diverſis harum placentulis glanduloſis, tanquam radios a centro emanantes & coagulum feroſum oſtendentes, i. e. uti auguror, ſuccum chyloſum ab acetabulis uteri ſibi demandatum, ut canaliculi appropriati, ad amnium deponentes &c. Hucusque Bohnius. Fœtus nutritionem per venam umbilicalem multis rationibus ambiguam quoque reddit, alterum vero modum per os defendit Johannes Gothofr. Bergerus *Phyſiolog. med. Lib. II. cap. 2. p. 476. ſeq.* item Cosmopolit. *Hiſtor. natural. p. 148. ſeq.* ubi rationes reperies, cur nutritio per umbilicum nullo modo locum habere poſſit, & embryo ſtatim ab initio nutrimentum ſuum per os recipiat.

§. 15.

per os & umbilicum in embryone. Cum proinde tanta circa nutritionis modum inter autores, ſibi invicem contradicentes, ſit diſcrepantia, quid mirum, quod alii nutritionem tam per os, quam per umbilicum, magna

tamen

tamen cum differentia, fieri ſtatuant; Imprimis autem inter conceptum ſeu embryonem & inter fœtum adultiorem, diſtinguant, ſiquidem juxta Johannis Bohnii *Circul. anatom. phyſiol. Progymn. II. p. 25.* Nutritionem conceptus aliter concipere licet in embryone, ſeu cujus venularum capillamenta nulla adhuc placenta firmantur, ac in fœtu, cui epar alterum ſive placenta contigit. Illarum enim extremitates, tanquam radiculæ inſenſiles, ovuli utero recens illati colliquamento libere innatant & ſiphunculis ſuis ſubtiliores ejus particulas abſorbent, non per aviditatem aliquam & virtutem attracticem congenitam, qualem hactenus ſomniarunt, ſed quas ab impulſu externo & jugi recipiunt. Quippe continua particularum ſuarum mobiliſſimarum activitate dum agit in colliquamentum illud primigenium ſpiritus genitalis maſculus, hoc variis modis conquaſſat, ſubigit & attenuat: dum parietes interim uteri, ovulum arctius complectentes & molliter comprimentes, reciprocis impulſibus, quos ab arteriis ſuis ſuſtinent, fluoris illius nutritii minima adæquata oſtiolis ſeu porulis dictorum filamentorum intrudunt, & circulationem in embryone, formica minore exiliore, inchoant &c. Fœtus autem nomen & quantitatem poſtquam aſſecutus, ejus vaſorum umbilicalium extremis placenta annaſcitur, ex quo per dicta vaſa liquorem ſeroſo-gelatinoſum, dulcem pro nutrimento recipit. Quamvis etiam Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. Forenſ. Specim. I.* §. *13. p. 25.* diſſimulare non poſſit, probabiliorem ſibi videri ſententiam illorum, qui nutritionem fœtus in utero per vaſa umbilicalia fieri ſuſtinent, interea tamen cum Bohnio & plurimis aliis credit, tenellum embryonis, formicam exiguam vix ſuperantis, corpuſculum, primis præcipue conceptionis diebus, aliter nutriri. Et Joh. Gothofredus Bergerus *l. a. p. 470.* de hoc primo alimento ita loquitur: intromiſſa per ovi pelliculas geniture portio, dum ſuo elaterio omnem illius lympham in eaque convoluta prima germinis lineamenta, pervadit & pororum excavationem aggredi-

greditur, parteſque alias firmat, alias ſolvit & liquat, omneſque ad motum convenientem exſuſcitat, id, quod fluidum maxime eſt, ex circumfluæ colliquamento lymphæ in patentiorem porum oris, œſophagi, ventriculi & inteſtinorum facile impellitur, & porro per poros venularum lactearum ad punctum ſaliens, ſive corculum, indeque per porulos arteriolarum ad cerebrum corpusque reliquum in alimoniam & conformationem partium, hincque per porulos venarum, iterum ad cor, veluti in orbem traducitur, & his iteratis excurſionibus gyrisque perpetuis, per corpus ambulans & novis quotidie acceſſionibus auctum, tenerrima illa, exiguoque comprehenſa ſpatio & convoluta accreſcentis embryonis ſtamina paulatim omnia explicat, & longius latiusque diducit ac extendit, & continua preſſione compreſſioneque particularum firmiorem earum cohæſionem, & ſolidiorem demum machinulam corporis perficit.

§. 16.

aliorum ſententia. Alii embryonem primo a conceptionis tempore per umbilicum, poſtmodum vero ad partum usque ſimul per os nutriri defendunt, quorum rationes & verba adducere libet. Inquit enim Laurentius Heiſterus *Compend. anatom.* §. 245. *p.* 90. nutritionem fœtus in utero fieri putamus menſibus primis, per ſolum funiculum umbilicalem, menſibus vero ultimis, multas ob rationes, etiam ſimul per os, a liquido gelatinoſo, fœtum ambiente, quod ex amnio excerni videtur. Nam reperitur 1) ſimile liquidum in ore, œſophago & ventriculo, tam fœtus humani, quam beſtiarum, 2) mutatum hoc conſpicitur in inteſtinis tenuibus, 3) fæces in craſſis reperiuntur copioſæ, 4) multum illius liquidi primis menſibus ambit fœtum, paucum vero ſæpe ultimis reperitur: quod alia ratione non conſumi videtur, quam a fœtu, 5) quia illud liquidum gelatinoſum nutritioni fœtus tam idoneum eſt, ut aptius deſiderari non poſſet, 6) illudque in os, œſophagum & ventriculum premi videtur a perpetua renitentia uteri, preſſione muſculorum abdominis &

aeris

aeris ambientis; 7) ut œſophagus, inteſtina, vaſa lactea, ductusque thoracicus aperta ſerventur, & functioni deſtinatæ ſenſim aſſueſcant. Et *pag. 209.* idem Autor annotavit. Fœtum, inquiens, per os etiam in utero nutriri, ſingularis caſus, quem jam bis, multis ſtudioſis medicinæ præſentibus, hic Altorfii obſervavi, extra dubium ponere videtur. Accepi nimirum, quatuor abhinc annis, fœtum vaccinum perfectum, utero & membranis ſuis adhuc incluſum, tempore hyemali frigido: ubi non ſolum liquor amnii, qui fœtum ambit, conglaciatus erat; verum idem liquor conglaciatus per os, totum œſophagum & ventriculum, tanquam unum continuum corpus, digiti circiter craſſitie, in œſophago reperiebatur: Quod ipſum hac ultima hyeme iterum mihi videre contigit, ita ut liquoris hujus, fœtum ambientis, cum eo, qui in ventriculo ejus reperitur, communicatio inde fit manifeſta. Neque veriſimile eſt, tantam illius liquoris copiam, quanta in ventriculo fœtus perfecti reperitur, in hoc omnem ſecerni, ſicut nonnulli exiſtimant; ſed aliunde provenire, neceſſum eſt: præſertim cum omnibus illis qualitatibus donatus ſit, quas ille habet extra fœtum. Qualem nutritionis fœtus modum per os, ex glandula Thymo Bellingerus nuper in medium produxit. vide ſupra §. 6. Sic Petrus Linſing. *Inſtit. med. p. 90.* ad quæſtionem, per quas vias nutrimentum fœtui in utero afferatur, reſpondet 1) per venam umbilicalem primo, quatenus hæc ſuis radiculis per uteri placentam hujusque papillas acetabuli uteri infixas, ſuccum nutritium in iſtis imbibit & in truncum cavæ fert, abhinc ad cor, a corde per arterias in totum corpus, 2) per os proprium, dum fœtus hunc ipſiſſimum ſuccum ex utero in cavitatem amnii ſtillantem, cui innatat, ore identidem ſumit, ut ſic jam in utero aſſueſcat huic ſuctioni & asſumptioni, quam vix in lucem editus perfectiſſime peragit: hoc confirmat vomitus ſtatim a partu lacteus, priusquam ullus cibus fuit datus, aliquoties a me, ſæpius ab aliis obſervatus, item meconium in inteſtinis. Juxta Georg. Theodor. Barthold. *Oper.*

Part. I. Lib. IV. cap. 3. p. 55. Fœtus amnii aquoſitati innatat, & nutrimentum ex illa capit, tam per vaſa umbilicalia, antequam placenta formata ſit, quam poſtea per os, puriorem ejus partem aſſumendo. Et ſecundum verba Johannis Frid. Ortlob. *Hiſtor. Part. Diſſertat. XXXVI. §. 14. p. 287.* alimentum fœtus aſſumit, aut potius eidem accedit primo ex funiculo umbilicali. Hujus vena per capillares radices a glandulis placentæ depuratam portionem chyloſam abſorbet & cum ſanguine ad embryonem transfert. Deinde alimonia etiam fœtus os potius ſubit, quam ut ab eo ſuctione hauriatur. Scilicet dum hæc non fiat ſolo pondere, partim alimentum deſcendit, partim a motu infantis eo detruditur. De via autem hac Coiterum, Harvæum, Eberhardum habemus conſentientes, & contenta chyloſa in ventriculo, eorumque mox a partu vomitus, & excrementa alvi id præterea evincunt. Idem ſtatuit etiam Petrus Dionis *Anatom. Corp. hum. demonſtr. IV. p. 227.* ſingulæ, inquiens, fœtus partes creſcunt ope alimenti, quod per funiculum recipit, cum autem paulo major evaſerit, per os inſuper nutrietur ex illo lacteo ſucco, qui in amnio reperitur. Juxta Joh. van Horne *Microcoſm. §. 70. p. m. 254.* aquoſæ amnii humiditati innatat fœtus; imo ex eadem nutrimentum ſuum capit, tam per vaſa umbilicalia illud attrahendo, antequam placenta formata ſit, quam poſtea per os, puriorem ejus partem deglutiendo. Ad quæ Hornii verba Johannes Guilielmus Pauli *Annot. p. 258.* admonet, attractionem talem in rerum natura dari nullam, ſed quicquid per vaſa umbilicalia moveatur, propelli. Fœtum nutriri & augeri ſeroſo humore per placentam, a ſanguine matris in ſanguinem fœtus transmiſſo & per ſuperficiem externam fœtus iterum excreto, iterumque per os aſſumto, qui continuis circulationibus a ſuperficie externa in internam, & vice verſa ſui partes transmittit, donec quicquid ibi fuerit augendo corpori utile ſingulis partibus accreverit, reliqua vero excrementitia & acriora reddita fœtum inquietum

ſui

ſui ſtimulatione reddunt, quo motu uterus ad excretionem irritatur, judicat Caſparus Bartholinus *de Ovar. Mulier. pag. m. 37. ſeq.* vid. etiam Act. Hafnienſ. *Vol. V. pag. 49.* Poſtquam Regnerus de Graaf de *Organ. Mulier. cap. 15.* varia de ovi ſeu fœtus membranis, earum humoribus & vaſis umbilicalibus præmiſerat, *pag. 379.* inquit: enodavimus hucusque tacite ſummam difficultatem in ſcholis toties agitatam, videlicet, an fœtus per os, an vero per umbilicum in utero materno nutriatur: ſtatuendo id partim per os, partim etiam per umbilicum fieri; quod ut etiamnum clarius evadat, quibusdam obſervationibus illud indubitatum reddere conabimur. Quod fœtus per os nutriatur, ejus ventriculi ac inteſtinorum contenta facile probant: obſervavimus enim ſemper in embryonis œſophago & ventriculo liquorem ſimilem illi, in quo natabat; præterquam quod ille viſcidior eſſet, &, ut de hoc nutriendi modo certiores evaderemus, fiſtulam inteſtinalem aperuimus & invenimus in inteſtino duodeno talem fere liquorem, qualem in ventriculo; præterquam quod ob affuſam bilem aliqualiter ad viridem vergeret colorem; & quo magis deſcenderet, eo magis incraſſaretur, albumque ſuum colorem exueret; ita ut in craſſis tandem inteſtinis alvinarum fæcum conſiſtentiam acquirat: quæ lenta liquoris immutatio, fœtum per os nutriri, ſatis indicat. Et *pag. 381.* pergit: Nunc demonſtrabimus, fœtum etiam per umbilicum nutriri, & quidem ſequenti exemplo: Præterito anno in hac urbe contigit, quod canis quinque catulos pareret, quorum maximus ſine capite & ore, vel quoquam illi analogo prodibat, qui propediem disrupto umbilicali vinculo interiit. Monſtri illius naturam inveſtigaturi, aperto abdomine, ventriculum prorſus exinanitum offendimus, in inteſtinis vero modicam excrementorum quantitatem, quæ quo magis verſus inteſtina craſſa cederet, eo nigricantior & craſſior evadebat. Atque hæc ſufficienter probant, fœtum non ſolum per os, ſed etiam per umbilicum nutriri. vid. inſuper Isbrand.

de Diemerbr. *Anatom. Lib. I. cap. 29. fol. m. 177. & cap. 32. f. 227.* Dan. Hoffmann. *Annotat. ad Hypotheſ. Govejan. p. 91. ſeqq.*

CAPUT II.

De fœtus formatione & membranis.

§. I.

Fœtus formatio.

Quamvis autem hactenus differentes medicorum, de fœtus nutrimento ejusque aſſumtione opiniones adduxerim, aliud tamen adhuc æque obſcurum, inquiſitu difficile & explicatu impoſſibile reſtat, prima ſcilicet humanæ machinæ formatio. Obſcura enim juxta Franc. Stockhamer. *Microcoſmograph. cap. 17. p. m. 229.* illa eſt, nam a minimis incipit, in quibus ſenſus noſtri ferme cœcutiunt; inquiſitu difficilis, nam in uteri ergaſtulo fit; quod licet in demortuis feminis repandamus ſæpius, tamen id datum non eſt, ut mutationes de die in diem, de hora in horam in ea formatione contingentes examinare poſſemus. Explicatu omnino atque conceptu impoſſibilis, quomodo tam affabre concinnata ſtructura tandem reſultet, quis ejus ſit immediatus architectus & quæ vis formatrix &c. Cum vero non æque facile in feminis humanis, quam brutis, in ejusmodi embryonis ſucceſſivam formationem inquirere atque perſcrutari liceat, de eadem ſolummodo ex frequenti brutorum ſectione, vel etiam rejectorum abortuum inſpectione aliquatenus judicare poſſumus. In his autem poſt quinque aut ſex a conceptione ſeptimanas apparet, delineatio capitis, reſpectu reliqui corpuſculi, prægrandis, ſpinæ dorſi, inſtar carinæ incurvæ, & colli filo non craſſioris, quæ tamen tota machinula magnitudine vix formicam excedit. In capite vel potius facie apparent loco oculorum duo puncta nigra, & loco naſi linea alba. Cerebrum eſt quaſi mucus & craniolum inſtar membranæ coriaceæ. In pectore & abdomine viſcera vix ſunt dignoſcibilia. Vaſa etiam umbilicalia in brevibus

bus atque indiſtinctis fibrillis conſiſtunt, & ex chorio ſive ovi exteriori membrana, protuberantia quædam carnoſa, huic vel illi uteri loco adhærens; omnes autem hujus machinæ partes ſtatim jam in ovulo præſentes ſenſim augeſcunt & diſtinctiores fiunt, donec tandem partus maturitas accedat. Varia de fœtus formatione vid. Franc. Bayle *Diſſert. phyſ. pag. 98. 100.* Nicol. Venett *de la Generat. de l'Homme Cap. 3. Art. 6. p. 420. ſeq. & p. 449. ſq.* Joh. Frid. Ortlob. *Hiſt. Part. Diſſert. XXXVI. §. 13. p. 281.* Andr. Ottomar. Gœlick. *Medicin. forenſ. Specim. I. §. 14. 15. p. 27. ſeq.* Georg. Wolffg. Wedel. *Phyſiol. Sect. III. cap. 30. pag. 213. ſeqq.* Joan. Femel. *Phyſiolog. Lib. VII. cap. 10. p. m. 185.* Daniel. Sennert. *Inſtit. Lib. I. cap. 10. pag. 93.* it. *Pract. Part. II. Sect. IV. cap. 4. p. 305.* Andr. Laurent. *Hiſtor. anat. Lib. VIII. cap. 5. fol. 303. 305.*

§. 2.

De primogenitura partium controverſias inutiles eſſe monſtrat Johannes Gothofr. Bergerus *Phyſiolog. Lib. II. cap. 1. pag. 466.* Cum enim corpus noſtrum ad modum ædium exſtruatur, ſed ex cohærentibus ſibi conjunctisque ductibus, quos ſucci vitales perambulant, conſtet, &, circuli inſtar, principio careat & fine, ac machinæ totius artificium in ſolo vaſorum & canalium ad ſe invicem, & fluentium in iis humorum, reſpectu conſiſtat, concipi plane nequit, quomodo cor prius, quam cerebrum, vel hoc ante cor, aut pars alia ante aliam generari poſſit, ſiquidem ex arteriis, venis & nervis, iisdemque continuatis fibris, omnes ſunt contextæ. Omnes fœtus partes ſimul generari, licet non omnes ſimul perfectionem ſuam acquirant, multo minus omnes ſimul prodeant in conſpectum, aſſerit Andreas Ottomarus Gœlicke *de Part. pag. 28.* Varias autorum de hoc partium primatu ſententias congesſit Andreas Laurentius *Hiſtor. anat. Lib. VIII. Quæſt. 15. pag. 305. ſeq.* Inquit etiam Conſtantius Varolius *Anat. Lib. IV. cap. 5. p. m. 101.* vidi multos

partium primogenitura.

multos abortus ſub magnitudine fabæ, ſcarabæi, ranæ, & ſub quavis alia, & in quibus ſemper omnes partes inveni, & extrema minora, quam corporis debita proportio requirat, obſervavi; imo dentes intra maxillas latentes inſpexi: ita ut dicentibus, partes fieri ordine quodam prioris & poſterioris, nequaquam aures adhibere debeas. Quemadmodum enim in coagulatione atque in illuminatione omnes partes lactis & aëris ſimul coagulantur atque illuminantur, gradus autem coagulationis illuminationisque non ſimul, ſed ſucceſſive acquiruntur; ita in formatione fœtus, ubi ſpiritus agens in ſemen muliebre agit, omnes partes ſimul format & figurat, complementum autem figurationis ſucceſſive introducit. Et juxta Herm. Frider. Teichmeyer. *Inſtit. Medic. legal. cap. 8. p. 49.* credebant olim certum quendam ordinem productionis partium in generatione ſtatuentis, primo hepar fieri, deinde cor, ſpinam dorſi porro, tandem caput & reliqua. Sed ridiculam hanc eſſe opinionem, tum ſana ratio dictitat (quæ harmonicam ejusmodi vaſorum mirabilemque organorum connexionem ſucceſſive fieri ſibi perſuadere nunquam poteſt) tum accuratior in rebus phyſicis inquiſitio experimentalis ad oculum id oſtendit. Phyſici enim per microſcopia obſervant, integram plantæ delineationem in ſemine plantarum, v. g. in faba &c. Ipſe etiam Teichmeyerus pariter per microſcopia in ovulis inſectorum perfecte elaboratam & extructam inſecti machinam vidiſſe addit. Ex qua demonſtratione liquido apparet veritas Davidis, in Pſalterio dicentis: *Du haſt mich gebildet, ehe denn ich war.* Hinc recentiores phyſiologi hominem in ovulis delineatum, quoad omnes partes in exiguis ſtaminibus ante conceptionem exiſtere ſtatuunt. Juxta Fr. Zypæi *Fundam. Medicin. cap. 7. Art. 15. pag. 237.* omnes partes ſimul formantur, non autem hæc ante illam cum omnia delineamenta in ovo muliebri inſint & typum humani corporis referant.

§.3. In-

§. 3.

Involucra fœtus, ſive membranæ, quæ, juxta hactenus dicta, non ſolum embryonem ſeu fœtum, ſed etiam humorem certum pro ejusdem alimento a prima conceptione ad partum usque in ſe continent, non omnium primo in utero poſt conceptum generantur, uti ſtatuit Thomas Bartholinus *Anatom. Lib. I. cap. 36. p. m. 301.* nec cum genitæ ſunt partes fœtus, juxta Th. Craan *de Homin. pag. 744.* neque cum ipſo fœtu ortum ſumunt, ſed longe ante ipſum in matris ovario exiſtunt, inque earum numero determinando diſcrepant iterum anatomici, dum alii binas tantum admittunt membranas, exteriorem & interiorem, quarum illa vocatur chorion, hæc amnios, vel amnion, his alii tertiam adhuc addunt, allantoidem dictam, quam tamen in fœtu humano multi negant. *Fœtus membranæ.*

§. 4.

De chorii ſive exterioris membranæ denominatione, ſubſtantia, craſſitie, figura, vaſis, annexione & uſu, ut prolixitatem evitemus, benevolum lectorem ad autores anatomicos remittimus. Evolvi autem poſſunt Andr. Veſal. *Anatom. Lib. V. cap. 17. fol. m. 419. ſq.* Nathan. Highmor. *Corp. hum. diſquiſ. anat. Lib. I. Part. IV. cap. 6. fol. m. 112.* Regner de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 15. p. m. 365. ſeqq.* Thom. Bartholin. *Anat. Lib. I. cap. 36. pag. 303. ſeq.* Caſp. Bartholin. *Specim. Hiſtor. anatom. cap. 5. pag. 89. ſq.* Joann Riolan. *Anthropogr. Lib. VI. cap. 4. fol. m. 369. ſeq.* Hieron. Fabric. ab Aquaquend. *de Format. Fœt. Part. I. cap. 5. Oper. fol. 41. ſeq.* Georg. Frid. Rattucs *de Gener. anim. Sect. VI. §. 14. pag. 298. ſeqq.* Joh. Mauric. Hoffmann. *Idea Machin. hum. Sect. XIII. §. 6. pag. 105.* Carol. Drelincourt. *de Tunic. Chor. p. 33. ſeq.* Thom. Bartholin. *Centur. I. Hiſt. 61. pag. 91. ſeq.* Felic. Plater. *de Struct. Corp. hum. Libr. II. fol. 165.* *Chorion.*

§. 5.

Licet hæc membrana paſſim pro unica computetur, tamen *plura.*

juxta Philipp. Verheyen. *Anatom. Tract. II. cap. 31. p. m. 214. ſeq.* in tres lamellas dividi poteſt, quarum media tenuiſſima eſt ac pellucida; reliquæ duæ craſſiores magisque opacæ, texturæ tamen tenerioris ac minus firmæ. Juxta Chriſtiani Joh. Langii *Oper. med. Tom. III. Diſp. XLI.* §. *6. fol. 543.* chorion magna ſui parte placentam uterinam conſtituit, aut ſaltim habet adnatam, cujus poſtmodum ope utero adhæreſcit illud, dum vaſa ſanguinea, copioſe illam placentam perreptantia, ad uteri poros abeunt, & verſa vice uterina vaſa ejus pulpoſam ſubſtantiam rurſum ingrediuntur. De uſu chorii vid. Nicol. Hoboken. *Anatom. Secundin. human. Sect. II. cap. 4. artic. 2. pag. 422. ſeqq.* De humani fœtus membranis Hypomnemata edidit Carolus Drelincurtius. Nulla chorio propria eſt carnoſitas, niſi quam a ſibi acceſſoria placenta uterina mutuatur. Joh. Bohn. *Circul. anat. phyſiol. Progymn. II. pag. 24.* vid. etiam Fr. Mauriceau *von Schwvang. Weibern Lib. II. cap. 3. pag. 256. ſeq.* Ger. Blaſii *Obſerv. anat. p. 3.* De chorio gemellorum & trigeminorum v. Tract. de Concept. ſive Sylleptilog. noſtr. *Sect. II. cap. 3.* §. *2. p. 215. de Gemellatione* §. *19. & 22.*

§. 6.

Amnios. Secunda fœtus membrana, amnios dicta, proxime fœtum inveſtit, eſtque mollisſima, tenuis & transparens, priori contigua; in qua vero vaſa vel nulla vel paucisſima conſpiciuntur, liquor vero gelatinoſus, pellucidus fœtusque in ejus cavitate continetur, juxta Laur. Heiſter. *Comp. anat.* §. *241. p. 82.* Quamvis autem dictus autor amnium chorio contiguum eſſe dicat, hoc tamen potius de ultimis graviditatis menſibus intelligendum erit. Inquit enim Johannes Bohnius *Circul. anatom. phyſiol. Progymn. II. pag. 24.* Solius chorii & amnii pelliculæ involucra fœtus conſtituunt, quæ primis equidem geſtationis menſibus aliquantum diſtant & ab interfluente quadam humiditate, divulſæ tenentur, ut in abortibus ſex & decem ſeptimanarum aliquoties mihi videre contigit, poſtmodum vero

An inter chorion & amnium humor reperiatur.

ſub

ſub tali proportione augentur, ut ſibi firmius tandem cohæreſcant, ut non niſi ſummo labore a ſe invicem ſeparari queant, & una vel ſimplex tunica videantur, hinc quod de humoribus binis, ſudore nempe & urina aliave humiditate membranis diſtinctis ſeclusis Galenus & alii referunt, figmenti potius aut deliramenti, quam naturalis phænomeni nomen meretur. Id eſt nullum ſicut inter tunicas has obſervatur interſtitium, ita nec humor, & ſi inter diſſecandum ejus quid effluat, amnium cum chorio laceratum eſſe, certo opinari fas ſit. Idem defendit etiam Carolus Drelincurtius *de Concept. Conceptus Perioch. 34. p. m. 55. ſeqq.* Qui inter geminas, inquiens, fœtus membranas, amnion ſcilicet & chorion, humorem ſibi fingunt, brutis atque cathedrariis, quam humanis atque realibus anatomicis propiores ſeſe produnt. Id unum igitur inculco, amnion atque chorion in meis embryonibus humanis, non modo farciminis exortes, ſed & perinde contiguas eſſe pelliculas, & quidem liquore intermedio nullo, ac pia mater eſt duræ matri contermina nullo prorſus inter ipſas vel liquamine vel ſucco. Quodſi gentium uſpiam amnios tenerior atque poroſior & laxius attexta chorio viſa ſit unquam aliquid in chorion transſudaſſe, id apud me profecto præter naturæ leges perinde eſt, ac vel ſerum intercus in ambuſtis, vel lympha quædam inter cerebri meningas, qualem ipſe in ebrioſo viro altitudine auricularis circulatim concretam inibi detexi. Sed rurſum & appoſite dicam, humorem omnem inter amnion & chorion haud ſecus mihi monſtrificum eſſe, ac vel ovum illud perexiguum, ſed cruſta tectum, ab Harvæo deprehenſum intra teſtam majoris alterius. Vel liquor tenuis & aquoſus ille, quem citra vitellum Magnus miratus eſt Albertus inter binas unius ovi gallinacei teſtas admirandas, vid. idem *de Chor. fœt. hum. §. 24. pag. 42. ſeq. 49.* Naturæ ordine non plus liquoris inter utramque membranam, quam ovorum teſtas atque pelliculas interfluere, ſcribit Johannes Gothofredus Bergerus *Phyſiolog.*

med. Lib. II. cap. 2. pag. 474. Et Gerardus Blaſius *Obſervat. anat. pag. 3. ſeq.* figmentis anatomicorum quorundam annumerat ſpatium inter amnium & chorion, utpote quod in nulla fœtus humani ſecundina obſervare licuit; firmiter adeo duæ hæ membranæ ſibi cohærent, ut non niſi circumſpecte tardeque procedens eas ſeparare queat.

§. 7.

Aliorum ſententia. Contrarium tamen ſentit Philippus Verheyen *Anatom. Tr. II. cap. 31. p. m. 215.* inter chorion, inquiens, & amnion ſæpius etiam aliquid liquidi interjacet, ſed craſſum ac turbulentum: unde videtur pars humoris alimentaris ad fœtum fluentis terreſtrior, quæ propter craſſitiem per chorii poros in amnii cavitatem transſudare non valet. Quod Cosmopolita vel potius Everhardus *de nov. animal. Generat. pag. 150. ſeqq.* ita explicat: Membranæ chorion & amnios fœtus alimentum tum excipiunt, tum præparant, quatenus ſuccus chyliferus primam diſpoſitionem ad fœtus alimentum in uteri ſubſtantia nactus primo per chorii poros trajicitur, deinde ſecunda vice per amnii membranam transmiſſus evadit purisſimus fœtuique alendo quam maxime idoneus. Et hæc quidem ipſa conſtant experientia: liquor enim in chorio detentus non ita clarus ac translucidus eſt ac ille qui continetur in amnio, quoniam iſtæ membranæ ſeſe habent inſtar filtri aut manus hippocraticæ, per quam liquor quo pluries trajicitur, eo clarior evadit. Item Courveus a principio humorem copioſum contineri ſeu colligi inter chorion & amnion, atque eum per amnii tunicam ſeu membranam transſudantem & filtratum, ad interiorem amnii capacitatem penetrare, huncque internum ab altero non differre, quam tenuitate, per iſtam filtrationem inducta. Inquit etiam Chriſtianus Vaterus *Phyſiolog. experim. Sect. VII. cap. 12. pag. 514. ſeq.* inter fœtus tunicas continentur humores, ex ipſo ovulo quoque primum oriundi, ſed creſcente fœtu cum eodem aucti; Et quidem ſub chorio incluſus deprehenditur magis ſeroſus & aquo-

aquoſus, in homine admodum exiguus ſæpe, ut nullum fere interſtitium inter chorion & amnion relinquatur; augmentum vero ſuum per fibras illas tubulares, quibus placentæ & utero ipſi cohærere diximus, acquirit, eundemque fœtui cum amnii liquore uſum præſtat. Quæ tamen ſententia Isbrando de Diemerbrec *Anatom. Lib. I. cap. 31. f. 213.* erronea videtur, ubi humorem, qui extra amnion reperitur, non ſimpliciter chorio, ſed inter chorion & membranam urinariam contineri ac concludi ait.

§. 8.

Quid autem de tali humore inter chorion & amnion collecto, me docuerit obſervatio in abortulo, ante duodecim annos, a ſenatoris Dresdenſis uxore rejecto, hoc loco inſerere liceat. Dicta ſc. femina, aliquot ſeptimanas gravida, poſt terrorem, variis ſupervenientibus ſymptomatibus, abortum vel veſicam tenuem & transparentem, ad digiti magnitudinem, ovalem tamen, excernebat, cui aqua limpidiſſima repletæ, eleganti ſpectaculo, adhuc liber & ſine connexione innatabat embryunculus, vix muſcam vel apin magnitudine æquans. In hujus veſicæ exteriore membranula alia annexa quaſi veſicula oblonga, unguis magnitudine, pariter humore limpido plena, absque tamen alius embryonis ſigno, conſpectui ſe offerebat; ex qua poſt aliquot horas, per inciſionem aperta, dimidium circiter cochlear aquæ, (quam pro liquore inter chorion & amnium judicabam,) effluebat, altera veſica ſeu ovo, cum embryone, manente adhuc integra, donec poſtmodum a ſuperveniente quadam femina ita digito comprimeretur, ut disrupta omnem liquorem effunderet. Utrum proinde in hoc caſu liquor parvæ veſiculæ a terreſtri humore alimentari, ſecundum Verheyenum, per poros ex majori veſicula, an vero per peculiares & minutiſſimos ductulos ortum ſumſerit, decidere nolo; interim tamen exinde humor ſeu aqua, interdum ſat diu ante partum ſine fœtu aut mola prorumpens, ita tamen, ut poſtmodum ordinario *Obſervatio.*

tempore partus non ſiccus, ſed cum magna pariter aquarum quantitate ſequatur, mea quidem ſententia optime derivari poterit; quod etiam indicat Johannes Bohnius *l. a.* ita pergens : interim, ſi, quæ in praxi fiant, ſedulo ſatis attendamus, aliquot interdum ante partum dies, nedum ſeptimanas, aquarum notabilis quantitas ex utero & quidem cum ſenſibili abdominis ſubſidentia, ſine fœtus detrimento tamen, profluit : problema emergit, cujus generis & fontis fluor ille ſit? Amnii fluidi portionem aquas has pronunciare non poſſumus, quia nihil incommodi inde patitur fœtus, nec illius aliquis in partu ſubſequente defectus obſervatur: concipiamus proinde aliquando & aliqua ſua parte has tunicas a ſe invicem hiſcere, & inter duplicaturam ſuam humiditatem ad crepaturam usque chorii colligere, ſive hoc per poroſitatem amnii præternaturalem, ſive aliam ob cauſam contingat. De his membranis earumque liquore ita ſcribit Guilielmus Harvæus *de Generat. p. m. 549.* Vidi ſæpe aquas medio geſtationis tempore proruere, citra abortum: ſalvo interea & vigente ad partum usque robuſtiore fœtu. Quemadmodum itaque naturaliter binæ tantum aquæ ſunt, (quarum altera in chorio, altera in amnio continetur) ita interdum præter naturæ conſuetudinem, fieri poteſt, ut plures in propriis membranæ, aut chorii duplicaturis accumulentur.

§. 9.

Amnii ſive galeæ abuſus

Plura de membranæ amnii ſtructura vide apud autores de chorio allegatos. Eſt autem hæc membrana juxta Nath. Highmor. *l. a. f. 111.* omnium tenuiſſima, cujus interior ſuperficies lævis & humecta, fœtui nusquam, niſi ad umbilicum, vaſorum umbilicalium beneficio adnexa. Membrana hac nonnunquam capiti obducta fœtus prodit, & in maſculis galea, in feminis vitta dicitur, eamque religioſe & magna cum ſuperſtitione aſſervant mulieres; Neque ab his modo, ſed & occultis philoſophis ſummopere expetitur. Qui enim hac membrana

ad varia.

velati

velati naſcuntur, mira facturi ſunt; & ſi eam comederet mas, vel ſecum portaret, ab armorum injuriis tutus ubique fore vulgo creditur, ſi furto ſurrepta ſit, miſerrime vitam agere &c. Scribit Cornelius Gemma, ſe quendam vidiſſe, qui ex utero materno adducta galea ſive membraneo involucro ab omni telorum jactu ſecurus, etiam inter denſiſſimos hoſtium cuneos verſabatur. vid. Marcell. Donat. *de med. hiſtor. mirabil. Lib. VI. cap. 3. pag. 627.* Impotentiæ virilis ex amnio uxoris exemplum communicat Paulus Spindlerus *Obſ. 65. pag. 121.* inquiens: retulit mihi vir fide dignus, affinem ſuum per integrum annum impotentem vixiſſe cum uxore ſua, nulla, quæ cogitari poterat, hujus rei ratione inventa. Tandem aliquando interrogans uxorem, quid periapti loco gereret? ipſa amnium ſuum eſſe reſpondit. Quo ſublato, ſtatim veneris ſtimulis tentatus coïvit. Exinde hoc ipſum impotentiæ fuiſſe cauſam concluſit. Ex Ælio Lampridio refert Thomas Bartholinus *de inſolit. Part. viis cap. 6. p. 159.* ſolere obſtetrices talem amnium ſeu pileum pueri naturalem rapere, diligenter cuſtodire & advocatis credulis vendere, ſiquidem omnium ora, qui adverſus geſtantem dicere eſſent parati, obturarentur. Pergit etiam Spindler. *l. a. ſchol. p. 122. ſeq.* noſtrates hoc amnium ſtudioſe aſſervant; æſtimant autem imprimis illud, ſi totum caput ad pectus usque texerit, vocantque pileum regium, & fortunatum infantem fore, imprimis ſi maſculus ſit, pronunciant. Fortunatiorem autem eſſe, etſi rarius accidat, ſi recens natus adhuc toto corpore eo involutus prodeat. (dicunt: *er iſt mit dem ganzen Kleidgen gekommen.*) Extenſum pileo patris imponunt, & exſiccant, poſtea ex collo in capſula portandum exhibent, credentes ita feliciſſimos in omnibus futuros; talem autem effectum nunquam audivi vel expertus ſum. vid. etiam Phil. Verheyen *Anat. p. m. 217.* item Thom. Bartholin. *Anat. Lib. I. cap. 36. p. 303.* Cum galea natos, ſecundum mulierum gerras, vaticinari poſſe, inquit Vopiſcus Fortunatus Plempius *Fundam. Medic. Lib. II. cap. 4. fol. 210.*

impotentiam.

fortunam

Secun-

Secundum Henrici Kornmann. *de Miracul. vivor. Oper. p. 42.* hæc membrana cognomen tribuit Imperatori Diadumeno, & cauſidici Romani multa pecunia involucrum illud emebant, ſe illo ad cauſæ victoriam juvari multum arbitrantes. Ex hujus tegminis colore rubicundo vel livido fortunam infantis aniculæ ariolantur. Et juxta Theodori Craanen *Tract. de Homin. cap. 153. p. 759.* aliquando contingit, ut fœtus excluſus aliquid ex ſecundinis in capite habeat, quam portionem galeam vocant in maribus, vittam in feminis, hinc galeati, aut vittatæ vocantur, qui vel quæ ita in lucem prodeunt, aniculæ volunt hos vel illas felices futuras; neque hoc dixiſſe ſufficit. Secundinam enim exſiccant in umbra, cujus quædam portio in lacte infanti exhiberi debet; alioquin malevoli hanc galeam vel vittam intoxicare poſſent. Sed nugæ aniles nullius conſiderationis. Verum tamen eſt, hujus ſecundinæ in umbra ſiccatæ ſit aliqua vis, hujus enim portionem quandam ad drachmam unam ſcilicet exhibent cum fructu in epilepſia, ſed quod debeat eſſe fœtus maſculi, hoc ſuperſtitioſum eſt.

§. 10.

ad venefi-cia.

Interdum etiam hæc membrana ad veneficia adhibetur, ſiquidem mulier quædam turpiſſima acceperat particulam cutis illius, qua infans indutus egreditur de utero matris, quam primum venit in lucem, illamque ſuper lapide nudo ſacrato abſconderat, & ſuper illa plures miſſas numero quinque celebrari fecerat, cutemque prædictam poſtea aſſumpſerat, & baptizaverat ſub nomine perſonæ maleficiandæ, cum aqua baptiſmatis & cæremoniis conſuetis, deinde eandem in pulverem redegit, ad effectum tradendi perſonæ maleficiandæ: tamen interim capta fuit, nec perficere potuit ſortilegium, ſed congruas ſceleris ſui luit pœnas, uti ex Grillando refert Martinus Del Rio *Disquiſit. magic. Lib. III. P. I. Qv. 3. p. 377.*

§. 11.

ad ſympa-thiam.

Curioſum etiam caſum de ſympathia amnii cum hominibus

bus peregre conſtitutis indeque capiendo prognoſtico in Mich. Bern. Valentini *Novell. medic. legal. Part. I. Caſ. 49. p. 872. ſeqq.* ita legere licet. *Requiſitio :* Cajus, Quirinus & Sempronius de fratre ſuo Publio nequicquam reſciſcere poſſunt, an vivat, nec ne? quum ultra ſex annos domo abfuerit, intra quod tempus nihil de vita aut morte ejus experiri potuerunt, niſi quod involucrum *(das Kleidgen)* quod infantes nonnullos, dum in lucem eduntur, cingit, penes alia depoſitum, ante annos aliquot, circa feſtum Pentecoſtes, imo etiam horno tempore, circa idem feſtum maduerit, cum tamen in loco humido minus depoſitum fuerit, reliquaque prorſus ſicca apparuerint : Sicut idem poſt aliquot dies denuo, ut reliqua, exſiccatum fuit. Quæritur, an id vitam, an mortem indicet? Coldicii 8. Febr. 1701. Sempronius.

Nota.

Publius ſupradictus fuit Johann Jacob Fiſcher, Coldicienſis, chirurgus, qui abſolutis tyrocinii annis durante ſeptenni peregrinatione ſua bis in Grœnlandia fuit. Abhinc anno 1692. die 23. Decembr. in Hollandiam & inde cum navi Indica, Fama dicta, die 14. Jan. 1693. in Indiæ Orientalis inſulam Ceilon profectus eſt, cujus emporium principale Colombo etiam die 11. Decembr. anno 1693. attigit, unde die 12. Jan. 1691. ultimo in Europam ſcripſit. Usque dum vero nequicquam amplius de eo reſcivimus, an vivus an mortuus ſit? &c.

Judicium Caſpari Weſtphali de diagnoſi ex ſudore amnii deſumenda.

Quandoquidem Publius ultra ſex annos domo abfuerit, ita ut cæteri ejus fratres neque de ſtatu ejus, neque de vita aut morte quid reſcire potuerint: Interea autem non tantum præcedenti, ſed & antepenultimo anno, utrobique circa feſtum Pentecoſtes, & ita circa idem tempus, peregre exiſtentis galea *(das Kleidgen)* ſeu tunica illa fœtum immediate cingens, amnion dicta, humefacta fuit, cum tamen non tam in loco humido,

do, ſed penes ſimiles alias, quæ ſiccæ manſerunt, repoſita, & poſt dies aliquot, reliquarum inſtar, reſiccata fuerit; hinc quæſtio oritur, an ex dicto phænomeno annuo certi quid de profecti & peregre exiſtentis vita aut morte concludi poſſit? Quemadmodum ergo quotidiana experientia teſtatur, in ipſa natura certum quendam conſenſum mumialem, uti vocant, inter præſentem partem abſentis alicujus & longe diſtantis corporis obtinere ſæpiusque obſervatum fuiſſe, ut quando v. g. capilli hominis reſecti aut cutis piloſa capitis detruncata vel exſiccata, in arculam aut ciſtulam quandam repoſita, reliquorum in capite viventis adhuc exiſtentium capillorum inſtar, colorem mutant & juxta ſeriem ætatis in hoc homine prorſus caneſcunt, de quo Thomas Bartholinus *Cent. I. Hiſt. anat. 41.* legi meretur: Quale quid in capillis, qui in tribus ſuperioribus annis infantibus meis adempti fuerunt, oſtendere poſſum, utpote qui tunc temporis aureo colore coruſcabant & flaveſcebant, ſucceſſive autem pro ætatis augmento ſe mutarunt & præſentibus ſimiles evaſere; imo filioli anno 1686. demortui flavi quidem ad tempus manſerunt, nunc vero perdito hoc colore ſatis palleſcunt: vel prout Burggravius e ſanguine hujus vel illius hominis lampadem vitæ artificialem parare docet, quæ tamdiu ardeat, quamdiu vivit homo, quando hic moritur, illa extinguitur: Sicut ex illa pro varietate coloris, ſplendoris, motus, certiſſimus ſit ſanitatis vel morbi index, ad cujus imitationem Rattnay *in Theatro Sympath. pag. 89.* ſine igne ſpiritum quendam ex ſanguine hominis cujusdam parat, quo hominis illius, unde ſanguis proficiſcebatur, ſanitas & morbi cognoſci poſſunt. Quin & Borellus *in Obſerv. med. phyſ.* mulierem quandam refert, quæ, dum ſocias ſanitate plena alloqueretur, ſubito de ingenti in fronte ictu conqueſta eſt: Paucis autem ab illo tempore diebus auditum eſt, maritum ejus eodem in momento in remotis plagis occiſum fuiſſe, idque ictu bombardæ in eodem frontis loco. Similiter in

his.

his ipſis obſervationibus allegatis dictus modo ſcriptor de puella apud Ruthenos narrat, quod, dum pater factionis dux, a carnifice, ſe inſcia, laniaretur & rotæ imponeretur, eodem tempore ingentibus convulſionibus diſtorta fuerit. Ex ſimilibus fundamentis Ettmüllerus *Tom. II. Oper. f. 404.* aliquot exempla de fratribus germanis, qui multis milliaribus diſſiti variolis, licet in altero loco omnino tunc temporis inuſitatis, correpti fuerunt. Propter hanc in ſanguine & ſpiritibus fundatam originem conſanguinei in ſpecie mutuo afficiuntur, uti D. Michaelis plura retulit exempla &c. Ad hoc fundamentum ipſe Deus *Exod. cap. 23. v. 19. cap. 34. v. 26. & Deuteron. 14. v. 21.* dubio procul reſpexit, quando hædum in lacte matris coquere vetat; cum ſatis ſuperque conſtet, quod lac a matre in prunas emulctum ubera ſterileſcere faciat matrique dolorem, inflammationem & exulcerationem inferat. Ex hoc fundamento phyſici moderni explicant vocem ſanguinis Abelis, clamantis ad Deum de terra *Geneſ. 4. v. 10.* unde ob perſecutionem & præſentiam ſpiritus ſeu auræ vitalis interfecti Abelis, Cainum factum fuiſſe profugum, vagabundum, meticuloſum, tremulum, &c. &c. Interim tamen, cum ſupradicta galea duobus annis ſe inſequentibus certo tempore maduit, mox vero reliquarum adjacentium inſtar rurſus exſiccata fuit; hinc fundamentis phyſicæ ſympatheticæ conſentaneum duco, pergit Weſtphalus, quod inde de Publii vita periclitante morteque inſecuta nil concludi poſſit, cum ſanitate periclitante & morbo continuante amnion ſupradictum madidum permanſiſſet, morte vero inſecuta neceſſario exaruiſſet, aut in putredinem abiiſſet; haud ſecus ac nobilis illius Bruxellenſis naſus artificialis apud Helmontium *Magnet. Curat. Vuln. p. 752. §. 22.* in corpore adhuc ſano & ſalva exiſtente vita eodem tempore refriguit, inter ſcribendum computruit & in chartam procidit, quod ad multa milliaria diſtans bajulus, e cujus brachio caro pro naſo ſupradicto reſecta & loco naſi gelu conſumti per artem ap-

plantata fuerat. Sed credibile magis eſt, quod ſæpius allegatus Publius in Indiæ Orientalis inſulam Ceilon deportatus & juxta mercatoris cujusdam Amſtelodamenſis relationem, ipſius parenti communicatam, a navi juſto longius abierit & in meditullium illius inſulæ progreſſus & ſine dubio vel a Nigritis, vel illorum regibus detentus fuerit; citatis anni temporibus, quæ ad id commodiſſima erant, bina vice effugium quæſiverit, ob excubias autem in finibus inſulæ ubique expoſitas, non invenerit, ſed forte remiſſus in carcerem aliquandiu conjectus fuerit, quod ſine timore, corporis & animi anguſtiis, ſudoribus &c. fieri non potuit: cumprimis dum Publii cogitationes, ſub hac intentione fortique impreſſione, ſimul cooperatæ ſunt, multisque meditationibus, curis & animi commotionibus continuis ad B. D. parentem ſenem, fratres, cognatos & opimam in patria hæreditatem directæ fuerunt, unde ſine dubio amnion ejus per conſenſum mumialem ſeu mumiæ vitalis ſudare & madere cœpit. Quæ enim hic Delitii in duobus fratribus, eorumque amnio, ut ex nominibus illorum affixa herba, *die fette Henne* dicta, obſervata fuerint, adjecta his copia relationis, a chirurgo ducali aulico, Samuele Auerbachio, communicatæ, atteſtari poterit. Majorem autem lucem intentionis & impreſſionis Publii præſuppoſitæ Sempronius e Johannis Gottofredi Zeidleri Pantomyſtico haurire poterit, ubi ſimilis ſympathia & actio in diſtans per virgulam divinatoriam explorando proponitur & ex profeſſo traditur; dum ſimul ex praxi medica vulgari conſtat, quantæ actiones medicamentoſæ & morboſæ ex ſimplici etiam imaginatione excitentur, de quo fuſius Ettmüllerus in Inſtitutionibus, ubi de curis ſympatheticis, magneticis & transplantationibus agit &c.

Allegatus caſus Auerbachii ſequens eſt.

Cum anno 1688. & 89. Dantiſci a ſervitiis chirurgi eram bisque febri ardenti corripiebar, binæ meæ ſorores, beatæ mortuæ & adhuc in vivis exiſtens mater hic obſervarunt, quod

galea

galea mea (*das Kleidgen*) ſeu amnion, quod hic in ſcrinio quodam, juxta beati mei fratris amnium aſſervarant, prorſus madidum evaſerit. Similiter ſolebant certam quandam herbam, *die fette Henne* dictam, parieti inſerere, ſub inſertione caulis autem perſonæ, cujus ergo inſerunt, meminiſſe. Dum ergo amnium ſupradictum, ita conſpiciunt, de morbo meo nihil prorſus ſcientes, ad caulem herbæ ſupradictæ reſpiciunt, quam ſimiliter prorſus corrugatam & in apice fere aridam inveniunt. Quam primum ergo ægritudinis meæ certiores redditæ fuerunt, hanc ipſam madoris illius cauſam, & ariditatis in herba productricem eſſe collegerunt. Tum temporis haud procul a cymba Charontis eram, attamen Deus benigniſſimus adhuc ſuppetias ferebat. Quam primum vero convaleſcere incipiebam, amnium rurſus exſiccatum, & herba ſupradicta novo virore induta fuere, propullulante novo foliolo viridi, imo ita ſuccreſcit, ut tota herba reviviſcere & revigeſcere cœperit. Id quod bina vice accidit & coincidit. Cum fratre meo res adhuc longe notabilior eveniebat. Is circa feſtum Martini ægrotare incipiebat, morbo ad 4. Aprilis durante. Interea temporis mater & ſorores ſimiliter amnium obſervabant, & quod admiratione digniſſimum erat, amnium modo dictum tamdiu madeſcebat, quamdiu ægrotabat, licet in hypocauſto calido detentum fuerit. Herba contabeſcere incipiebat, ita ut eo demortuo plane exaruerit. Amnion poſt obitum fratris ita prorſus conſumptum fuit, ut inſtar pulveris minutisſimi momentum apparuerit, licet cum aliis probe involutum in ciſta concluſum & in ſcrinio conſervatum fuerit. Hactenus Valentini. Quod autem paulo ante Weſtphalus de filii ſui quatuor annorum capillis flavis refert, quod palluerint, idem etiam in Pathologia ſua dæmoniaca *pag. 125.* recenſet, addendo: jam a tineis illi capilli apparent corrupti; uti etiam ſecundinæ ejusdem filii tunica interior, amnios dicta, Germanis *das Kleidgen*, ſimili ratione in corruptionem abiit, utraque autem glomeri

lanæ a tineis corruptæ non abſimilia deprehenduntur: idque dubio procul propter cadaver putredine ſucceſsive, jam vero penitus, reſolutum, cum tamen capilli liberorum in vivis ſuperſtitum illæſi adhuc & incorrupti, in una eademque ſcatula conjunctim aſſervantur.

§. 12.

Liquoris amnii ortus, an a ſudore? In ipſa amnii cavitate continetur liquor cryſtallinus & limpidisſimus, cujus hactenus circa fœtus nutritionem aliquoties mentionem fecimus. Hunc liquorem nonnulli, in primis veterum pro excrementitio habebant ejusque originem vel a vaporibus fœtus corpore transſudantibus vel a ſudore vel ab urina derivabant. Quia vero 1) ſtatim in ovulo, tam ante, quam poſt conceptionem, & antequam fœtus ſtamina nudo oculo dignoſci poſſunt, talis liquor, & quidem adeo copioſus adeſt, ut embryonem longe ſuperet; (vidit enim Philippus Verheyen fœtum pendentem non ultra drachmas undecim pene integra libra liquoris circumfuſum. vid. *Anatom. pag. 214.*) 2) quia liquor hic non ſolum in homine, extra uterum ſudante, ſed aliis quoque animalibus, per totum vitæ ſuæ ſpatium non ſudantibus, deprehenditur, præterea etiam, an fœtus humanus intra uterum adhuc detentus ſudet, veriſimile non videtur, 3) creſcente fœtu, ſecundum quosdam, dictus liquor non augetur, quod tamen ab urina fieri deberet, ſi excrementitius eſſet, 4) interdum etiam in molarum membranis, in quibus nullus latet fœtus, ejusmodi aqua reperiatur, vel juxta verba de Marguerite du Tertre de la Sage-femme *p. m. 49.* il ſe rencontre ausſi de faux germes, dans la membrane desquels ſont contenuës des eaux, que l'on ne peut pas dire eſtre des urines, puisqu'il n'y a point d'enfant. *an ab urina?* 5) Juxta Johannis Gothofr. Berger. *Phyſiolog. med. Lib. II. cap. 2. pag. 478.* liquor ille amnii pro urina habendus non eſt, quippe cum gelatina dulci & alibi abundet, & alios habeat fontes ac vias, quibus in amnium derivatur; cum contra parum urinæ propter puritatem ſuc-

ci

ci alibilis in renibus ſecernatur, idque in veſica fœtus collectum reperiatur. Et ſi fœtus brutorum ea ſunt munditie, ut lotium hoſpitio emittant, cur fœtum humanum adeo ſordidum habeamus, ut exiſtimemus, eum proprium ſuum domicilium lotio aſpergere, &, quod reddidit, ferculum deinde reſorbere. 6) Urinam non eſſe in amnio, ex eo apparere inquit Isbrandus de Diemerbroec *Anat. Lib. I. cap. 31. fol. m. 212.* quod hic liquor (uti ſupra adduximus) copioſus reperiatur fœtu jam recens formato, cum tam puſillus embryo urinam nondum excernat: imo quod in amnio reperiatur modo ante formatum fœtum, cum tamen ex bulla cryſtallina nihil urinæ emanare poſſit. Adde quod color ſubalbicans & ſubſtantiæ unctuoſitas nullam urinæ ſimilitudinem exhibeant. Sudorem non eſſe, inde liquet, quod ante formatum & perfectum fœtum, vel etiam a principio formati fœtus, tam unctuoſus, craſſus & copioſus ſudor ab exili embryone emanare nequeat, qui ſua quantitate corpuſculum embryonis decuplo & amplius ſuperet. Juxta Dionis *des Accouchemens Lib. I. cap. 15. p. 105.* la plus grand nombre des anciens anatomiſtes a decidé, que cette eau n'étoit autre choſe que l'urine de l'enfant, fondez ſur ce qu'elle étoit ſalée comme l'urine, ce qui n'eſt pas une preuve convaincante; les larmes ont une ſaveur ſalée, & pluſieurs autres ſeroſitez, & neantmoins elles ne ſont point urine; les eaux devoient avoir dela ſalure, à fin de les defendre contre la corruption, & qu'elles ſe puſſent conſerver autant de tems, que l'enfant ſejourne dans la matrice; elles ſervent même de ſaumur à l'enfant, & on voit manifeſtement, qu'un enfant mort dans le ventre de ſa mere, ſ'y conſerve un tres-long tems ſans ſe corrompre. Nous voyons que l'urine laiſſée dans un pot de Chambre ſ'y fermente, & acquiert un degré de puanteur inſupportable, quand elle a ſejourné dans la veſſie plus qu'elle ne doit, elle y devient plus rouge, plus acre & plus puante; à plus forte raiſon, ſi elle avoit demeuré pendant neuf mois dans ces

mem-

membranes, que deviendroit-elle ? n'incommoderoit-elle pas l'enfant, & ne le feroit-elle pas perir ? Dans les accouchemens nous voyons, que cette eau eſt claire & nette, & qu'elle n'a aucune mauvaiſe odeur, ce n'eſt donc pas de l'urine. De membranarum humoribus quod affert Fabricius, nempe aquam in amnio, in qua embryo natat, illius eſſe ſudorem, alteram vero in chorio ejusdem urinam eſſe, plane incongrua & falſa ſunt. Uterque enim humor prius in conceptu reperitur, quam quippiam fœtus appareat. vid. Guilielm. Harvæi *Exercitat. p. m.* 545. *ſeq.*

§. 13.

an a cerebro, oculis & ore. Alii liquorem amnii a cerebro, nervis, & glandulis oculorum, aurium, maxillarum & oris, vel a feroſitate ſanguinis deducunt. Inquit enim Carolus Drelincurtius *de Conceptu Conceptus Perioch. 42. pag. 91. ſeq.* cum fœtus nec digitis emungatur, nec ſcreatu, nec tuſſi quicquam extundat, lympha illa pedetentim ab ejus naribus & ore in ejus amnion effluit. Guttatim itaque inibi congeſta in altum tandem ſtagnum excreſcit, quod tunicam amnion, chorio immediate & orbiculatim attextam, ita replet & expandit, ut intra tunicæ duplicis illius ambitum atque ſtagnum, fœtus omnis, ſeſe, piſciculi ritu commode volvat atque revolvat. Imo lymphæ tantæ de cerebro ſtillantis portiuncula clandeſtino devolvitur in fauces & œſophagum, atque ſic ventriculum pro modulo ejus, ſenſim etiam opplet & expandit. Glandulæ etiam oculorum, aurium, maxillarum & oris univerſi uberrimam illam lympham novimeſtri tempore ſecernunt. At illa ſecreta ſalivoſum fœtum efficit omnino. En itaque ſalivæ prioris conſocialis altera, quæ ſimiliter cumulata partim in fauces & ventriculum illabitur, partim vero in eandem amnion redundat, ubi ſuam operam confert ad ſtagnum illud altius atque altius fœtui grandeſcenti excavandum. Minus vero Bergero *l. a. pag. 479.* credibile

eſt,

eſt, fœtum perpetuo plorare & ſalivare, ut inde tanta lymphæ copia colligatur. Quomodo autem, pergit idem, ex cerebro fœtus plurima lympha guttatim defluere poſſit, ego quidem capere nequeo; nec video, quamobrem ſudori aliquid hic acceptum referamus, cum forte fœtus non plus ſudet, quam piſcis in aqua, aut pullus in ovo. Et ſi demum omnes illas excretiones per os, per nares, per oculos, per mammillas, poroſque cutis & veſicam vigere conceſſerimus, tamen vix tanta lymphæ copia colligi poterit, quanta fœtus puſillus & vix muſcam æquans circumfunditur.

§. 14.

Quoad ſecretionem liquoris amnii ex mammillis, ita ſcribit Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. II. p. 30. ſeq.* *an ex mammis?* Obſervabunt mecum, qui recens natis infantibus adſtant, horum mammillas lacte ſeroſo turgere, & quidem ita, ut, ſi hoc non tempeſtive atque rite exprimatur, illæ indurentur, inflammentur ac ſuppureſcant, pariter ac earum nutricibus a lacte coagulato & caſeſcente contingit. Novi feminas, qui puellis ſaltem hoc proprium ajunt, aſt idem experiuntur pueri quoque; ut proin phænomenon hoc utrique ſexui commune eſſe, vix dubitandum veniat. Quid itaque abſurdi emergeret, ſi aſſeram per papillas fœtum abundantias lymphæ nutritiæ excernere, & ad amnium deponere? cum nulla alias ratio ſuppetit, cur ubera hæc tenella tanto lactis proventu gauderent &c. ubi Bohnius plura addit. Cui ſententiæ quoque favere in tantum videtur Petrus Linſing. *Inſtit. med. pag. 90.* inquiens: Videtur quibusdam, liquorem amnii etiam a mamillis fœtus jugi lactis affluxu aggravatis neceſſario profundi in amnii cavitatem; hoc confirmant 1) per recens natos infantes, quorum mammillæ turgidæ liquorem lacti ſimilem ſtillant, 2) ſi hic uſus mammillis negatur, non poteſt dari ratio, cur maſculi æque ac femellæ mammis gaudeant. vid. etiam Steph. Blancard. *Oper. Tom. I.*

pag. 277. Huic tamen opinioni contradicit Chriſtian. Joh. Langius *Oper. med. Tom. I. Phyſiolog. Theſ. 39. fol.* 247. inquiens: Utut tumeant ſeroſo liquore mammarum glandulæ in infantibus, tamen non exſtillat liquor ille, niſi compreſſis papillulis, quæ expulſiva tamen cauſa deeſt in fœtu utero incluſo. Et Johannes Gothofr. Bergerus *l. a. pag.* 478. ſcribit: Cum viæ liquoris amnii non ita inviæ ſint, ut multis viſum fuit, nihil quidem cauſæ eſſe arbitror, quamobrem eum cum Bohnio ex mammillis fœtus derivemus. Neque etiam, niſi rarius, mammas recens natorum exprimi debere, neque lacte ſeroſo ſemper turgere easdem, ſatis luculenter experientia oſtendit. Adhæc in gravidis, licet lac gerant mammæ, raro tamen illud ſponte effunditur. Alius etiam autor, nomine Gofey *Hypotheſ. pag.* 92. inquit: Si talis liquor ex mammis exiret & exſudaret, neceſſario perforatæ deberent eſſe, & quidem foramine aperto, quale vero nullibi comparet. Cui tamen Daniel Hoffmannus *Annotat. in Hypotheſ. Goveyan. l. a.* ita reſpondet: Poſſe ex mammis fœtus prodire liquorem aliquem, toties docuit experientia, decentque frequentes hujus liquoris aggeſtiones ac infantilium mammarum tumores, faſcino ſæpe adſcripti. Nec judicabunt alii, abſolute neceſſarium eſſe, apertum manifeſtumque pro ejus egreſſu foramen, qui agnoſcunt, tot excretoria oſcula & vaſcula nudos oculos effugere, imo ne in papillis quidem lactantium tam hiantia & manifeſta eſſe, utut radiatim preſſis mammis ejaculentur lacteum liquorem per multiplices canaliculos terminantes ampliores ductus lacteos.

§. 15.

ex Arteriis. Dicto autem Bergero *l. a.* lympha amnii eſt ipſe nutricius ſuccus, a ſanguine matris ex arteriis uteri per ſinus hujus & vaginulas ac papillas placentæ poroſas, & chorii amniique meatus, in hujus cavum transmiſſus. Quæ Bergeri ſententia præ cæteris probabilior etiam videtur Georgio Philippo Nentero *Phy-*

Phyſiol. med. cap. 2. pag. 338. Inquit etiam Emanuel Kœnig *Regn. anim. Sect. II. art. 17. p. m. 82.* hunc liquorem per amnii vaſcula venoſa exilia afferri atque ſequeſtrari ope configurationis pororum, quo nusquam fœtui alimentum deficiat, licet ejus efficiens quantitas per umbilicum advehatur. Regnerus de Graaf *de Organ. Mulier. cap. 15. p. m. 375.* humoris amnii in tunicam pertingendi modum inquirens, illum pro geſtationis tempore variari arbitratur; in principio enim, dum ovum e teſtibus ad uterum delabitur, illius contentum augeri judicat, quatenus humores in uteri fundo in hunc finem exiſtentes primo in chorion, dein in amnium transſudant, in progreſſu vero, quando ſc. fœtus efformatur, & umbilicalia vaſa ad amnium ac chorion protenduntur, fieri poſſe ſtatuit, ut nutricius humor, per oſcula venarum exceptus ad fœtum deferatur, & inde per arterias pars aliqua dimittatur in amnium, tanquam in fœtus theſaurum, ita ut dicto tempore amnii membranæ liquor duplici hac ratione augeri valeat. Juxta Joh. de Muralt. *Vade mec. Exercit. V. pag. 259.* liquor in amnio membrana contentus eo devenit per lymphæ ductus gelatina obſeſſos ad funiculum umbilicalem evidentes, tum etiam per arterias in placentam ferminantes. Hunc liquorem per ductus ſucciferos vel chyliteros dictos ope placentæ ex utero in cavitatem amnii ferri ſtatuunt alii, quod etiam Petro Linſing probabile eſt, *vid. ejusdem Inſtit. med. pag. 90.* Et juxta Phil. Verheyen. *Anatom. Tr. II. cap. 31. pag. 223.* depingit Bidloo in funiculo umbilicali plures parvos ductus ope microſcopii detectos, quos dicit continere ſuccum nutricium, & quorum proinde (ſi revera exiſtant) uſus eſt, advehere materiam nutritivam a matre verſus fœtum, aut ſaltem in amnii capacitatem. Horum autem ductuum ſucciferorum mentionem atque delineationem exhibet ipſe Godofridus Bidloo *Anat. human. Corpor. Tabul. LIX.*

§. 16.

Zelleri ſententia. De his & aliis humoris amnii viis prolixe agit Johannes Zellerus *Diſput. de vit. human. ex fune pendent. cap. 1. p. 5. ſeq.* cui *pag. 7.* manifeſtiores iſtius humoris viæ videntur eſſe glandulæ amnii; ſiquidem in amnii glandulis ſat copioſis ſæpe videantur orificia ampla aperte in amnii cavum hiantia. Et *pag. 6.* de mammis ita ſcribit: Papillis mammariis an præ poris cutaneis ſcaturigo adjudicanda, aliorum judiciis relinquo, iſti interim pori laxi etiam ſunt, & ſimul ſumti cavitate diametrum porulorum in papillis, ut copioſus ſudoris profluxus probabile reddit, forſan ſuperant, nec metuendum foret, ut ſanguis ſuppoſita laxitate iſta efflueret, quia ſæpe inſignis pinguioris humoris copia corporibus noſtris exſudat ſine ulla guttula ſanguinis. Nec non æque mammis effluere deberet. Deinde recens natorum mammæ nec niſi rarius exprimi debent, nec ſemper ſero turgent, teſte experientia; Et in gravidis licet turgeant mammæ, maxime ultimis menſibus, nihil tamen vel exiguum ordinarie effunditur. Item nec laxitas iſta ad ſecretionem copioſi humoris ſufficiet; ordinarie enim principio quodam mammas ad ſecretionem ſpecifice & magis, quam alias partes excitante, diſponente opus eſt, quale hic deficit, & ordinarie illud eſt, quod ovula fœcundat &c. uterinas & mammarias glandulas officio aptat adque eas majorem ſanguinis affluxum allicit, ad illas quidem magis & copioſius, quia genitales propius afficit, & in æſtu venereo eo magis diriguntur ſpiritus; relinquente autem poſtmodum fœtu uterum, & utero antea diſtento ſubſidente, vaſa contrahuntur, comprimuntur, nec amplius iſthuc tanta humoris derivatur copia, ſed magis ad mammas, quæ jam præ aliis partibus diſpoſitæ ſunt, determinatur, ibique excernitur accedentibus præſertim cauſis externis, ſuctione infantis, aut aliis excretionem juvantibus. Dicto tamen Zellero *p. 7.* manifeſtiores humoris iſtius viæ videntur eſſe glan-

glandulæ amnii, cum non ſemel viderit orificia ampla in amnii glandulis ſat copioſis aperte in amnii cavum hiantia.

§. 17.

Multum difficultatis habere, unde amnii humor proveniat, ſequentibus verbis docet Elias Camerarius *Medicin. Conciliat. p. 120.* aliquibus arteriolarum in tunica extremitates, aliis poros habitus externi, aliis cum Drelincurtio glandularum oculorum, narium & oris oſcula colaturam ſuam ſalivalem in ſtagnum usque cumulantia, aliis vero ingenioſe cum Bohnio mammillas iſti negotio præficientibus; quid igitur eliget ſtudioſus? placebit ipſi merito ultima ſententia, ſuaderem tamen, ut nec priores abſolute excludat, erit forſan quod & iſtæ viæ conferant ad laticem iſtum; imo renes quoque omni jure in cenſum veniant, modo & ratione renum & reliquarum glandularum id velis notare, eſſe in tam molli corporis ſtructura poros laxiores & ampliores, quo plerasque evitabis circa modos iſtos difficultates. Amnii quoque glandulas iſti numero inſeruiſſem, quod nonnullis placet, auſus vero vel ideo non fui, quod fruſtra, pluribus in ſecundinis in eas inquiſiverim non modo, ſed & perſpicaciores aliorum oculi in ſubſidium vocati in pellucida iſta membrana quantumvis luci obverſa attenteque conſiderata nihil glanduli ferme potuerint deprehendere, quo ipſo earum exiſtentiam nolim abſolute in dubium vocare, ſed potius hortari alios, ut in lucem eas protrahant. *Camerari ſententia.*

§. 18.

De membranis & liquore amnii ſequentia refert Raymundus Vieuſſens *nov. Vaſor. Corp. ſyſtemat. p. 21. ſeq.* Trium uteri ovilli membranarum & cotyledonum quorundam textura diligentiſſime indagata & expenſa in membranas ſacci unius membranacei fœtum intra ſe recondentis oculos atque manus converti earumque ſtucturam & arctum cum cotyledonibus & vena umbilicali nexum accuratiſſime inveſtigavi. Bi- *Raymundi Vieuſſens.*

næ quidem ſunt membranæ fœtum cujuſcunque ſpeciei involventes, chorion ſcilicet & amnios, verum illæ adeo ſtricte ſimul junguntur, ut unum ſolum corpus membranoſum conſtituere videantur. Membranoſum autem hoc corpus ita numeroſis ductibus partim ſanguiferis & partim lactiferis primo intuitu irrigatum mihi apparuit, ut in eam protinus ſententiam abire non potuerim, illud e diverſis tantum vaſis conflatum eſſe. Conſtet itaque, aut nulla in poſterum viſui fides habeatur, chorion & amnion binas eſſe membranas ſtrictiſſime ſimul unitas, quæ vaſis ſanguiferis & lactiferis varie atque varie inflexis & invicem implicitis ſolummodo conſtant. Intra membranas iſtas tenuiſſima altera, allantois nuncupata, latitabat, quæ urinoſum continebat ſerum, quod urachi, in brutis tantum animantibus veri canalis vices gerentis, miniſterio in cavitatem illius veſica exoneraverat. Una cum allantoide, e lymphaticis & ſanguiferis vaſis conflata, ovillus fœtus in copioſo intra chorion & amnion collecto fluitabat latice, quem lymphaticum eſſe manifeſto probabant ſubdulcis ejus ſapor, & facilis concretio, dum igni apponebatur. Latex iſte e vaſis lymphatico-nerveis, quibus potiſſimum efformatur cutis, tanquam e proximo fonte ſuo, ſub forma vaporis condenſatu facilis elicitus fuerat. Iſte, inquam, humor e ductibus lymphatico-nerveis cutis per viam hactenus, opinor, incognitam elicitus fuerat; nimirum per tubulos excretorios tenuiſſimos & breviſſimos, e parietibus ipſorum naſcentes, quorum extremitates undequaque ſimul coaleſcentes in cuticulam deſinunt; quemadmodum extremi fines ſecretoriorum ſtomachi tubulorum e lymphaticis illius vaſis naſcentium, & propagatis lateraliter muſculis ſibi invicem annexis villoſam ejus ſuperficiem internam conſtituunt. Ex his clare unusquisque intelliget, valde ſenſibiles microſcopii ope cuticulæ a cute ſeparatæ & nonnihil exſiccatæ aperturas eſſe oſtiola excretoriorum tubulorum, quos e lymphatico-nerveis vaſis externam cutis ipſius ſuperficiem occu-

panti-

pantibus proficiſci jamjam dixi; hujusmodi vero oſtiolorum margines expanſi, ſimulque adhæreſcentes in cuticulam abeunt &c. Cum mulierem, ut & brutarum animantium fœtum lymphatico ac nutricio innatare ſucco certum exploratumque ſit, nequaquam, ut mihi videtur, dubitandum eſt, quin partes tenuiores hujusce ſucci ab involventibus membranis, præſertim ultimis graviditatis menſibus, & ab ipſomet fœtu ſeſe movente compreſſi, excretoria in vaſa jamjam deſcripta ſubindeque in lymphaticos cutis ductus, e quibus eruperant, protrudantur, ubi lymphæ rurſus admiſtæ fœtus nutritioni impenduntur.

§. 19.

Chriſtiano Johanni Langio probabiliſſimum videtur, ex glandulis quibusdam vel ipſius placentæ ſenſibilibus, funiculo umbilicali aut ipſi amnio intertextis, fluere hunc liquorem ad hæc loca primis augmentationis temporibus. Nondum tamen vias has accurate deſcriptas ab autoribus admittit Langius, ſi unicam obſervationem excipias Bidloii, qui in funiculo umbilicali plures parvos ductus ope microſcopii detectos *Tab. LX.* exhibet. v. Lang. *Phyſiol. Theſ. 39. fol. 238. qui fol. 240.* aliarum viarum meminit. Johannes Mauritius Hoffmannus *Id. machin. hum. anat. phyſiol. Sect. XIII. §. 9. p. m. 109.* mentem ſuam de amnii liquore his verbis exprimit: Amnii liquorem quoad primigeniam originem ovulis connatum, poſtea ex glandulis fœtus incrementum ſuum ſumere declaravimus, jam vero aliqua adhuc expedienda reſtat difficultas, undenam idem liquor ante perfectas in embryone iſtas glandulas ſuppeditetur, in ea quidem quantitate, quam a primo ortu præſentem nullus concipiet. Nos antehac in Diſſertationibus noſtris ad Hornii Microcosmum annotatis, de la Courvée & Everhardi veſtigia preſſimus, perſuaſi, per tunicas fœtus tunc tenuiores tanquam ſecernicula ſerum matris chyloſo-nutricium percolari & intra amnii ambitum deponi. Sed enim vero dubia, quæ contra ejusmodi tranſco-

Sententia Langii.

Hoffmanni.

tranſcolationem movit Hobokenus, aliam nobis reliquerunt mentem, ut potius credamus, aut per vaſcula embryonis venoſa ovuli membranas transgreſſa, radicesque ſuas ad uteri ſuperficiem internam defigentia, aut per peculiares canaliculos ſeu fibrillas chorii cavernuloſas, utero quoad totum ſui ambitum interiorem connexas, ex lacunis uteri, poſt conceptionem, ſeri materni chyloſi moleculas ad amnium deduci; huic ſiquidem aſſerto probabilitatem inſignem contribuit, quod rem ita ſe habere in Zootomiæ cultoribus ſolertioribus innotuerit, fibrillæque illæ ſub ſeparatione chorii ab utero madorem exſtillaſſe nobis aliquoties viſæ ſunt. Et Nicolaus Hobokenus *Anat. Secund. human. Sect. II. cap. 4. art. 2. p. 426. ſeqq.* paulo ante allegatum proceſſum trajectorium, vel filtratorium, vel transcolatorium, vel membranarum poros transſudatorium dictum variis rationibus impugnat. Plura de tunica amnio ejusque liquore ſecundum omnium fere autorum ſententias reperies in Carol. Drelincurt. *Caſtigat. de membran. fœt. agnin.* Secundum Joh. Jac. Harderi *Apiar. Obſ. II. Schol. 6. 38.* natura idoneum liquorem membrana amnios dicta, per vaſcula venoſa exilia illatum atque ſequeſtratum, configurationis pororum ope, deponit eum in finem, ut nusquam fœtum alimentum deficiat, licet nutrimenti ſatis per umbilicum advehi videri poſſet &c. Ex his variorum autorum adductis ſententiis benevolus Lector pro ſuo guſtu optimam eligat.

§. 20.

Differentia an ſit excrementitius?

Differentes etiam de hujus liquoris & ſeri ſanguinei differentia fovent autores ſententias, & quidem tam ratione coloris, quam conſiſtentiæ, & uſus. Inquit enim J. Caſe *Compend. anat. Lib. III. p. m. 176.* Membrana amnios, priusquam ovum vitali ſemine impregnatur, liquorem limpidum continet, quæ materia eſt, ex qua embryo formatur. In hac vis plaſtica reſidet, potentia agendi vivida, & quamvis ejusdem coloris conſiſtentiæque

tiæque cum ſero ſanguinis liquor hic noſtris oculis apparet, toto cœlo re ipſa differunt, nam ſi paululum de priore in cochleari ſuper ignem detines, nunquam ſicut ſerum coagulabit. Sic Marguerite du Tertre *dans l'Inſtruction d'une Sage-femme p. 49.* ad quæſtionem, *d'ou provien nent les eaux du amnios?* reſpondet: les auteurs ſont partagez la deſſus. Les uns penſent, qu'elles proviennent des urines & ſueurs de l'enfant, & d'autres croyent, que c'eſt dela ſeroſité du ſang; mais enfin c'eſt un grand effet de la providence, puisqu'elles cauſent tant de bien. Tout ce que j'en puis dire, eſt l'experience, que j'ay faite: en mettant chauffer de ces eaux, elles ne ſont point coagulées, & les faiſant boullir, elles ont laiſſé en s'evaporant ſeulement une craſſe & un ſel, comme l'urine, & ayant fait chauffer de la ſeroſité du ſang, elle ſ'eſt épaiſſie, comme de la colle. Aliis tamen talis amnii liquor coagulabilis & gelatinoſus ſeu viſcidus fuit obſervatus, unde absque dubio etiam nonnulli eundem nutricium, alii excrementitium judicarunt, imo ex recentioribus etiam Martinus Liſter *Diſſert. de Humor. cap. 48. pag. 440.* humorem in amnio contentum merum eſſe excrementum ab embryone rejectum, meramque pituitam ſtatuit, & quidem, quod igni admotus minime concreſcat, quod tamen in ſanguinis ſero ſemper & faciliime fit &c. Id confirmat Franciſcus Mauriceau *Tract. de Gravid. Morb. Lib. II. cap. 3. p. m. 263.* verſionis Germanicæ: *Damit man deſto gewiſſer wiſſen möge, ob die Waſſer eine und andere Beſchaffenheit haben, dem Kinde einige Nahrung zu ſchaffen, ſo mag man ſie füglich in einem Gefäſſe über ein Feuer ſetzen, da man alsdann inne werden wird, daſs ſie gantz in dem Dampff ſich verlieren, und kein dickes Weſen, wie ſonſt bey dergleichen zur Nahrung dienlichen Feuchtigkeiten zu geſchehen pfleget, zurücke bleibe. Schlieſſen wir alſo hieraus, daſs die Waſſer des Kindes keiner ſolchen Natur, und folglich auch zur Nahrung gantz undienlich ſeyen.* Michael Alberti *Introduct. in univ. Medic. cap. 2. §. 105. pag. 39.* inquit: am-

bit fœtum in tunicis aqua mucilaginoſa ſalina turbida, qua embryo non per os nutritur, quia excrementitia eſt, quæ ex ſuperficie corporis fœtus ſucceſſive transſudat. Neque hoc alimento indiget fœtus, cum ſufficienter materia alimentoſa cum ſanguine materno advehatur, ex quo interdum plane ſuperflua obſervatur &c. Cui ſententiæ plerique veterum favent.

§. 21.

eſt nutricius Contra vero recentiorum plerique hunc amnii humorem pro nutricio habent, e. g. Philippus Verheyen *Anatom. Tr. II. cap. 31. pag. 214.* inquit, ſe cum plurimis modernis judicare, eum eſſe fœtus nutrimentum, quia inter triginta aut plures, quos examinaverit, fœtus vaccinos nullum offenderit, cujus ventriculus conſimili humore non fuerit refertus. Ad quæſtionem, an liquor amnii, cui fœtus innatat, ſit alibilis? reſpondet Petrus Linſing. *l. a.* quod ſic, cum nullum odorem vel ſaporem, ut urina vel ſudor, ſed dulciusculum obtineat. Sitque albicans, facileque in gelatinam concreſcat ac reperiatur in animalibus, quæ non ſudant, & urinam in allanteidem mittunt. Danieli Tauvry videtur liquor amnii variis indiciis ad nutriendum aptus, & poſſet quis hujus aſſerti convinci per hoc, quod hic liquor admodum ſimilis ſit liquori in ventriculo fœtus reperiundo, qui probabiliter per os ejus ingreſſus eſt. vid. Act. Erudit. 1706. *menſ. Novembr. pag. 528.* Varia ejusmodi argumenta jam ſupra de fœtus nutritione per os adducta reperies, qualia inſuper plura allegat Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſt. Obſ. 32. Sch. pag. 343. ſeqq.* Georg. Frid. Rallius *de Generat. Sect. VI. §. 15. pag. 300. ſeqq.* Juxta Joh. Gothofr. Berger. *Phyſiol. l. a. pag. 475.* in amnio liquor ſemper cryſtallinus, isque alibilis & gelatinoſus, cui fœtus innatat, ineſt, & ejusdem indolis humor non ſolum ex vaginulis uteri exſtillat, ſed etiam in fœtuum, etiam minimorum, ventriculis & inteſtinis nunquam non reperitur. Et ſecundum

Johann.

Johann. Munnicks *Anatom. nov.* §. *33. pag. m. 78.* membrana amnios tenuis admodum, levis & pellucida exiſtit, liquorem continet, lacti aquoſo haud abſimilem, cui innatat fœtus: quin ex eadem nutrimentum ſuum ore capeſſit. Item Isbrandus de Diemerbroec *Anatom. Lib. I. cap. 31. fol. m. 212.* inquit: Non eſt amnio contentus liquor excrementum aliquod, ſed eſt humor alimentaris & materia nutriens, e qua in principio omnium & ſingularum embryonis partium nutrimentum deſumitur, atque hinc earum incrementum ſuccedit. Quippe proximum eſt alimentum, quo fœtus primo nutritur: in eo enim natare deprehenditur, antequam hepar uterinum manifeſte apparet, e quo tandem increſcente vaſa umbilicalia ſanguifera manifeſte ſanguinem eliciunt, quo ſolo ſi fœtus nutriretur, in principio aliquandiu careret omni alimento, neque ad primum partium incrementum alimentaris aliqua materia ſuppeditaretur. Hinc autem eſſe nutricium liquorem, fœtui per os aſſumendum, ex eo liquet, quod calore, ſapore & conſiſtentia parum aut fere nihil differat ab eo liquore, qui in fœtus ventriculo reperitur.

§. 22.

Non autem totum nutricium, ſed partim etiam excrementitium eſſe, aliisque uſibus inſervire hunc amnii liquorem, non ſine ratione nonnulli ſtatuunt autores. Hinc ſcribit Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. II. pag. 29.* Humorem equidem amnii olim excrementitium, i. e. ſudorem atque urinam fœtus pronunciabant: aſt ex recentioribus potiſſimi, v. g. de la Courvée, contrarium ſuſtinent, ejusque potius alimentum ſorbile fluidum hoc aſſerebant. Eo ipſo tamen, dum laticis hujus notabilis quantitas in partu utplurimum perfunditur, vixque adeo invidam & luxurioſam naturam concipere licet, quæ tantum alimenti matri detrahat, quo hæc ſine ſui noxa & interitu carere nequeat. Harvæi potius ſententiam

tam nutricius quam excrementitius.

noſtram facimus, fluidum hoc, fœtum immediate alluens, nutricias æque ac minus nutricias particulas fovere, quarum hæ ſeroſiores quidem, illæ autem chyloſæ & ſpirituoſæ magis exiſtant. Nam primo cum fœtus incremento quamvis in omnibus animalibus augeatur, in nonnullis tamen appropinquante partu notabiliter denuo imminuitur, & interdum omnimode fere abſumitur humor hic ita, ut ex caniculo inſtante partu diſſecto catulos illæſis membranis Graef extraxerit aridos. Deinde nec ullo pravo odore atque ſapore imbutus is deprehenditur, ita quidem ut propter ſuavitatem ejus bruta ſuos catulos lambendo eum abſorbeant: imo tertio illis quoque animalibus, quæ haud ſudant, & quorum veſica urinaria ad allantoidem manifeſto perforata eſt, circumfunditur, & quidem quarto in gelatinam ſeu offam levi igne coagulabilis. Talis autem humor amnii tandem particulis nutriciis deſtituitur; tamdiu enim intra uterum hæc lymphæ alibilis celebratur transcolatio & excretio, donec mammillarum ac reliquarum, forſan glandularum conglomeratarum, ad os ſe exonerantium, meatibus cum increſcente fœtus mole & ſoliditate magis arctatis & conſtipatis, hæ ejus aut parum, aut non, niſi aquoſiorem & nutritioni incongruum liquorem transmittant: quod dum fit, amnii contentum ſenſim & ſucceſſive particulis gelatinoſis & chyloſis depauperatur, nec in offam gelatinoſam adeo facile evaporando inſpiſſatur, & per conſequens illis abſumtis atque exhauſtis vix aptum amplius fœtui exiſtit ſorbillum. Sic juxta Eliæ Camerar. *Medicin. conciliatr. p. 119.* litem, an humor amnii, cui immerſus eſt fœtus, ſit excrementitius, an nutricius, ſubterfugere licebit, utrumque affirmando, ſi maxime id ſit excrementitium, quod ex corpore, licet utile ſit, excernitur, vel ſi ſtrictius vocabulum ſumas, pro inutili & excernendo ſucco, etiam hic nutricius ſuccus talis evadet ſub finem geſtationis, partibus gelatinoſis jam abſumtis, nec liquore am-

plius

plius in offam coagulabili, quæ temporum diſtinctio eos quoque conciliat, qui hanc coagulationem negare videntur.

§. 23.

Præter fœtus autem nutritionem amnii liquor aliis adhuc, tam ratione matris, quam fœtus, inſervit commodis, juxta verba Margarithæ du Tertre *de l'Inſtruct. d'une Sagefemme p. 47.* ubi dicit: Ces eaux ſont d'une grande utilité, tant pour la mere, que pour l'enfant, parce qu'elles rendent l'enfant moins peſant, & plus portatif à ſa mere, la matrice ſouffrant moins en contenant un globe mollaſſe, que ſi l'enfant eſtoit à ſec, qui feroit des inegalitez aiguës, & par ſon mouvement pourroit bleſſer la matrice. L'enfant auroit auſſi plus de peine à eſtre bien conformé eſtant comprimé par la matrice, qui preſſe fortement ce qu'elle contient. Les eaux ſervent auſſi à dilater la matrice dans le temps de l'accouchement, preſſant fortement dans la douleur l'orifice interne, ce qui le fait dilater, avec bien plus de facilité, que quand il arrive, que les eaux s'écoulent, devant que la matrice ſoit entierement ouverte; l'enfant a auſſi bien plus de facilité à s'avancer au paſſage, & la mere en fait bien moins d'effort, l'experience le fait aſſez connoître, puisque l'enfant, qui vient jusques au paſſage à la faveur des membranes & des eaux, n'a point de tumeur à la teſte, ce qui arrive, quand les membranes ſont déchirées & les eauës écoulées devant que la matrice ſoit entierement dilatée; c'eſt pourquoy l'on dit ordinairement, que la femme a eu un rude travail, & qu'elle a accouché à ſec, quand les eaux ſont ecoulées devant que la matrice ſoit entierement dilatée. Juxta verba Chriſtiani Vateri *Phyſiolog. experiment. Sect. VII. cap. 12. p. 515.* ſub amnio continetur humor omnium puriſſimus, gelatinoſus tamen & blandiſſimus, ex ipſius ovi colliquamento primum ortus & hinc e ſucco chyloſo, per tubulos & porulos membranarum continuo auctus & reſtauratus. Huic fœtus quaſi urinator immediate

Liquoris alia commoda.

innatat, non ſolum, ut ab omnibus injuriis ibidem immunis vivat, ſed a primis ſtatim perfectionis diebus alimentum ex eo, mediante ore, capere queat. Inquit etiam Guilielmus Harvæus *de Generat. Animal. Exercit. 58. p. 374.* Neoterici aſſerunt, amnii humorem hunc præſtare uſum, ut in eo natans fœtus, (interea dum mater currit, ſaltat aut alio aliquo violento motu agitatur) uterum non offenderet, vel ipſemet ad circumpoſita oſſa alliſus, aut foris percuſſus læderetur; præſertim cum eo tempore membra ejus tenella & infirma ſint. Quamvis autem Franciſcus Mauriceau *l. a.* amnii humori nutritionem deneget, ipſi tamen *pag. 262.* editionis Germanicæ ſequentes uſus adſcribit: *Dieſe Waſſer haben viel und ſehr nachdenckliche Nuzen: Sie dienen dem Kinde, um ſich deſto leichter von einer Seiten zu der andern, gleichſam ſchwimmend, zu bewegen, und damit es durch ſolche öfftere Rührungen die Beer-Mutter nicht verletze, alſo trocken wider dieſelben zu ſtoſſen, das ihr denn groſſe Schmerzen verurſachte, und zum öfftern einen Kindes-Abgang erregte. Sie dienen auch überaus wohl den Hergang zur Zeit des Kindhabens zu erleichtern; indem dieſelbe den Fuhrt wohl ſchlüpfferig und ſchlaff machen, und dehnet ſich durch diß Mittel der Beer-Mutter Mundloch davon befeuchtet von einander, und thut viel rechter, wenn ſie zu rinnen kommen, indem das Kind allerdings zum Herkommen fertig oder ein wenig darvor. Denn ſonſten, wenn es trocken bliebe, daſſelbe gröſſere Noth hätte auf die Welt zu kommen, und die Mutter darvon auch vielmehr gehudelt würde.* Sic Fabricius ab Aquapendete iſti aquæ easdem utilitates aſcribit, nempe, ut vias omnes circumquaque madefaceret, ut lubricas redderet, collumque matricis ad maximam dilatationem facile ac promptum efficeret &c. Quibus verbis Harvæus *l. a.* ſuam mentem annectit, libenter, inquiens, agnoſco utilitatem ab omnibus poſitam; ſcilicet ut tenellus fœtus a ſubitaneis & violentis matris motibus indemnis ſit, tuto adeo in alis veſpertilionum appenditur & copioſa aqua circumcingitur, ut facile quo-

vis etiam violento motu materna latera, propter utrinque collocata retinacula, tangere nequeat; ſaltem liquor ille circum ambiens in medio libratum ab omni externo nocumento proteget. Nec tamen credit Harvæus *p. 375.* aquam iſtam commoda illa præſtare in partu, quæ Fabricius commemorat. Statuit etiam F. Billingerus *Diſſert. de Nutrit. Fœt.* humores uteri æque ac ovi albumen non tam nutrimentum, quam molle ſaltem pulvinar, fœtui præbere, ſuper quod tenera ſua moveat membra. *v. Act. Erudit. An. 1718. Januar. p. 6.* Sic Chriſtianus Johannes Langius *Phyſiolog. Th. 39. Op. Tom. I. f. 238.* uſum hujus liquidi in fœtus œconomia haud adeo inſignem ſibi imaginatur, niſi forſan, quod tueatur quodammodo corpuſculum ab uteri incumbentibus parietibus, efficiatque eo, ut liberius poſſit fœtus ſeſe aut totum, aut ſaltim quoad partem unam vel alteram movere, & denique ut profuſus tempore partus lubricas reddat vias, exitumque fœtus facilitet.

§. 24.

In hac amnii aqua latitare aliquod ſal nitroſum, quod fœtus in utero mortuos a putredine præſervet, ſtatuit Franciſcus Mauriceau *des Obſervat. ſur la groſſeſſe Obſ. 500. p. 293. ſeq.* inquiens: Une femme devant que d'accoucher paroiſſoit groſſe, comme ſi elle euſt eu deux enfans dans le ventre; ce qui venoit de la grande abondance des eaux de ſon enfant, les quelles en perçant avec impetuoſité les membranes, emplirent tout un coup ſon lit; & comme pour lors j'eſtoit aſſis tout proche pour luy aider en ſon accouchement, il coula en meſme-temps de ces eaux juſques dans ma poche, ſans m'en appercevoir, qu'une heure enſuite; au quel temps foüillant dans cette meſme poche, je la trouvay toute baignée de ces eaux, & trois clefs, qui y eſtoient, tout roüillées; ce qui marque bien qu'il y a dans les eaux de l'enfant un certain ſel nitreux capable de produire cet effet, qui n'auroit pas pû eſtre produit ſi promptement par l'eau *Liquor ſalſus.*

com-

commune. C'eſt a ce que je croy la qualité de ce meſme ſel, qui fait, que nous voyons quelque fois, qu'un enfant mort dans le ventre de ſa mene s'y conſerve des mois entiers ſans grande corruption, quand les eaux n'en ſont pas ecoulées, & que l'air n'y a pas eſté introduit, ces eaux luy ſervant pour ainſi dire comme d'une eſpece de ſaumure, qui le preſerve de porriture cadavereuſe, qui ne manque pas de luy arriver incontinent, aprés leur écoulement, comme je l'ay fait connoiſtre en pluſieurs obſervations. Ob hanc rationem etiam fœtum vel oſtentum Dolanum per ſedecim annos ſine putredine in matris utero fuiſſe detentum legimus in Sched. *de Oſtent. Dolan. p.57.* Et Arnoldus Senguerdus *Diſcurs. de Oſtent. Dolan. p. 18.* ad quæſtionem, quomodo potuerit tot annos fœtus in utero manſiſſe absque putredine? reſpondet: Potuit hoc commode fieri, quia humore ſeroſo, qui ad libras circiter ſexdecim eductus eſt, conſervabatur, ne a cauſis externis putredine afficeretur; ſicut muria & aqua ſalſa carnes defenduntur a putredine. Sal autem alio modo putredini non reſiſtit, niſi quod liquefactum inſimul ſe in poros corporum, in quos alias ſe inſinuarent corpuſcula, quæ vinculum, quo humidum cum ſicco jungitur, diſſolverent & ita partes corporis agitando illud putrefacerent &c.

§. 25.

Liquor croceus. Interdum etiam liquor amnii, quem ſupra limpidiſſimum diximus, croceus deprehenditur fœtusque ſimili colore tingit; unde inquit Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mort. Lib. II. Tit.1.§.50.p.335.* ſi humor, cui innatat fœtus, tinctura crocea & flaveſcente fuerit imprægnatus, cutis & cuticulæ teneritudo facile imbibet eandem crocumque æmulabitur.

§. 26.

in amnio ſanguis. Præter naturam in amnii cavitate ſanguinem deprehenſum legimus in Adami Brendelii *Obſerv. anatomic. Decad.II. Obſ. 8. p.25.* Gravida ſcilicet femina, paſtoris jumentorum uxor, fa-

rinæ

rinæ molem domum apportat, ſed inter eundum pes vacillat, quo fit, ut a mole farinæ proſtrata ſiniſtrum latus vehementer in terram allideret, & brevi poſt, profuſa uteri hæmorrhagia, hancque inſecuta lipothymia exſpiraret. Fœtus, qui proxime a partu aberat, poſt mortem matris ſuo quidem motu vitam prodit, ſed, quia tam vehementis injuriæ lapſus in eum pariter redundaverant, extinguebatur. Secto deinde gravidæ abdomine apertoque utero, in cavo amnii multum ſanguinis fluctuabat, fœtusque in globoſo & convoluto ſuo quidem poſitu conſtitutus, ſed ita conquaſſatus erat, ut ſanguis ex ore & naribus manarit.

§. 27.

Hactenus explicatis duabus fœtus membranis, chorio ſcilicet & amnio, nonnulli autores adhuc tertiam, allantoidem, addunt, quam alii brutis equidem, minime autem fœtui humano concedunt. Allantoidem quidem in humano fœtu reperiri affirmat Caſparus Bartholinus *Specim. Hiſtor. anat. cap. 5. p 79.* inquiens: inter membranas fœtus chorion & amnium media eſt allantoides, quæ non totum fœtum ambit &c. *it. p. 89.* vid. etiam Georg. Frid. Rallius *de Generat. animal. Sect. VI. §. 17 p. 308. ſeqq.* Nathan. Highmor. *Corp. hum. diſquiſ. anat. Lib. I. cap. 6. f. 112.* Hanc tertiam membranam, allantoidem dictam, anno 1665. a ſe notatam fuiſſe refert Johannes van Horne *Microc. §. 70. p 254.* v. etiam Eman. Kœnig. *Regn. animal. Sect. I. art. 17. p. 82.* In allantoide contentum humorem meram urinam eſſe, inquit Martinus Liſter *de Humorib. cap. 48. p. 440.* Nicol. Hoboken. *Anat. ſecund. hum. cap. 4. p. 432. ſeq.* J. Caſe *Compend. anat. Lib. III. p. 176.* Hiſtor. Acad. reg. ſcient. *An. 1699. p. 46.* Act. Erudit. *1706. Jun. p. 265.* Membranam allantoidem in binis fœtibus diſtincte ſe obſervaſſe teſtatur, eandemque in omni fœtu adeſſe, quamvis non in omnibus ſatis ſit perſpecta, ſuſpicatur dominus

Membrana allantoides.

an in homine, affirmatur.

Littre, qui eam quoque in conſeſſu Academiæ regiæ oſtendit, vid. *Ephem. Acad. N. C. Cent. VI. Obſ. 65. p. 204.* Membranam inter chorion & amnion mediam, quam nonnulli perperam urinariam vocant, Rouhaut a loco mediam dicere mavult, huncque habere uſum contendit, ne vaſa capillaria, in quæ tum vena, tum arteriæ chordæ umbilicalis diſperguntur, ad evitandum in partu hæmorrhagias periculi plenas, diſrumpantur motibus matris. *vid. Act. Erudit. Lipſ. An. 1719. Auguſt. p. 342.* Ita etiam Guilielmus Harvæus *de Generat. animal. de Uter. membran. p. m. 53.* ſcribit: haud præfracte negaverim, dari allantoidem: membranæ enim interiores usque adeo tenues ſunt, ac transparentes, (quales inter bina albumina reperiuntur) ut conſpectum facile eludant.

§. 28.

negatur. Alii tamen fœtui humano duas tantum membranas, chorion & amnium, tertiam autem allantoidem dictam, tantum brutis attribuunt, vid. Joh. Riolan. *Anthropograph. Lib. VI. cap. 4. fol. 375.* vera allantois in homine non reperitur, juxta Fred. Ruyſch. *Theſ. V. n. 41. p. 16.* Homines, canes & feles, & id genus alia animalia utrinque dentata allantoide deſtitui, ait Hieronymus Fabricius *de format. fœt. Part. I. cap. 6. fol. m. 44.* Joann. Vesling. *Syntagm. anat. cap. 8. p. m. 114.* Chriſt. Joh. Lang. *Oper. med. Tom. I. Th. 39. fol. m. 240. ſeq.* Allantois ſeu farciminalis membrana in nonnullis beſtiis, præſertim vaccis, pulchre reperitur, cum uracho pervio continuo, ſed non in homine, inquit Laurentius Heiſterus *Comp. anat. §. 241. p. 87.* Qui autor *Ephemerid. N. C. Cent. I. & II. Obſ. 198. p. 433.* idem refert inquiens: Urachum ad umbilicum usque pervium reperi, quod in fœtu humano nunquam obſervare potui, quamvis Amſtelodami multos fœtus humanos, partim præſente celeberrimo Ruyſchio, partim præſentibus aliis diſſecuerim; idcirco etiam

tuni-

tunicam allantoidem in homine, qualem vulgo deſcribunt, ens rationis eſſe exiſtimo, quamvis nec in brutis de illius exiſtentia penitus ſim perſuaſus &c. Juxta Joh. Bohn. *Circ. anat. phyſiol. Prog. II. p. 23.* fœtui humano æque ac aliis animalibus, quæ ſimplicem ordinarie fœtum gerunt, allantoidem denegat avtopſia. Se quoque nunquam allantoidem aut aliquam membranam inter chorium & amnium reperire potuiſſe, fatetur Philippus Verheyen *Anat. Tr. II. cap. 31. p. 215.* Sic Carolus Drelincurtius *de Conceptu Conceptus Perioch. 34. p. 55.* inquit: qui præter binas membranulas adhuc allantoidea ſeu farciminalem nobis obtrudunt, brutis atque cathedrariis, quam humanis atque realibus anatomicis propiores ſeſe produnt. Et *Meletem. de Funic. Fœt. Allant. p. 8.* inquit idem autor: fœtibus humanis non eodem jure competit allantois atque brutis, prout nugivendi deblaterant Hobokenus atque Grafius; niſi cornua velint eodem jure patribus ſuis competere atque hircis &c. Homines, canes, feles & id genus alia animalia utrinque dentata allantoide deſtitui, ſcribit Hieronymus Fabricius *de Format. Fœt. Part. I. cap. 6. p. 44.* vid. etiam Joh. Frid. Ortlob. *Hiſtor. Part. Diſſert. 36. §. 8. p. 284.* Joh. Maur. Hoffmann. *Phyſiolog. Sect. XIII. p. 109.* Joh. Gottf. Berger. *Phyſiol. p. 474.*

§. 29.

Ex tunica vaccarum allantoide feneſtras ſibi Islandos parare, refert Olaus Borrichius *Act. Hafn. Vol. V. Obſ. 45. p. 132.* Sunt ſcilicet illæ feneſtræ, præſertim egentiorum, ex tunicis allantoideis vaccarum confectæ & ita translucidæ, ut vitrum vulgarius provocent. Miſſæ mihi, inquit Borrichius, ex illa inſula id genus feneſtræ, de ſolertia gentis teſtantes. Subiit perpendere, ex quo fibrarum genere conſtet ſubtiliſſima illa tunica, tandemque occluſum, ex nullo: quod videamus humores aqueos nonnihil irrequieeſcntes, in quovis vero loco coire ſuperna fa- *ex allantoide feneſtræ.*

cie in membranulam ſimul, non expectata prius fibrarum diſtributione. Simile quiddam videre mihi contigit, in portu Maſſilienſi media æſtate. Ibi cum ſinus ille maris a fluctibus liberrimus eſſet, & ſuperficies aquæ quieta, induit tunicam viridem, ſed tenuiſſimam & oppido tamen firmam; dixiſſes tunicam allantoideam, niſi amplitudo & viror obſtitiſſent. Quoties alicubi tollebatur pellicula hæc, intra triduum aqua ſimili veſte tegebatur.

§. 30.

membrana ſingularis. Præter adductas tres membranas fœtum humanum, imprimis autem brutorum fœtus involventes, peculiarem adhuc aliam membranam in ſcrofa ſylveſtri, quatuor porcellis fœta, deprehendit Franciſcus Redi; in dictæ enim ſcrofæ diſſectione porcelli hi præter tres illas, plurimis aliis animalibus communes tunicas, amnion videlicet, chorion & allantoidem, quarta quadam ſubtiliſſima tunica alba veſtiti erant, quæ omnibus partibus corporis piloſi exacte juncta totos ita veſtiebat, ut & digiti pedum velut chirothecis & cauda ipſa quaſi vagina ſua conderentur; liberum tamen per totidem foramina aditum relinquebat ad os, oculos, nares, umbilicum & podicem v. *M N. C. Dec. II. An. 9. & 10. Obſerv. 177. p. 408. ſeq.*

§. 31.

Formatio puellarum. Circa fœtus formationem paucis adhuc monendum, juxta veterum ſententiam puellarum formationem ordinarie tardius fieri, quam filiorum. Cui tamen contradicit Andreas Ottomarus Gœlicke *Specim. med. legal. Sect. I.* §. *7. pag. 14.* falſum eſſe, inquiens, femellas integris decem diebus tardius pueris in utero materno formari; unde etiam ſponte quoque concidit: filias tardius pueris publicam in lucem prodire.

CAPUT

CAPUT III.

De
Funiculo umbilicali & uracho.

§. 1.

AD fœtus nutritionem ejusque in utero conſervationem etiam pertinere funiculum umbilicalem atque placentam uterinam, aliquoties hactenus vidimus, quapropter primo ad dictum progredimur funiculum, circa cujus conſiderationem, & quidem ratione vaſorum, neoterici a veteribus iterum diſſentiunt, dum alii chordæ huic umbilicali duas venas duasque arterias & urachum, alii unicam arteriam & unam venam, & urachum; alii duas arterias & pariter geminas venas ſine uracho, recentiores vero ut plurimum duas arterias, unicam venam & urachum attribuunt. vid. Carol. Drelinc. *de Vaſ. umbilic. pag. 11.* Geminam venam umbilicalem in hepate vituli obſervavit Fred. Ruyſch. *de Valvul. in Vaſis lymphat. cap. 4. obſ. 7. pag. 52.* De his vaſis umbilicalibus eorumque uſu evolvi poſſunt plerique hactenus allegati autores aliique e. g. Hier. Fabric. ab Aquapend. *de format. fœt. Part. I. cap. 10. f. 46. & Part. II. cap. 2. fol. 80. ſeq.* Regner. de Graaf *de Organ. Mulier. cap. 15. Op. p. m. 377. ſeq.* Joh. van Horne *Microcoſm. §. 70. p. m. 254.* Dionis *des Accouchemens Lib. I. cap. 17. pag. 111. ſeqq.* Chriſt. Joh. Lang. *Oper. Lib. I. Phyſiolog. Th. 39. f. 237. ſeq. 248.* Drelinc. *l. a. pag. 19. ſeq* Thom. Bartholin. *Anatom. Lib. I. cap. 37. p. 310. ſeqq.* Franc. Stockhamer. *Microcosmograph. cap. 18. pag. 235. ſeqq.* Vopiſc. Fortun. Plemp. *Fundam. Medicin. Lib. II. cap. 5. fol. 210.* Caſp. Bauhin. *Theatr. anatom. Lib. I. cap. 11. p. 40. ſeq.* Nathan. Highmor. *Corp. human. Diſquiſ. anat. Lib. I. Part. IV. cap. 7. fol. 113.* Johann. Zeller. *Diſp. de Vita hum. ex fune pend. ſive de Funic. umbil. hum. Tubing. 1692. habit. cap. 1. pag. 3. ſeq.* Andr. Laurent. *Hiſtor. anat. Lib. VIII. Qu. 17. ſeq. fol. 307. ſeq.* *Funiculi vaſa.*

Mich. Albert. *Introd. in univ. Medicin. cap. 2. §. 89 ſeq. pag. 38.* Dominic. de Marchett. *Anat. cap. 8. pag. 81. ſeq.* ubi, ſe aliquando venam umbilicalem duo principia obtinere, unum ſcilicet a vena porta, alterum a vena cava, quod rariſſimum ſit, vidiſſe dicit. Fel. Plater. *Corp. hum. Structur. Tab. 42. fol. m. 163.* Philippus Verheyen *Anatom. Tr. II. cap. 31. pag. 220. ſeq.* Marguerite du Tertre *de l'Inſtruct. pour les Sage femmes pag 50. ſeqq.* Johann. Munnicks *Anatom. §. 33. pag. 80.* Sic Johannes de Muralt. *Clav. Medic. Exercit. IX. pag. 418. & pag. 424.* Anatomiæ puellæ recens meminit, cujus vaſa umbilicalia ſibi invicem intorta fuerant: præſertim id conſpiciendum erat in arteriis umbilicalibus, vena prægrandis ductu tortuoſo ad hepar tendebat. Integer funiculus ſpithamæ longitudine ab infantis abdomine reſectus chordæ ſpirali ſimilis fuit. Inflata vena umbilicali celerrime omnia venoſa vaſa in corpuſculo integro diſtenta ſunt, pulmones ipſi per venas hauſere ſpiritum: Cor in altum ſurgebat, caput, thorax & abdomen elevata ſunt. Idem factum eſt inflatis arteriis umbilicalibus, quæ duabus ramificationibus ad fundum veſicæ tendebant, per quas tamen veſica nullo modo inflari poterat. De uſu vaſorum umbilicalium vid. Joh. Gothof. Berger. *Phyſiolog. pag. 477.* Georg. Fr. Rallius *de Generat. Animal. Sect. VI. §. 21. pag. 323. §. 22. pag. 325. ſeq.* Pet. Dionis *Anatom. demonſtr. II. pag. 144. ſeq.* Chordam umbilicalem præter venam & duas arterias, quarum iſta habet diametrum diametri arteriæ duplam, formari ex corpore ſpongioſo, cujus cellulæ ſint liquore limpido, ſed glutinoſo, gelatinæ inſtar, plenæ, ut non modo vaſorum mollities & flexiitas conſervetur, verum etiam, ne fœtus motus ſanguinis in iisdem motum impediat, ſentit Rouhaut, *vid. Act. Erudit. Lipſienſ. An. 1719. pag. 342.* Plura de umbilico alibi videbimus.

§. 2.

Urachus an pervius? Sicuti autem benevolus lector in hactenus allegatorum autorum evolutione circa venam & arterias umbilicales earum-

que

que uſum maxime differentes reperiet ſententias, ita etiam circa tertium vaſorum umbilicalium genus, urachum ſcilicet, ſe res habet, dum alii eundem fœtui humano æque ac brutis, tanquam certum, pro urinæ in membranam allantoidem excretione, canalem concedunt, alii contra eundem in fœtu humano, quia in eodem non ſit pervius, nec in totum perforatus, ſed ſolidus, pro ejusmodi canali non agnoſcunt, ſed pro ligamento tantummodo habent, uti ex ipſorum verbis patet. Inquit enim Vopiſcus Fortunatus Plempius *Fundam. Medic. Lib. II. cap. 5. fol. 210.* relatu dignum eſt, quod de uracho diſceptant diſſectionis profeſſores; ita videlicet non ſolum ea, quæ ratione ſola judicari poſſunt, in diſputationem veniunt, ſed etiam quæ ſenſibus queant comprehendi. Veſalius, Columbus, Fallopius, Piccolhominus ajunt, tam in homine, quam in brutis urachum pervium ſeu cavum inveniri; Varolius, Arantius, Bauhinus, in brutis tantum, non in homine, in quo nulla deprehenditur cavitas, ſive tenui ſtilo tentetur, ſive fiſtula inſletur: nec prodit, inquiunt, extra umbilicum, ideoque nec conſtituit allantoidem. Volunt itaque quidam, per penem mejere fœtum humanum in utero, urinamque mittere in amnion: alii omnem urinam in veſica manere usque ad partum: omnes enim infantes nati, antequam lac ſugant, vel quidquam liquidi aſſumant, mejunt. Neque multum urinæ colligitur in fœtu, quia non bibit fœtus: potus autem præcipua eſt urinæ materia. Quare nullum alium urachi humani uſum ſtatuunt, quam ut veſicam ſuſpendat. Priores nihilominus non omnino cauſa cadunt; cur enim potius in homine urina tota in veſica maneret, quam in brutis? Sane a Fernelio aliisque obſervatum eſt, quosdam etiam adultos urinam ſuppreſſam per urachum & umbilicum reddidiſſe. Reſpondent, hoc præter naturam fieri; uti & dum vena umbilicalis in hydropicis præter naturam reſeratur humoremque emittit. Et omnino quidem fit hoc tum præter naturam: ſed natura onerata quærit ſemper

per commodiore facilioreque via ſe expedire, quantum poteſt; facile autem promptumque eſt, per eos ductus humorem mittere, qui non ita pridem naturaliter aperti fuere. Dubius etiam, in hujus quæſtionis, an urachus pervius ſit nec ne? reſponſione per ſe videtur Johannes Zellerus vel ejusdem reſpondens *in Diſp. de Vit. hum. ex fune pendent. ſive de Funicul. umbil. hum. cap. 1. pag. 8.* inquiens: Funiculi pars quoque habetur urachus, qui an in homine pervius detur, controverſia eſt, quam non niſi anatomia frequenti fœtuum humanorum componi poſſe arbitror; rationes enim aliæ pro & contra non ſatisfaciunt e. g. ad argumentum de eadem in homine ac in brutis urinam deponendi neceſſitate, oggerere quis poſſet, non tamen eundem aſſervandi modum & locum ſimpliciter neceſſarium eſſe. Objiciunt & Riolanus & Ruyſchius magnitudinem veſicæ, hic in fœtu duplo majorem quam adultis, quod negant alii. Ad argumentum de tranſitu urinæ, ordinaria via obſtructa, aliquando in adultis per umbilicum; urinam etiam in dyſuria, &c. per oculos & aures exiiſſe. Quod a tam multis impervius fuerit deprehenſus, itidem dubium eſt, an revera ita ſit, vel an incuriæ, vel aliis circumſtantiis ſit tribuendum. De la Barne Bourdon & alii urachum ſe perforatum certo reperiſſe teſtantur.

§. 3.

affirmatur. Dari vero in fœtu humano urachum ſive canalem ex fœtus veſica urinam ad allantoidem vehentem, nonnulli defendunt. Inquit enim Andreas Laurentius *Anat. Lib. VIII. cap. 5. quæſt. 17. fol. m. 308.* quartum funiculi umbilicalis vas veteres urachum appellarunt, quod eo canali urinam effundat fœtus in membranam. Hoc fere omnes anatomici juniores in humano fœtu pernegant, & in brutis tantum reperiri contendunt, cum tamen in homine ego ſemper obſervaverim. Quam opinionem confirmavit hiſtoria puellæ cujusdam, cui cum ſuppreſſa per multos dies fuiſſet urina, tandem per umbilicum

licum eam profudit. Cui aliud exemplum ex Fernelio annectit. Id confirmat etiam Nathanael Highmorus *Anatom. Lib. I. Part. IV. cap. 7. fol. 114. ſeq.* Urachus, inquiens, ex fundo veſicæ ortum habens in homine perinde ac in brutis eſt pervius. Per hunc urina fœtus excernitur, quod exemplis probatur quorundam adultorum, qui in urinæ ſuppreſſione eam per umbilicum reddiderunt; Præterea cavum eſſe urachum inde probat, quia per illum veſica inflari poſſit. Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *de format. Fœt. Part. I. cap. 7. Oper. fol. 44.* de uracho ita loquitur: In cornigeris, quibus data eſt allantoides tunica, urachus ita latus eſt & rectus, ut inteſtinulum referat. At in homine aliisque utrinque dentatis, allantoide deſtitutis, memorata urachi amplitudo ita deperditur, ut cum unicus a fundo veſicæ oriatur, paulo poſt in minutiſſimas fibras findatur, quæ una cum vaſis umbilicum prætergreſſæ urinam in chorion tunicam, modo pene viſum effugiente, transfundunt; propter quam urachi humani fœtus exiguitatem Arantius negare auſus eſt, in homine urachum reperiri. In hydropicis quandoque aquam per funiculum umbilicalem evacuari, & in quibusdam adultis urachum adhuc cavum atque apertum reperiri, defendit Johannes van Beverwyck *im Schatz der Ungeſundheit Part. III. cap. 14. f. m. 356.* De embryone abortivo hydropico, e cujus veſicæ fundo meatus amplus, urachi inſtar, in cavam venam ſub renibus ſeroſo ſanguine refertam deſinebat, vid. Felic. Plater. *Obſerv. Lib. I. p. m. 748.*

§. 4.

Urachum in fœtu humano recens nato ſæpiſſime, ſæpe etiam in adultis pervium eſſe deprehenſum, inquit Johannes Melchior Verdries *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Dec. VI. Obſ. 14. pag. 202. ſeq.* Imo ipſe Verdries aliquoties, primo in cadavere juvenis quatuordecim annorum, deinde in recens nati, urachum ad tubuli modum excavatum vidit & manu non dubi-

tante exploravit. Ibidem etiam alia exempla adducit, & quidem ex Anglo quodam nomine Ridley, qui quidem in fœtu modo nato, & poſt pauca momenta mortuo, urachi ex veſica exitum, per ſtylum & flatum fruſtra, etiamſi omni diligentia id fecerit, inquiſivit, poſtea tamen abditos & occultos meatus & manifeſtam urachi cavitatem evidentiſſime demonſtravit. Poſtquam ſcilicet diu exitum ex veſica in urachum fruſtra quæſiviſſet, veſicam denique aqua fontana (cujus tria cochlearia integra capiebat) repletam fundo deorſum filo ſuſpendit, quam totam ſpatio tridui per urachum in vas ſuppoſitum lente & guttatim tranſiiſſe reperit, hinc de perforatione urachi factus certior, eam ſetarum & graciliorum ſpecillorum immiſſione ulterius inquirendo proſequebatur. Cum autem nullo modo eam detegere valuiſſet, demum, inverſa prius veſica, & intruſo ſubtus digito, in rugoſa ejus tunica verſus fundum, eo loco, ubi de ea procedit urachus, papillam quandam oculis detexit, cujus apicem forficibus cum abſcidiſſet, ſtatim oculis incurrit perforatio. Huic intruſum ſpecillum facile in urachum tranſiit & poſtea, adaptato tubulo, eum cavitate pennæ anſerinæ & amplius donatum deprehendit. Unde apparet, quid obſtiterit, quo minus alii viri celeberrimi aditum ex veſica in urachum invenire potuerint. Pervium atque cavitate ſua præditum urachum aliquoties etiam vidit anatomicus Pariſienſis, Littre, primo in puero duodecenni, deinde in juvene octodecim annorum. vid. Act. Erudit. Lipſ. *An. 1706. Jun. pag. 265. & An. 1717. Jan. pag. 28.* Novit quoque virum triginta annorum, qui ſemper urinam per umbilicum reddidit.

§. 5.

Secundum Eman. Kœnig *Regn. animal. Sect. I. Art. 17. p. 81.* urachus a veſica fœtus prodiens in allantoidem tunicam terminatur, & urinam, quæ in fœtu per penem non emingitur, huic inſtillat. Et *pag. 82. ſeq.* ait: Allantois urinam per urachum

chum in homine æque ac brutis pervium excipit. Item *Art. 22. pag. 132.* inquit: Pervius eſt urachus in homine, ſed non ita aperte ut in brutis, quia urinæ non parva copia in veſica retinetur. Johanni Munnicks *Anatom.* §. *33. pag. 80.* quartum umbilicale vas eſt urachus; vaſculum tenue, membranoſum, exili quidem, ſed tamen manifeſto meatu pervium, quod a fundo veſicæ urinariæ aſſurgens umbilicum pertranſit, atque in urinariam membranam protenditur, in quam redundans in veſica ſerum deponit. Exemplum de quodam viro trigeſimum annum agente, cui recens in lucem edito male vinctus umbilicus nunquam coaluit, dein autem ſemper urina ex eo exſtillavit, e veſica per urachum in umbilicum refluens, ex Fernelio recenſet Henricus Meibomius *Diſp. de Suppreſſion. urin. Helmſt. 1676. habit.* §. *27.* Et Güntherus Chriſtophorus Schelhammerus *de Natur. Part. alt. cap. 7.* §. *16. pag. 312.* ex Cabrolio puellæ nubilis meminit, quæ urinam ex umbilico per urachum reddebat, quam ille, hymene, qui concham penitus claudebat, pertuſo, ſanavit, urina deinceps per ſolitum foramen effluente. Juxta Chriſt. Frid. Rallium *de Generat. Animal. Sect. VI.* §. *20. pag. 319.* per urachum ex veſica lotium in membranam urinariam transmittitur. Quanquam enim ſuſpenſorii ſolum ligamenti vicem eundem obtinere quidam arbitrantur, & ex hoc capite omnem huic canali cavitatem denegant, ipſa tamen avtopſia in diverſis animalibus eos redarguit. Et quamvis in placentiferis quibusdam ipſoque imprimis homine, meatus is non adeo evidens ſit, ratio tamen eundem & hic evincere videtur, cum non minor in his, quam in cæteris, urinam alicubi deponendi neceſſitas inveniatur. Cum Isbrandus de Diemerbroec abortivi fœtus, circiter ſeptem menſium & adhuc ulterius, umbilicum accuratius examinaret, animadvertit venam & duas arterias umbilicales, inter ſe non contortas, ſed in inteſtinulo contineri copioſam quandam craſſamque albicantem gelatinam, modice concretam, & dicta vaſa quaſi in triangulo

poſita, recta per illam tranſire, & a gelatina iſta quaſi fulciri; nulla alia conſpicua vaſa in inteſtinulo invenit. Sed cum funiculum transverſim conſcinderet, obſervavit in iſtius trianguli medio punctulum ſeu guttulam ſeroſi liquoris ebullulare, & funiculo a fœtu extrorſum verſus paulo durius preſſo, ſeri ſex ſeptemve guttulas ſubſequi. Has ex uracho inviſibiliter albicantem gelatinam una cum aliis vaſis tranſeunte, ebullulaſſe ſibi perſuaſit Diemerbroec v. *ejusdem Anatom. Lib. I. cap. 32. fol. m. 221.* Secundum Ambroſ. Paræi *Chir. Lib. XXIII. cap. 12. fol. 505.* infans materna alvo concluſus, urinam, cumprimum partium integram conformationem adeptus eſt, reddere incipit per umbilici ductum ſeu urachum. At inſtante partus tempore occluditur urachus, tumque maſculus per urethram, femella vero per veſicæ cervicem urinam deponit. Inter umbilici vaſa a Regnero de Graaf *de Mul. org. cap. 15. pag. 378.* urachus computatur, utpotequi in omnibus viviparis reperitur: a veſica urinaria originem ſumens anguſto ductu per umbilicum ad allantoidem ſeu urinariam membranam protenditur &c. Juxta Sebaſt. Chriſtian. a Zeidlem *Somatotom. anthrop. cap. 7. fol. 30.* urachus eſt tubulus, per quem fœtus in utero matris urinam dimittit, non quidem in matricem, ſed refluo ſanguine commiſtam in corpus maternum demandat.

§. 6.

negatur. Hac tamen autoritate non obſtante alii autores urachum vel plane non dari in fœtu humano, vel non eſſe perforatum, ſed inſtar ligamenti ſolidum ſtatuunt; ſcribit enim Dominicus de Marchettis *Anatom. cap. 8. p. m. 82. ſeq.* urachus quidem ab anatomicis canalis dicitur, per quem urina excernitur a fœtu, dum in utero matris eſt: attamen canalem iſtum, ſive perforationem, nunquam invenire potuimus, ſed veluti ligamentum membranoſum obſervavimus. Etiamſi tueantur, quod, poſtquam fœtus in lucem editus eſt, foramen urachi

eva-

evaneſcat & in ligamentum evadat; cur, ſi obliteratur urachus, una cum eo vena & arteria umbilicalis non obliterantur, nam, edito fœtu in lucem, uſum ſuum amittunt & iſtæ venæ & arteriæ foramen per aliquot dies habent. Igitur & ipſum urachus habere deberet, &, ſi non habet, ligamentum potius veſicæ appellandus eſt. Sunt itaque tria vaſa & unum ligamentum in abdomine fœtus: extra vero abdomen, dum in utero eſt, tria tantum vaſa, ſine ligamento, contorta, implicata, & veluti intorqueata. Juxta Mich. Alberti *Introduct. in univerſ. medicin. cap.2.p.38.* §.*92.* concurrit ad funiculum umbilicalem præter venam & duas arterias umbilicales una urachus, pars ſemi-tendinoſa, non cava, neque transmittendæ urinæ dicata, ſed pro fulcimento & erectorio veſicæ urinariæ inſerviens. Inquit etiam Guilielm. Harvæus: prope partum veſica urina plena & diſtenta eſt. Profecto tranſitum illum (quem urachum anatomici appellant) urinam, ut putant, e veſica per umbilicum educentem, nunquam invenire potui; ſæpe vero obſervavi, veſicam manu compreſſam urinam foras per penem, non autem per urachum profundere. vid. Juſt. Schrad. *Obſ. & Hiſtor. Harv. p. 90.* Secundum Joh. van Horne *Microcoſm.* §. *70. p. m. 254.* vaſa umbilicalia ſunt tria, duæ arteriæ & una vena; his accedit urachus, ſeu exilis funiculus, a fundo veſicæ ortus eumque ſuſpendens: neutiquam pervius & vix ultra abdomen progrediens. Vel iisdem verbis: Urachus ſeu exilis funiculus a fundo veſicæ ortus, illumque ſuſpenſum tenens, impervius eſt & vix ultra abdomen progreditur, juxta Greg. Theod. Barthold. *oper. Part. I. p.55.* Secundum Gerard. Blaſ. *Obſervat. anatom. p.5.* in abortu quatuor menſium minime erat pervius, ſive flatu egeriens, ſive ſtylo; uterque enim circa locum umbilicalem ſiſtebatur, imo ne hunc quidem in alio ſubjecto in totum attingebat, adeo ut etiam veſicæ fundum parum potius protuberare, quam ad umbilicum ductus forma adſcendere diceres.

§. 7.

Autores. In puella nuperrime nata & Hafniæ in templo B. Virginis expoſita, poſteaque in theatro anatomico publice diſſecta, urachus a Thoma Bartholino reperiebatur impervius, qui ſtilum nec a ſuperis, nec inferis admittebat, vid. Th. Bartholin. *Hiſt. anat. Cent. I. Hiſt. 14. p. m. 23. ſeq.* Johannes Rudolphus Salzmannus *Obſerv. anatom. p. m. 11. ſeq.* inquit, ſe in infante ſeptem ſeptimanarum urachum videre volentem, ne hunc quidem pervium inveniſſe, imo ne veſtigium quidem in ipſa veſica apparuiſſe; Et *p. 30. ſeq.* ait, ſe in noſodochio aperuiſſe puellum, qui mox a partu a matre interfectus & in torrentem projectus erat, in quo primo urachum quæſivit, ſed omnino clauſum, nec ullo modo pervium reperit. Ad quæſtionem, an fœtus humanus urachum habeat? ita reſpondet Theodorus Craan *Oeconom. animal. p. 291.* in fœtu humano tria ſunt tantum vaſa umbilicalia, duæ ſcilicet arteriæ & una vena. Plurimi autores addunt quartum meatum, urachum dictum, per quem fœtus urinam ex veſica urinaria effundat in tunicam allantoidem: ſed in hoc maxime errant; nullus enim in fœtu humano reperitur urachus &c. Urachum nominat Gvilhelmus Fabricius Hildanus *Lithotom. Veſic. cap. 5. p. m. 55. & Oper. fol. 715.* ligamentum, quod a fundo veſicæ ſurſum ad umbilicum, quo illi firmiter inſeritur & annectitur, aſcendit, veſicam autem ſuſpendit, eamque impedit, quo minus urina repleta deorſum ac ſupra muſculum colli veſicæ decumbat, unde quidem urinam retinere non poſſet. Urachum in homine pervium eſſe negat etiam Thomas Bartholinus *Anat. Lib. I. cap. 37. p. 320.* Hoc equidem in adultis, at in nuper natis aut abortivis fœtibus non ſemper verum eſſe dicit Jobus à Meekren *Obſerv. med. chir. poſthum. cap. 7. pag. 368.* Imo Philippus a Verheyen *Anatom. Tr. II. cap. 31. p. m. 223.* valde dubitat, an in homine detur aliquod vas umbilicale, cui nomen iſtud (urachus, vas urinarium ſonat) jure merito tribuatur: protenditur certo in fœtu vaccino, & qui-

quibusdam aliis, a fundo veſicæ urinariæ medium inter arterias umbilicales vas quoddam membranaceum, quod, perforato umbilico, extra fœtum ulterius porrectum in membranam allantoidem, in illis manifeſtam, deſinit. Hoc vas facillime prodit flatus veſicæ immiſſus, quippe qui illico ad allantoidem tranſire obſervatur. Quinimo cavitas urachi in brutis illis animantibus non ſolius liquoris, ſed etiam ſtyli inſignis craſſitiei capax eſt: in homine vero datur quidem etiam aliquod vinculum membranaceum, nomine urachi vulgariter notum, quo mediante veſicæ fundum ab umbilico ſuſpenditur; ſed illud unquam pervium eſſe repertum legi vel audivi nunquam. Ego quoque ſemper infelici ſucceſſu injeci liquorem in veſicam illorum, quos vel in ipſo partu, vel ante aut paulo poſt partum extinctos obtinere potui. Nec tamen idcirco abſolute concludere volo, urachum ſic dictum in fœtu humano nullatenus eſſe pervium, cum non ignorem, multa in vivis eſſe patentia, quæ talia in cadaveribus per ſe demonſtrare non poſſumus &c. Idem ſentit etiam Laurentius Heiſterus *Comp. anatom.* §. *243. p. 89.* Urachus, inquiens, in fœtu humano totus pervius non eſt, aut tamen rariſſime; ſed plerumque inſtar ligamenti ſolidus reperitur: hinc canalis munere in hoc tunc haud fungi videtur. Inquit etiam Adamus Brendelius *Obſervat. anatom. Dec. III. Obſerv. 1. p. 8. ſeq.* uti fœtus, quamdiu in utero materno concluſus tenetur, alvum non levat atque exonerat, ita nec urinam reddit, ſed eandem per totum geſtationis tempus in veſica retinet; ex quo ſatis illorum opinio, qui fœtui humano urachum & allantoidem, quæ tantum brutis propria eſſe ſolet, attribuunt, & ſe vidiſſe affirmant, confutari poteſt.

§. 8.

Ita etiam ſentit Coſmopolita *Hiſtor. natural. p. 164. ſeq.* **Alii anteres.**
Quod puer urinam in veſica ad partum usque detineat, neque eam vel per urachum vel per urethram dejiciat, tam ſenſu,

quam

quam ratione convincitur; urachus enim tam in homine, quam in brutis ſolidus eſt ac impervius: ſaltem ego neque in fœtibus humanis, neque in cuniculis, canibus aut leporibus eum perforatum inveni, ſed ſemper ſolidum imperviumque, vicemque ligamenti ſuſpenſorii ſuſtinentem. Sed quæret forte aliquis, an igitur fœtus in utero nulla producat excrementa? Certe quam maxime; ſed illa, quæcunque generantur, tamdiu retinentur in partibus recipiendis excrementis dicatis, quousque fœtus editus in lucem eadem per alvum veſicamque deponat. Secundum Freder. Ruyſch. *Obſ. anat. chir. 8. pag. 14.* notum eſt, ſolos quadrupedes uracho pervio gaudere. De fœtus urina ita ſcribit Dionis *des Accouchem. Lib. I. p. 106.* Si l'enfant urinoit, pendant le long-temps qu'il ſejourne dans la matrice, il faudroit qu'il s'amaſſa plus du ſeau d'urine; mais comme le ſang qui y eſt apporté pour ſa nourriture, eſt épuré de tous excremens tant groſſiers que ſereux, il ne ſort rien ni par l'anus, ni par l'urêtre; ainſi cette séroſité ne peut pas être de l'urine. Ita ſentit etiam Cornel. Stalp. van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. II. Obſ. 32. p. 343. ſeq.*

§. 9.

itidem alii. Quod ad urachum attinet, inquit Petrus Dionis *Anatom. Demonſtr. II. p. 145.* creditus eſt meatus urinæ fœtus in membranas effundendæ deſtinatus, ſed cum illum nunquam deprehenderim cavum, hunc ejus eſſe uſum, minime reor. Præter hanc experientiam, ratio exigit, ut fœtus in matris ventre non mingat, quandoquidem chylus cum ſanguine, ad ipſius nutritionem in ipſum delatus, ab omnibus ſuis excrementis depuratur, antequam eo deveniat. Verus itaque uſus, qui uracho tribui debet, hic eſt, nimirum veſicæ fundum ſuſpendere ac impedire, ne hic in ejus collum incidat, ut ſic ea majoris urinæ copiæ fiat capax. Et Chriſtianus Johannes Langius iis in locis, ubi de funiculo umbilicali agit, nullam plane urachi, ſed tantum duarum

rum arteriarum uniusque venæ mentionem facit. v. ejusd. *Phyſiolog. Theſ. 39. Part. I. fol. m. 237. & Part. III. Diſp. 41.* §. 7. *ſ. 543.* Varias de uracho ſententias collegit & perſtringit Carolus Drelincurtius *de Fœt. hum. umbilic. & de urach. p. 26. ſeqq.* Joanni Riolano *Anthropograph. Lib. VI. cap. 5. fol. m. 378.* Urachus unicus eſt ſuſpendendæ veſicæ dicatus, e cujus fundo enaſcitur, exilis eſt, & vix dimidiam cujusque arteriæ craſſitiem æquat, poſtquam duorum transverſorum digitorum longitudine, abdomine egreſſus eſt, obliteratur in medio umbilici, vel potius in arteria alterutra, ex quo patet, umbilicum ex uracho neutiquam conflari. In infante nullo modo erat cavus vel in veſicam pervius, quippe nec inflata veſica elevatus ipſe, neque flatus per illum in veſicam pelli poterat, qua ratione ergo infans per hunc urinam deponere, aut per umbilicum mingere queat, non vidimus, ſed potius illud ligamentum pro ſuſpenſorio veſicæ habemus. Inquit Carolus Raygerus *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 202. p. 297.*

§. 10.

Præter hæc tria vaſorum genera, venam & arterias umbilicales & urachum, nonnulli adhuc alios in fune umbilicali ductus reperiri ſtatuunt, v. g. ductus certos ſucciferos, quorum paulo ante mentionem fecimus, ope microſcopii detectos delineat Godofridus Bidloo *Anatom. hum. corp. Tab. LIX.* De his parvis ductibus dubitare equidem videtur Philippus Verheyen *Anatom. Tr. II. cap. 31. p. 223.* ipſorum tamen, ſi revera exiſtant, hunc uſum eſſe dicit, ut materiam nutritivam a matre verſus fœtum, aut ſaltem in amnii capacitatem advehant. Alii chordæ umbilicali vaſa lymphatica tribuunt; ſi quidem Johannes Zellerus *l. a.* inquit: Vaſa lymphatica an etiam funiculum umbilicalem comitentur, nemo hactenus determinavit, non adeo improbabile autem eſt, talia ſecundinis inexiſtere; cum Nuckius ubique corporis, etiam in digitis &c. copioſiſſima, & alium circa glandulam pinealem vas aliquod lymphaticum conſpexiſſe referat.

an in funiculo vaſa ſuccifera?

an lymphatica?

Et Michael Alberti *l. a. p. 39. §. 93.* quosdam ſub anatomico ſcrutinio vas lymphaticum per funiculum umbilicalem discurrens, præcipue in animalibus brutis, obſervaſſe refert. Vaſis umbilicalibus neceſſario addenda eſſe vaſa, per quæ lacteus liquor ab uteri cavernulis in amnii capacitatem deferatur, ſtatuit Isbrandus de Diemerbroec *Anat. Lib. I. cap. 32. fol. 217.* An in funiculo umbilicali nervi reperiantur? negat Dominicus de Marchettis *Anatom. cap. 8. p. 81.* inquiens: Umbilicus a membrana conſtituitur eſtque absque nervis, ut ſenſu omnino careat. Nervos tamen umbilicales defendit Philippus Verheyen *l. a. p. 222. ſeq.* de nervis, inquiens, umbilicalibus omnes ſilent anatomici: eos tamen exiſtere ſuſpicor propter ſequentia: imprimis vidi a lateribus venæ umbilicalis corpora quædam albicantia ac duriora per totum funiculum ad inſtar fili excurrentia, quæ cum nulla alia parte tantam videntur habere affinitatem, ac cum nervis, quæque circa ingreſſum in placentam, prout in pluribus partibus, nervi ſenſim occultantur & evaneſcunt: deinde ſicuti in aliis partibus nervi apparent neceſſarii, ut ſpiritus, qui per illos adducuntur, ſanguinem urgeant per anguſtos meatus, & potiſſimum in glandulis majoribus ac conglomeratis propter materiam ibidem ſequeſtrandam &c. De vaſis omphalomeſentericis vid. Hiſtor. Academ. Reg. Scientiar. Pariſ. *anno 1700. p. 419.*

an lactea?

an nervi?

§. II.

Nodi in funiculo umbilicali: quid indicent?

Reperiuntur etiam in funiculo umbilicali interdum nodi variæ magnitudinis & diſtantiæ variique coloris, de quibus eorumque uſu hactenus allegati & alii evolvantur autores. Ex horum autem nodorum numero atque colore obſtetrices de liberorum ex eadem puerpera adhuc procreandorum multitudine atque ſexu varia prædicunt; quem errorem etiam medici olim foverunt. Vid. Caſpar a Reies *Quæſt. 52. p. m. 661. ſq.* Roderic. a Caſtro *de Natur. Mulier. Lib. I. cap. 10. pag. 32.* Petr. Bayr. *Veni mecum Libr. XV. cap. 8. pag. 441.* & Hieron. Mont. *Anaſcev.*

Morb.

Morb. lib. IV. cap. 35. p. m. 509. fabulis tamen anilibus annumeranda. Hinc dicit Vopiſcus Fortunatus Plempius *Fundam. Medicin. Lib. II. cap. 5. fol. 210.* Circa vaſa umbilicalia delirant mulierculæ; dicunt enim auguranturque, feminas illas multos adhuc parituras, ſi umbilicus infantis, quem primo enixæ ſunt, multos nodos oſtenderit; ac longo intervallo ſejunctos per longa intervalla partus præſagire: addentes inſuper etiam, ſterilem fore dehinc mulierem, ſi fœtum peperit umbilico connexum ſine nodis. Sunt aniles fabulæ hæ. Nam nodi iſti nihil ſunt aliud, quam vaſorum umbilicalium contortiones & circumvolutiones, nihil tale portendentes: quod vel inde patet, quia a mulieribus ætate provectioribus fœtus ultimo editi umbilicos habent ſæpe magis nodoſos, quam ulli priores ante excluſi. Thomas Bartholinus *Anatom. Lib. I. cap. 37. p. 311.* de his nodis inquit: Ex nodorum iſtorum numero conjiciunt obſtetrices liberorum procreandorum multitudinem, & ſi nodus, qui primo ſequitur, albus & anguſtior, femellam, ſi ruber, rotundior & tumidior, marem ſecuturum infantem præſagiunt. Ex certa nodorum diſtantia futuros quoque conceptus brevi vel longo intervallo divinant, & gemellos, ſi alter incumbat vel adſtet alteri. Quæ falſa ſæpe invenimus, quanquam caſus ſubinde credularum feminarum ſpem confirmavit. Sic Carolus Drelincurtius *Tr. de hum. fœt. umbil. p. 61.* inquit: Lamiarum vaticinia e nodorum intercapedine puerperiorum intervalla prædicunt: e ruffis autem notis mares, e candidis vero feminas præſignant: At umbilicum e diverſo enodem obtendunt, ceu partionis deinceps nullius prænuncium fidelem. Verumenimvero, ſi ſagarum auguria numero rerum eximantur, quanta quæſo veneratione Apollinis ipſius oracula ſumus proſequuturi: maxima certe, ſi præſtigiis paganis eſſemus irretiti. Sed quæ lux nobis ab Evangelio refulſit, ludibrioſum mihi, & oraculis caſſum detexit Apollinem. Et ſecundum verba Petri Dionis *des Operations de Chirurgie Demonſtr. II. p. m. 64.* Il y a

des femmes, qui aſſurent, qu'une femme aura encore autant d' enfans, qu'il ſe rencontre de nœuds le long de ce cordon; & elles ajoûtent, que de ces nœuds ceux qui ſont rouges, marquent les garçons, & les blancs les filles: mais comme ces nœuds ne ſont faits, que par la dilatation des vaiſſeaux, qui ſont plus pleins de ſang en un endroit, qu'en un autre, c'eſt un abus de croire, qu'ils marquent le nombre des enfans, qu'une femme aura, puisque l'on en voit autant au cordon du dernier enfant d'une femme, qui accouchera a quarante cinq ans, qu'au cordon du premier enfant d'une autre qui ſera accouchée à dixhuit au vingt ans. Mais vous ne devez voir aucun égard à ces preventions, qui ne peuvent paſſer, que pour des contes de bonnes-femmes.

§. 12.

Prognoſis. De hoc liberorum ex ſecundinis præſagiendo numero Hiſtoriis ſuis Medico-Phyſicis *Cent. III. Hiſt. 15. p. 300.* ſequentia inſeruit Ehrenfridus Hagendornius: Stultorum præſagia ſtulta. Ea curioſitas tum maritos, tum maritas quasdam inceſſit, ut liberorum procreandorum avidi ſcire deſiderent, quis ſit eorum numerus futurus. Ad quod negotium mox promptas & officioſas ſe ſiſtunt nonnullæ obſtetrices, quæ recitatis in rem hiſtoriolis quibusdam a ſe obſervatis, ne de fide dubitetur, a partu ſecundinas puerperæ, vel umbilicum primiparæ, marito oſtendunt, dictitantes, ejusdem domum menſamque tot in poſterum augeri liberis, quot nodos in hiſce videat. Hinc dictis earundem, tanquam ex tripode natis, creduli quidam fidem dant facilem, licet ſæpe vano effectu. Id quod ipſe aliquando parituræ adſtans audivi oculisque uſurpavi. Præſagia autem hæc non eſſe noviter inventa, ſed antiquitus quoque nota, facile patebit ex Bald. Ronſſei *Tr. de hum. Vit. primord. c. 9. p. 1099.* quo loco ex Avicenna plures præſagiorum iſtorum modos recenſet, denique vero concludens, ratione minus hæc eſſe fundata. Juxta Job. a Meekren *Obſerv. Med. Chir. cap. 47. p. 201.*

Nodi,

Nodi, quos funiculo umbilicali notamus, ex quorum numero fœtuum edendorum numerum puerperis prædicere audent imperitæ obſtetrices, ſunt nihil aliud, quam membranæ carnoſæ, quæ ſanguinis modum retardare valent. Sic quando nodus vel ruga in umbilico fœtus erumpentis adeſt, debet, ſecundum ſuperſtitioſas obſtetrices, ſignificare, alterum in utero fœtum reſtibilem eſſe; item numerus nodorum in vaſis umbilicalibus debet præſagire prolis futuræ numerum, econtra, umbilicus enodis ſi apparet, nullius deinceps partionis prænuncium fidelem aſſerunt, juxta Paul. Ammann. *Irenic. p. 102.* Et Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 209. pag. 392. ſeq.* prolixe de hac fabula agit: Vix, inquiens, dici poteſt, quantæ nugæ quotque fabulæ ſuperſtitioſæ atque anilia deliramenta, ab obſtetricibus aliisque credulis mulieribus de umbilico ſeu funiculo umbilicali fœtuum recens in lucem editorum, alantur, aliisque etiam, ut firmiter credant, perſuadere conentur. Et utinam ſolum obſtetrices obſtetricantesque aliæ ex fece plebeja oriundæ mulierculæ ad ſuperſtitiones & fabuloſas narrationes præ aliis valde proclives & aptæ natæ, hæc talia crederent, & non etiam alias illuſtriores, & quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, imo etiam grandi-ſimulque vaniloquos quosdam, ſibi ipſis (ſi diis placet) de magna ſcientia & eruditione medica præ aliis gratulantes, revera tamen imaginarios & imperitos medicos dicam, an Thraſones medicaſtros, hæc ſuperſtitionis lues ſeu contagium inquinaviſſet. Credunt enim & procaciter ſatis aliis perſuadere allaborant, ex hoc funiculo, ejusque ut vocantur nodis ſive varicibus, certiſſima futuræ fœcunditatis aut ſterilitatis haberi poſſe ſigna, item de numero & multitudine procreandorum liberorum, de prolium ſubſecutarum ſexu, quem ex colore rubro vel albo præſagiri poſſe contendunt, item, an brevi vel longo intervallo ſit ſequuturum novum puerperium; an unicum ſaltem fœtum, an vero gemellos, proxime ſequente conceptione, ſit geſtatura

gravida, quod ex varicum majore vel minore ab invicem diſtantia vel vicinitate divinare, vel etiam ex nodorum abſentia de omnimoda ſterilitate hariolari, inſuperque de umbilici reſciſſi & exſiccati citiore vel tardiore, ſpontaneo tamen caſu, vitæ longioris vel brevioris futuræ, certum augurium capere ſatagunt, cum tamen hæc omnia nullum ſolidum habeant fundamentum; licet interdum caſu potius ita, æque ac cum aliis ſuperſtitionibus fieri amat, contigiſſe concedendum ſit. vide etiam Riolan. *Anthropogr. Lib. VI. cap. 5. f. m. 379.*

§. 13.

de ligatura funiculi.

Huc pertinent etiam aliæ ejusdem farinæ obſtetricum & medicaſtrorum a funiculi umbilicalis ligatura atque reſectione deſumptæ ſuperſtitioſæ opiniones, de partium genitalium in maribus, ratione longitudinis vel brevitatis differentia; vel etiam de feminarum anguſtia vel amplitudine. Dicunt enim ſecundum Vop. Fort. Plemp. *l. a. cap. 9. f. 137.* mulierculæ, ad penis longitudinem multum facere, ſi vaſa umbilicalia ab obſtetrice ſtatim edito puello longe ab umbilico reſecentur. In feminis vero facere ad anguſtiam naturæ muliebris, ſi reſecentur prope umbilicum. Unde hoc factitant pleræque obſtetrices, non ignaræ, utrumque in utroque ſexu eſſe optandum. Verum nihil ea ſua opera præſtant: nam ſive umbilicus remote ſive propinque abſcindatur, equidem ſemper ſeptimo die putreſcit, & ad abdomen proxime decidit. Inquit etiam Regnerus de Graaf *de Viror. Organ. Op. p. m. 98.* ineptum eſt illud obſtetricum figmentum, futurum penem majorem, ſi vaſa umbilicalia non proxime ad umbilicum ligentur, abſcindanturque in recens natis, ob urachum, qui inter vaſa umbilicalia continetur & veſicæ fundo annectitur, unde putant retro penem cum veſica trahi. Et juxta Joh. Helfric. Juncken. *Medic. præſ. Secul. accommod. p. m. 765.* non minima videtur cautela, qua cavemus, ne umbilici ligatura illegitimo inſtituatur modo, cum

pro

pro longitudine ſua, vel brevitate, quam ex ligatura acquirit, varient partes genitales infantis. Pueris namque, quibus vel brevior vel longior relinquitur umbilici particula, vel brevior vel longior inde fit virga, puellis vero hac ratione uterus vel altius vel humilius locatur. Quemadmodum enim viris quibusdam genitale longius eſt, quibusdam brevius, ſic diverſis mulieribus canalis ille ad os uteri usque longior aut brevior ſit, non ex hac ſolum cauſa, ſed ex accidenti etiam, prout nimirum in hoc aut illo partu per anhelitum, ut fieri ſolet & debet, plus minusve uterum illa retraxit. Scribit etiam Paulus Ammannus *Irenic. pag. 103.* garriunt obſtetrices, umbilici reſectione curta, vel alta, uterum in puellis vel ad conceptionem ineptum fieri, vel immoderato coëundi deſiderio percieri, aut umbilici reſectione laxa, linguam maribus eſſe volubiliorem & penem longiorem fieri, feminarum vero linguas effrenatas atque præcipites, ex ſectione curta frenari atque compeſci, hinc de natorum umbilicis ſollicitæ, quando filius natus obſtetricantibus matronæ acclamant: qu'on luy faſſe une bonne menſure; filia vero ſi provenerit in aures vociferatur: qu'il ſoit lié court. Et ſecundum Petr. Dionis *des Operations de Chirurg. Demonſtr. II. pag. 64.* quelques femmes veulent, qu'on faſſe la ligature tout proche du ventre de l'enfant, quand c'eſt une fille, & plus loin, quand c'eſt un garçon; parcequ'elles s'imaginent, que les parties dela generation ayant du rapport avec ce cordon feront dans la ſuite proportionnées à la meſure, qu'on luy donne alors.

§. 14.

Funiculi longitudo.

Quoad longitudinem funiculi umbilicalis ſane mirandum, quod cum in fœtu unius menſis & ultra vix digito ſit longior, indies tamen ita producatur, ut circa partum juxta Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. VI. cap. 5. fol. 379.* ulnæ dimidiæ Pariſienſis vel ſecundum Plempium, trium ſpithamarum, vel

juxta

juxta Laurent. Heiſter. *Compend. anat. pag. 90.* quatuor ſpithamarum longitudinem plus minus adæquet: cujus longitudinis uſum Riolanus hunc ſtatuit, 1) ut ſanguis & ſpiritus per longiorem ductum delati exquiſitius elaborentur, 2) ut fœtus in omnem partem ſecure ſe movere & contorquere poſſit; 3) ut in partu ſecundæ & fœtus alternatim exeant, quæ ſine magno fœtus & matris incommodo ſimul egredi non poſſunt; 4) ut fœtus in partu laborioſo ac difficili, in matricis veſtibulo detentus per umbilicales arterias vivat, quæ ſi breves extitiſſent, ante fœtus egreſſum effringi potuiſſent. 5) Confert etiam hæc longitudo ad ſecundarum eductionem. Heiſteri rationes pariter hæ ſunt; 1) ut fœtus libere ſine avulſione placentæ ab utero, ſe movere poſſit; 2) ut fœtu excluſo, etiamſi vaſa hæc non mox ſint ligata, tam facile lethalis hæmorrhagia non oriatur; 3) ut hujus ope placenta poſt partum ex utero commode educi queat. Secundum Dionis *Tr. des Accouchem. Lib. I. cap. 12. pag. 97.* Quelques anciens croyoient,que la longueur de ce cordon contribuoit a perfectionner le ſang, qui y paſſe, mais ils n'en ont pas trouvé les veritables uſages, qui ſont deux, l'un pour laiſſer la liberté à l'enfant de ſe remuer, & de ſe tourner dans le ventre dela mere; & l'autre pour laiſſer ſortir l'enfant le premier dans le tems de l'accouchement, & enſuite le placenta, ce qui n'auroit pas pû ſe faire, s'ils euſſent été attachez l'un proche de l'autre, parce qu'ils auroient été obligé de ſortir enſemble. Ne vero umbilicus incerto vagoque ductu fluctuaret, natura, ſentiente Riolano, illum a ſiniſtro tempore ad dextrum per mediam frontem circumduxit, inde per occiput oblique reflectitur, usque ad ſiniſtram cervicis & juguli partem dorſumque ſupra pectus progreditur, donec in medium ventrem inſeratur. Hac revolutione umbilicus caput firmat & continet, ne ante perfectam maturitatem ſuo pondere deorſum decumbat. Quodſi fœtus, dum exitum parat, umbilicum per ſuperiorem capitis partem revolutum excutere

tere nequeat, ſed ad jugulum deſcendat, collo obvoluto, ac ſi laqueum geſtaret, egreditur quod mulierculæ mali eſſe ominis vaticinantur.

§. 15.

Quandoque etiam fœtus cum funiculo longiſſimo circa collum aliquoties circumducto naſcuntur, relicta in utero ſecundina, uti annotavit Franciſcus Mauricæus *Obſ. 401. pag. 235.* his verbis: Le 2. Aouſt 1685. je delivray de l'arrierefaix une femme, qui venoit d'accoucher naturellement toute ſeule d'un gros garçon, dont le cordon de l'ombilic eſtoit ſi extraordinairement long qu'il en avoit le col embarraſſé de deux ou trois tours; non obſtant quoy ce cordon eſtoit reſté encore aſſez long, pour avoir donner la liberté à l'enfant d'eſtre pouſſé au dehors par les ſeules douleurs dela mere, auſſi facilement, que s'il n'euſt pas eſté ainſi bridé de ce cordon, que je trouvay en le meſurant avoir la longueur d'une aune & un tiers de noſtre meſure de Paris. Et *Obſ. 506. pag. 296.* agit de l'accouchement laborieux d'une femme, dont l'enfant avoit le col embaraſſé de deux tours du cordon de ſon nombril. Minime tamen ſemper in fœtu talismodi obſervatur chordæ umbilicalis revolutio, ſed modo circum brachia & pedes, modo circum alias partes circumvoluta, vel etiam pedes & caput conſtringens, modo etiam ſemel vel bis collo obvoluta deprehenditur, ſicque non tantum partum difficilem, ſed etiam periculoſum cauſatur, & quidem non tam, quia juxta nænias mulierum fœtus ob talem funis umbilicalis circa cervicem revolutionem tempore laqueum non effugere poſſit, quam quia ob eandem ſtatim in partu, niſi obſtetrix conſtrictionem impediat, fœtus faciliime in exitu ſtrangulari queat. Tale exemplum, præter quotidianam experientiam, refert Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. med. phyſ. Cent. III. Hiſt. 5. pag. 287.* de viri cujusdam Gorlicenſis nondum triginta annos nata uxore, *circa collum.*

quæ quatuor vicibus, continuo ordine ſobolem in utero defunctam difficillimo tandem niſu peperit. Edito fœtu aut vaſa umbilicalia collo vel cruribus implicata videbantur, aut fœtus undique maculis lividis pictus cernebatur, ſine dubio ob moram in uteri labyrintho diutinam ſuffocatus. Ibidem etiam ſutoris cujusdam uxorem quatuor fœtus in utero defunctos & vaſis umbilicalibus ſuffocatos peperiſſe meminit. Circa hanc funiculi circa collum circumvolutionem notandum, quod ex relatione obſtetricis cujusdam recenſet Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. phyſic. med. Lib. I. Obſ. 33. pag. 80.* ſcilicet funiculum umbilicalem, non in partu primum collo aut aliis partibus circumvolvi, ſed jam inde a primis fœtus rudimentis flexum illum figuratum eſſe, monſtrantibus id ad oculum abortivis trium quatuorve menſium fœtibus.

§. 16.

Funiculus in nodum contortus. Interdum etiam, ſi funiculus eſt nimis longus, fœtus in amnii aquis ſe invertens vel contorquens nodum in funiculo formare poteſt, a quo ſi diu ante partum nimis conſtringatur, ſecundum quorundam ſententiam, ob alimenti, per dictum funiculum advehendi, defectum, atrophiam ipſamque mortem incurrit. Unde ſcribit Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib. VI. cap. 5. fol. m. 379.* interdum in funiculi umbilicalis laxitate fœtus ita ſe invertit & contorquet, ut nodus in medio contrahatur, qui in fœtu atrophiæ & mortis cauſa eſſe ſolet propter commeatum alimenti interceptum, quanquam etiam in vivis fœtibus tales nodi obſerventur, juxta Franciſci Mauriceau *dans les Obſerv. ſur la Groſſeſſe Obſ. 133. pag. 76.* Le 2. April 1675. j'ay accouché une femme d'une fille vivante, qui vint naturellement, dont je trouvay le cordon de l'ombilic noüé d'un veritable nœud, qui s'eſtoit ainſi fait dans le ventre dela mere, par la grande longueur de ce cordon, dont il s'eſtoit fait un cercle, dans lequel il falloit que tout le corps de l'enfant euſt

paſſé,

paſſé, lors qu'il s'eſtoit tourné. Ce nœud éſtoit extremement ſerré; mais cela ne s'eſtoit fait ſeulement, que dans la ſortie de l'enfant; car s'il euſt eſté long temps ſerré dela ſorte dans le ventre dela mere, l'enfant auroit certainement peri; a cauſe que le mouvement du ſang, qui luy eſtoit neceſſaire, auroit eſté entierement intercepté dans ce cordon. J'ay encore accouché depuis ce temps-la ſept autres femmes, dont les enfans, qui eſtoient tous vivans, avoient pareillement le cordon noüé d'un ſemblable nœud, qui s'eſtoit fait de la meſme maniere, par l'extraordinaire longueur de leur cordon : de ces ſept derniers enfans, cinq eſtoient des garçons, & les deux autres eſtoient des filles, comme cette premiere, dont j'ay parlé. Idem autor *Obſ. 567. pag. 333.* aliud ejusmodi exemplum refert: Le 18. Decembre 1689. j'ay accouché une femme d'un tres-gros enfant masle, qui vint naturellement, au quel je trouvay le cordon de l'ombilic extraordinairement long, & noüé d'un veritable nœud au milieu de ſa longueur : ce qui ne s'eſtoit pû faire, que parceque ce cordon, qui eſtoit d'une longueur exceſſive, avoit fait un cercle en flotant au milieu des eaux de l'enfant, dans lequel il falloit de neceſſité, qu'il euſt paſſé dans le temps, qu'il s'eſtoit tourné dans le ventre dela mere, pour ſe diſpoſer à venir dans la poſiture naturelle, qui eſt la tête la premiere. Mihi ipſi quoque ejusmodi nodum anno 1730. die 22. Martii in curia Dresdenſi obſervare licuit, & quidem in fœtu maſculo, perfecto & muſculoſo a meretrice edito, cui collum cum omnibus ejusdem partibus tam mollibus, quam vertebris, usque ad cutis circa nucham trium digitorum latitudinem reſectum erat. In hujus enim, ratione phyſicatus a me deſiderata inſpectione atque ſectione funiculum umbilicalem a placenta uterina ſeparatum ultra ulnam longum inque ejusdem medio nodum arcte conſtrictum vixque ſolubilem deprehendebam. An vero hæc conſtrictio in ipſo partu, an vero diu ante ipſum facta fuerit, decidere non poſ- *Obſervatio.*

 ſum;

ſum; quia vero fœtus erat admodum muſculoſus, priori ſententiæ ſubſcribere malo.

§. 17.

Funiculus nimis brevis & contortus.

Econtra vero funiculus umbilicalis quandoque etiam eſt nimis brevis atque contortus, a quo fœtui pariter ob impeditam ſanguinis & humorum circulationem varia impendent incommoda, qualem chordam umbilicalem perquam contortam, hincque ad dimidium ſui abbreviatam vixque parva penna craſſiorem hinc inde ſaltem nodoſam deſcribit atque præmaturam fœtus mortem ac partum ab ejusmodi chordæ umbilicalis contortione deducit Dn. Littre. vid. Act. Erudit. Lipſ. *An. 1706. Jun. pag. 265.* Ab ejusmodi mira funiculi umbilicalis contorſione necatum fœtum obſervavit Fridericus Ruyſchius *Obſervat. anat. chir. XI. p. m. 18.* ſicut homini, inquiens, in lucem edito innumerabilis mortis cauſæ imminent, ita quoque non paucæ ſunt conſtitutiones morboſæ fœtum in ipſo utero necantes. Inter eas maximi eſt momenti funiculus umbilicalis contortus. Nuper fœtus mortuus in lucem editus eſt, membranis chorio & amnio integris exiſtentibus, cujus funiculum umbilicalem mire contortum inveni; ſicut quotidie in fune fieri videmus, quam poſt tenſionem ejus & unius extremi frequentiorem circumgyrationem ad invicem duo extrema ducuntur. Veroſimile quoque eſt, malum iſtud a frequentiori circumgyratione fœtus ortum duxiſſe, ejusque mortis fuiſſe cauſam: utpote humorum circulatione per funiculum in totum impedita. Ejusmodi exempla aliquot annotavit etiam Franciſcus Mauriceau *Obſ. 401. pag. 235.* inquiens, j'ay accouché une femme d'une fille, qui vint naturellement, dont le cordon de l'ombilic eſtoit ſi court, qu'il n'avoit en tout qu'un tiers d'aune. Le peu de longueur, qu'avoit le cordon de l'enfant, ne luy donnant pas lieu d'eſtre pouſſé au paſſage par les douleurs de la mere ſans tirailler en meme temps l'arriere faix,

fut

fut cauſe, qu'elle eût durant deux jours entiers des mechantes douleurs de reins, devant que d'avoir les veritables douleurs de l'accouchement. Sic *Obſ. 406. pag. 237.* de funiculo craſſo & brevi ſequentem hiſtoriam recenſet. Le 16. Sept. 1685. j'ay accouché une femme de ſon premier enfant, qui eſtoit une groſſe fille, morte en ſon ventre douze ou quinze heures auparavant, ſans aucune cauſe manifeſte. Je ne trouvay rien en l'enfant, que ſon ventre tout deprimé: parcequ'il s'eſtoit vuide dans le ventre de ſa mere qui l'avoit neantmoins ſenti remuër & s'agiter fort extraordinairement le jour précedent. Mais le cordon de l'ombilic de cet enfant eſtoit ſi monſtreuſement gros, qu'il égaloit presque la groſſeur de ſon bras, & ſi court, que dans ces derniers mouvemens de l'enfant, il avoit pû faire détacher ou rompre les principaux vaiſſeaux de l'arrierefaix, & contribuër ainſi à la mort de l'enfant; car l'extreme brieveté de ce cordon ne pouvoit pas permettre à cet enfant d'eſtre pouſsé au paſſage, ſans tirailler en meſme temps l'arrierefaix, où il eſtoit attaché. A brevi funiculo umbilicali matres gravidæ toto fere geſtationis tempore, imprimis verſus partum, maximos patiuntur dolores, uti annotavit idem autor *Obſ. 549. p. 322.* le cordon du nombril du quelque enfant n'avoit, que le tiers de la longueur ordinaire, qu'il auroit du avoir; ce qui avoit eſté cauſe, que la mere avoit eſté extrement incommodé durant toute ſa groſſeſſe; car ce cordon par trop court faiſoit, que l'enfant n'avoit pas la liberté, de ſe mouvoir, ſans agiter & tirailler en meſme temps l'arriérefaix où il eſtoit attaché: cela fut auſſi la cauſe, pour la quelle la mere eût durant quelques heures, quinze jours devant que d'accoucher, de fauſſes douleurs, qui ne venoient apparamment, que de l'extreme brieveté du cordon de l'enfant, qui ne luy avoit pas permis de ſe tourner, comme les enfans ont coûtume de faire quelque temps avant l'accouchement, ſans agiter beaucoup en même temps l'arriere-

faix. Interdum etiam a brevi chorda oritur hæmorrhagia, *vid. ibid. Obſ. 612. p. 355.* & dolores diuturni ad partum per aliquot dies durantes. *vid. Obſ. 662. p. 384. & Obſ. 687. p. 397.*

§. 18.

Nullus funiculus umbilicalis. Nonnunquam etiam nullus plane in fœtu deprehenditur funiculus umbilicalis, uti in fœtu monſtroſiſſimo obſervavit Henricus Sampſonius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 169. p. 325.* Sic Hagæ Comitum anno 1683. nundinarum tempore conſpiciendus exhibebatur maſculus quidam infans anni unius cum tribus menſibus, a tenuioris fortunæ parentibus natus. Hic uterinis carceribus ſolutus in lucem ſine ullo, imo ne minimo quidem funiculi umbilicalis indicio prodibat, quem idcirco obſtetrix in partu a ventre ſeparare neceſſe non habuit. Deerat etiam umbilicus; ejus autem loco in hypogaſtrio circa pubem lata quædam rotundaque ac rubra, nec non tenuiſſima pellicula obducta macula apparebat, nummi, quem ſolidum vocamus, magnitudine &c. vid. Cornel. Stalp. van der Wiel *Obſerv. rar. Centur. poſter. Obſ. 32. p. 328. ſeq. & 330. ſeq.* In hermaphrodito Haſſiaco deſiderari umbilicum manifeſtum erat. vid. Mich. Bernh. Valentini *Novell. Medic. legal. Caſ. X. pag. 242.* *Umbilici defectus.* In infantis ſeptem dies nati cadaverculo umbilicus loco naturali deficiebat, ſed ejus defectum ſupplebant vaſa umbilicalia ad baſin alicujus tumoris inſerta, ubi portio funis, modo vulgari deligati conſpiciebatur. v. Stalpart. *l. a. p. 359. ſeq.* De fœtu absque funiculo umbilicali nato ſequentem obſervationem communicat chirurgus quidam, nomine Chatton, *dans les Conferences ſur les ſcienc. l'An. 1673. p. 69.* Je fus appellé le 18. Octobre pour accoucher une femme agée de 40. ans. Aprés avoir tiré l'enfant hors de ſon ventre, je fus ſurpris de voir, que cet enfant n'eſtoit point attaché au boyau. Ce qui m'obligea d'abord de voir ſon nombril, & je le trouvay comme celuy d'un enfant de trois mois, ſans qu'il eu beſoin d'eſtre fermé par aucu-

ne

ne ligature. L'ayant mis entre les mains de la ſagefemme, je fus chercher l'arriere faix, que je tiray avec le boyau, qui avoit toutes ſes dimenſions ordinaires, & qui étoit formé en rond du coſté qui regarde l'enfant; ſur la milieu de ſa rondeur il y avoit un petit bouton de chair gros comme un grain de chenevy, & ſemblable a ceux, qui ſe font ſur de vaiſſeaux, qui ſe ferment aprés avoir eſté coupez. Je ne decouvris aucune goutte de ſang, ny à l'extremité du boyau, ny au nombril de l'enfant, qui eſt encore plein de vie & de ſanté, auſſi bien que ſa mere. Fœtum absque funiculo umbilicali editum annotavit Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 209. p. 392. ſeqq.* & quidem, anno 1680. d. 3. Aprilis in puella recens edita viva & vegeta omnino, quoad membra omnia perfecta, cui nullus ex abdomine procedebat funiculus, ſed umbilicum inſtar infantis plurium jam menſium ſanum habebat, præterquam quod proceſſus parvus inſtar vermiculi, longitudinem articuli digiti minimi non attingens, prominebat, plane impervius & occluſus, neque cruorem, ſaniem aut ſanguinem, etiam compreſſus fundens, ita ut a longo jam tempore occluſum fuiſſe & coaluiſſe credendum fuerit. In brutis quandoque nullum apparere umbilicum, exemplo Gulonis probat Thom. Bartholinus *Hiſt. Anat. Cent. IV. Hiſt. 30. p. 293.* Gulonem, inquiens Johannes de Laet ſecari vidit a Petro Pavio, in quo ductus umbilicalis nusquam apparuit, unde mirabantur, quomodo in utero nutrimentum poſſit accipere. Sic in cercopitheco, Mamonet dicto, ab Henrico Jacobo Scriverio, chirurgo regio Danico, diſſecto nullum umbilici apparuit veſtigium, juxta Thom. Bartholin. *Act. Med. Hafnienſ. Vol. I. Obſ. 36. p. 67.* Varia de funiculo umbilicali tam in homine, quam brutis, vid. Zelleri *Diſputat. de Vit. human. ex fune pendent. cap. 2. pag. 11. ſq.*

§. 19.

Rarioris obſervationis eſt, quod Cornelius Stalpart van der *Funiculus duplex.*

der Wiel *Obſerv. rar. Centur. prior. Obſ. 75. Schol. p. 332.* ex Ephemeridibus Germanorum de uno eodemque fœtu cum duplici funiculo, duplicique placenta refert. In allegatis autem *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 39. p. 127. ſeq.* Johannes Guilelmus Riva in annexa figura umbilicum fiſſum e fiſſa placenta depingit. Sic anno 1708. die 16. Maji in pago Nauſeliz, non procul a Dresda, prætoris uxor puellam peperit, ex cujus unico umbilico duæ chordæ umbilicales cum duplici inſertione in placentam prodierant, quod ex obſcura mariti relatione communicare volui. De geminis, quorum ſinguli quidem ſuo utebantur umbilicali funiculo, at tertio inſuper communi erant donati, vid. Stalpart *l. a. p. 329. ſeq.* Uterque ſcilicet fœtuum propria donabatur placenta, quæ ambæ (licet non absque cujusvis infantis membranarum interſtitio) ſibi invicem propinque admodum matricis fundo lateribusque affigebantur, quarumque e centris utrique fœtui communis ad umbilicalium vaſorum radices, antequam placentis inſererentur, prodibat funiculus, vaſaque umbilicalia communia non aliter gyris nodisque erant diſtincta, quam in recens natis plerumque conſpiciuntur. Mirabilem trimellorum funiculi umbilicalis ſtructuram annotavit Adamus Brendelius *Decad. I. Obſ. 8. p. 15. ſeq.* ſcilicet quilibet fœtus peculiari funiculo umbilicali eoque diſtincto gaudebat, ſed non procul a placenta ad inſtar trium ramorum concurrebant, & truncum tres digitos latum valdeque craſſum, & amplis vaſis inſtructum conſtituebant, ac ſua vaſa in varios ramulos ſurculosque dirempta per totam hepatis uterini compagem diffundebant.

Obſervatio.

CAPUT IV.

De Placenta uteri & circulatione ſanguinis in fœtu.

§. I.

Placenta.

HActenus deſcripta funiculi umbilicalis vaſa, vena ſcilicet & duæ arteriæ demum fine ſuo in placentam uterinam inſeruntur

runtur, pro eo nimirum ſcopo, ut ſecundum quosdam autores, pro nutritione fœtus, ex eadem ſanguinem maternum, vel potius, ſecundum alios, liquorem nutricium, ſive chyloſum, ſive lacteum vel gelatinoſum, a matris ſanguine ſeparatum, partim excipiant & fœtui adducant, partim etiam fœtus ſanguinem mediante circulatione ad matrem revehant; quæ tamen fœtus circulatio ſanguinis ab excluſi & adulti infantis circulatione differt, uti alibi videbimus, hoc autem loco ad embryonis circulationem ſanguinis progredimur.

§. 2.

Cum ſcilicet ad fœtus in utero adhuc detenti nutritionem ſanguinisque circulationem placenta uterina maxime ſit neceſſaria, poſt præmiſſam circulationem nonnulla huc pertinentia de eadem adducemus. Eſt autem placenta corpus quoddam orbiculare, novem vel plurium pollicum latum uniusque pollicis vel duorum digitorum craſſum, plurima continens vaſa, tam majora, quam minora; quod parte ſua convexa huic vel illi uteri parti, ut plurimum vero ipſius fundo, eſt annexum, quo ex ejus ſubſtantia vel vaſis humorem nutricium, vel ſecundum quosdam ſanguinem recipere vel imbibere, atque per funiculum ſic dictum umbilicalem, ipſius parti concavæ annexum, ad fœtum advehere poſſit. Inquit enim Franciſcus Stockhamer. *Microcoſmograph. cap. 18. p. 238.* fœtum per placentam matri uniri, & ſanguinis communione, ejus partem, ſicut fructus arboris, ſaltem ad tempus fieri; ſanguinis enim materni ad uterum affluentis pars a venis umbilicalibus abſorbetur, & in fœtus hepar, hinc ad cor defertur, & econtra ſanguinis pars per arterias umbilicales ex ipſo fœtu in uterum usque propulſi a venis maternis ad uterum pertingentibus ſuſcipitur. *Placentæ deſcriptio.*

§. 3.

An vero circulatio ſanguinis fiat a matre prægnante in fœtum & vice verſa? & utrum vena umbilicalis cum vaſis uteri *Circulatio ſanguinis in fœtu.*

Secundum verba Muraltí. communicet? alii autores affirmant, alii negant, uti ex ſequentibus prolixe adductis liquet; ſiquidem Johannes de Muralto *Experiment. anatom. Exercit. IV. p. 140.* circulationem in fœtu ita deſcribit: Sanguis prægnantis e ſiniſtro cordis ventriculo per arterias ad omnes partes, nutritionis gratia devehitur, qui cum in arteriis hypogaſtricis & ſpermaticis ad uterum porrectis hæreat, a placenta uterina ſpongioſa imbibitur, ramuſculis venæ umbilicalis eo porrectis ingeritur & motu continuato, embryonis abdomen, funiculi umbilicalis ductu transmeat, canaliculum venæ portæ in hepate infantis transſcendit, cavam ſubit, corculi dextram auriculam replet, non vero ventriculum ejusdem lateris ingreditur: ubi effervefcentia & calore innato, ſibi & omnibus membris proportionatur, ac per foramen ovale, ſive anaſtomoſin in venam pulmonalem, ſeu potius auriculæ ſiniſtræ initium, ſicque in ventriculum ſiniſtrum tranſit; qui vero ſanguis in dextrum ventriculum irrupit, arteriam pulmonalem ingreſſus ſuperiora petens non ad pulmones pergit, ſed a latere ſecedit, per canaliculum arterioſum, paulo ſupra valvulas ſigmoides in aortam, ulterius in corpus, transverſa linea pergit: nam per ſuas arterias propulſus hic ſanguis, ope iliacarum, ad latera veſicæ urinariæ, in funiculum pergentium, magna ex parte, venis matris hypogaſtricis in placentam hiantibus, revehitur, ut ad cor deferatur, iterumque ſpirituum vitalium particeps fiat: Pars reſidui ſanguinis in fœtu, quæ non per iliacas arterias matri advecta eſt, ab infantis partibus revehitur per venas proprias; ex imi ventris viſceribus per portam ad hepar, ut ibi bilis ſegregetur; ex aliis vero partibus immediate ad cavæ ramos cordi advehitur. Et juxta verba Dominici de Marchettis *Anatom. cap. 8. p. 84.* placenta, in qua vaſa umbilicalia finem ſuum imponunt, cotyledones in brutis appellantur, quæ tum ramos venæ umbilicalis arteriarum recipit, tum etiam vaſa, quæ ad uterum feruntur, per quæ ſanguis in ipſam placentam defertur; qui quidem licet tam ſpirituoſus,

Domin. de Marchettis.

quam

quam venoſus miſceatur, attamen arterioſas a ramis arteriarum umbilicalium, venoſus vero a ramis venæ umbilicalis, per ſubſtantiam ipſius placentæ diſſeminatis, rapitur, &, quod fœculenti remanet, ad nutritionem placentæ tonſervatur.

§. 4.

Petrus Dionis *Anatom. Demonſt. II. p.145.* inquit: Neoterici non modo diſſentiunt a veteribus circa vaſorum umbilicalium uſum in homine adulto, ſed etiam fœtus reſpectu. Opinio priſca fuit, quod arteriæ ſanguinem arterialem, venæ autem ſanguinem venalem ad ipſum deveherent; cum vero & principio noſtro & experientiæ repugnet talis doctrina, en paucis verbis, qua ratione hoc fiat: Arteriæ maternæ quandam ſanguinis copiam ad placentam convehunt, qui in hanc infuſus ab umbilicalis venæ ramis excipitur, per quos in venam portam tranſmittitur, ut per ſubſtantiam hepatis fœtus filtretur, priusquam influit in venam cavam, quæ ipſum in dexterum cordis ejus ventriculum refert, unde in ſiniſtrum transfluit per foramen ovale, ut deinde in omnes corporis partes per arterias diſtribuatur. Hujus ſanguinis ſuperfluum duabus arteriis umbilicalibus in ſecundinam revehitur, in quam diffuſus excipitur a maternis venis in ea diſperſis, quibusque in majores venas reducitur, ut cum tota maſſa circuletur: Et ſic indeſinenter procedit circulatio ſanguinis a matre in fœtum, & a fœtu in matrem. Hoc pacto hanc fieri, indicium certum eſt, quod infantis recens editi funiculum contrectando idem in hoc ac in arteriis pulſus ſentiatur. Quod oſtendit; ſanguinem, arterias umbilicales replentem, eundem eſſe, qui ex infantuli corde venit, non vero maternum, ut diutiſſime creditum eſt. Reciprocus hic ſanguinis motus a matre in fœtum, & a fœtu in matrem manifeſte patet ex partium ad hoc inſervientium ſtructura. Item de circulatione ſanguinis in fœtu ita ſcribit Dionis *des Accouchem. Lib. 1. c. 12. p. 95.* Le placenta ſert a entretenir la circulation du ſang de la mere avec l'enfant, & de l'enfant avec la mere, en *Petri Dionis.*

recevant celui de la mere, & l'envoyant a l'enfant, & en renvoyant a la mere celui, qui lui revient de l'enfant. Le placenta par une mecanique admirable reçoit le ſang par les artères dela mere, qui repandu dans ſa ſubſtance entre dans les branches dela vene umbilicale, qui le porte par le cordon à l'enfant: il va enſvite paſſer par le ventricule de ſon cœur, d'où il paſſe par le trou botal dans le gauche, ne pouvant pas paſſer par ſes poumons, parceque le fœtus ne reſpire point: de ce ſang arteriel de l'enfant, il en revient une partie au placenta par les deux arteres iliaques, où étant de nouveau répandu dans le placenta, il entre dans les embouchures des venes dela matrice, pour être porté dans la véne cave, & dela au cœur avec le reſte du ſang dela mere; de ſorte qu'il y a dans le placenta des arteres dela mere & de l'enfant; & il en ſert auſſi des vénes de la mere & de l'enfant, ce qui entretient la circulation entre l'une & l'autre, tant que l'enfant eſt dans le ventre dela mere. *vid. etiam l. a. cap. 17. p. 113. ſeq.* Secundum Joh. van Horne *Microcoſm. §. 70. p. m. 254.* Sanguis ab uteri vaſis placentæ affuſus per eamque transcolatus in venas aſſumitur: & hinc mediante canali venoſo intra hepar conſpicuo, e porta in cavam, indeque cordi infunditur: adjuvante arteriarum umbilicalium pulſu, quæ dum a fœtu ſuperfluum ſanguinem derivant ad placentam, & ab hac in venæ umbilicalis radices ſui generis circulationem hic efficiunt.

van Horne.

§. 5.

Quomodo fœtus ſanguis circuitus ſuos periodice conficiat, prolixe docet Carolus Drelincurtius *de Concept. fœt. hum. Perioch. 39. ſeqq. p. 79. ſeqq.* Arteriæ, inquiens, prægnantis uteri ſpermatica atque hypogaſtrica placentam ubertim perfundunt. Ad eum itaque finem totæ replentur totæque conſurgunt ſanguine largo. Placenta vero ſanguinem illum omnem nec in fœtum unice transmittit, nec in uteri venas unice transfundit;

Drelincurtii.

fundit; ſed ſubtiliſſimam duntaxat portionem illius in venam umbilicalem percolat, craſſiorem autem in venas matricis remittit. Subtiliſſimus itaque ſanguis in umbilici tubulum venoſum inſtillatur, & exinde per tubuli ſui flexus atque gyros, pigro fluxu nec plenis undis, in medias jecoris partes adigitur. Ex illis vero portis jecur intimum neutiquam ſubit, ſed in ipſam venam cavam confeſtim properat, atque ſic diaphragmatis circulum nervoſum illico præterfluit & mathematicis aliquot lineis ſuper centrum iſtud diaphragmatis in canaliculum venoſum incurrit fœtui peculiarem. Hic porro canaliculus ſanguinem plurimum illum, portitoris inſtar, in venam pulmonalem traducit, e qua in auriculam cordis ſiniſtram inque corculi ventriculum ſiniſtrum defluit. Illinc autem pellitur in aortam, ut ab aorta in univerſas fœtus arteriolas longe lateque diffundatur, atque ſic refluat, circuitus lege, in ſingulas fœtus venulas, ne quidem umbilicalibus exceptis. Hæ quippe, ſanguinem licet a matre in fœtum importent, quasdam nihiloſecius particulas priſtini ſanguinis fœtus revehunt, quas nimirum ſuis arteriolis in placentam fœtus quidem regeſſit, ſed quas placenta, novi jugiter arterioſi ſanguinis impulſu, in umbilicalis venulæ poruſos retruſit, utpote ſibi prius pervios, atque adeo nunc facilius repetendos &c.

§. 6.

Sanguinem a matre deferri ad fœtum & inter fœtum ac matrem circulationem eſſe reciprocam, ſtatuit Dn. Mery, *vid. Act. Erudit. Lipſ. 1719. menſ. Auguſt. pag. 341. ſeq.* Et ſecundum Joh. Bapt. du Hamel *Hiſtor. reg. Scient. Academ. Lib. IV. Sect. II. cap. 3. pag. 320.* magna animorum contentione de reſpiratione in fœtu ac de uſu ovalis foraminis, quod patet a ventriculi dextri cordis auricula ad venam pulmonum, de canali, qui ab arteriæ pulmonum trunco in aortam deſcendentem deſinit, inter peritiſſimos anatomicos diſceptatum fuit. Utrumii du- *Mery.* *Hamel.*

ctus circulationi ſanguinis ita ſint deſtinati, ut fœtus diu vivat, pulmonibus omnino ceſſantibus, quod ſanguini per hos ductus liber pateat aditus a vena cava ad venam pulmonum, & ab arteria pulmonum in aortam? an forte alium habeant uſum? Illud quidem circa uſum reſpirationis D. Mery contendit fœtum in utero matris concluſum per matris pulmones reſpirare, neque ad circuitum ſanguinis minus neceſſariam eſſe reſpirationem in fœtu, quam in matre ipſa, ſiquidem ille per placentam uteri materni fundo adhæreſcentem una cum matris corpore ita connectitur, ut per funiculum umbilicalem, cujus extremum unum in placentam, alterum in umbilicum deſinit, ſanguinem excipiat per venam umbilicalem, cujus radices in placenta ſunt diffuſæ, ac viciſſim ſanguinem per duplicem arteriam in eandem effundat placentam. Vena ſanguinem ab arteriis uteri excipit, atque ab utraque arteria umbilicali ſanguis fœtus in placentam, hinc in venas uteri remeat. Id vero ſæpe fuit a D. Mery obſervatum, in parte funiculi ita compreſſa, ut non poſſit ſanguis ab utero matris in fœtum commeare, ſtatim infantem extingui, ſi caput intra uterum vel illius canalem concluſum teneatur. Atſi foras exierit caput, non propterea moritur infans, quamvis funiculus prematur a reliquo corpore in ipſo tranſitu arctatus. Atque hujus effectus vix alia afferri cauſa poteſt, quam reſpirationis in fœtu ut in matre neceſſitas, adeo ut aer una cum ſanguine materno permiſtus circuitum ſanguinis in fœtu promoveat, dum pulmones omnino ceſſant. Cum autem in partu cor infantis ſatis habet roboris, ut ſanguinis circuitum efficiat, ac capite foras prolato ſpiritus animales hujus motus opifices vim ſuam exerunt, ſanguinis circulatio non amplius a materno pendet ſanguine.

§. 7.

Freindii. Juxta Johann. Freind *Emmenolog. cap. 2. pag. 5. ſeq.* exhibuit medicorum in re anatomica peritia eam, quam negant non-

nonnulli, inter vaſa uterina & umbilicalia, anaſtomoſin; hæc interiori uteri tunicæ ita ſe inſinuant, ut vena umbilicalis arterias matris hypogaſtricas penetret, arteriæ vero umbilicales venis maternis inſerantur. Per hos aditus perennis inter fœtum & matrem agitur ſanguinis circuitus: ſcilicet umbilicalis vena arterioſum ſanguinem a matre accipit, quem in fœtus uſum ad venam cavam adeoque ad cor deducat; uti arteriæ umbilicales ſanguinem nutriendo fœtui parum idoneum in venas maternas regerunt &c. Carolus Raygerus & Ludovicus Gayant, chirurgus Pariſienſis, experimentum facturi, quo modo circulatio ſanguinis in embryone fiat, in infante juſto tempore, ſed mortuo excluſo, immiſerunt primo per canaliculum flatum in venam umbilicalem parum inciſam, qui redditus per foramen in arteriis umbilicalibus, intumeſcente prius hepatis ſubſtantia, mox ad meliorem certitudinem per ſyringam infuſus liquor cœruleus, qui intra breve tempus primo ex arteriis cruorem expulit, mox & ipſe ſecutus. Ut ita clarum, venam umbilicalem embryonis communicare cum arteriis uterinis matris, indeque ſanguinem arterioſum ferre ad hepar, ubi depuratum & in nutrimentum commodum pro infante aſtatum, per cavam aſcendentem mediante foramine ovali, paulo ſupra diaphragma exiſtente, venam intrare pulmonalem, ſive arteriam venoſam, exinde in auriculam cordis ſiniſtram ſiniſtrumque cordis ventriculum, ex eo per aortam in omne corpus. Refluum autem vel ſuperfluum per arterias umbilicales iliacis inſertas ad placentam deportari uterinam motu plane circulari, ſed longe diverſiori, quam in adultis. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 202. pag. 297. ſeq.* vide etiam ſupra de fœtus nutritione §. 13. locum ex Eliæ Camerarii *Diſſertat. pag. 22.* Et plura de circulatione ſanguinis in fœtu. vid. Laurent. Heiſter. *Compend. anatom.* §. 260. Chriſt. Joh. Langii *Phyſiolog. Th. 39. fol. m. 237.* Theod. Cranii *de Generat. Homin. Qu. 21. in Oeconom. anim. pag. 290.* Joh. Bohn. *Circul. anat. phyſiol. Progymn. II. p. 33. ſeq.*

33. ſeq. Clopt. Havers *Oſteolog. p. m. 11. ſeq.* Daniel Taury *Anatom. nov. cap. 6. pag. 103. ſeb.* Philipp. Verheyen *Anatom. Tr. III. cap. 7. pag. 259. ſeq.* Joh. Gothofr. Berger. *Phyſiol. pag. 484.* Theod. Valent. Kramers *Medicin. docent. Part. I. Th. IV. pag. 36.* Carolus Drelinc. *de Concept. Perioch. 36. & 37. pag. 61. ſeqq.* Johann. Pecqueti *Experiment. anatom. pag. 63. ſeq.* Secundum verba Theodor. Craanen *de Homin. cap. 150. pag. 745.* videtur placenta potius nutriri ab infante, quam infans ab ipſa, cum arteriæ umbilicales eo eant ex fœtu, & infans nutriatur per venam umbilicalem, venientem ab utero matris. Hæc ingreditur hepar fœtus, & ſanguinem ex matre receptum transvehit in ramos venæ cavæ per hepar diſperſos, & tandem progreditur ad cor, tranſit per foramen ovale, ad foramen rotundum in aortam & cum ea diſtribuitur per totum corpus. Sed notandum, quod juxta ramos iliacos oriantur duæ arteriæ umbilicales, quæ ſanguinem revehunt ad placentam. Atque ita vidimus, venas hic fungi officio arteriarum, & arterias officio venarum. Vena umbilicalis ſanguinem ab utero acceptum transfert ad fœtum: arteriæ umbilicales ex fœtu eum deducunt in placentam, ex ea in uterum & ſic porro; hæc ratio nutritionis fœtus, hæc ratio circulationis ſanguinis materni per fœtum.

§. 8.

Anaſtomaſis an detur?

Anaſtomoſin ſeu communicationem vaſorum umbilicalium cum uterinis adhuc alii autores negant; Inquit enim Fridericus Hoffmannus *Medicin. ration. Tom. I. Part. II. cap. 13. §. 8. Schol. pag. 346.* Crediderunt veteres, ſanguinem matris nutrire infantem, & vaſa uteri cum vaſis ſecundinæ & fœtus invicem connecti; ſed notabile eſt, liquorem ſiphone per umbilicales arterias injectum per venam umbilicalem redire, modo placenta illæſa fuerit, ex quo apparet, nullas dari anaſtomoſes vaſorum uteri cum vaſis ſecundinæ & fœtus, neque ſanguinem fœtus rurſus ad venas matris redire &c. Secundum

verba

verba Gualteri Charletoni *de Cauſ. Catamen. cap. 4. p. 46.* vaſa uterina omnia ad placentam diſtributa, in illa ejus medietate, quæ ad uterum ſpectat, terminantur, & in eadem in capillamenta penitus abſumuntur, neque omnino in alteram medietatem tranſeunt. Similiter vaſa umbilicalia, quæ ad medietatem placentæ chorio affixam progrediuntur, omnia in eadem medietate exhauriuntur in capillamenta, neque tranſeunt in oppoſitam medietatem utero contiguam: ut altera medietas facillime divelli ab altera poſſit, ſine ulla vaſorum ſanguiferorum disruptione, & conſequenter, absque alterutrius cruentatione. Evidenti certe argumento, vaſa utriusque generis reſpective terminari, in medietate glandulæ, i. e. placentæ alterutri propria. Fieri ergo non poteſt, ut vaſa umbilicalia cum uterinis inoſculentur; cum alterutrum horum genus ſuis finibus, nempe ſua placentæ medietate, plane terminetur. Unde manifeſtum eſt, ne guttulam quidem ſanguinis a matre imme diate ad vaſa umbilicalia deferri. Quomodo igitur poſſibile eſt, ut fœtus materno nutriatur ſanguine, qui ad ipſum nunquam deferatur. Et juxta Joh. Gothofr. Berger. *Phyſiolog. Lib. II. cap. 473.* non prætermittendum, liquorem per arterias umbilicales ſiphone injectum in placenta integra & illæſa nus quam effluere, vel extra vaſa mitti, ſed per venam umbilicalem redire, quod fieri minus poſſet, ſi, quæ multorum eſt opinio, cum vaſis uteri vaſorum fœtus darentur ἀναςομώσεις, per quas humores ex fœta in fœtum, & ex hoc in illam derivarentur. Gregorio Theodoro Bartholdo *Oper. pag. 56.* eſt placenta uterina quaſi terra, per quam vaſa umbilicalia ſuas longe lateque ſpargunt radices, non ita tamen, ut vaſa umbilicalia vaſis matris implantentur. Vaſa ſanguinea uterina non immediate uniri cum vaſis placentam conficientibus, ſed utriusque cohæſionem fieri mediante ſubſtantia quadam membranacea, concludit Fridericus Ruyſchius *Theſau. anatom. II. no. 18. pag. 55.* Et Georgius Fridericus Rallius *de Generat. Animal. Sect. VI.* §. 20.

§. 20. p. 320. inquit, quod venarum & arteriarum umbilicalium uſum concernit, circa hunc veteres inſigniter erraruntj; putarunt quippe, hæc vaſa cum geſtantis vaſis per anaſtomoſin jungi, atque ſic hisce mediantibus ſanguinem & ſpiritus a geſtante ad fœtum deferri, pro hujus nutrimento. Verum cum jam evictum ſit, fœtum ſibi ipſi ſanguinem & ſpiritus elaborare, ipſaque hæc vaſa non ab utero, ſed a fœtu ortum ducere, non eſt, ut huic vulgato errori commoremur. Neque ejusmodi vaſorum horum cum vaſis uterinis anaſtomoſes poſſibiles ſunt. Cum enim vaſæa umbilicalia vel in amnio aut chorio, vel in carunculis carneis aut placenta uterina terminentur, manifeſtiſſimum eſt, ea nullibi cum vaſis uterinis communicare aut cum iisdem coire poſſe.

§. 9.

item. Ex diſputatione quadam ſcribit Caſparus Theophilus Bierlingius *Theſ. theor. pract. Obſ. 51. Schol. §. 1. pag. 658.* Cum humanus fœtus vaſis ſuis umbilicalibus annexam habeat placentam, quæ viciſſim utero adhæret, a matre fœtui ſubminiſtrari ſanguinem, addiderunt multi. Videtur autem id ipſum a vero alienum, cum ne ullæ quidem hactenus aut arteriarum matris cum arteriis fœtus, aut venarum cum venis monſtrari potuerint *ἀναςομώσεις*, imo primis menſibus vix conſpiciatur placenta &c. Statuit etiam Petrus Stalpartius van der Wiel *Exercit. de Fœt. Nutrit. p. 17. ſeq.* fœtum humanum per ſolum os nutriri; utque hanc ſuam hypotheſin confirmet, negat tam diu jam admiſſam fœtus cum matre circulationem, imo dicere audet, ne guttulam quidem ſanguinis a matre in fœtum, & vice verſa, tranſire; atque ne temerarius videatur, ſeptem objectionibus præcipuis ibidem reſpondet. Tandem poſt varia argumenta *§. 41. p. 44.* pergit, abſurdum eſſe, duo in uno eodemque corpore dari corda, adeoque vanam e fœta in fœtum circulationem, cum fœtus ſua vivat anima, nec ſpiritibus vegetetur maternis. Hujus autem veritatem plenius demon-

demonſtrat ſectio cæſarea, quæ ſatis indicat, aliam eſſe circulationem fœtus, aliam matris, ac conſequenter fœtus circulationem vitamque minime dependere a circulatione vitave materna, niſi quatenus ſuum nutrimentum a matre accipit; experientia namque docet, hac ſectione fœtus ſæpe manere ſuperſtites, matribus diu emortuis. Imo materno in cadavere aliquot haud dubie dies ſuperviverent, ni frigus, quod oritur poſt matris obitum, impediret; nam ceſſatione motus ſanguinis progreſſivi, ac per conſequens ſpirituum, qui tubulos & poros partium apertos tenent, ſeparationis & influxionis defectu omnia collabaſcunt frigeſcuntque. Itaque fœtus, ſi vita & ſanguis ejus a matre profluerent, hac extincta extemplo etiam extinguerentur. Ex hoc itaque ſolo dictam circulationem imaginariam eſſe ac falſam intellexeris. Deinde exemplum adducit fœtus membranis ſuis incluſi extra matricem vivi in aqua reperti, poſteaque educati &c. Ibidem etiam meminit canis gravidæ, e cujus utero diſſecto exempti pulli, matre jam diu mortua, per mediam circiter horam aëri externo expoſiti nihilominus vivebant &c. Vide inſuper Joh. Jac. Harderi *Apiar. Obſ. XI. Schol. pag. 36. ſeq.* Caſp. Bartholin. *Specim. Hiſtor. anat. cap. 5. pag. 92.* Fr. Ruyſch. *Theſ. anat. II. pag. 53. ſeq.* Non nemo etiam hanc reciprocam inter fœtum & matrem circulationem ex hoc fundamento impugnavit, quod in canis, catulos mox edituræ, venis apertis, ut ſanguis omnis efflueret, atque ipſa moreretur, dimidia poſt mortem hora catulos in utero vivos & ſanguine plenos repererit, annotante Mery *in Hiſtoria Academ. reg. Scient. vid. Act. Eruditor. 1719. menſ. Aug. pag. 342.*

§. 10.

Eodem tamen loco idem autor aliud etiam exemplum in contrarium adducit, notans, hos catulos pariter ſanguine deſtitutos ab aliis fuiſſe deprehenſos, qui uterum non ante *defenditur circulatio.*

aperuerunt; quam ipſi quoque catuli mortem ſubiiſſent. Provocavit etiam ad aliud experimentum, quod non immerito ſatis deciſivum vocat Fontenellius. Scilicet cum fœtu in lucem edito, ſed placenta cum utero adhuc cohærente, chorda umbilicalis diſſecta non ligaretur, ea ſanguinis quantitas per venam umbilicalem propullulavit, quæ ſex librarum pondus æquabat, non ſine præſentisſimo vitæ matris periculo. Alio quoque argumento vaſorum uteri cum vaſis uterinæ placentæ communicationem evincit Gulielmus Cowper, & quidem injectione Mercurii, dum hic in arteriam matris hypogaſtricam intruſus per venam umbilicalem placentæ remeat, in arteriam autem placentæ injectus per venam hypogaſtricam matris regurgitat. Cui vero ſententiæ in tanta autorum & experimentorum diverſitate ſubſcribendum ſit, ipſe benevolus lector decidat & veritatem determinet.

§. II.

Circulatio triplex. Denique curioſam trium in prægnante femina circulationum indagationem demonſtrat Johann. Georg. Volckamerus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 185. pag. 444.* Quam magnifica, inquiens, ſummi noſtri creatoris opera ſe ubique manifeſtent, palam in confeſſo eſt: ſed vix ullum majus ſe humanæ offert menti miraculum, quam hominis, partus tempore, ex utero egreſſus, quem ſi ambabus, nondum a ſecundinis liberatum genitrix teneat manibus, tres percipies circulos in ſe invicem redeuntes. In puerpera ſiquidem eadem, quæ in omnibus hominibus contingere ſolet ſanguinis per univerſum corpus ſuccum alimentarem diſtribuentis circulatio virtute exercetur pulſifica, quæ prima eſto. Secundam in fœtu paremque prorſus reperiri circulationem, nemo negare auſit. Quicquid enim vita præditum eſt, continuo & circulari motu indeficiente, in ſe ipſum redeunte, neceſſario movetur. Per umbilicum vero tertia ex vena umbilicali circulatione in hepar fœ-

tus

tus abundans ſucco alimentari transfunditur ſanguis: inde ad cor recta tendit, & per dextram ejus cameram in ſiniſtram, tranſitu ſub auricula conceſſo fluit. Hinc vi cordis pulſifica in univerſum ex aorta per omnes artus agitur corpuſculum, cumque omnibus alimoniam deſiderantibus ejusdem particulis, vel etiam minutiſſimis, quicquid ſecum ex utero alimenti adfert, liberrime communicat. Exinanitus deinde ſanguis ille, abſumta ſcilicet nutricia illa ſubſtantia, & ſincerus per arterias umbilicales ſurſum in chorion pellitur, ut in placenta iſta uterina denuo tantum ſibi ſucci nutricii comparet, quantum veteris illius hoſpitii incola pro alendo ſuo corpuſculo indigeat &c.

§. 12.

Præmiſſa itaque fœtus, materno utero adhuc incluſi, circulatione ſanguinis, ad quam primario placentam ſic dictam uterinam plurimum conferre diximus, nunc etiam pauca de eodem adducenda reſtant, & quidem primo ratione denominationis, cum placenta eandem non male comparari, ait Henricus a Deventer *Art. Obſtetricand. cap. 12. pag. 49.* quod non abſimilis ſit craſſæ rotundæque, nec tamen permagnæ placentæ, in ſartagine frixa, plerumque craſſa digitum, medio tamen, quam extremo craſſior. Deinde etiam multis autoribus vocatur hepar uterinum, partim quia, ſicut ſecundum veterum & Harvæi opinionem, hepar chylum in inteſtinis hauſtum corpori alendo ulterius præparat, ita placenta uterina ſimiliter ſuccum alibilem a matre provenientem, nutriendo fœtui porro concoquit. vid. Guilielm. Harvæus *de Generat. Animal. de Placent. pag. 553.* partim etiam propter aliqualem ſubſtantiæ ſimilitudinem, vid. Joh. Caſe *Compend. anatom. pag. 183.* quo loco etiam placentæ uterinæ ſubſtantiam lieni ſimilem eſſe dicit. Cur tamen placenta pulmonis potius, quam hepatis uterini nomen mereatur, vid. Joh. Bohnii *Circul. anat. phyſiolog. Prog. III. p. 38.* *Placentæ denominatio.*

§. 13.

ortus & figura. De ortu, ſubſtantia & officio placentæ uterinæ varias varii foverunt autores ſententias, de quibus hactenus allegati & alii anatomici evolvi poſſunt, nobis ſaltem quorundam recentiorum verba adducere liceat. Inquit ſcilicet Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. II. Schol. pag. 35. ſeq.* Membranas & hepar uterinum ad fœtum præciſe pertinere, non ad uterum, jam veteribus quibusdam viſum fuit: ab initio autem præ reliquis partibus eas primum formari traditio eſt, falſæ hypotheſi innitens, quam ovi glorioſum inventum deſtruit; etenim cui bono entia multiplicare citra neceſſitatem, & membranæ materiam ex ſemine deducere, quod in uteri cavo vel nusquam, vel eo ſaltem tempore non reperitur, ut taceamus magnam utique affinitatem illi cum volatilium ovis intercedere, in quibus putamine denudatis, plures occurrunt membranæ, quarum alia ovum arctiſſime complectitur, alia albumen tenuius, alia pulli colliquamentum &c. Adſunt ergo & hic membranæ eodem, quo conceptus fit momento ſuoque muneri diligenter adhibentur: nec enim vaſorum ſimpliciter fulcimentum chorion eſt, ſed poroſæ ſuæ ſubſtantiæ vi, tantum non ſuccum vitalem ex uteri interiore tunica exugit, actione primis præcipue diebus, ubi placenta nondum conſpicua eſt evidenti: ſcimus equidem, cum carunculis in aliis animantibus, tum in homine placentæ uterinæ iſtud officii tribui: at accurate rem ſcrutantibus, hanc ipſam ad chorion pertinere, aliudque fere non, quam vaſorum per iſtius ſubſtantiam poroſam artificioſam expanſionem & compigmentum eſſe patebit, ita quidem ut illius miniſterio vaſculorum capillarium oſcilla ſanguinem nutricium recipiant, particulasque reliquas arteriolæ revehant, quarum portione aliqua ipſorum interſtitiis & fibris agglomerata, magis magisque prodire incipiat id, quod hepar uterinum communiter vocant, quodque expanſis vaſorum ductibus, fœtu augeſcen-

geſcente, legitimum incrementum identidem ſuſcipit. Injectione calida facta prorſus dealbatur placenta muliebris, ceu ſæpius oſtendimus.

§. 14.

Placentam uterinam ſeu uterinum hepar in puerpera examinans Thomas Bartholinus ſequentia obſervavit : Placenta uterina ex fibrillis infinitis vaſorum erat contexta, quibus ſanguis inſtar parenchymatis concreverat, qui facile, ut in aliis, poterat fricando ſeparari. Inæqualis diverſæque hinc inde conſiſtentiæ. Glanduloſa erat in tumulorum ſummitate, circa extrema ora attenuabatur, craſſior in colliculorum medio. Nam figura ipſa quidem circularis, ſed inæquali circumferentia, in qua quinque fere obſervabantur prominentiæ juſta ſerie a ſe diſtantes, in quarum medio ſpatio chorion membrana craſſior viſebatur. Qua uterum ſpectabat, aſpera erat & rimarum plena, eoque loco inciſa, fibras infinitas oſtendebat ad venarum truncos tendentes. Longitudinem pes unus in diametro metiebatur. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. I. Hiſtor. 61. p. 91. ſeq.* Juxta verba Dionis *des Accouchem. Lib. I. cap. 16. p. 108. ſeq.* Le placenta ou arriérefaix eſt un fardeau, que la femme né vuide qu'aprés que l'enfant eſt ſorti dela matrice. C'eſt une maſſe de chair ſpongieuſe, ſemblable en quelque maniere a la ſubſtance des poumons ou dela rate, entrelaſsée & tiſſue d'une infinite d'artères & des veines, qui compoſent la plus grande partie du ſon corps. Cette maſſe de chair a la figure d'un gâteau: elle eſt plate ou ronde & dela grandeur d'une aſſiette : elle a l'epaiſſeur de deux travers de doigts dans ſon milieu, mais elle eſt moins épaiſſe vers les extremitez de toute ſa circomference: ſi on la conſidére du côté qu'elle regarde l'enfant, on la trouvera couverte & tapiſsée par le chorion, qui y eſt tout a fait adhérant; mais ſi on l'examine du côté, qu'elle étoit à la matrice, on y verra pluſieurs petites embouchures,

Placentæ ſubſtantia.

par

par où le ſang y entroit dela matrice pour être porté à l'enfant; & d'autres par ou le ſang, qui revenoit de l'enfant ſortoit pour être reporté à la mere. Le placenta a des poroſités & des ouvertures ſemblables à celles d'une époigne, avec cette difference que celles de l' epogne ſont capables de s' imbiber de quelque liqueur, qui emplit toute ſa ſubſtance, & que celles du placenta ſont autant de canaux, qui reçoivent le ſang dela mere pour le porter à l' enfant, ou qui le laiſſent ſortir pour le rendre à la mere &c. Secundum verba Godofredi Bidloo *Anat. Tab. 58:* eſt placenta uterina moles vaſorum, præſertim ſanguiferorum, glandularum atque fibrillarum, quibus peculiares quidam ſucciferi ductus interſeruntur. Omnia hæc membraneis, maxime vero priori, fœtus adnaſcuntur involucris. Diſtinguitur placenta ſulcis atque fiſſuris, plus minusve pro placentæ craſſitie profundioribus. Eminentiæ ex vaſorum capillaribus glandularumque racemis exſtructæ, quo magis verſus chorion excurrunt, oblitefcunt. Johannes Caſe *Compend. Anatom. Lib. III. cap. 1. pag. 183.* inquit: ſubſtantia placentæ uterinæ lieni eſt ſimilis, ſed quodammodo tenacior, mollis cum fibris innumeris, vaſculis minutis & parenchymate glanduloſo.

§. 15.

item. Quantum placentæ uterinæ uſum & ſubſtantiam attinet, ita inquit Joh. Frid. Ortlob. *Hiſtor. Part. Diſſert. 36. §. 10. p. 284.* Placenta uterina ad alimentum ex uteri cavo imbibendum & fœtui concedendum deſtinata eſt, quam homo unicam & orbicularem magis obtinet. Hujus rudimentum cum ovulo utero adducitur, eidem vero poſtea firmiter ſatis connectitur, non ſemper eodem in loco, ut plurimum tamen circa tubarum exitum. Ejus ſubſtantia glanduloſo-vaſculoſo-ſpongioſa eſt: ſic enim ſpongiæ inſtar ex utero ſuccum alibilem imbibit, ope ductuum recipit, per glandulas ulterius ſeparat & depurat; qui per funiculum umbilicalem fœtui adducitur, & ab eo iterum reſi-

reſiduus, a nutritione ad placentam revertitur. Laurentii Heiſteri verba *Compend. anat.* §. *242. p. 88.* ſonant: Placentæ figura eſt orbiculata, plana, diametrum habens octo circiter pollicum, & craſſitiem pollicis unius: Pars ejus convexa & ſpongioſa utero adhæret, interventu membranæ tenuiſſimæ, villoſæ, chorio continuæ: concava vero fœtum reſpiciens, cum funiculo umbilicali juncta eſt, cingiturque læni membrana, cum chorio & amnio continua. Locus, cui in utero adhæret, nullus eſt certus & perpetuus, plerumque tamen parti poſteriori. Et ſubſtantia ſecundum autores recentiores plurimos eſt glandulosa, ex innumeris minoribus glandulis compoſita; quæ vero videri non poſſunt. Hinc melius, ſecundum Ruyſchium, variosque alios hunc ſequentes, vaſculoſa ſtatuitur, ex meris vaſculis, arteriis ſcilicet & venis umbilicalibus, in ſubtiliſſimas extremitates diviſis, conſtans: nam cui uſui erunt glandulæ, ubi ſecretio illius, quod ex utero placentam intravit, jam facta eſt? Hanc autem ſuam ſententiam variis in locis defendit allegatus Fridericus Ruyſchius, & quidem *Theſaur. anatom. II. pag. 45.* inquiens: Placentam nullis glandulis eſſe ditatam, ſicuti autores autumant, ex placentæ uterinæ humanæ portione, materia ceracea repleta luculenter apparet; luculenter, inquam, quandoquidem objectum tali modo præparatum eſt, ut nemo hoc viſo poſthac de veritate ſtructuræ dubitare poſſit: nihil enim placentæ ademi, nec digitis fricavi, ſolummodo ceracea materia flava replevi vaſa tanta cum dexteritate, ut ne minimus quidem ramulus ſit relictus vacuus, & intactus. Vaſa ſanguinea, placentam uterinam conſtituentia, neutiquam uniuntur cum vaſis ſanguineis uterinis. *Theſ. II. p. 15.* inquit: placenta conſtituitur ex meris vaſis ſanguiferis, membrana chorio cohærentibus, & *pag. 29. ſeq.* idem ait: ne minima quidem glandula aut aliquid glanduloſi reperitur in placenta uterina, ita ut hallucinati ſint omnes, qui hoc ſtatuunt in ſuis ſcriptis. Tota placenta conſtituitur ex vaſis ſanguifluis, quibus connectuntur

Subſtantia an glanduloſa?

an vaſculoſa?

membrana chorion, amnios & funiculus umbilicalis, quibus adde membranoſum noviter a me inventum, quod interiori ſuperficiei placentæ connectitur, quæ affixa eſt utero. In *Theſ. III. no 38. p. 38.* ſiſtitur placentæ uterinæ portio, in qua nil glanduloſi apparet, quamvis hoc ſtatuatur ab anatomicis: tota enim quanta eſt vaſculoſa eſt. vid. etiam *n. 58. p. 47. & 54. Theſaurus IV. p. 32.* ob oculos ponit phialam in liquore retinens unum ex placentulis vaccinis, repletum ceracea materia rubra ad ultimas extremitates ſuccoſas usque, ubi notandum, nullas hiſce corporibus ineſſe glandulas, aut quid glandularum ſimile; ſed totum hoc corpus conſtare ex meris vaſis ſanguifluis, quorum extremitates exeunt in formas penicillorum, qui Belgice nominantur Trekpenceelen &c. Item *Theſ. VIII. p. 23. ſeq.* offertur phiala continens in liquore portionem placentæ uterinæ, ceracea materia ad extremum usque repletum; ubi autor dictus addit: in illa non minus ac in præcedentibus luſtrari poteſt, nil glanduloſi in placentis reperiri, & cum in tam notabili viſcere nullæ reperiantur glandulæ, neque in teſticulis facile calculum appoſuere aſſertioni meæ ſpectatores curioſi, quibus cætera viſcera a me præparata oculis corporeis, non autem mentis videre placuerit, & cæcutire noluerint, nihil interim obſtat, quod nonnulli dixerunt, quæſtionem tantum eſſe de nomine; illis autem reponendum, ſi alicui placeat venam denominare arteriam & vice verſa, per me licebit: præſtat vero glandularum definitionem retinere, quæ nobis ab antiſtiribus tradita eſt, ſcilicet quod ſunt corpora per ſubſiſtentia, quæ involvuntur peculiari membrana, ad quam alluunt vaſa ſanguinea.

§. 16.

Placentæ vaſa & membranæ. Pluribus adhuc non ſolum de vaſis, ſed etiam membranis placentæ uterinæ agit idem Ruyſchius *Theſaur. anat. II. pag. 53. ſeq.* ſequentibus verbis: Notandum 1) vaſa ſanguinea, placentam conſtituentia, tota replevi ceracea materia rubra, ut ſi

quid

quid præter vaſa ſanguinea in placenta reperiretur, in conſpectum ſeſe daret, verum nil niſi vaſa ſanguinea reperi. A multis enim ſeculis inconcuſſum fuit placentam uniri utero per utriusque vaſorum extremitates; reperiuntur quoque ad hoc usque tempus, haud infimi ſubſellii anatomici, qui mordicus hoc defendere volunt; aſt vero, quid ſit hujus rei, facile expiſcari poterit, ſi quis hanc viam nobiſcum inſiſtere velit. Repleveram eum in finem multoties vaſa ſanguinea. Placentam conſtituentia, ceracea materia rubra, reperique placentam non ſolum amictam membrana, ea facie, quæ fœtum ſpectat & chorion appellatur, verum etiam facie uterum ſpectante membranæ analoga eſſe obductam & firmiter extremitatibus vaſorum connatam. Dicta ſubſtantia membranacea, tenacitate carens, vix ac vix quidem ſeparabilis eſt a placenta, videturque aliquatenus convenire, ratione ſubſtantiæ, cum chorio membrana, (cujus continuatio eſſe videtur) quæ etiam in homine neutiquam tenax. 2) Dictum integumentum viſum haud fuiſſet, niſi præceſſiſſet dicta repletio, unde placenta integra rubicunda apparebat, membranacea autem ſubſtantia albicans aut griſea ſenſui occurrebat, idque per integram ſuperficiem placentæ, quæ utero annectitur. 3) Placenta molliter & ſuſpenſa manu tractanda, alioquin laceratur, ea ſcilicet facie, quæ uterum reſpicit: Unde lacerata, quaſi in varios globulos dividitur, & per conſequens disrumpitur dicta membranacea ſubſtantia, unde minus obſervari poteſt. 4) Aliquoties obſervavi dictam ſubſtantiam membranaceam variis locis lapideam naturam induiſſe, fœtu bene conſtituto. Hæc itaque expertus concludendum cenſeo, vaſa ſanguinea uterina non immediate uniri cum vaſis placentam conficientibus, ſed utriusque cohæſionem fieri, mediante prædicta ſubſtantia membranacea. Hæc Ruyſchius.

§. 17.

De peculiari membrana, placentam uterinam obducente, quam Ruyſchius ſuccoſam vocat, vid. Chriſt. Henric. Erndel *Membrana placentæ ſuccoſa.*

itinerar. Angl. pag. 81. Quo pacto placenta utero affigatur, vid. Petr. Stalpart. *de Nutrit. fœt. pag. 10.* Alia de placenta vide etiam Gualt. Charleton. *Catamen. cap. 4. pag. 45. ſq.* Carol. Drelincurt. de *Concept. p. 61. ſqq.* Michael. Albert. *introduct. in univerſ. Medicin. cap. 2. pag. 38. §. 82. ſq.* Henric. a Deventer *de Arte Obſtetric. cap. 12. pag. 49.* Chriſt. Vater. *Phyſiolog. experimental. Sect. VII. cap. 12. pag. 511. ſq.* Franciſc. Stockhamer. *Microcoſmograph. cap. 18. p. 237. ſeq.* A chorio ſive exteriori fœtus tunica plures fibrillæ ſatis conſpicuæ prodeunt, & inſtar radicum in tubulos uterinos, ex arteriis prodeuntes, implantantur, ac advectum per arterias nutrimentum recipiunt & ad embryonem vehunt. Hæ ipſæ autem fibrillæ, cum uteri tubulis conjunctæ, dum in dies majores & ampliores redduntur, poſtmodum conſtituunt placentam uterinam.

Chorii fibrillæ.

§. 18.

Placentæ extra uterum.

Quamvis autem placenta ſecundum naturam ſemper utero adhæreat, ideoque etiam placenta uterina vocetur, quandoque tamen etiam, ſiquando nimirum accidit, ut ovulum non ad uterum per tubas Fallopianas devolvatur, ſed potius in cavitatem abdominis prolabatur, pariter etiam placenta ex chorio ſucceſſive progerminans aliis extraordinariis partibus annexa obſervatur; fœtum enim extra uterum formatum, placenta ad primam, ſecundam & tertiam vertebram lumborum adhærente, annotavit quidam chirurgus, uti ex hiſtoria Academiæ Scientiarum referunt collectores Actor. Eruditor. Lipſienſ. *1720. menſ. Mart. p. 131.*

§. 19.

duæ placentæ.

De numero placentarum res ſatis notiſſima eſt, unum fœtum unicam tantum habere placentam, quapropter rarioribus annumeretur obſervationibus, quod poſt unum fœtum abortivum duæ placentæ fuerint excretæ, uti refert Fridericus Ruyſchius *Obſerv. anat. Chirurg. obſerv. 28. pag. 36.* inquiens: Mulier

lier quædam, in quintum menſem gravida, peperit fœtum immaturum, & poſt eum quoque ſecundinam integram bene conſtitutam. Hiſce in lucem editis, ſecuta eſt carnea moles, forma & magnitudine uterum naturalem referens. Hac inciſa & rite examinata, placentulam quoque eſſe deformem, & juſto duriorem deprehendi. A quo tempore geſſerit hanc ſecundam placentulam, dictu difficile. An gemellis gravida fuerit, & uno in nihilum redacto, aut inſcia gravida excluſo, ejus placentula remanſerit; an vero ante hanc ultimam imprægnationem gravida jam fuerit, & embryone excluſo, placentulam retinuerit (quod pluries contingit) & de novo uterum geſſerit, haud licuit inveſtigando determinare. De placentis vero gemellorum & trimellorum unius ejusdemque vel diverſi ſexus, jam alibi, de Gemellatione, prolixe egimus. *Placentæ gemellorum.*

SECTIONIS II.

De Fœtus in utero vita.

CAPUT I.

De embryonis ſeu fœtus vita propria.

§. 1.

POſtquam proinde fœtus materno utero incluſus per nutrimentum, dicto hactenus modo a matre exhibitum, ad perfectionis atque maturitatis ſuæ gradum pertendit, demumque ad ſui excluſionem partumque ſe accingit; de quo non immerito hoc loco agendum eſſet: Quia vero varia adhuc circa fœtum, in occulto adhuc latitantem, conſideranda occurrunt, partum ad alium locum reſervabimus. *Fœtus in utero vita.*

§. 2.

Imprimis autem apud JCtos & medicos interdum circa fœtus vitam occurrit quæſtio: An fœtus, in utero materno adhuc *an fœtus vitam propriam vivat?*

negant alii. adhuc detentus propriam, an vero cum matre communem vivat vitam? quæ ultima ſententia olim philoſophis Peripateticis & medicis, ex ea præſertim ratione, erat communis, quia fœtus in utero, etſi propriam habeat animam, nulla gaudeat reſpiratione, ſine qua vita ne ad momentum quidem conſiſtere poſſit; ſicque extincta matre ſtatim etiam fœtui ſit moriendum. vid. Johannes Varandæus *de Morb. Mulier. Lib. II. cap. 6. Oper. fol. m. 615.* ubi inquit: Fœtus in utero exiſtens, non alia vita, quam materna ſubſiſtit, unde ea extincta illum etiam ſtatim mori neceſſe eſt. Vitam matris potius, quam ſuam vivere embryonem, ſtatuit Chriſtianus Ludovicus Gœckelius *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 150. pag. 312. ſeq.* vid. etiam Paul. Zacch. *Quæſt. med. legal. lib. IX. Tit. I. Qu. I. n. 5. fol. 729.*

§. 3.

affirmant alii. Contra vero, fœtum in utero propria vita vivere, propriasque vitales actiones edere, & extincta genitrice ad temporis aliquod ſpatium non raro ſuperſtitare, vivumque ex matre demortua aliquando eximi poſſe, in diſſertatione *de vita fœtus in utero pag. 5. ſeqq.* expreſſe defendit Gregorius Nymmanus, inter alias rationes hoc argumento utens: Quorum viventium operationes diverſæ ſunt, diverſis temporibus eduntur, quorum etiam unum ad alterius deſtructionem non interit; illa diverſa & diſtincta vita fruuntur. Atqui fœtus operationes ab operationibus matris diſtinctæ ſunt: quia hac dormiente, ejusque actionibus animalibus omnibus otiantibus, non raro fœtus in utero movetur, & contra, matre vigilante, embryo ſæpe quieſcit & dormit. Si autem hujus actiones prorſus a matre dependerent, illæ quæ in matre feriantur, etiam in fœtu feriari deberent; quod tamen falſisſimum & quotidianæ obſervationi contrarium. Matre quoque pereunte fœtus non ſemper interit, & contra fœtu extincto, nec genetrix ſemper corrumpitur. Ergo ſequitur, utrumque vitam habere diverſam,

diverſis

diverſisque vitalibus actionibus tam matrem, quam fœtum gaudere atque frui. Porro etiam *pag. 25. ſeq.* dici quidem, non autem ſufficienter probari poſſe, fœtum partem matris proprie dictam eſſe, inquit. Quibus rationibus hanc addit Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. VI. cap. 8. fol. m. 390.* quia fœtus non eſt pars matris integrans, neque eſſentialis, detracto enim fœtu mater non dicitur mutilata & imperfecta. Pars eſſentialis non aufertur, niſi deſtructo corpore; Atqui fœtus extrahitur ſine damno, imo magno matris commodo. Inquit etiam Lucas Schrœckius in ſcholio ad obſervationem Johannis Ludovici Hannemanni *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 53. Schol. pag. 141.* Fœtum in utero matris fato defunctæ aliquandiu ſupervivere poſſe, nec rationi repugnat, nec experientiæ; hæc ſiquidem, plures partus cæſareos, e defunctis nempe matribus exſectos fœtus vivos oſtendit, ut dubitationi nullus amplius ſupereſſe queat locus: Quin ſi vitam fœtus in utero conſideremus, quamvis magnam hæc cum materna habeat cognationem, poſſe tamen ſine ea conſiſtere, vel ex eo clarum fiet, ſi propriam fœtui eſſe animam, ac ſanguinis, in cujus motu vita non parum conſiſtit, circulationem fœtui propriam, & a materna diverſam intueamur. De motu fœtus in utero matris jam extinctæ hanc obſervationem recenſet Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 137. pag. 279.* In oppido, Lichtenau dicto, femina gravida in febrem incidit malignam, qua etiam octavo ingravidationis menſe exſtinguitur, altero die poſt mortem adſtantes cum admiratione obſervant motum infantis in utero per 12. horas, deſtituti vero medico & chirurgo naturæ omnia reliquerunt. Ad quæſtionem, quare infans tam diu ſine reſpiratione in utero eſſe poſſit; poſtquam autem aëri expoſitus eſt, ſuffocetur, ſi reſpiratio diutius impediatur? ita reſpondetur. Nulli amplius dubium eſt, quin fœtus in utero vivat vita propria; cor enim illi pulſat, motibus animalibus ſibi propriis movetur; ad aëris injurias, frigoris & calo-

ris

ris exceſſum varie ſeſe movet. Sed partus cæſareus, quo poſt matris mortem infans vivus ex utero extrahitur, tollit omnem dubitationem, adſtruitque irrefragabiliter fœtus vitam a matre diſtinctam. Idem Dolæus etiam ſcribit *Encyclopæd. chirurgic. Lib. IV. cap. 5. p. m. 977.* matrona quædam gravida apoplexia illico extinguebatur, & fœtus altero die ſe adhuc movebat, me ipſo obſervante.

§. 4.

Sic Theodorus Craan *Diſſert. de Homin. cap. 168. vel potius 148. pag. 736.* inquit: Quæſtionem, an fœtus vivat vitam propriam? eſſe dubiam, an hoc intelligatur de vita corporis, an vero mentis, an totius compoſiti, quod intercedit inter corpus & animam; & denique concludit, quod vita compoſiti non poſſit eſſe communis unius cum alterius vita, hoc eſt, commercium inter mentem & corpus matris non poteſt eſſe commune cum commercio mentis & corporis fœtus. Diximus enim, mentes eorum eſſe diverſas: diximus, corpora eſſe diſtincta; hinc inferimus neceſſario, commercium, quod ex hiſce diverſis procedit, debere quoque eſſe diverſum. Idem autor *de Exort. ſive Generat. Homin. Quæſt. 27. pag. 296.* etiam mentem ſuam ita explicat: ut aliquid hac de re determinemus, oportet primo ſcire, quid per vitam intelligamus; vita autem alia eſt corporis, alia mentis; vita corporis conſiſtit in laudabili ſanguinis motu. Cum autem infans ſanguinem in proprio corpuſculo perficiat, ejusque motus a peculiari aliquo cordis principio dependeat, hinc omnino dicendum eſt, fœtum propria vita gaudere. Quantum ad vitam mentis, quæ conſiſtit in actuali cogitatione, multo minus a matre dependet; ridiculum enim eſt ſtatuere, animam propagari per traducem, & ita a parentibus fœtui communicari, quam noſtram ſententiam confirmat experientia; obſervatum enim fuit, matre mortua ſæpe fœtum vivere in utero; ut patet ex partu cæſareo,

& matre in vivis manente ſæpe moritur infans, ut ex abortibus patet, quod ſignum eſt, vitam fœtus a vita matris differre: quamvis non negandum ſit, fœtum in multis dependere a matre, & ea male ſeſe habente ipſum fœtum in utero ægrotare, quia continuo ſanguinem maternum, & cum eo nutrimentum ſuum accipit. Hanc ſententiam defendit etiam Johannes Scultetus *Armament. Chirurg. Part. I. Tabul. 42. pag. 95.* inquiens: Monet quidem Rodericus a Caſtro *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 3.* infantem ſupervivere non poſſe in utero mortua matre, niſi in eodem ictu temporis, quo anima ex matris corpore migravit, ab utero extrahatur; ceſſante enim vita matris, ceſſat etiam vita infantis. Quæ tamen opinio falſa eſt; habet enim infans ſuam animam, & ſi partus legitimum tempus adſit, atque omnia corporis organa jam perfecta & abſoluta habeat, ſine matris beneficio vivere poteſt, mortua matre, eodem modo, ut in lucem editus, ſine matris adminiculo vivit. Varios autores conſentientes allegat Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lagograph. curioſ. Sect. I. cap. 3. p. m. 91.* Imo conceptum embryonem vel fœtum propria gaudere anima, nec a matre quicquam præter diverſorium mutuari, ait Paulus Ammannus *Paræneſ. Lib. I. pag. 14.** Porro ad quæſtionem, utrum fœtus in utero materno propriam habeat animam? ita reſpondet idem Ammannus *Irenic. pag. 55. ſeqq.* Solent in communi gravidæ mulieris defunctæ os apertum conſervare, impoſita clavi, ut fœtus in utero reſtans eo melius poſſit reſpirare: quo fundamento, (ſed lubrico ſatis) vulgares medici, & univerſa mulierum honeſtarum corona, cum obſtetricibus, non dubitant aſſerere, ac ſi fœtus œconomia in utero ab anima matris dependeret, hinc arbitrantur, mortua matre ſimul & neceſſario debere (quod utique fit, quando non tempeſtive exſcinditur) etiam fœtum vel infantem mori. Fœtus autem in utero materno ab anima matris nullo modo dependet, ſed propria vivit quadra, dum ſibi, præſertim ſubſequentibus menſibus, proprium

in officinis digeſtionum præparat alimentum, ſequeſtrando etiam pro impuritate nutrimenti partes heterogeneas, id eſt fæces & urinas; habet etiam pulſum proprium, qui, quod a corde fœtus dependeat, avtopſia oſtendit, ſiquidem arteriæ umbilicales ligatæ pulſant intra vinculum fœtumque, contra vero ea parte, qua placentæ uterinæ adnectuntur, non pulſant. Ergo fœtus in utero peculiarem animam & a matris anima numero diſtinctam habet, atque a matre vix aliud quicquam mutuabitur, quam diverſorium. Ideo verba *Legis I.* §. *1. de Inſpic. Ventr.* adeo vera non ſunt, quibus ſtatuitur, partum, antequam edatur, eſſe mulieris portionem vel viſcerum, niſi γενικῶς hoc interpretari velis. vid. etiam Dan. Sennert. *Pract. Medic. Lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. 8. pag. 437.* De fœtu, cujus motum obſtetrix & adſtantes feminæ etiam quinque poſt matris mortem horis obſervaverant, v. Bald. Tim. a *Güldenkl. Reſponſ. 50. Oper. pag. 1082. & 1085.* ubi addit, certum eſt, fœtum per aliquot horas pervivere poſſe in utero, mortua matre; ceſſante enim vita matris non ſtatim ceſſat vita infantis, niſi tandem denegato alimento ſuffocetur. Juxta Joh. Gothofred. Berger. *Phyſiolog. Lib. II. cap. 2. pag. 485.* ex ſanguinis circulatione perſpicuum eſt, fœtum a matre alimentum quidem recipere, & molli ac tepido uteri fotu & velut incubatu contineri, vitam vero propriam vivere & proprium in ſuis officinis ſuccum & ſanguinem elaborare, aliumque humorum circuitum in fœtu, alium matris eſſe.

§. 5.

an fœtus ſemper cum matre moriatur? negatur.

Fœtum autem non ſemper uno eodemque temporis momento cum fœta ſive matre extingui, ſed quandoque hac defuncta aliquandiu adhuc vitalem atque ſuperſtitem permanere, partim rationibus, partim exemplis confirmatur. Quodſi enim ſtatim cum defuncta matre gravida fœtus ſimul quoque, ob communem cum matre vitam, infallibiliter vivere de-

ſine-

ſineret, cur quæſo medici, per aliquot ſecula, in defunctis gravidis ſectionem & partum Cæſareum inſtituerunt, niſi in matris defunctæ abdomine infantis adhuc vivi motum ſenſiſſent, ideoque in utero materno diſſecto fœtum adhuc vivum deprehendere ejusque vitam hoc modo conſervare, per crebriora exempla ſperaſſent. Tale exemplum ſervati fœtus annotavit Horatius Augenius *de Miſſion. Sanguin. Lib. VI. cap. 15. fol. m. 184.* vidi, inquiens, anno præterito villicam quandam evſarcam & optimi habitus, nono menſe laborantem gravi morbo, ventriculi ſcilicet exulceratione, quæ diebus viginti ſine cibo potuque permanſit, cum quicquid devorabat, ſtatim vomitu ejiciebat, affectusque ſævitia tandem mortua; diſſecto utero puerum extraximus vivum, qui Fortunatus ad fontem ſancti baptismatis vocatus fuit. Aliud exemplum fœtus vivi ex matre defuncta extracti cum tota operatione ex Carolo Stephano prolixe deſcribit Daniel Sennertus *Pract. Medic. Lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. 8. pag. 438. ſeq.* & circa finem inquit: Cumprimum percepimus arteriæ pulſum, in arteria umbilicali, confeſtim in umbilico, filo cerato primum ſtricte ligavimus, ad trium digitorum longitudinem ab ipſo ventre, dein iterum atque iterum etiam aliis locis conſtrinximus, extremos nodos ſemper ſtrictiores efficientes. Scies quid poſtea acciderit; vix conſummata hora integra cœpit puer oculos aperire, os diducere, de fonticulo pulſare, artus etiam leviter extendere: denique vocem atque ejulatum emittere. Ejusmodi exempla de Scipione Africano, ſive Cæſare, & Manlio; item de Gebhardo, Conſtantienſi Epiſcopo, & Burcardo, Comite de Lintzgow, qui vulgo dictus fuit Ingenitus, eo quod ex mortuæ matris alvo exſectus eſſet, vide apud Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. IV. fol. m. 602.* Plura reperies in Chriſtian. Frider. Garmann. *Miracul. Mort. Lib. I. tit. 9. §. 5. pag. 262. ſeqq.* Coloniæ etiam ſimilem caſum accidiſſe, ex Henrici Stapedii relatione communicat Guilhelmus Fabricius Hildanus *Oper.*

quia in matre extincta vivit fœtus.

Q 2 *fol.*

fol. 906. Scilicet matrona gravida ex morbo acuto mortua & loculo impoſita, cum ſequenti die inhumanda eſſet, & loculus ab obſtetrice (ut, ſi forſan aliquid cruoris effluxiſſet, illum ſpongia exciperet) inſpiceretur, fœtus inter femora extra matricem repertus fuit, ſed mortuus.

§. 6.

Exempla. Hac ratione in Hiſpaniæ Annalibus regem Navarræ Sanctium ſervatum legimus, hunc enim, matre a Saracenis inter venandum trucidata, per vulnus in ventre acceptum exertam manum oſtentantem ſuperveniens nobilis Gvevarra extraxit, ac clanculum enutrivit, eumque poſtea de principis electione diſceptantibus proceribus obtruſit, controverſiasque ſedavit; a quo mirifico latrocinio nobilis latronum familia in Hiſpania nomen accepit, juxta relationem Roderici a Caſtro *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 3. pag. 443.* Similem fere hiſtoriam legimus in Thom. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. II. Hiſt. 8. pag. 159.* Quum Spinola ſtrenuiſſimus Hiſpanorum dux urbem Bergopſomatem obſidione arcta cinxiſſet, mulier quædam extremo menſe gravida, ad hauriendam aquam egreſſa, ictu tormenti in duas partes fuit diviſa, quarum infima in aquam vicinam deciderat. Adſtantes infortunio iſto accurrunt, videntque puerulum ſponte ſua ſe motitantem intra materna viſcera, extrahunt & in caſtra Don Cordua deferunt, omnique cura cuſtodiunt, inde tandem Antwerpiam delatum infans Iſabella baptismatis fonte immerſit, nomenque patris centurionis Alberti Ambroſii impoſuit. Hanc obſervationem paulo aliter a Stalpartio relatam vide infra *cap. 3. §. 13.* Ex matre mortua fœtum, & quidem puellum vivum atque per ſesquihoram adhuc vitam ducentem, intereaque ſacro fonte tinctum, exſcidit etiam Coſmus Viardel, cujus vide *Tr. von der weiblichen Geburt Obſ. 24. p. m. 101. 103.* Merito etiam inſerenda eſt Franciſci Mauricæi *Obſervatio 315. p. m. 184.* ubi inquit: Le 23. Aouſt 1682. j'ay veu

veu une femme groſſe de huit mois & demy, qui ayant deja eſté deux mois auparavant tresdangereuſement malade d'une pleureſie, avoit depuis douze jours une fiévre continuë avec quelque ſorte d'alienation d'eſprit; pour raiſon de quoy je crûs, qu'elle ne paſſeroit pas trois jours ſans mourir, comme il arriva en effet deux jours enſvite, ainſi que me dit un chirurgien, qui peu de temps en ſvite ayant eſté preſent lorsque cette femme expira, luy avoit fait incontinent aprés ſa mort l'operation Ceſarienne, pour tacher de ſauver ſon enfant, qui avoit encore vecu deux heures aprés avoir eſté ainſi tiré du ventre de ſa mere; car quoyque la mort dela femme groſſe ſoit ordinairement cauſe de celle de l'enfant, qu'elle porte dans ſon ventre, par l'entiere privation dela vie, qu'elle luy communiquoit; neantmoins, comme l'enfant a encore en ſoy un autre principe de vie ſeparé de celuy de ſa mere, il arrive quelque fois, que l'on tiré dela ſorte du ventre des meres incontinent aprés leur mort, des enfans, qui ſont encore vivans, comme eſtoit celuy de cette femme, dont je viens de parler. De qua materia alibi, de fœtu & partu Cæſareo pluribus agemus. De fœtibus vivis ex lepore mortuo exemtis hanc obſervationem refert Joh. Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 53. pag. 141.* in noſtra, inquiens, Holſatia ex lepore aliquot horas mortuo cujusdam generoſi domini venator duos exemit fœtus adhuc vivos, quos etiam educavit iſtius nobilis familia. Hanc hiſtoriam in eum adduco finem, ut exinde ſumatur ratio ad quæſitum: An fœtus anima matris vel propria vivat?

§. 7.

Deinde obſervantur quandoque fœtus matre jam mortua nati, vel poſt ejusdem obitum prodeuntes. Gorgiæ enim Epirotæ fortis viri clara fuit origo, qui, juxta Valer. Maxim. *Lib. I. cap. 8. Extern. n. 5. p. m. 120.* in funere matris utero elapſus inopina- *interdum etiam fœtus poſt matris mortem naſcitur.*

pinato vagitu ſuo lectum ferentes conſiſtere coegit, novumque ſpectaculum patriæ præbuit, ex ipſo genetricis rogo lucem, & cunas aſſecutus. Eodem enim momento temporis, altera jam fato functa parit, alter ante elatus, quam natus eſt. Epigramma de hoc caſu Theodori Bezæ v. Chr. Frid. Garmann. *de Mirac. Mort. Lib. I. Tit. 9.* §. *6. p. 263.* Et de fœtu poſt biduum mortuæ matris nato ſequentem hiſtoriam annotavit Thomas Bartholinus *Act. Hafn. Vol. II. Obſ. 35. p. 92.* In pago, inquiens Trónninge mulier ruſtici ex partus difficultate miſere obiit, cum fœtum eniti non poſſet, fruſtra conantibus obſtetricibus tribus. Biduo fere elapſo præter omnium expectationem ſua ſponte fœtus cum impetu erupit, ſed mortuus, ſine dubio in partu, conſumptis viribus, quæ ſuperfuerant a morte matris. Supervixiſſe enim interea dubitandum non eſt, quanquam adſtantes non adverterint, nihil tale cogitantes. Vitam vero, ut antea propriam vixit, & alimento antea per os in ventriculum congeſto, quaſi cochleæ ſuo ſucco victitant. Spiritum non difficilem traxit ex apertis uteri locis, qui, matre defuncta, patentes manſerant. Et *p. 94.* inquit: Rara Bruxellis hiſtoria 1633. agitata fuit medicisque propoſita, de muliere gravida ſeptimeſtri, quæ convulſionibus epilepticis die Jovis circa nonam veſpertinam ſuffocata & die Sabbathi circa decimam matutinam intra femora matris provolutus infans adhuc calidus deprehenſus fuit.

§. 8.

partus poſt mortem. De partu poſt mortem ſequentem obſervationem annotavit Chriſtophorus Rœslerus: Domina de *Anneberg* fuit gravida, inſtante menſe ultimo cœpit ſe male habere, dimidia vix hora elapſa moritur. In ſuperiore parte ventris ſtriæ nigræ poſt mortem erant conſpicuæ. Tertio demum die fœtus mortuus ab ea egreſſus eſt. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 318. p. m. 534.* Et *pag. ſeq.* hanc obſervationem alio confirmat exemplo, quod

Ola-

Olaviæ die 24. Martii anno 1665. cuidam uxori accidit: Illa inſtante partu epileptica mortua, cum corpus mundaretur, ecce infans jam altero die mortuus obſervatus ex improviſo egrediens decidit ab illa. Coloniæ matrona gravida ex morbo acuto mortua & loculo impoſita, cum ſequenti die inhumanda eſſet, & loculus ab obſtetrice (ut, ſi forſan aliquid cruoris effluxiſſet, illum ſpongia exciperet) inſpiceretur, fœtus inter femora extra matricem repertus fuit, ſed mortuus, uti ex amici ſui, Henrici Stapedii, relatione Guilhelmus Fabricius, Hild. ad Michaelem Dœringium ſcribit *Oper. fol. 906.* ubi pergit: Ex hac hiſtoria videre eſt fœtum non ſemper in eo ipſo temporis articulo, quo anima ex matre emigrat, mortem obire, ſed nonnunquam ad tempus in ipſo utero materno ſupervivere poſſe. Quo loco ſimul Diomedis Cornarii obſervationem annectit de matrona, quæ, poſtquam per triduum in mortis agone decubuiſſet, exiſtimantibus cognatis, eam mortuam eſſe, deportata eſt in locum ſepulturæ deſtinatum, ubi pro more ſola relicta fuit occluſa. Poſt aliquot menſes aperto loco repertum eſt hoc cadaver in eodem loco, in quem repoſitum fuerat, habens in dextro brachio infantem mortuum. Femina quædam prægnans poſt frequentes ſanguinis vomitus poſt tres editos fœtus quarta vice in ipſo partu diem ſuum placidiſſime obiit. Poſt hujus obitum tertio die mulieres infantem, & quidem puellam mortuam, in defunctæ matris ſinu jacentem, non ſine admiratione atque ſtupore in ſandapila reperiunt, quæ poſtmodum brachiis matris incluſa terræ ſimul mandatur. vid. Phil. Salmuth. *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 54. p. 82. ſeq. & Obſ. 36. p. 75.* ubi refert, in femina quadam in partu extincta editum fuiſſe paulo poſt ingentem fragorem & cum illo quoque fœtum mortuum excluſum. Sic & nobilis Tobiæ Rochæ in Marchia conjux, in partu, hora ſecunda noctis moritur; media tertia pomeridiana fœtus in lucem editur. Hanc obſervationem de partu poſt mortem matris *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 42. p. 102.* communicat Gothofredus Samuel

Poli-

Poliſius: Mulier quædam ruſtica ante menſem ingravidationis ultimum laboribus domeſticis nimis intenta, male habere cœpit, accedente febre acuta: Præterlapſis paucis diebus diem ſuum obit, moreque ſolito ſandapilæ committitur; elapſo biduo fœtus mortuus ad pedes defunctæ matris provolutus cernitur. Quæritur: utrum infans ergaſtulum ſuum vivens relinquere coactus fuerit, extincta ante binos dies genetrice? puto quod ſic, reſpondet Poliſius; cum omnino fœtus ſuperſtes, matre demortua, in utero eſſe queat, & non matris, ſed propria vita in eodem fruatur. Weiſſenburgi Simonis Kreuteri uxor, in nonum menſem gravida ſupervenientibus pariendi doloribus exſpiravit: cumque adſtantes putarent, fœtum quoque exſpiraſſe in utero, mortuam illorum quidem judicio, matrem, more ſolito, in terram poſuerunt linteisque contectam reliquerunt. At vero poſt aliquot horas vagitum audiunt, accurrentes matrem quidem mortuam, filiolam vero optime valentem ad pedes matris devolutam reperiunt, uti refert Joannes Matthæus, *Quæſt. medic. 4. pag. 22.* ubi addit: Credibile certe eſt, matrem tum demum vere exſpiraſſe, quando partus in lucem prodiit. Alioqui a mortua matre excludi haud potuiſſet. Tali vero in caſu, ubi fœtus in matris extinctæ utero adhuc vivere per certa ſigna deprehenditur, prægnantes non ſtatim ſepeliendæ, ſed potius, pro extrahendo vivo fœtu, ſecandæ ſunt, uti de gravidarum ſepultura & ſectione diximus, pluribusque de partu Cæſareo videbimus.

§. 9.

fœtus mortui ſalva matre. Porro fœtum in utero materno propriam vitam vivere exinde apparet, quia interdum, ſanis & ſalvis matribus, fœtus in utero defuncti quotidie naſcuntur, quandoque etiam per longum temporis ſpatium geſtantur, demumque vel integri, vel corrupti, interdum etiam quoad molles partes conſumti, excernuntur, vel exciduntur; qualem obſervationem communicat

cat Philippus Hœchſtetterus *Obſ. med. Decad. VI. Caſ. 3. Schol. p. 697.* ſcilicet Ulmani Fabri uxor gravida facta nonum complevit menſem, eo dolores parturientis ſenſit, die 26. Martii anno 1623. ſed invalidos, nec labor parturientis, nec diligentia obſtetricantis, quicquam promovit, manſit in utero, quod enitendum erat; fœtus enim animam ad ſe vocavit Deus; dehinc cadaver uterum in tumorem ſuſtulit & abdomen turgeſcere fecit jacens in cavo transverſim. Octo tranſierunt ſeptimanæ, in quibus nihil conaminis in excludendo fœtu moleſtum ſenſerit, nec dolores nec parturientium nixum. Vires matris interim labefactatæ a fœtu putrido & fœtente hecticum corpus dederunt, ac ſi oſſa incluſa cuti eſſent. Tandem Güntzburgi in hoſpitali recipiebatur, ut ibi excideretur putridum, quod matri necem minitaretur. Chirurgi itaque ventrem infra umbilicum transverſim ad pubem verſus aperuerunt, in qua regione jam ſigna apertionis in ventre a putredine conſpiciebantur. Infans putridus & ſolum oſſibus ac calvaria cognoſcendus exemptus fuit; locus vulneratus mundatus, conſutus & convenientibus medicamentis tractatus & tandem curatus eſt. De matre infantis mortui vivo ſepulchro, obſervationem fidem pene excedentem, communicat Georgius Harnæus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 175. p. 352.* Mulier, inquiens, Kirſtina Georgii, quæ ante octo annos nupſerat militi, poſt abortum, uterum denuo ferre cœpit. Primis poſt conceptionem ſeptimanis graviſſime laborabat, lecto affixa, redeunte tamen ſanitate. Trudit ſine tumultu dies diem, menſem menſis, usque dum moveri primulum cœpiſſet embryo, integris ſeptimanis, a primo motus termino, octodecim bene vegetus. Anno 1681. primo Maji parum firmæ valetudinis ſigna edere cœpit infantulus, matre de veneficio magico nimiopere ſollicita. Secunda vero poſt feſtum Michaelis ſeptimana triſtius laborans puſto inſolentius ſe jactare cœpit, totum corpus in globum complicare, iterumque contorta ferocius explicare membra; Mater intolera-

bilibus viſcerum lancinationibus & diſtorſionibus miſere excarnificata obſtetricem vocavit; ſed fruſtra. Interim rediit afflictiſſimæ in circulum menſis. At recidentibus in vanum conatibus omnibus, iners truncus jacuit fœtus, jam ultra menſem mortuus. Nihilo tamen ſecius fluebant purgamenta convenientia & mammæ ultra bimeſtre ſpatium prodige lac fundebant. His tempeſtatibus placatis per totum miſeræ corpus fera effloreſcebat ſcabies; remanebat tamen intra clauſtra alvi maternæ cadaver; huncque fœtum infauſtum mater infeliciſſima ultra ſexennium integrum geſtabat &c. Plura ejusmodi exempla in tractatu de Graviditate, & quidem diuturna adduximus, quibus adhuc annecti poteſt obſervatio Franciſci Mauricæi *245. p. m. 142.* de femina, quæ fœtum mortuum ultra menſem in utero geſtarat, *item Obſ. 268. p. 156.* Id confirmat etiam Chriſtianus Gottlieb Reusnerus *Ephemerid. Cent. V. Obſ. 11. p. 26. ſeq.* de embryone per longum tempus in utero mortuo & feliciter, ſine matris detrimento, excluſo. Uxor ſcilicet nobilis, cachectica, annorum triginta multorum liberorum mater, anno 1709. ſigna ingravidationis omnia, more ſibi conſueto ſentit, circa decimam nonam ſeptimanam, ab ipſius computatione, motum embryonis in utero percipit ad unam alteramve ſeptimanam, aſt ſubſequentibus hebdomadis nullum motum amplius obſervat. Quoniam vero ordinarios menſes nunquam habuit, parum quoque eſt ſolicita, rata, obſtructionem fluxus menſtrui fore in cauſa, nec in ſtatu eſſe ingravidationis, nullis utitur remediis. Quid fit? decima nona a termino motionis embryonis (quam habuiſſe credebat) ſeptimana, inſtant conatus uteri, & nobilis hæc femina parit embryonem, unius ſpithamæ longitudine, teterrimo cum fœtore, referente matre & obſtetrice, nec ungues in digitis fuerant conſpicui. Ex quibus omnibus penſitatis penſitandis collegit Reusnerus, embryonem decima nona ſeptimana mortuum & viginti fere hebdomadas ſine detrimento matris ſingulari in utero deliteſcere potuiſſe.

§. 10. Ra-

§. 10.

Rationem poſſibilitatis ſi quæras, idem autor *l. a.* reſpondet, denegatum aeris acceſſum ad uterum, & aquam, cui innatat embryo, fuiſſe in cauſa, ne putredo reliquis partibus corporis fuerit communicata & nociva. Hanc rationem reddit etiam Franciſcus Mauriceau *Obſ. 245. p. 142.* inquiens: j'ay accouché une femme au terme de ſix mois de ſa premiere groſſeſſe, d'un enfant mort en ſon ventre depuis plus d'un mois, qu'elle ne l'avoit point ſenti remuer, aprés avoir eu une tres grande frayeur en verſant dans un caroſſe: Et comme cet enfant n'avoit point profité depuis qu'il étoit mort, il n'avoit que la proportion d'un enfant de cinq mois, comme il eſtoit lorsque cet accident arriva à ſa mere; & bien qu'il fuſt mort depuis un ſi long-temps, lors qu'elle en accoucha, il ne avoit pas grande corruption; à cauſe que ſes eaux, qui n'eſtoient pas ecoulées, l'avoient preſervé de la porriture cadavereuſe, qui ne manque pas d'arriver à l'enfant dans le ventre de la mere, auſſi-toſt que l'air vient à penétrer au dedans dela matrice, aprés la rupture de membranes, & l'ecoulement des eaux, qu'elles contenoient. Et *Obſ. 500. p. 293.* inquit idem: Il y a dans les eaux de l'enfant, un certain ſel nitreux, qui fait, que nous voyons quelque fois, qu'un enfant mort dans le ventre de ſa mere, s'y conſerve des mois entiers, ſans grande corruption, quand les los n'en ſont pas ecoulées, & que l'air n'y a pas eſté introduit, ces eaux luy ſervant, pour ainſi dire comme d'une eſpece de ſaumure, qui le preſerve de porriture cadavereuſe, qui ne manque pas de luy arriver incontinent aprés leur ecoulement.

cur fœtus non ſemper corrumpatur?

CAPUT II.

De
Fœtus in utero vitalitate ſ. animatione.

§. 1.

de fœtus animatione. NOnnunquam etiam de fœtus animatione ſive de vero partus vitalis termino medicis a juriſconſultis movetur quæſtio, v. g. occaſione abortus, vel quando perſona quædam præmaturæ fœtus exturbationis vel poculi abortivi ſuſpecta ſit, ſiquidem ſi hoc modo fœtus animatus ejicitur, tunc a legibus rigidior & ultimi ſupplicii pœna huic crimini decernitur; ubi vero fœtus inanimatus quocunque modo perditus fuerit, mitior ſive extraordinariæ pœnæ fertur ſententia. Abactio enim partus, data opera ſuſcepta, juxta Joh. Frid. Ludovic. *Doctrin. Pandect. Lib. XLVII. Tit. 11. pag. 709.* quondam temporali relegatione puniebatur *l. 4. ff. h. t.* hodie ultimo ſupplicio, ſi partus jam fuit animatus, *Conſt. Crim. art. 133.* quod juridice poſt dimidium tempus geſtationis præſumitur, alias pœna ordinaria relegationis, vel fuſtigationis obtinet, prout ſcilicet partus vitalitati proximus fuit, an non. Judici itaque, ſecundum Joh. Bohn. *Specim. III. Medicin. Forenſ. § 31.* & *de Offic. Medic. dupl. Part. II. cap. 5. p. 621. ſeq.* ſcitu maxime neceſſarium videtur, quo dierum ambitu conceptus animetur, ne mitiore, ac decet, pœna atrociſſimum hoc delictum & infanticidium puniatur. Perſvadebant enim ſibi veteres & recentiorum nonnulli, cum Ariſtotele, homini tres animas adſcribentes, humani fœtus corpuſculum in principio aliquandiu utero materno inanimatum inexiſtere, ſive non ſtatim illico a conceptione, ſed poſt abſolutam demum organiſationem, ipſi animam rationalem infundi; cumque tali modo, juxta dictum Ariſtotelem, embryo primo plantæ, deinceps animalis ac poſtremo hominis vitam vivere, nec ſimul animal & homo fieri credatur, inde quoque factum

eſt,

eſt, ut leges canonicæ pariter ac civiles aliam rationem habuerint fœtus animati atque inanimati, ſeu antequam animam rationalem receperit; proinde illarum etiam adminiſtratores, communem hanc ſententiam ſequentes, ad hunc usque diem dictum animationis terminum a philoſophis & medicis reſciſcere ſæpiſſime poſtulant; quem hi tamen differenter & diſpari dierum numero determinare ſolent, in eo tamen, quod fœtus tunc demum, ubi perfecte formatus fuerit, anima inſtruatur, omnes conſentiunt. Diverſam phyſicorum & medicorum eſſe opinionem de quæſtione intra quodnam tempus fœtus pro animato habeatur, vid. Conr. Phil. Hoffmann. *de Puerper. tempor. cap. 1. §. 4. p. 6.*

§. 2.

Sunt ſcilicet ex recentioribus, qui trium dierum ſpatio animatum fieri conceptum volunt, alii tamen ſex, ſeptem, novem, duodecim dierum intervallo hominem perfici & anima donari ſtatuunt; alii plerumque fœtum maſculum diebus triginta, & feminas duobus ſupra quadraginta diebus perfecte formari; alii quemcunque conceptum, tam marem, quam feminam quadrageſimo die formatum & animatum; & alii adhuc conceptum & quidem maſculum quadrageſima, feminam vero octogeſima die animari; nonnulli non ante tertium quartumve menſem animam rationalem infundi ſtatuunt, quidam fœtum ſupra ſexageſimum diem, tam maſculum, quam feminam ſemper pro animato habent, & alii ad octageſimum & nonageſimum diem inclinant &c. de qua autorum differente ſententia evolvi poſſunt Paul. Zacch. *Quæſtion. Medic. leg. Lib. I. Tit. 2. Qu. 9. n. 3. fol. 80. & n. 19. fol. 82. ſeq.* Joh. Bohn. *de Offic. Medic. dupl. Part. II. cap. 5. pag. 622.* Roderic. a Caſtr. *de Natur. Mulier. Lib. III. cap. 15. pag. 155. ſeqq.* Conr. Phil. Hoffmann. *de inſign. Puerper. Tempor. cap. 1. §. 4. p. 6 ſq.* Fortun. Fidel, *de Relat. Medic. Lib. III. Sect. VI. cap. 2. 3. pag. 438. ſeqq.*

tempus animationis.

ſeqq. & Herm. Frid. Teichmeyer *Inſtit. medico-legal. cap. 8. p. 46. ſeq.* Paul. Amman. *Medicin. crit. Caſ. 1.* poſt dimidium geſtationis tempus v. Mich. Albert. *Jurisprud. med. cap. 6. p. 121. ſeqq.* Caſp. a Reies *Camp. jucund. Quæſt. 51. Art. 31. ſq. pag. 65. ſeqq.* Franc. Torreblanc. *de Mag. Lib. II. cap. 43. n. 15. ſeq. p. 311. ſeq.*

§. 3.

a prima conceptione.

Alii contra fœtum ſtatim a prima conceptione animatum exiſtere defendunt, ex. gr. Vopiſcus Fortunatus Plempius *Fundament. Medicin. Lib. II. Sect. VI. cap. 7. fol. 167.* inquit: Thomas Fienus edito libello predidit, ſemen in uterum conjectum tertio die a Deo animari, ab eaque anima emanare facultatem conformatricem, quæ corpus fabricet: id quod multis conquiſitisque rationibus adſtruit. Verum neſcio, cur tertium diem conſtituat duntaxat, quo infundatur anima; & non potius ipſo primo conceptions momento eam increari dicat, cum natura, ut ipſe fatetur, ne momento quidem otioſa ſit, ſed mox a concepto ſemine incipiat operari, ſtatimque a primo conceptionis momento operationes in ſemine fiant. Probabilius adſeruiſſet, ante tertium diem animam adeſſe, & mox a primo conceptionis momento opus formationis corporis humani aggredi. Sic paulo ante allegatus Paulus Zacchias *Lib. IX. Tit. 1. Qu. ult. fol. 742.* ſententiam ſuam mutavit, atque fœtum humanum nullo unquam tempore ab alia anima regi, quam a rationali, eamque in principio commixtionis ſeminum progenitorum & conceptionis eorum a Deo creatam & infuſam recipere, demonſtrat. vid. etiam *Tit. 1. Qu. 1. §. 4. fol. 729.* Et Daniel Sennertus ſolidiſſimis fundamentis oſtendit, animam humanam, ſive per traducem propagetur, ſive a ſummo numine inſpiretur, ſtatim ab initio & in ipſa conceptione aut conceptionis momento adeſſe, & operationes ſuas exercere. vid. idem Zacch. *fol. 82.* Inquit etiam François Mauriceau *Obſ. 318. pag. 186.* il me ſemble tres veritable,

table, que dés le premier jour & immediatement en ſvite de la conception l'ame eſt effectivement introduite dans le petit point de matiere, vers lequelle ont eſté concentrés tous les petits atomes des deux ſemences, qui eſtoient propres & diſpoſez à l'entiere formation du corps du fœtus &c.

§. 4.

Sic Dionis *des Acchouchem. Lib. I. cap. 13. pag. 100. ſeq.* ſcribit : Tous les anatomiſtes ne s'accordent point ſur le temps, à quel l'enfant eſt animé ; les uns le fixent à trente jours, d'autres à quarante, & d'autres vont jusques à deux ou trois mois ; mais ſuivant noſtre principe elle doit arriver plûtôt, qui eſt dans le temps, que le cœur & les vaiſſeaux ſont diſpoſez à commencer le mouvement circulaire du ſang ; ce ſeroit envain que la nature auroit fabrique un corps plein d'organes & de reſſorts, ſi l'ame n'y entroit point, il reſteroit immobile, & ſans vie. C'eſt donc l'ame qui met la matiere en mouvement ; c'eſt elle qui lui fait faire toutes ſes fonctions, qui comme ſouveraine ſe place dans le cerveau, d'ou comme d'un trône elle envoye par le moyen des nerfs ſes ordres à toutes les parties pour ſe faire obëir ; c'eſt elle enfin, qui conſerve corps, & qui le fait ſubſiſter tant qu'elle ne le quitte point, & qui le laiſſe perir, quand elle s'en ſépare. Mais qu'eſt-ce que l'ame ? de plus habiles gens que moi n'ont jamais pû le dire ; c'eſt pourquoi je n'entre prendrai pas d'en parler, je me contenterai de rapporter icy ce que quelques-uns en ont penſé : Il y en a qui croyent, que toutes les ames ſont creées dés le commencement du monde, & qu'auſſitôt qu'un corps étoit disposé à la recevoir, il en deſcendoit une pour l'animer ; d'autres ſont perſuadez, que les ames ſont créées a méſure, que les corps ſont formez & prêts à être organiſez ; d'autres que l'ame eſt une harmonie & union des quatre qualitez elementaires, qui font agir la matiére ; d'autres

Dionis ſententia.

treſque l'ame eſt l'eſprit & la chaleur dela ſemence, qui met en monvement les parties corporelles; d'autres qu'ella eſt un ſouffle du createur, qui comme cauſſe premiére fait mouvoir toutes les cauſes ſecondes. Tous ces diffcrens ſentimens ſeroient plus capables de nous embarraſſer que de nous éclaircir, ſi la foi ne nous enſeignoit pas, que l'ame eſt une ſubſtance inviſible & immortelle qui anime le corps; & qu'étant une etincelle dela divinité, elle doit ſubſiſter éternellement.

§. 5.

Alberti ſententia.

Prolixe etiam hanc ſententiam defendit Michael Alberti *Juriſpr. med. cap. 6. §. 3. pag. 123.* firmiter aſſerens, quod a primis conceptionis initiis mox anima rationalis in fœtu adſit, & quod ſine anima illa conceptio fieri nequeat, quæ tanquam artifex & amchitecta ſui corporis præſto eſt, à qua deinde formationis actus dependet. Quo loco dictus auctor plurimos adhuc ſibi conſentientes ſcriptores adducit. vid. etiam ejusdem Alberti *Introduct. in univerſ. Medicin. cap. 11. de Generation. §. 28. ſeqq. pag. 31. ſeqq.* vid. etiam ejusdem Alberti *Introduct. in univerſ. Medicin. cap. 2. de Generat. §. 28. ſeqq.* Eandemque ſententiam fovet Johannes Bohnius *de Offic. Medic. dupl. Part. II. cap. 8. pag. 622. ſeq.* eo ipſo, inquiens, dum cum ſanioribus philoſophis animam ſui domicilii ſeu corporis architectum concipimus, conceptus humanus nunquam non animatus exiſtet: proin fruſtra ſe torquent, qui terminum quemcunque animationis poſt conceptionem demum ſciſcitantur. Neque adeo facile hunc invenient, quamdiu penes illos non tantum, ſed theologos etiam, litigatur, ac determinari forſan nunquam nequit: an anima rationalis per traducem propagetur, ſeu congeneretur? an a Deo immediate creetur, ac primis fœtus ſtaminibus infundatur? hinc dubia pariter ac ſuſpecta evadet legum illarum auctoritas ac ſanctimonia. Priorem enim opinionem ſi admittamus, ſtatum & firmum maxime

Bohnii.

me erit, animam mox ſub primo conceptionis articulo embryonis corpuſculo ſubinexiſtere, & per conſequens, hunc nunquam non hominem dicendum fore; qui, ſicut in aliis caſibus, ubi præſertim de commodo ejus agitur, per leges pro nato habetur, v. g. ut hæreditate paterna fruatur, etiam in hoc, ne occidatur, ac incolumis conſervetur, talis æſtimandus venit. Ita ut ſatis mirari nequeam illorum hactenus medicorum inconſideratam temeritatem, quorum plurimi de congeneratione animæ enutriti, ſeu Traducianos ſe profitentur, vulgari nihilominus doctrinæ, de fœtus poſt conceptionem demum animatione, inhærent, ac terminum ejus breviorem longioremve, a judice quæſiti, pronunciant. Quemadmodum nec capere poſſum, cur illi legum quoque interpretes & adminiſtratores, quorum nihilominus noſtratium ex Traducianorum ſchola philoſophica prodiiſſe novimus, de ratione, hinc æquitate, ſuæ legis nunquam dubitarint; ſed in ſententia de fœtus abacti pœna ferenda antiquum ſemper obtinuerint, intelligentes, cum ſemine ſtatim in generationis opere animam in primum embryonis germen transfundi. Neque qui Infuſianos ſeu Inducianos ſe venditant, quam diu de tempore accreationis ſeu infuſionis ejusmodi ambigunt, ac ambigere neceſſe habent, (hoc quippe alii cum generationis tempore idem, alii huic plus minus poſterius, autumant) actuationis hujus terminum determinabunt; inprimis ſi poſt generationem factam, ſeu tunc demum, ubi embryonis machina ad receptivitatem animæ rite diſpoſita ſeu perfectius organizata eſt, eam a creatore inſpirari ſupponunt: ſicut, qui in ipſo generationis actu hoc fieri contendunt, non habent, cur in aliud animationis tempus disquirant. vid. etiam Bohn. *Specim. III. Medicin. Forenſ.* §. 32.

§. 6.

Item animationem fœtus ipſi conceptioni eſſe con- *ſententia Gœlicke.*

temporaneam, ſive, fœtum a primo conceptionis ſuæ momento animatum eſſe atque vitalem, atque adeo verum & perfectum hominem monſtrat Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. VI. p. 98.* qui etiam *§. 5. p. 104.* diſtinguit inter motus fœtus craſſos, locales & voluntarios, & inter ſubtiles atque inſenſiles; quorum illos ante dimidium geſtationis tempus nullo craſſo ſenſu animadverti poſſe, ambabus ulnis concedit; hos vero a primo conceptionis momento adeſſe & fœtui congenerari, inde diſpaleſcere ſcribit, quod ſine illis neque corpuſculum fœtus formari, neque nutriri, neque augeri & ad conformationis ſuæ ἀκμὴν pertingere unquam poſſet. Simul quoque eundem animatum eſſe oportet, quia vita ſine anima ſubſiſtere nequit; Fœtum enim inanimatum dicere velle vitalem, eſt contradictoria loqui, quia fœtus inanimatus non eſt vitalis, ſed verum potius cadaver &c. Ad quæſtionem, quid anſam dederit, diſtinguendi inter fœtum animatum & inanimatum? reſpondet Hermannus Fridericus Teichmeyerus *Inſtitut. Medic. legal. cap. 8. Qu. 3. pag. 47.* hanc diſtinctionem medice & phyſice nullius eſſe momenti, ſed originem duxiſſe ex imperitia phyſicorum & medicorum ac incertitudine hypotheſium de generatione humana, & animæ imprimis cum corpore conjunctione; ſicque JCtos a medicis & phyſicis ſeductos in hunc usque diem diſtinctionem hancce retinuiſſe. Plura de tempore, quo anima rationalis humano corpori infundatur, vid. Joh. Bapt. de Wenckh *diſſertat. in Ephemerid. Cent. I. & II. Append. p. 130.*

CAPUT III.

De

Fœtus reſpiratione & ſuctione.

§. I.

An fœtus in utero reſpiret & ſugat.

PОrro cum ad excluſi fœtus vitam ſuſtentandam reſpiratio maxime ſit neceſſaria, non raro etiam inter medicos ventila-

tilatur quæſtio: An fœtus in utero reſpiret? ad quam alii pariter affirmative, alii negative reſpondent. Sententiam affirmativam defendit Hippocrates *de Carnib. Oper. Sect. III. fol. m. 31.* inquiens: puer dum in utero eſt, compreſſis labris ex matris utero tum alimentum ſugit, tum etiam ſpiritum, qui in puero calidiſſimus eſt, ubi ſane mater reſpirat, in cor attrahit &c. Ad ſuctionem autem liquidorum, exſpuitionem, loquelam, ſternutationem neceſſariam eſſe reſpirationem, docet Elias Camerarius *Medicin. conciliatric. cap. 5. pag. 98.* Reſpiratio intra uterum ſecundum Petr. Stalpart. van der Wiel *de Nutrit. fœt.* §. *11. pag. 15.* æque neceſſaria eſt fœtui, quam alimenti per os aſſumtio. Et Jacobus Sponius *Aphoris. nov. ex Hippocr. coll. Sect. I. p. m. 39.* ſcribit: Fœtus in utero, ore & naribus ſpiritum trahit. Plerique exiſtimarunt, fœtum in utero non reſpirare; at affirmativam Hippocratis confirmat Galenus *Libro: an animal ſit, quod in utero continetur, cap. 3.* devorat, inquiens, & ſpirat: ore enim naſoque ſpiratus deſuper fit. Varias rationes pro & contra fœtus in utero reſpirationem adducit Gregorius Nymmanus *Diſſert. de Vit. Fœt. in uter. p. 37.* & primo quidem adverſariorum ſyllogismum, ſc. ubi nullus datur aër pro reſpiratione, cordis ventilatione & motu, ſpirituumque generatione neceſſarius; ibi quoque nulla datur vita, nullaque vitalis actio exerceri poteſt. In utero matris nullus datur aër, ut omnibus notum. Ergo ibi infans nec reſpirare, nec vitales actiones, quæ mediante reſpiratione fiunt, exercere, neque ſpiritus proprios, quorum etiam materia aër eſt, producere valebit. Deinde Nymmanus *pag. 38.* quoad hanc difficultatem diſtinguit inter ſpirituum generationem, & eorum ventilationem ac conſervationem. Aër, inquiens, conſervat & ventilat ſpiritus, non autem producit, neque etiam ad eorum generationem materialiter concurrit; quod falſum. Præterea, quid quæſo! abſurdi erit, ſi tantillum aëris, quo tenellum fœtus corpuſculum indiget, ipſi etiam in utero

affirmant alii.

concluſo communicari ſtatuam? Philoſophus *lib. 10. Hiſt. anim. c. 3.* ſcribit, circa os uteri reperiri meatum, per quem uteri clauſi reſpirent; ſane ſi modo ejusmodi meatus vel canaliculis in feminis oſtendi poſſet, res eſſet expedita, & per eum embryonem in utero reſpirare, facile affirmarem. Quid ſi eſſet vas illud rotundum & oblongum, quod ex uteri fundo utrinque ad externam pudendi ſedem excurrit, & tandem in clitoridem abit; nam hoc vas pervium eſt, deque ipſius uſu longe aliter ſentio, quam hactenus anatomici fecerunt. Verum utut ſit, ſive talis canaliculus adſit, ſive non, pro certo tamen affirmo, tantum aëris, quantum fœtus in utero pro ſua vita tuenda requirit, facile per matrem ejusque arterias ipſi ſuppeditari poſſe; idque vel inde demonſtro, quod obſervatum ſit, etiam infantes in matris alvo ploraſſe. Hæc Nymmanus. Juxta Galenum *de Loc. affect. Lib. VI. cap. 5. fol. m. 38. b.* in confeſſo eſt, & ſpirationem a vita, & vitam a ſpiratione ſeparari non poſſe: adeo ut viventem non ſpirare, & ſpirantem non vivere, ſit impoſſibile. Ad affirmativam ſententiam eruditiſſimique Roberti Boylæi aptanda venit annotatio in *Nov. Experiment. phyſ. mechan. de Vi aër elaſt. 41. p. m. 144.* inquientis: non vacat nobis, paradoxam Hippocratis in examen proferre ſententiam, quam docti aliquot medici non ita pridem reanimarunt, ſcilicet fœtum in utero reſpirare. Ex alia enim parte non facile quis imaginabitur, quomodo aër matris corpus transmeare valeat & tegumenta, quibus fœtus involvitur; Et cum natura in infantulis recens natis peculiaria & temporaria vaſa excogitaverit, ut ſanguis per alios tranſitus circulare poſſit, quam ſolet in iisdem individuis, cum liberiorem habent pulmonum uſum, non eſt veroſimile, infantes in utero proprie reſpirare, cum tamen ex noſtris pateat experimentis, omne propemodum liquorum genus interſperſis aëris corpuſculis perinde ac aqua, abundare; Non videtur abſurdum ſi quis dixerit, grandeſcentem fœtum (præſertim cum ſuperior

invol-

involventis amnii pars liquore deſtituta ſit, & halituoſa tantum ſubſtantia compleatur) obſcuram quandam reſpirationem exercere ; præcipue cum non ſit vana (ut multi iique ſcientes viri putant) fabula, infantulos in uteris matrum auditas fuiſſe vagientes ; Etenim raro quamvis accidat, aliquando tamen obſervatum fuit. vid. etiam Joh. Bohn. *Diſſert. I. de Infantic. in Tr. de Vulner. letal. p. 176.*

§. 2.

Ex hactenus autem allegatis liquet, nonnullos autores fœtui, materno carceri adhuc incluſo, reſpirationem equidem, non autem proprie ſic dictam, quæ ordinarie in fœtu excluſo, aëre per os & aſperam arteriam ad pulmones ingrediente, fieri ſolet, adſcripſiſſe, quibus adhuc alios, per varias vias embryoni aërem concedentes, annectere liceat. Fuit enim juxta Chr. Frid. Garmann. *de Mirac. Mort. præf.* §. *50. pag. 37.* antiquorum opinio, quod fœtus attrahat aërem, aut potius halitus ex matre, ſicut attrahit ſanguinem & nutrimentum per easdem vias. Et ex recentioribus circa uſum reſpirationis Dn. Mery contendit, fœtum in utero matris concluſum per matris pulmones reſpirare, neque ad circuitum ſanguinis minus neceſſariam eſſe reſpirationem in fœtu, quam in matre ipſa &c. vid. Joh. Bapt. du Hamel *Reg. Scient. Acad. Hiſt. Lib. IV. p. 320.* Juxta Joh. Nicol. Pechlin. *de Aër. & Aliment. defect. cap. 8. pag. 102.* fœtui, dum utero inhæreſcit, non alio opus eſt aëre, quam quem mater aſpirat, aut ipſa ſolida & liquida transmittunt per poros. De fœtus etiam reſpiratione ita ſcribit Thomas Bartholinus *Anatom. Lib. II. cap. 8. p. m. 411.* Pulmonum opera indiget ſanguis fœtus, ad ſui ventilationem & circulationem, unde & leviter moventur, quantum fœtui ad reſpirationem ſufficit, quia 1) Hippocrates ore & naribus reſpirare prodidit pro ſuo modulo, hoc eſt ſine multiplici, muſculorum thoracis conatu; 2) chylo nutritur per os ſicut adulti ſuctione

fœtum reſpirare per alias vias.

ne neceſſaria; 3) nonnunquam vagire auditur; 4) pullus intra ovum necdum rupto cortice ſæpe pipit biduum antequam excludatur; 5) catuli, vituli, agnelli exſecti ex utero ſtatim hiante utero reſpirant; 6) valide ſe in utero movent fœtus, ſurſum, deorſum, vorſum, qualis motus ſine aëris uſura nulli animalium convenit; 7) ob aëris copioſioris uſuram deorſum fertur ante partum. Quærenti, unde aerem hauriat, reſpondemus, non per umbilicum, ſicut alibi Cous, qui circulationi inſervit, nec per ſubtilem Carteſii materiam, in thorace contentam, quæ videri non poteſt, nec palpari, nec ad reſpirationem ſufficit, quia adulti, etiam ad levem reſpirationem, aere intercepto, ejus beneficium ſentire non poſſunt; ſed per poros membranarum, utero ſemper connivente, accedente aere in liquore, cui innatat, contento. Item, fœtum intra uterum ſine reſpiratione vivere, juxta Chriſt. Joh. Lang. *Phyſiol. Theſ. 39. Oper. Tom. I. fol. 240.* ab antiquioribus cunctis negatur, qui eum, uti ſanguinem & nutrimentum ſolidarum & fluidarum partium a matre obtinere, ita etiam per eamdem viam, h. e. per funiculum umbilicalem, ſpiritum ſub aere ad reſpirationem & vitam neceſſarium communicari crediderunt. Hinc mortua matre in partu, ne ſuffocetur ſtatim fœtus, antequam chirurgi manu extrahi ex utero poſſet, os defunctæ apertum ſervare aliquandiu jubent, ne aere ad matris reſpiratoria matris organo intercepto, fœtus quoque fluido hoc vitali carere cogatur. Inquit etiam Paulus Zacchias *Quæſt. med. legal. Lib. IX. Tit. 2. Qu. unic. §. 14. fol. 752.* fœtum matre mortua omni reſpiratione privari, cum fœtus ex ſeipſo non reſpiret, ſed tantum ex reſpiratione matris per umbilicales arterias reſpiratione fruatur, eaque ratione vivat &c. Et *l. a. Tit. 12. Qu. 3. §. 18. fol. 820.* idem ſcribit: duplici nutrimento eget puer in utero materno exiſtens, uno, quo partes ſolidæ nutriantur, altero, quo nutriantur ſpiritus, & ipſum cor refrigeretur. Illud per venas umbilicales, hoc per umbilicales arterias attrahit, per quas ad matris reſpirationem transſpirat, re-

ſpira-

ſpirare enim per os non poteſt. Vide etiam Coſmi Viardel *Anmerck. von der weibl. Geburt cap. 24. p. 103.* Barthol. Keckerm. *Syſtemat. phyſ. Libr. III. cap. 28. p. 441.* Sic etiam Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Centur. poſter. Obſ. 32. Schol. p. 352. ſeq.* fœtus per os reſpirationem exponens inquit: Ubicunque notabilis quædam exiſtit cavitas, cujus interna latera ſunt mollia, neceſſario cauſa quædam exiſtit materialis, quæ eandem conſervet; dilatante enim cauſa ſublata, coaleſcerent latera. Certum autem eſt, in pulmonibus fœtus cellulas quasdam ſive veſiculas, quæ cauſam habent conſervantem, reperiri; hæc autem non eſt aer, cujus ibidem non ita ſufficiens adeſt quantitas, quam quidem in jam natis, & libere reſpirantibus: Quapropter cauſa conſervans humor, cui fœtus intra amnion innatat, dicatur, neceſſe eſt. Ita piſces aquam immittere & exſpirare animadvertimus, ſine qua operatione vivere nequeunt. Quidni ergo ſimili fere modo, quo poſtea aer, humor intra amnion aliquatenus ſanguinem refrigeret? Quando igitur humor ille os ingreditur, portio tenuior, & forſan vapor tantum per conniventem epiglottida verſus inferiora, & hinc per laryngem aſperamque arteriam ad pulmones deſcendit, ut ita quodammodo expandantur dilatenturque. Eadem fere verba etiam in Theod. Craan. *Diſſert. de Homin. cap. 169. vel rectius 149 pag. 741.* leguntur. Utrum autem piſces ſub aqua reſpirent, adhuc dubium eſt, neque etiam Robertus Boyle *l. a. p. 143.* hujus quæſtionis determinationem ſibi arrogat; interim tamen inquit: eos, qui cetacei non ſint (illi enim manifeſto reſpirant) reſpirationem non habere proprie ſic dictam, qualem quadrupedes & aves exercere ſolent, arguere licet, quod unicam tantum habeant in cordibus cavitatem, pulmonibusque careant. Quod autem aer ad vitam ipſorum piſcium ſit neceſſarius, ideoque probabile eſſe, aliquam eos habere (licet obſcuram) reſpirationem, ex quibusdam obſervationibus & experimentis liquido patere addit.

§. 3. Plu-

§. 3.

reſpiratio defenditur. Pluribus adhuc rationibus reſpirationem fœtus in utero defendit allegatus Stalpartius *p.353. ſeqq.* & primo quidem duplicem ſiſtit reſpirationem, viſibilem alteram, qua ſimul pectus movetur, quæque idcirco multum requirit aëris; alteram minus viſibilem, cui aër intra os & fauces exiſtens ſufficit, qui ultimus reſpirationis modus minus a muſculis pectoralibus dependet. Hoc autem modo fœtum in utero reſpirare ſtatuit, idque autoritate Scherbii confirmat, dicentis, optime quosdam eſſe, qui ſine reſpiratione, id eſt, viſibili pectoris motu, non tamen absque ipſius reſpirationis uſu, vivant. Deinde varias adducit rationes, ſi fœtus, inquiens, in utero non reſpirat, quem, quæſo, in finem efformati ſunt diaphragmatis, omnesque reſpirationi inſervientes nervi? Quidni fœtus hos æque (quamvis non ita, ut poſt partum) ac alios moveret muſculos? Nonne horum nervorum tubuli, ſi absque ulla functione tamdiu quieſcerent, nunquam reſerandi obſtruerentur? Fœtum in utero reſpirare (quamvis non intromittatur externus aër) etiam ſtatuere licet, quod, quando ſalvis naſcitur membranis, neutiquam externum inſpirare queat aërem; quamprimum vero membranæ tolluntur, illico reſpiret, certo indicio, ipſum intra uterum reſpiraſſe; ſiquidem nemo alias concipere poſſet, quomodo fœtus ablatis apertisque integumentis, tam cito reſpiraret, & quomodo nervi reſpiratorii huc usque otioſi tam repente officio fungerentur. Aëris etiam, pergit idem, nonnihil aquæ admiſceri, quo piſces in aqua reſpirent, non ita pridem per antliam obſervavi pnevmaticam; hac ſenſim aër e vitrea, cujus dimidia pars aqua repleta erat, educebatur phiala, ac in ea piſcis natabat, factumque eſt, ut magis magisque ille ad ſuperficiem aſcenderit, donec tandem, exhauſto aëre, in latus deſideret, haud dubie moriturus, niſi parum aëris admiſſum fuiſſet, quo mox ad ſe rediens natavit. Fœtum etiam extra uterum membranis incluſum ſine externa reſpiratione per horas

ras

ras aliquot vivere poſſe, probat exemplo. Imo credibile ipſi eſt, fœtum tantum e materno nutrimento, quod multas particulas nitro-aëreas contineat, nec non vi fermentativa præditum ſit, accipere aëris, quantum adeo tenellum requirit corpus. Et motum cordis & ſanguinis in fœtu intra uterum absque externa reſpiratione rite poſſe procedere certum eſt, ſiquidem motus, qui in tenero iſto corpore tardior exiſtit, ut continuetur, non videtur tanta aëris propulſione, qui reſpiratione attrahendus eſt, nec etiam tali reciprocatione indigere, ſiquidem humor nutricius intra fœtus pulmones jam antea ſatis attenuatus particuliſque aëreis ditatus eſt &c.

§. 4.

Circa has tamen Stalpartii de fœtus in utero reſpiratione rationes varia moveri poſſent dubia, an ſcilicet ipſius ſecunda reſpirationis ſpecies hoc nomen mereatur, ſiquidem in reſpiratione vera & proprie ſic dicta aër per os ad aſperam arteriam & pulmones propellitur, dictus vero autor aërem intra os & fauces exiſtentem tali reſpirationi ſufficere ſtatuit. Deinde quærit idem, cui uſui formatum ſit diaphragma, nervi & muſculi reſpirationi inſervientes, ſi fœtus in utero non reſpiret? Ad quod reſponderi poteſt, formari has partes a prima conformatione cum reliquis totius humanæ machinæ partibus, v. g. oculis &c. ut licet fœtui, utero adhuc incluſo, nondum ſint neceſſariæ, ipſi tamen poſt excluſionem jamjam paratæ & perfectæ ſuis functionibus ſtatim inſervire queant. Porro fœtus in membranis ſalvis & integris ex utero excluſus eodem plane modo ac in utero, ſcilicet ſine reſpiratione per tempus ſupervivere poteſt, niſi ex alimenti defectu obeat: Quod autem fœtus, apertis membranis eundem involventibus, ſtatim reſpirare diſcat, non tam ab hactenus continuo exercita reſpiratione & aſſuetudine, quam ab aëre in fœtus fauces, aſperam arteriam & pulmones irruente dependet, tuncque reſpiratio pro- *Autoris ſententia.*

prie incipit. An etiam tantillum aeris, quantillum in liquore amnii & ejusdem ſpatio, ſecundum experimentum, per antliam ex aqua deſumptum, concipi poteſt, ad reſpirationem ſufficiat, difficile creditu: id quod de particulis nitro-aereis in nutrimento materno, nondum ſufficienter probatis, quoque locum habet. Quod etiam motus cordis & ſanguinis in fœtu intra uterum absque reſpiratione externa tardior ſit, illud a ſola debili ſanguinis circulatione, quæ in tali fœtu absque externi aeris per pulmones facta communicatione fieri ſolet, non autem ab inviſibili ſic dicta reſpiratione dependet. Hinc etiam varii autores talem fœtus in utero a quibusdam defenſam reſpirationem non admittunt; Imo ipſe Gregorius Nymmanus hanc reſpirationem acriter defendens, de ejusdem veritate dubitare videtur *l. a. p. 38.* conditionate inquiens: ſane ſi modo ejusmodi meatus vel canaliculus (qualem ex Ariſtotele adducit) in feminis oſtendi poſſet, res eſſet expedita, & per eum embryonem in utero reſpirare, facile affirmarem.

§. 5.

fœtus in utero non reſpirat.

Quapropter nunc etiam ad autores ob varias rationes, fœtum in utero non reſpirare ſtatuentes, progredimur. Inquit ſcilicet Michael Alberti *Introduct. in univerſ. Medic. Cap. 2.* §. *107. p. 40.* Fœtus in utero non reſpirat, quod quidem frequenter aſſeritur, ſed ob diverſas rationes veritati repugnat. Imprimis huic ſententiæ contrariatur peculiaris ſtructura, quæ circa cor fœtus obſervatur. Dum enim reſpiratio eo imprimis inſervit, quo ſanguis ex uno cordis ventriculo in alterum profluat, obſervantur in embryone foramen ovale & ductus arterioſus, per quas vias optime circa cor circulari poteſt, ut ſuperfluum tunc eſſet, pulmones per reſpirationem elevare & expandere. Et Gothofredus Bergerus *Phyſiolog. Med. Part. II. cap. 2. p. 481.* ait: Quo minus credamus, fœtum in utero reſpirare, anomalus ſitus & figura inſtrumentorum, nullum adhuc

ſententia Bergeri.

uſum

uſum ſpirantium, vetant. Namque in eo diaphragma adeo eſt reductum & fornicatum, ut nunquam magis; cavitas, quæ a pulmonibus occupari debebat, ſola materia ætherea obſeſſa, complanatis & reflexis ad poſteriora lobis, qui & ipſi cum nullo adhuc vitali, aut aereo colore, ſed ſolo ſanguine ſint perfuſi & aquis injecti fundum petant, una tamen reſpiratione formam ſtatim & gravitatem mutant, ac veſicularem colorem, & fractam cancellis ac lobulis minoribus ſuperficiem, quæ pridem erat planiſſima, acquirunt, aquisve, ob panſas veſiculas & relictam iisdem aeris portionem, innatant, nec deprimi amplius ab eadem poſſunt. Ac vacuos omnino aere pulmones fœtus eſſe, quamdiu utero concluſus tenetur, etiamſi partui proximus ſit, inde clare patet, quod ejusmodi fœtus pulmo in campana antliæ pnevmaticæ collocatus, educto ex eadem aere, nihil prorſus intumeſcat & infletur, aquæve deinceps injectus, ſubmergatur; quod aliter fieri deberet, ſi aliquid aeris in eadem exiſteret. Et *pag. 497.* reſpirationem ita explicat idem autor: quamprimum fœtus, membranis ſolutus, caput oſtio uteri effert & reliquo corpori viam & iter parat, mox affluens aer, & per os naresque ingruens in tracheam, otioſos hactenus pulmones explicat naſcentemque puerum ad contractionem diaphragmatis & deductionem thoracis incitat & compellit. Unde prima ab egreſſu ex utero, & introitu in hanc lucem, actio eſt inſpiratio, qua ſanguis elaterio aeris mox ita animatur, ut majore contentione per corpus tribuatur, & qui ante aquis mergebatur puer, jam in aere conſtitutus libero, tutus vivat, periturus alioquin oppreſſus pondere & gravitate aeris ſine reſpiratione. Hinc etiam fluit ſolutio problematis Harveani: Qui fiat, ut fœtus in lucem editus, membranis integris opertus, & in aqua ſua etiamnum manens per aliquot horas citra ſuffocationis periculum ſuperſtes ſit; idem tamen ſecundis exutus, ſi ſemel aerem intra pulmones admiſerit, poſtea ne momento quidem temporis ſine eo durare poſſit, ſed confeſtim

Cranii. moriatur? Theodorus Craan *Oeconom. animal. vel de Exort. Homin. Qu. 24. p. 292.* ad quæſtionem: an fœtus in utero reſpiret? ita reſpondet: Hoc abſolute affirmare non auſi ſunt veteres, ſed mirum in modum ſe torſerunt. Quidam exiſtimant, fœtum in utero reſpirare inſtar piſcium, qui aquam mixtam cum aliqua aëris quantitate continuo intro aſſumunt & rurſus ejiciunt; ſed hæc ſententia abſurda eſt. Si aqua ſimul cum aëre ingrediatur, bronchia pulmonum cellulas inflabit, quod ergo fieri deberet in omni fœtu: cum autem conſtet, pulmones, qui ſemel ſunt inflati, poſtmodum aquæ innatare, illos vero, qui nunquam ab illa materia fuere diſtenti, fundum petere, ſequitur, quod omnes pulmones in tantum deberent ſupernatare aquis, quod tamen falſum eſſe probat experientia. Deinde quomodo aër perveniret ad uterum, cum uterinum orificium exacte clauſum ſit materia viſcida atque tenaci, ut ne minimum ſtilum admittat. Imo licet concederemus, aërem uterum intrare poſſe, ille tamen frigiditate ſua potius noceret, dum fermentationes germinis deſtrueret, ut videmus, ova, ſi a gallina derelinquuntur & frigeſcunt, poſtmodum fieri ſterilia, & pullum inde non excludi. Exiſtimamus igitur, infantem in utero non reſpirare.

§. 6.

Deuſingii. Ad quæſtionem, quo pacto fieri poſſit, ut infans ſub finem ſeptem menſium in utero materno ſine reſpiratione vivere queat, quoniam illi, qui in eo termino naſcerentur, ne momentum quidem ſine reſpiratione vitam trahere poſſent? hanc rationem reddit Antonius Deuſingius *Geneſ. microcoſm.* quod antequam fœtus reſpirare incipiat, circulatio ſanguinis, cum per pulmones non poſſit, per foramen ovale fiat. Simulac vero infans aſpexerit lucem & aërem hauſerit, circulationem facilius & commodius poſſe fieri per pulmones, adeoque foramen ovale ſe claudere. Hinc ſi contingat, ut reſpiratio poſtea propter

propter aliquod accidens ſit impedita, cor neceſſario ex affluxu ſanguinis ſuffocari, quippe qui tranſitum nullum inveniat neque per pulmones, neque per foramen ovale. Quodſi vero caſu accidat, ut foramen illud ovale non obturetur penitus, tunc infantem diu absque reſpiratione vivere, & ſub aqua morari poſſe tamdiu, quam quidem piſces & animalia, quorum cor nil niſi ventriculus eſt. vid. Frider. Nitzſch. *Ephem. Cur. An. 1666. p. 307.* Andreas Laurentius *Hiſtor. anat. Lib. VIII. cap. 6. Quæſt. 26. fol. 323.* ad ſuperiorem quæſtionem ita reſpondet: non reſpirat fœtus, quia non debet. Sed neque etiam id poteſt. Nam materno concluſus utero & membranis circumſeptus, ſi ore aperto ſpiritum duceret cum aëre, aquas, quibus innatat, & in iis innocenter ut in balneo ſedet, ſimul traheret, & primo hauſtu haud dubie ſuffocaretur, ut qui in amnem demerſi obrui ſolent. Adde quod aërem non habet, quem ore trahat, infantulus, nullum enim in utero ſpatium eſt, quod non impleat; uteri vero oſculum interius ita connivet, ut ne flatum quidem admittat. Sed & pulmonum ſubſtantia & color, aërem nullum per os & nares inſpirari, ſatis indicant: quæcunque enim animalia per os aërem ducunt, ea pulmonem habent ſubalbum & tenuem: at pulmo in fœtu ruber eſt & craſſior: Non reſpirat ergo in utero fœtus, quia nec debet, nec poteſt. Nullum fœtum in utero matris reſpirare, ex ea ratione ſtatuit Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. Forenſ. Spec. IV. p. 74.* cui enim bono natura foramen ovale cum ductu arterioſo tanta induſtria in embryone efformaſſet? Fœtum in utero non reſpirare, defendit etiam Laurentius Bellinus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 75. p. 137. ſeq.* Fœtum in utero non reſpirare, ſtatuit etiam Johannes Theod. Schenckius *Schol. Part. Corp. hum. Part. II. cap. 2. p. 67.* Et juxta Frid. Hoffmann. *Medic. ration. Tom. I. Part. II. cap. 13. §. 19. p. 451.* fœtus in utero non reſpirat, ſed pulmones feriantur. Deficit enim aër atmoſphæricus, qui niſi pulmonum veſicularem & vaſculoſam ſubſtantiam diſten-

Laurentii.

dat, ſanguis ex uno ventriculo in alterum tranſire nequit, ſed breviorem viam per canalem arterioſum ex arteria pulmonali in arteriam aortæ terminantem, & per foramen ovale, quod ex auricula dextra ad venam pulmonalem ſpectat, inſtituit. Quod vero nullus aer in fœtus pulmone contineatur, experimentum per antliam pnevmonicam inſtitutum probat, dum pulmo infantis, arteria aſpera conſtricta, ſub campana collocatus, educto ex eodem aere nihil prorſus intumeſcit, aut inflatur & aquæ immiſſus ſubmergitur. Qua etiam de cauſa non de nihilo eſt illud experimentum, quo nimirum in caſu infanticidii per pulmonem infantis injectionem in aquam explorare ſolemus, utrum fœtus vivus, an mortuus in lucem editus prodierit, nam in priori caſu pulmo aquæ ſupernatat, in poſteriori ad fundum fertur.

§. 7.

Nenteri. Quod fœtus in utero non reſpiret, ſecundum Georgii Philippi Nenteri *Phyſiolog. Medic. Cap. 2. Membr. 2. p. 339.* exinde potiſſimum apparet, 1) quod pulmones fœtus admodum ſint compacti, ita quidem, ut aquæ injecti ſtatim inſtar lapidis fundum petant, ſemel vero inflati etiam aer ſummo ſtudio exprimatur, nunquam ſubmergantur, 2) quod pulmones fœtus antliæ pnevmaticæ incluſi, aere extracto prorſus non intumeſcant, quod tamen neceſſario contingere deberet, ſi aerem in ſe continerent, 3) quod uterus arctiſſime clauſus ſit, ac tunicæ ſatis denſæ cum amnii liquore aeris acceſſum prohibeant. vid. etiam Malach. Thruſton. *Diatrib. de Reſpirat. p. 88.* De utraque ſententia, an ſcilicet fœtus in utero reſpiret, nec ne, auctores adducit Georgius Francus in Annotat. ad Paul. Zacch. *Quæſt. Med. legal. Lib. I. Tit. 2. Qu. 4. fol. 65.* Prolixe etiam de fœtus in utero reſpiratione agit Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. mortuor. Diſſert. præliminar. §. 49. ſeqq. pag. 36. ſeq.* Fœtum tunicis incluſum non poſſe reſpirare, certum eſt, & a nemine amplius in dubium vocatur, inquit Hermannus Frid. Teich-

Teichmeyerus *Inſtitut. Medic. legal. Cap. 3. §. 6. p. 19. ſeq.* Secundum Coſmopolit. *Hiſtor. natur. p. 195.* proprie dicta reſpiratio fœtui in utero non obtingit, id quod accidit ob aeris defectum. Poſtquam autem ſemel reſpiravit, toto vitæ curriculo reſpiratio intercipi non poteſt.

§. 8.

Sequentibus verbis hanc fœtus in utero reſpirationem inpugnat Chriſtianus Johannes Langius *Phyſiol. Theſ. 39. Oper. Part. I. fol. 244.* Paucos reperio ex patronis hujus opinionis, excepto Hippocrate & Galeno, qui veram & adultorum omnino ſimilem reſpirationem adſcribant infantibus utero incluſis. Et hi urgent, pipire ſæpe pullos intra teſtam, antequam perrumpant hoc clauſtrum auraque fruantur libera vitali: nec non vagitum deprehendi uterinum in quibusdam ſubjectis. Quoniam vero vox formari ſine inſpirato aëre nequit, uti in antecedentibus oſtenſum. Ergo neceſſario in his caſibus reſpiratio vera præſupponitur. Attamen moneo hic primo, nullam adeſſe viam, per quam aër reſpirationi neceſſarius ad interiora, ipſasque membranas fœtum involventes, penetrare poſſit. Nec juvant, quæ Boylæus in Experimentis phyſico-mechanicis urget, nempe cunctis humoribus, adeo & liquori amnii interſperſa eſſe plura corpuſcula aërea, unde non videri abſurdum autumat, ſi quis dixerit, grandeſcentem fœtum, præſertim cum ultimis geſtationis menſibus ſuperior involventis amnii pars liquore deſtituta ſit, & halituoſa tantum ſubſtantia compleatur, illo tempore per os reſpirationem exercere. Nam utut admiſerim, quas in cunctis humoribus, adeoque & in amnii liquore ſupponit, aëreas moleculas, tamen non video, quid eas a compedibus humorum liberet, cum ſponte nunquam eæ ab his recedant, ſed ſemper, ſi id fieri debeat, vim quandam externam poſtulent, h. e. nunc ignem, quod videmus in æolipila, nunc aëris ſuctum, qualis adeſt in

Sententia Langii.

antlia

antlia pnevmatica. Deinde & illud repono, halituoſam illam in amnio occurrentem ſubſtantiam non eſſe ad reſpirationem aptam, hinc in cellis caldariis, ubi talis aër occurrit, diu reſpirare libere non poſſumus. Reliquos vero quod attinet medios terminos, reſpondeo, a pullis ad hominem non licere argumentari, quoniam poroſitas teſtarum acceſſum aëris manifeſto admittit, adeo ut intra teſtam vere reſpirare pullum ultimis incubationis momentis, dicere poſſimus &c.

§. 9.

alia opinio. Alia præterea claſſis autorum eſt, reſpirationem fœtus in utero defendentium, & hi a matre inſpiratum aërem ad placentam uterinam mitti aſſerunt, ut inibi ſanguini fœtus commixtus ſuppleat defectum veræ reſpirationis. Defendit hanc opinionem ex recentioribus Petrus van der Wiel *Diſſ. de Fœt. Nutrit. pag. 12.* putatque aërem e matris gravidæ pulmonibus per diaphragma ejusque uterum propter poros, tum temporis magis patentes, ferri ad placentam uterinam usque, ut ſanguis nimium a matris calore fervens in infante paululum refrigeretur. Sed quam prolixam ac omnino intricatam illi quærunt viam, in qua infinita occurrunt obſtacula, iſtam omnino inviam reddentia, prout id unicuique, leviter ſaltim in anatomicis verſato, ad oculum patet.

§. 10.

Bohnii. Denique fœtum equidem in utero non reſpirare aſſerit, liquori tamen matris nutricio virtutem quandam elaſticam concedit Johan. Bohn. *Circul. anat. phyſiolog. Progymn. III. pag. 37. ſeq.* ſupponens ſcilicet in embryone cordis & ſanguinis motum ſine reſpiratione ad partum usque integrum eſſe, utpote qui in tenello hujus corpore tardior & lentus magis, pro ſui conſervatione aëris impulſu haud indigebat, ſed cui humor nutricius, a matre deciduus & intra hujus pulmones rarefactus, ſeu virtute elaſtica actuatus ſufficere poterat. Succum a matre

tre

tre infuſum materiæ aëreæ mobilioris copiis proportionatis imbutum eſſe, inde augurari convenit, quod ſanguini arterioſo involutus intra illius pulmones vitalitatis perpetuandæ characterem receperit: Propter aëris autem acceſſum immediatum denegatum tardiorem in fœtu humorum motum celebrari, nobiliſſimus Boyle, ac celeberrimus Pechlinus experimento ſingulari palam faciunt. Scilicet catulos tunicis ſuis exemptos, &, antequam ſenſibiliter reſpirant, diſſectos, vix ullum aut perceptibilem cordis motum exercere, a tunicis vero liberatos thorace demum, poſtquam aliquandiu reſpirarint, aperto, pulſum cordis ſatis vibrantem edere eundem non raro per notabile tempus continuare. Ejusmodi proin motui teneriori elaſticæ aëris atomi proportionatæ ſunt, quibus non tantum humor nutricius a matre, ſed ſanguis quoque fœtus, per arterias umbilicales adfluens, intra epar uterinum, ſimili ratione ac alias in pulmonibus, imprægnatur: qui ideo per venam quoque umbilicalem purpureus & ſplendidus magis, pariter ac per venam pulmonalem, refluit, prout in catulis mihi aliquoties conſpicere licuit, hinc placenta pulmonis potius, quam epatis, uterini forſan nomen merebitur.

§. II.

Experimentum autem, cujus Bohnius modo ex Boyleo meminit in hujus *Experim. phyſic. mechan. Experim. 41. p. m. 142.* his verbis legitur: Prægnantem canem cepimus jamjam parituram, eique ſuſpenſæ abdomen aperuimus & quatuor catulos in utero invenimus; unum quorum exemimus, & poſtquam tegumentis, quibus involvebatur, & a liquore, in quo natavit, eum liberaſſemus, obſervavimus, quod repente plurimum hiaverit, linguam moverit, reſpirationemque exercuerit; mox abdomen illius & pectus aperuimus & diaphragma diſſecuimus; quibus non obſtantibus, ſæpe reſpirationem tentare videbatur, & intercoſtales muſculos, partem diaphragma- *Boylei experimentum.*

tis os linguamque mirum in modum commovebat. Ratio, cur hujus catuli mentionem facimus, hæc eſt, quod cupientes experiri, an reliqui catuli, qui nondum omnino reſpiraſſent, diu nec ne alteri ſuperviverent? Eos etiam ex utero exemimus, in quibus diſſectis tantum ſpiritus vitalis non invenimus, ut qui ulli in corde eorum motui perceptibili producendo ſufficeret, cum tamen alterius catuli cor, qui reſpirationem ſemel exercuiſſet, tamdiu pulſum continuavit, ut nos ipſi auriculam pulſare quinque vel ſex horas poſtea, obſervaverimus: Servusque, qui nobis dormientibus experimento invigilavit, atteſtabatur, ſe pulſationem iſtam duas adhuc horas diutius continuatam vidiſſe. Et Johannes Nicolaus Pechlinus *de Aëris & aliment. defect. cap. 8. pag. 97. ſeq.* inquit: alia eſt ratio embryonis adhuc virginis, alia expoſiti in lucem; ille, ut vivere ſine aëre poteſt, hic naturaliter non poteſt, ut mirer, cur ad probandum, hominem ſine aere vivere poſſe, ad fœtum pleriqne eumque involucris adhuc ſuis & liquoribus incluſum, provocarint. In embryone perſeverat cordis motus, etiam ſine aeris novi per reſpirationem acceſſu; in homine, niſi quid præter ordinem naturæ eveniet, ſtatim intercidit, quia hoc modo forma liquidi & motus inteſtinus ſufflaminatur. Fœtus autem ideo non videtur opus habere aeris uſu, quia a matre rarefactum ante ſanguinem vel liquorem fermento aereo imbutum accipit; is ipſe tamen, ſimul atque auras hauſit, & proprio victitare ſucco incipit, quæ a matre nequit, ab aere petere ſubſidia cogitur, ut nimirum ſemel rarefactioni illi & miſturæ fluidi aſſuetum ſanguinem jam inde a matre foveat atque conſervet. Accedit, quod motus humorum in fœtu tardior non requirat aeris tantam vel copiam, aut alternationem; Eſſe autem tardiorem, utraque & ratio & experientia oſtendunt.

§. 12.

Harvæi Problema. Hactenus adductis optime reſolvitur problema, quod Gui-

Guilielmus Harvæus *Tract. de Generat. Animal. in ſpec. de Part. pag. m. 507.* viris doctis proponit: quomodo nempe embryo poſt ſeptimum menſem in utero matris perſeveret, cum tamen eo tempore excluſus ſtatim reſpiret? imo vero ſine reſpiratione ne horulam quidem ſupereſſe poſſit; in utero autem manens ultra nonum menſem, absque reſpirationis adminiculo, vivus & ſanus degat? Vel, qui fiat, ut fœtus in lucem editus ac membranis integris opertus, & etiamnum in aqua ſua manens, per horas aliquot, citra ſuffocationis periculum, ſuperſtes ſit: idem tamen ſecundis exutus, ſi ſemel aerem intra pulmones attraxerit, poſtea ne momentum quidem temporis absque eo durare poſſit, ſed confeſtim moriatur? Non fit hoc certe ob defectum refrigerationis. nam in partu difficili ſæpe per aliquot horas in anguſtiis illis ſine ulla reſpiratione hærens, vivus tamen perſentiſcitur; quamprimum autem egreſſus fuerit & vitalem hanc auram hauſerit, eadem mox præcluſa dictum factum exſtinguitur &c. vid. etiam Frid. Nitzſch. *Ephemerid. Erudit. pag. m. 307.*

§. 13.

Et Johannis Bohnii *Circul. anat. phyſ. Progymn. III. pag. 39.* judicio & verbis facilius ſolvere hoc problema licebit, quam hactenus quidem ab uno vel altero ſcriptorum & ex aliis hypotheſibus factum. Scilicet, fœtus ſeptimeſtris partu intempeſtivo excluſus mox reſpirat, & ſine reſpiratione ne aliquot quidem momentula vivere poteſt, qui tamen in utero ultra nonum menſem ſine aeris uſu ſupereſt & vegetus perſeverat. Pariter ſæpius aliquot a matris obitu horis vitalis per ſectionem cæſaream educitur fœtus & tunicis involutus nihil aeris indiget; ſimulac vero ejus delicias ſemel delibera-vit, his intercluſus illico ſuffocatur. Hic enim dicere haud ſufficit, poſt reſpirationem hinc circulationem ſanguinis per pulmones inchoatam, horum motu interrupto hunc ſtagnare *Bohnii reſolutio.*

& ſtrangulare: Foramen ſiquidem ovale & canalis arterioſus, in fœtu patuli meatus nondum adeo præcluſi ſunt, quin ſanguis eosdem repetere & per canales intactis pulmonibus circumferri queat, cum experientia horum veſtigia ſatis conſpicua in adultioribus non raro ſubjectis teſtetur. Nec admittere convenit, humores ſecundis incluſos tantum particularum nitro-aërearum continere, quantum pro analogo reſpirationis præſtando & vita infantuli aliquantiſper continuanda requiritur, quatenus ſpiritus ille nitro-aëreus hujusve ad vitalitatem concurſus in progymnasmate quarto & quinto in dubium vocatur &c. Ibidem etiam Borelli ſententiam adducit.

§. 14.

fœtus membranis extra uterum vivens. Fœtum autem extra uterum membranis ſuis adhuc integris incluſum ſine externa reſpiratione per aliquot horas ſupervivere poſſe, ſequenti exemplo probat Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Centur. poſter. Obſ. 32. Schol. pag. 355.* Erat ſcilicet in obſidione Bergarum ad Zomam militis quædam uxor, quæ ultimo geſtationis menſe aquam quærens ita ferro e civitate ejecto lædebatur, ut media corporis pars huc illuc diſpergeretur, nec non uterus cum membranis extra propugnaculum delaberetur in aquam. Paulo poſt contigit, ut miles quidam circa illum locum excubias agens in aqua quendam animadverterit motum, unde rei novitate allectus haſta corpus illud, (quamvis quid eſſet, plane ignoraret) ad ſe attraxit: ac tum quidem vivum fœtum fuiſſe, qui motionem illam in aqua produxiſſet, videbat, quem mox ad tribunum, cui Corduæ nomen, tulit, qui mirando caſu audito, fœtum membranis continuo ſolvi juſſit, atque ad Iſabellam Claram Eugeniam, Belgii gubernatricem demiſit, quæ eum, utpote mire natum baptizari, Albertumque Ambroſium vocari atque optime educari præcepit. De hac parentis ſui obſervatione de fœtu membranis ſuis incluſo extra matricem vivo in aqua re-

reperto poſteaque educato ſcribit ipſius filius Petrus Stalpart *Diſſert. de Fœt. Nutrit. pag. 45.* ſi vero id cuipiam minus videatur verum, quamquam illud ſat manifeſta probent teſtimonia, a me nuper factum id ſatis confirmaverit experimentum. Cane enim gravida, non hujus ſed alius experimenti gratia, viva diſſecta, poſtquam uterus extra abdomen proruiſſet, & hujus pullum unum & alterum ex utero examinaturus cepiſſem, placuit reliquos, qui, matre jam diu mortua, per mediam circiter horam aëri externo expoſiti nihilominus vivebant, membranis involutos in aquam tepidam immittere, & reperi etiam poſt aliquot horas eorum pulſus. Aliud tamen exemplum recenſet Thomas Bartholinus *Act. Haffn. Vol. II. Obſ. 35. p. 93.* ſe ſcilicet puellum membranis ſuis ita involutum poſt partum vidiſſe, ut quid eſſet ignoraretur, antequam illæ diſſecarentur. Julius Mazarinus haud nudus, ut ceteri homines, ſed tunica quadam, quaſi veſte, circumdatus in vitam introiviſſe dicitur. vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1717. menſ. Majo pag. 225.* De ejusmodi partu ita ſcribit Lambertus Velthuſius *Tract. de Generat. cap. 11. pag. 256. ſeqq. & Oper. 1351.* omni admiratione dignum eſt, fœtum, vel potius infantem omnibus membris & viſceribus perfecte inſtructum & utero adhuc incluſum ſine reſpiratione tam diu vivere poſſe: imo etiam poſtquam utero excluſus eſt, ſed ſecundinis integris adhuc involutus, manet ad longum tempus ſine reſpiratione, ſolent etiam tales partus aliquando fieri, & habentur inter perfectiſſimos: neque immerito, cum enim parturitionis tempore inſtante, fructus ventris una cum ſecundinis, quæ ad partum & infantem pertinent, matureſcunt, etiam infirmius uteri ſubſtantiæ adhærere debent: quemadmodum fructuum arborum pediculi, quo majorem fructus nanciſcuntur maturitatem, minus firmiter ramo connexi ſunt. Ejusmodi tamen fœtum natum ob neceſſariam refrigerationem vix ad ſemihoram ſupereſſe poſſe, defendit Isb. de Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap. 35. fol. 234. ſeqq.*

§. 15.

Reſpiratio repetita.

Quamvis autem Guilielmus Harvæus *de Partu p. 508.* cum plerisque autoribus ſentiat, quod ſi fœtus poſt partum, & quidem diſruptis membranis, ſemel aërem intra pulmones attraxerit, poſtea ne momentum quidem temporis absquē eo durare poſſit, ſed confeſtim moriatur; ſiquidem, quamprimum egreſſus fuerit & vitalem hanc auram hauſerit, eadem mox præcluſa dictum factum extinguitur: Interim manes Harvæi non ægre laturos confidit Johannes Bohnius, ſi de fide experimenti hujus abſoluta ejusque univerſalitate ambigat i. e. forſan non omnem fœtum, qui jamdum reſpiravit, mox ab aëris externi penuria extingui. Ambigere ſiquidem, pergit Bohnius *Circulat. anat. phyſiolog. Progymn. III. pag. 40.* me jubent binæ hiſtoriæ ſtuporis plenæ, quarum nihilominus fidem acta forenſia teſtantur. Scilicet in prato Torgavienſis agri anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono meretricula quædam puellam enititur, quam tanquam flagitii teſtem ut occultaret, vivam in terram vicinam defodit, vivam nihilominus poſtmodum magiſtratus protrahit. Pariter anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto parentes, quam ex nefario coitu generarant, filiam editam mox pannis involvunt, ſcrobi in horreo ad altitudinem pedis paratæ imponunt, terra hanc replent, & ſpicarum avenaciarum mergitibus tegunt, mirando tamen fato: quo miſella hæc defoſſa poſt ſeptem horarum ſpatium ſuperſtes, & viva eruta fuit, & parentes a crudeli infanticidii crimine liberavit. Varia de reſpiratione fœtus in utero reperiuntur in *Sialolog. noſtr. cap. 7. Quæſt. 3. & 5. p. 385. & 388.*

§. 16.

an fœtus in utero ſugat? affirmatur.

Progredimur nunc a fœtus in utero reſpiratione, ad ejusdem ſuctionem, quam pariter alii autores admittunt, alii negant; absque dubio enim plerique eorum, qui in Sectione pri-

prima fœtus nutritionem per os fieri ſtatuunt, pro meliori liquoris amnii aſſumtione, dictam ſuctionem tacite concedunt, quanquam alii eundem liquorem per motum in embryonis os impelli credant: Alii expreſſis verbis hanc ſuctionem ſtabiliunt. Fœtum enim compreſſis labiis alimentum in utero materno ſugere, paulo ante ex Hippocrate, *de Carnib.* adduximus, quo loco *fol. 31.* hanc reddit rationem; nec ſtercus haberet, niſi in utero ſugeret; neque utprimum puer natus ubera ſugere noſſet, niſi in utero ſuxiſſet. Sequentia de fœtus ſuctione ex Harvæo, obſervationi ſuæ *32. Part. poſter. Schol. p. 330.* inſeruit Cornelius Stalpart van der Wiel: Velut pullus, & alia animalia liquori intra ovum innatantia os aperiunt, ut humoris portionem aſſumant, ita etiam per os ſugere fœtum ſcribit: Quamprimum enim aliquam nanciſcitur perfectionem, membra protinus movet, & ſiquidem alios commovet muſculos, quidni etiam oris, & œſophagi organis ad liquorem illum intromittendum uteretur? Fœtum autem in utero materno ſugere, vel hinc liquet, quod, ſi recens editi fœtus ori inſeratur digitus illico deprehendatur ſugere, imo obſervatus eſt fœtus ipſo tempore partus, antequam lacrymari, vel recte reſpirare potuit, digitum in os inſertum attraxiſſe, quod in vitulis nondum editis experiri licet. Fœtum inſuper recens natum longe melius, quam adultum hominem ſugere, rectiusque multo labiis papillam amplecti, videmus. Fatetur etiam Coſmopolita *Hiſt. natur. p. 143.* ſe primum vix potuiſſe credere, infantes in utero ſugere, etiamſi autores fide digniſſimi illud comprobarent argumentis ſolidiſſimis ipſaque avtopſia demonſtrarent, ſed per diſſectionem ac inſpectiones varias canum, leporum, cuniculorum, imo ipſius hominis, comperi autorum ſcripta circa hanc eſſe veriſſima, præconceptamque opinionem depoſui, atque non amplius dubito, quin fœtus in utero ſugant aquam, cui innatant &c. Puerum in utero ſugere lacteam lympham, certis recentiorum obſervationibus probatur, uti

Geor-

Georgius Baglivus *ad Nicol. Andry Epiſtol.* ſcribit. vid. Andry *de la Generation des Vers. p. 266.* Gualterus Charleton. *Oeconom. Animal. Exercit. 8. p. m. 178.* ait: Fœtum humorem lacteum, in quo innatat, per os ſugendo ſibi aſſumere &c. De ſuctione fœtus ita ſentit Guilielmus Harvæus *de Generat. Animal. Exercitat. 58. p. m. 381.* Fœtus quamprimum in lucem editur, imo vero, priusquam natus eſt, ſugit: tanquam id in utero jam pridem egiſſet. Quippe experti ſumus, eum in partu hærentem, antequam ejulare, aut reſpirare poſſit, digitum ori admotum apprehendere & ſugere. Quinimo recens natus ſuctionem accuratius molitur, quam adultus, aut ipſemet per aliquot dies deſuetus, queat. Neque enim infans papillam labiis comprimens ſugit, ut nos, abſorbendo, ſed quaſi deglutire vellet, totam in fauces usque attrahit, linguæque & palati auxilio, tanquam manducando, lac emulget; majore profecto conatu atque arte, quam adultus poſſit. Didiciſſe igitur longa conſuetudine videtur, antequam natus eſſet; quod deſuetudine tam brevi dediſcere poſt nativitatem experimur.

§. 17.

negatur. Minime tamen fœtum in utero ſugere, hancque ſententiam Hippocrati attributam non eſſe admittendam, docet Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *de Format. Fœt. Part. II. cap. 7. fol. m. 92.* cum hæc ſententia a veritate & Hippocratis mente alieniſſima omnino ſit, atque Hippocrates fœtum non per os & ſuctionem, ſed per umbilicum nutriri prodat. Itaque fieri facile potuit, ut ad Hippocratis librum augendum prava fuerit inſerta ſententia, quod Ariſtotelis teſtimonio facile comprobatur, qui iſtiusmodi opinionem Democrito, & Plutarchus Democrito & Epicuro tribuunt, eamque pariter refellit, ex eo, quod per diſſectionem fœtum ſugere non appareat, cum obvolutum membranis concluſumque & ab utero ſeparatum undique ipſum conſpiciamus; adde quod neque deglutitio-

titionis, neque labiorum, neque motus ullus fœtui uſus eſt; cum neque etiam, quod deglutiat, habeat, ſed ſtultas opiniones admodum ſcrutari ſtultum eſſe prodidit Ariſtoteles. Philippus Nenterus *Phyſiol. med. Cap. 11. membr. 2.* §. *4. p. m. 338.* ſuctionem ideo non admittit, quia abſque reſpiratione impoſſibilis ſit; cum autem certiſſimum ſit, fœtum in utero non reſpirare, quomodo ſugere poterit?

CAPUT IV.

De Fœtus in utero vagitu.

§. 1.

Cum ad fœtus in utero reſpirationem atque ſuctionem probandam multi autores inter alias rationes etiam infantis in utero vagitum adducant, ante omnia, an detur ejusmodi ploratus vel vagitus, inquirendum duco; cumque eundem pariter ac ipſam reſpirationem, nonnulli affirment, ſeque obſervaſſe teſtentur, alii contra eundem negent, illosque deceptos fuiſſe aſſerant, affirmantium exempla primo evolvemus. *de fœtus vagitu in utero.*

§. 2.

Scribit autem Mart. Weinrichius *de Ort. monſtror. cap. 26. p. m. 232.* nostris temporibus infans triduo antequam ederetur in lucem, nullo ad exitum parato aditu, flere auditus eſt, in hac ipſa urbe Bresla. Sequentes obſervationes refert Daniel Sennertus *Pract. Med. Lib. IV. Part. II. Sect. V. Cap. 8. p. 374.* Fabritius in Epiſt. ad fratrem ſcribit, anno 1551. Miſenæ fœtum in utero ploraſſe; & Jobus Fincelius narrat, anno 1546. paulo ante bellum Germanicum infantem in utero matris fleviſſe, unum in Meſina, alterum Rotwillæ ad Nicrum. Andreas Libavius refert, Leonhardum Doldium de vagitu uterino hæc ad ſe ſcripſiſſe: Cum Argentinæ nuper apud fratrem agerem, certo relatum eſt, uxorem ſartoris in vicinia illius fœtum utero adhuc *Vagitus exempla.*

geſtantem hunc ipſum vagientem cum aliis audiviſſe, non procul abſente partus tempore. Et Rotenburgi ad Tubarim 1569. 12. Novembr. qui fuit ante partum quadrageſimus ſecundus, parentes fœtus feminei vagitum vicies perceperunt, & ſequente die quoque bis; mortua in partu matre &c. Anno 1632. Wittebergæ fuit femina, jam ultra undecimum menſem gravida, quæ ipſa, ut & maritus ejus infantem aliquoties ante partum plorantem audiverunt. Et ſuperiori anno in ſuburbio Wittebergenſi femina filium peperit, quem triduo ante partum plorare audivit. Hæc & alia exempla refert etiam Johannes Rudolphus Camerarius *Memorabil. Medicin. Cent. IX.* §. *17. p. 868. ſeqq.* Item Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. I. p. 1. ſeqq.* ubi ſequentes obſervationes proprias addit: Verſabar in Belgio 1640. quum prope Veſaliam de femina quadam ferebatur, quæ tum per triennium integrum uterum geſtarat, cujus fœtus a multis fide dignis vagire dicebatur. Alia nobilis femina Leydæ narrare ſolebat, uxorem fratris ſui, cum inſtaret tempus ejus partitudinis, dum eſſet in lecto marito accubans, accidiſſe vagitum infantis in utero adhuc conditi, obſtupefactamque excitaſſe virum dormientem, qui & ipſe, capite intra lectualia poſito, eum audierit, mulierem vero perterritam paucos poſt dies enixam eſſe. Chriſtianum II. Danorum regem, utero materno clauſum, vagitum edidiſſe, teſtantur Annales Haffnienſes. Notum cunctis inquilinis & communi ore percrebuit, ineuntem annum 1648. ſimili augurio initiatum. Uterum jam octo menſibus geſtaverat uxor, prope templum Holmianum, bono corporis habitu prædita nec annoſa. Supervenit autem ultimo geſtationis termino, quod nec ipſa ſperaverat, nec alii. Secura de partus felicitate mulier, dum feſta ſolennia exſpectat, pridie natalium ſervatoris, & calendarum anni ſequentis, & Epiphaniarum, totidem vicibus fœtum ſecretis ſuis concluſum tanto ſono clamare audivit, ut a viciniis exaudiretur: Ad inſuetum vagitus exemplum concurrunt

cater-

catervatim & vicini noti & ignoti alii rei novitate exciti. Mulieris interim cuſtodiam accuratam imperat magiſtratus, ut de vagientis nativitate certius deinde conſtaret. Inter varias vero expectantium ſollicitudines tandem maturo partu prægnans ſana femellam ſine vehementi dolore enixa eſt ſanam beneque conformatam. De fide hiſtoriæ nemo ambigat. Sequentem caſum recenſet Baldaſſer Timæus a *Güldenklee Caſ. med. Lib. IV. Caſ. 24. p. 222.* Davidis Hœpneri, mercatoris Colbergenſis, conjux nono circiter poſt conceptionem menſe, in ipſo feſto Pentecoſtes in templo auditioni verbi divini intenta, vehementem embryonis motum, mox & ejulatum ejusdem ſumma cum animi conſternatione percepit, adeo ut in lipothymiam incideret, e qua excitata denuo & poſthac ſæpius ploratum fœtus obſervavit. Audivere hunc vagitum & aſſidentes in templo feminæ, & domi maritus reliquique domeſtici & familiares. Decimo menſe peperit filiam, ſanam quidem, at tertio ætatis anno ab ancilla veneno arſenicali interemptam &c. Vagitus uterini certum ſe in patria, Lutetiæ ſcilicet, exemplum habere, inquit Petrus Borellus *Hiſt. med. phyſ. Cent. III. Obſ. 72. p. 254. ſeq.*

§. 3.

Meminit etiam Johannes Bohnius *Diſſert. I. de Infanticid. in Tract. de Vulner. Lethalit. edit. in 4. p. 176.* quandam theologi univerſitatis Lipſienſis & archidiaconi uxorem, anno 1684. geſtantem, talem vagitum penes ſe aliquoties, & ſemetipſum illi aſſidentem percepiſſe: quacunque demum ratione hoc evenerit. Inde etiam ſe eo promptius ſubſcribere dicit, quod Boyle *de Vi aër. elaſt. Experim. 41.* minus abſurdum credat ſcribere, grandeſcentem fœtum forte obſcuram quandam reſpirationem exercere: ideo quod non vana fabula ſit, infantulos in uteris matrum aliquando auditos fuiſſe vagientes, uti hoc exemplo comprobat. Iſibordus ab Amelunxen annotavit: mulieris Bronckhuſanæ infantem adhuc in utero vagiiſſe & exclu- *alia exempla.*

ſum ſtatim monſtraſſe fœtorem cruentum. *v. M. N. C. Dec. II. An. 6. App. p. 45.* Honeſta femina, annos triginta quatuor nata, ultimo graviditatis menſe, cum mane e lecto ſurgeret, fœtum in utero vagire audivit, quod etiam adſtans maritus animadvertit; ſed poſt quatuordecim dies absque ullis portenti, quod vana pertimiſcebat, indiciis, puerum feliciter in lucem edidit. vid. Bernh. Verzaſch. *Obſ. med. 4. p. 9.* qui *pag. ſeq.* hanc obſervationem ex Gualtero Needham annectit: Illuſtri feminæ contigit in cœnaculo poſt epulas una cum marito & ſacellano domeſtico aliisque ſedenti, ſentire inſignem in ventre commotionem, quæ veſtes adeo concuſſit, ut ab adſtantibus cerneretur (gravida tum erat & octavo menſe fœtum geſtavit) ſubito vox audita eſt, cujus originem, unde venerat (de embryone nil ſuſpicati) conjicere non poterant: mox tamen & ſecundo perturbari inſigniter matronæ ventrem & veſtes conſpiciunt, ac ſimul clamorem tanquam inde provenientem audiunt: dum hæc mirantur & invicem de portento conferunt, tertio eadem omnia eveniunt tam clare, ut attentiores jam facti, eum ex utero provenire non dubitarent. Hanc obſervationem recenſet ipſe Gualterus Needham. *Diſquiſit. de format. fœt. cap. 3. in Biblioth. anat. Tom. I. fol. 553.* Inquit etiam Robertus Boyle *de Vi aër. elaſt. Experim. 41. p. m. 144.* ipſe dominam quandam novi, cujus amici, cum ea paucis abhinc annis prægnaret, apud me conqueſti fuerunt, illam vagitu infantuli ſui plurimum multoties terrefactam, quod & ipſa una cum amicis illius prodigioſum quid eſſe autumavit. Anno 1672. Thorunii die 4. Martii puer naſcebatur, qui præterlapſo menſe Januario ter & quidem tribus diverſis diebus, inſolito vagitu nativitatis ſuæ tempus prævertit, referente Georgio Segero *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 164. p. 296.* ubi dictus autor addit: de veritate hiſtoriæ non eſt quod dubitetur; neque enim parentum ea eſt conditio, ut ſimilibus figmentis aut quæſtum, aut famam quærere neceſſum habeant. Ipſi vero naturæ gratias, quas poſſum,

ſum, habeo maximas, quod ſimilibus exemplis Hippocratis ſententiam, qua embryonem in utero ore quoque alimentum haurire ſtatuit, confirmare, atque, quæ olim ego Baſileæ anno 1660. in diſſertatione mea de Nutritione fœtus humani in utero, typographicis commiſi literis, veritati congrua eſſe, probare velit. Femina quædam honeſta, tertia vice gravida, menſe ſeptimo ſentiebat frequentes & inſolitas plane fœtus commotiones, quas tandem vagitus & clamores ejusdem tribus diſtinctis vicibus ſequebantur, ut vir accumbens admonitus aures arrigeret, & eosdem quoque manifeſte perciperet, annotante Chriſtiano Vatero *M. N. C. Dec. II. A. 8. Obſ. 196. p. 497.* Monſtrum Yſtadienſe ante partum ter vagitum edidiſſe, modo ſubmiſſo, modo elato ſono, refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. I. Obſ. 8. p. 17.* Idem etiam *Epiſtol. Centur. IV. Obſ. 86. p. 488.* meminit infantum in utero materno febricitantium, quorum unum in utero etiam vagientem mater octo ante partum diebus diſtinctiſſime audiverat.

§. 4.

De fœtu vagiente ſequentia refert Roſinus Lentilius *adhuc alia.* *Iatromn. Part. II. cap. 2. p. 360. ſeq.* Proditura in lucem intra ſex hebdomadarum ſpatium in utero materno hic loci ante annos non ita multos vagire fuit aliquibus audita infeliciſſimi patris proles. Hic enim, ex qua incognitum cauſſa, matre, ni fallor, cum ipſa prole, adhuc puerpera, gladio ſemetipſum in muſeo transfodit, purpuream animam efflans ante, quam ſenſibus integris quisquam ſuccurrere poſſet. Anno 1639. Nordlingæ ipſa dominica Exaudi intra ſextam & ſeptimam horam antemeridianam & ſequente feria quarta, die 29. Maji eodem tempore infans in utero materno bis ab utrisque parentibus clarum ejulare perceptus eſt. Examinati ſuper hac re parentes factum conſtantiſſime aſſeruerunt. Concionem ſuper hoc portento peculiarem habuit ſuperintendens tunc Nordlingenſis, Dn. Jacobus Hernſchmidt, eodem anno typis mandatam;

menſis adhuc erat, quem puſillus in uteri carceribus explendum habebat. Nec defuerunt, qui miris mendacibusque circumſtantiis rem exaggerarent, puſionem ſcilicet Hebraice in utero locutum, & aliquoties væ, væ, exclamaſſe. Plura exempla ibidem quoque refert Lentilius. Sic mulier Ferrarienſis annorum triginta trium, ſecunda vice gravida menſe octavo, maximas ſentiebat fœtus commotiones, poſt quas vagitus triplicatus ſecutus eſt, quem & maritus & ſoror ejus audivire juxta relationem Joſephi Lanzoni *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 136.* Weiſſenburgi filiæ ab utero excluſæ vagitus exauditus, vitæ & incolumitatis cauſa fuit, qua nunc fruitur Weſſingæ degens, inquit Johannes Riolanus *Anthropog. Lib. VI. f. 363.* Item *fol. 398.* aliud vagitus exemplum refert, quod jam ſupra *Cap. I.* §. *5.* adduximus. Vicies fœtus vagitum uno die feminam quandam audiviſſe[1], ex Libavio refert Johannes *Sperling de Format. homin. Cap. 7. p. 144.*

§. 5.

de ploratum fœtus in utero.

Illuſtriſſimi comitis de cellari filius ſecundo natus fletu ſuo (cum adhuc in utero matris eſſet) omnes in admirationem traxit: flevit enim, antequam naſceretur, clariſſima voce, ita ut omnes adſtantes audiverint, obſervante Joſepho Ignatio Muſchel de Moſchau *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 233. pag. 549. ſeq.* quo loco annectit, ſe hunc puerulum, circiter trium annorum, anno 1696. apud illuſtrem ipſius avum, dominum de Oſterberg, vidiſſe, qui eum tunc temporis de fletu ſui nepotis, in utero matris exiſtentis, certiorem reddidit. Ejusmodi vagitus etiam mentio fit dans le Journal des Sçavans *Tom. XIV. pag. 266.* Dans une lettre du Sr. de Brevil Givron à Mr. le Duc de Luyne, écrite du Château de la Thebaudan. J'ay crû, que vous ne desagréeriez pas, qu'on vous appris une choſe fort extraordinaire, qui eſt arrivé en ce païs. Etant chez Mr. de Boſſac, on nous vint dire, qu'il avoit à 3. ou 4. lieuës d'icy une femme groſſe, dont l'enfant crioit dans ſon

ventre:

ventre: de ſorte qu'on l'entendoit diſtinctement. Pluſieurs perſonnes nous ayant confirmé cela, je reſolus d'aller moy-même ſur les lieux pour m'éclaircir dela verité, dont on doute toûjours avec quelque ſorte de raiſon dans des relations auſſi inouyes. Le lieu, où celle-cy eſt arrivée, ſe nomme le bourg de Pleſſé. Accompagné d'un autre gentilhomme je fus ſamedy au dit lieu de Pleſſé, où m'eſtant addreſſe à Mr. le Vicaire dela Parroiſſe, il m'aſſura de la verité de cette nouvelle. Pour en eſtre neanmoins plus perſuadé, j'allay chez cette femme, nommée Marguerite Daniel, femme de René Rondeau Sergier, & ſœur de François Daniel, un des Officiers, laquelle je trouvay en ſa maiſon. M'eſtant enquis d'elle des particularitez du fait, je ſceus qu'elle eſt groſſe d'environ huit mois; que ſon enfant commença à remuer le jour dela chandeleur; & qu'au jour du Vendredy ſaint, allant au ſervice divin à l'egliſe, dont elle n'eſt eloignée, que de 40. pas, elle entendit pour la premiere fois trois cris ſortir de ſon ventre. Depuis ce temps la ſon enfant a continué de faire les mémes cris trois ou quatre fois le jour, & à chaque fois quatre ou cinq cris, & quelques fois même huit ou neuf diſtincts, & comme d'un enfant nouvellement né; mais quelque fois de tels efforts, qu'on voit l'eſtomach de cette femme s'enfler, comme ſi elle devoit étouffer. C'eſt une choſe, que j'ay veuë & entenduë pluſieurs fois, & qui m'a paru ſi particuliere, que j'ay penſé, que vous ſeriez bien aiſé d'en eſtre informé.

§. 6.

De femina tertio gravida, quæ, cum vix triduo ante partum de lecto mane ſurgere vellet, inconſuetum quendam vagientis ſonum percepit, atque, cum præſertim ſexies fere eundem repetitum obſervaret, nec aliunde, quam a fœtu ſuo derivare poſſet, exinde non parum perterrita fuit, vid. Viti Riedlin. *Linear. medic. Ann. 1700. menſ. Jun. Obſ. 8. p. m. 629. ſeq.* *alia exempla.*

ſeq. ubi addit: hanc feminam marito ſuo ſtatim rem detexiſſe, qui utut, ut nempe metum & terrorem animo uxoris eximeret, ſe nihil percipere in principio dixerit, poſtmodum vero, feliciter enixo filiolo, aliquoties ſancte teſtatus eſt, ſe itidem hunc in utero adhuc vagientem audiviſſe. Sicuti vero, pergit Riedlinus, hi ipſi non ſunt e fece plebis, nec ulla ſubeſt cauſa, cur ejusmodi quid fingerent, ita non video, cur iisdem fides non eſſet adhibita. Anno 1256. quo fuerunt bella & maximæ diſcordiæ inter duos archiepiſcopos, Philippum & Ulricum, per integros ſex annos; ut etiam per aliquot tempus a ſacris abſtineretur, puer in Raſtat duobus cornibus natus ejusque ploratus quatuordecim diebus ante auditus fuit, quam naſceretur. vid. Joh. Wolff. *Lection. Memorab. Centen. XVI. fol. m. 983.* Haynæ quoque honeſta femina, ante aliquot annos, cum ſuo marito aliquoties fœtus, in utero adhuc latentis, vagitum obſervaſſe dicebatur. Plura exempla allegata vel recenſita adhuc reperies in Gregor. Nymman. *Diſſert. de Vit. fœt. in uter. pag. 39. ſeq.* Chriſt. Franciſc. Paullin. *Lagograph. Sect. I. cap. 3. §. 42. p. 94.* Bernh. Verzaſch *l. a. pag. 10.* Joan. Hornung. *Ciſt. med. Epiſt. 81. p. 216.* Isbrand. de Diemerbr. *Anatom. Lib. I. cap. 25. fol. 235.* Georg. Frid. Rallii *de Generat. Animal. Sect. VII. pag. 354.* quo loco etiam anno 1597. 12. Febr. Stetini ejusmodi ploratum embryonis utero adhuc concluſi auditum fuiſſe ex Pauli Fridebornii *Chron. Stetin. pag. 156.* refert. Rariorem obſervationem annotavit Johannes Paterſonius Hayn de fœtus extra uterum jam propendentis ejulatu ejusque in uterum reditu. In Hungaria, inquiens, femina partui vicina anno 1669. incepit parere fœtum, ut jam extra uterum totum exereret caput; ſed fœtus ejulatu bis ter edito iterum in uterum fuit abreptus, per duas ſeptimanas ibi adhuc hæſit, & dein legitimo partu fuit excluſus. vid. *M. N. C. D. I. An. 1. Obſ. 62. pag. 160.* Exempla vagitus in utero matris mortuæ, vid. ſupra *Sect. II. cap. 1. §. 5.*

§. 7. Ex

§. 7.

Ex ejusmodi autem vagitu tuerino nonnulli peſſimum omen *affirmatur.* atque portentum partim ratione fœtus, partim matris, vel etiam ratione familiæ vel totius regionis deſumere ſolent. Puella enim Colbergenſis, cujus modo ex Baldaſſare Timæo a *Güldenklee* meminimus, tertio ætatis anno ab ancilla male feriata veneno arſenicali interempta fuit, cumque mater hujus veneni portionem inſcia hauſiſſet, paulo poſt occubuit: Porro pater ſive maritus peſte extinctus eſt, domus incendio periit, liberi in varios terrarum tractus diſperſi partim acerbo præcipitique fato interiere, partim tunc temporis adhuc ſuperſtites miſeram egentemque degebant vitam. Adeo ominoſa toti familiæ fuit hæc ploratio, forſan & publicæ calamitatis, quæ paullo poſt ex funeſtisſimo bello circa annum 1618. in Bohemia exorto, & poſtmodum anno 1627. in ſeptentrionale illud collimitium devoluto, totam Pomeraniam & in hac Colbergam nefandis modis exercuit, prænuncia. Infans apud Martinum Weinrichium *de Monſtr. pag. 232.* triduo ante partum ploratum edens, factus eſt homo & morbis & fortuna miſerrimus usque ad obitum. Ad quæſtionem, an vagitus uterinus mala prædicat? ita reſpondet Gabriel Clauderus: Vagitus uterinus raro accidit; ſi vero obſervatur, fœtus ille adoleſcens utplurimum mala minatur aut toti regioni, aut ſuæ familiæ, aut ſaltem ſibi ipſi. Magnus quidem Thomas Bartholinus contrarium ſtatuit, ideo quod vagitus ille fiat modo naturali; Verum, quod pace tanti viri dixero, mihi magis arridet opinio Sennerti. Quamvis enim ille fiat modo naturali, minime tamen eſt negandum, omnipotentem opificem non raro ad ominoſa nobis indicanda vel præſagienda uti rebus phyſicis. Do inſtantiam de cometa; hic itidem natales debet cauſis naturalibus, nunquam tamen impune eſt viſus. Addo inſuper exemplum de ſimili vagitu: Novi virum, qui in utero materno vagiverat; iſte ſane poſtea in aula, curia &

alibi varias turbas politico Chriſtiano indignas, ſæpius excitavit. Proinde in talia quidem non eſt ſuperſtitioſa & nimia fiducia ponenda; Contra etiam neutiquam plane ſunt contemnenda. *v. M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 194. pag. 389.* De fœtus, intra ſex hebdomadarum ſpatium in utero materno vagientis patre gladio ſemet ipſum in muſeo transfodiente exemplum paulo ante ex Roſino Lentilio recenſuimus. In civitate primaria, non ignobilis familiæ materfamilias primo partu edidit filium, qui quatuordecim ante partum diebus aliquoties vagiit in utero. Epilepſia ipſum invaſit a partu, & paucos poſt annos, iterato invadens tenerum hocce corpus mortuis aſſociavit. Omnia proſpera in hacce familia evanuerunt, paupertas adſtitit, ut vir armatus; parens miſere obiit, & mater eo redacta, ut propria ſcybala abſumſerit, & omni fere ratione deſtituta, lamentabiliter exſpiravit, referente Samuele Ledelio *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 43. p. 86. ſeq.* Vratislaviæ clariſſime vociferari auditus eſt fœtus, qui homo in omni ſua vita poſtea miſerrimus fuit. v. Joh. Rudolphi Camerar. *Memorabil. Medicin. Cent. II. pag. 869.* ubi ita pergit: in Alpibus Noricis vagitus cujusdam, diebus quatuordecim ante partum exauditus eſt, infantis etiam vere monſtroſi, quod cornutus eſſet. Et Michael Ettmüllerns *Oper. Medic. Tom. II. fol. m. 1100.* inquit: Quod de vagitu fœtuum circumfertur, & cujus non vulgaria proſtant exempla, ea uti rara, ita fere ſolent eſſe prodigioſa, cum non vaguiſſe tantum, ſed etiam articulatas voces emiſiſſe infantes adhuc in utero excluſos, teſtentur obſervationes.

§. 8.

negatur. Alii vero autores ex ejusmodi vagitu nihil æque mali præſagiri ex ea ratione aſſerunt, quod a cauſis naturalibus dependeat; unde ſecundum Thom. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. I. Hiſt. 1. pag. 7.* fruſtra ſunt ſuperſtitioſi quidam, qui ex vagitu

gitu hoc, quem naturalem diximus, reipublicæ male ominantur. Non vagitus, ſed peſſimi mortalium mores & divorum contemptus reſpublicas evertunt. Vagientes & ſibi & matri & reipublicæ ſubinde felicia portendunt. Sibi, quia robur indicat & perfectas ad partum accelerandum partes doloresque judicandos. Matrem bonæ ſpei eſſe plenam jubet vagitus, vivere fœtum, & ad promovendum partum ſic ſatis eſſe validum. Reipublicæ & principi fauſta eſt acclamatio. Sic ille vagiens apud Livium *Lib. XXIV.* intra uterum, io triumphale, ceciniſſe fertur. Quodſi nonnunquam ſiniſtro augurio auditi ſint vagitus, caſui potius adſcribendum, quam conſilio naturæ. Emendentur in melius mores, me ſponſore, nulli vagitus nocebunt. Chriſtianus Vaterus *M. N. C. Dec. II. An. 8. pag. 497. ſeq.* poſt recenſitum vagitus exemplum addit: Ex hoc perterriti & male ominantes parentes me in conſilium vocant, quos tamen ſecuros eſſe jubeo, & nihil niſi tormina aut inſultus ſpasmodicos, fœtum ad ejusmodi convolutiones & clamores urgere docebam. Erat enim mater non ſolum cacochymica, flatibus admodum obnoxia, ſed iræ quoque indulgebat ſæpius; unde pravum fœtui alimentum contingere neceſſum erat. Propinabam propterea confortantia, carminativa & in ſpecie antepileptica, ex quo paulo poſt melius ſe habebat, nec motus amplius enormes, multo minus vagitus percipiebat, quousque tempore legitimo, menſe nimirum nono, & modo prorſus naturali femellam ſanam adhuc cum matre ſuperſtitem & valentem enixa eſt. Ex quo, & aliis, pergit Vaterus, conſtare tandem arbitror, naturam neque ſuperare, neque eidem repugnare, fœtum utero materno incluſum non ſolum ultimis menſibus alimentum ore haurire, ſed etiam interjectigationes os liquore, cui alias innatat, exerere & clamorem edere poſſe. Inquit etiam Gregorius Nymmanus *l. a. pag. 41.* Iſti ejulatus atque vagitus absque aëre edi non poſſunt. Non quidem me latet, eſſe quosdam, qui aſſerunt, ejusmodi vagitus plane præter-

naturales eſſe, adeoque eorum cauſam naturalem nec quæri debere, nec dari poſſe; ſiquidem animadverſum eſſe, eos utplurimum aliquid mali portendere, & vel fœtui ipſi futuras miſerias, vel matri mortem minari, aliquando etiam publica mala, utpote bella graviſſima & pernicioſa, aut aliud infortunium publicum & luctuoſiſſimum præſagire: Verum hi omnes non in exiguo verſantur errore. Nam eclipſes licet multa mala prænuncient, cauſas tamen naturales habent, quas philoſophi rectiſſime exponunt. Cometa nunquam aliquid boni, ſed ſemper plurima pericula, utpote peſtem, famem, bella, interitus regum ac principum, mutationes regnorum &c. præſignificat, de ipſius tamen cauſa, ortu & generatione, phyſicos diſputare notiſſimum. Noctuarum clamor aſſiduus, multis medicis & hiſtoricis notantibus, ſæpe peſtem indicat; quis autem ejusmodi vocis cauſam dari non poſſe affirmaret? Sic licet ejulatus infantis in utero mali eventus omen ſit, vocis tamen iſtius cauſa a medico omnino inquiri debet. Et cum, ut aliarum vocum, ita & hujus cauſa materialis aër ſit ad aſperam arteriam alliſus, & absque aëre nulla vox edi poſſit, eundem & fœtui in utero communicari, certo certius colligo ac concludo. Georgius Fabricius infantem, die quinto ante nativitatem in utero materno plorantem, ſuſceperat, de quo prodigioſo planctu hos verſiculos condidit, inter alios:

Sæpius at cujus pervenit rumor ad aures,
Viſo nondum oculis illacrymare die.
Ora queri nondum materno libera nexu,
Et vincta claros fundere voce ſonos.
Neſcio prodigii quid nunc nova forma minetur?
Ante quidem triſti eſt nobilitata fide.

Forſi-

Forſitan & matris caſum, partusque requiris;
Salva parens quinto eſt nata puella die,
Stulta ſuperſtitio eſt monſtro terrerier omni,
Sed ſcelus irati ſpernere ſigna Dei.

vid. Joh. Udalric. Rumler. *Obſ. 97. pag. 58.* Quo loco dictus autor addit, quod infans paulo poſt morbillis obierit, & ingens peſtis ſubſecuta ſit. At quid vagitum uterinum inter portenta numeramus, qui pullum in ovo pipientem toties audimus? tum ante fractam teſtam, tum poſt ejus fracturam membranis adhuc integris exiſtentibus. Sic Georgius Fridericus Rallius *de Generat. animal. pag. 355.* a ſuperſtitione non alienos eos judicat, qui ex ejusmodi infantis, utero contenti, vagitu male reipublicæ ominari præſumunt. Cum enim hic naturales ſubſint cauſæ, non eſt pro miraculo habendum, ejusmodi non raro ſequi effectum, prout nemo metuit reipublicæ, ſi pipientem in ovo audiat pullum, quod ipſum quidem frequentisſime accidit. Sæpius tamen infantes ejusmodi, quorum fletus & vagitus in utero auditi ſunt, in partu extingui, inde contingit, quod, cum jam reſpirare in utero ceperint, ſi, dum in partu morantur, ob quamcunque cauſam reſpiratio ſufflaminetur, facile ſuffocationis periculum ſubeant, quod in aliis, qui nondum reſpirarunt, metuendum non eſt. Juxta Johann. Jonſton. *Thavmatogr. nat. Claſſ. X. cap. 5. Art. 5. p. m. 469.* vagitum uterinum mali aliquid vel fœtui vel matri portendere exiſtimant alii: quidam autem & rationi & experientiæ adverſari judicant. Experientiæ, quia certum non extat apud antiquos philoſophos, ſimile quid accidiſſe unquam. Rationi, quia non fit ploratus auditu perceptibilis absque aëris per os attracti & inter exſpirationem ad aſperam arteriam alliſi, certoque modo formati in ore & palato, emisſione. Membranæ, quibus obvolvitur fœtus, tam laxos non habent poros, ut tranſeat aër, nec uterus, etſi pondere hiet, auram admittere

poteſt; ne dicam, lentore excrementitio occupata eſſe omnia. Antonius Deuſingius *de Fœtu Muſſipont. Sect. I. §. 4. pag. 15.* exiſtimat, ſuperſtitioſum tantum vulgus ſolere vagitum infantis in utero prodigii loco habere; v. etiam *pag. 85.* quo loco dictus autor ejusmodi vagitum uterinum experientiæ & rationi conſentaneum eſſe, pluribus defendit, vid. etiam ibidem *pag. 85 ſeq.*

§. 9.

Vagitus cauſæ. Non autem ſolum circa quæſtionem, an vagitus uterinus aliquid mali portendat nec ne? ſed etiam ratione cauſæ differunt medici, adeo ut etiam nonnulli penitus de eodem dubitent. De cauſa hujus ploratus ſive ſoni ita loquuntur Daniel Sennertus *Pract. Med. Lib. IV. Part. II. Sect. V. cap. 8. pag. m. 375.* Sive aliquid portendat, ſive non, talis vagitus, ſive ſponte ſua cum in ploratum fœtus feratur, ſive a cauſa ſuperiore dirigatur: proximam tamen cauſam omnino phyſicus & medicus quærere debent. Cum vero ploratus vox quædam ſit, eaque edatur aëris per aſperam arteriam expulſione, omnino concedendum eſt, aëris etiam aliquid in cavis & vacuis partibus, atque ita etiam in pulmonibus infantis contineri, quod ibi vel ab humoribus & ſpiritibus evaporavit, vel per ξύμπνοιαν illam, vel quocunque modo eo pervenit, ſicut & aërem talem in ipſis ovis, in quibus pulli pipiunt, contineri, negare non poſſumus. Si ergo & aſpera arteria, & pulmones & thorax, & omnia, quæ ad reſpirationem & vocem edendam neceſſaria ſunt organa, jam abſoluta ſint, infansque ipſe ſatis validus ſit, vocem talem ut edat, poſſibile eſt. Stimulatur autem ad eam edendam procul dubio a re moleſtiam afferente; quod pluribus forſan a diuturna & præter tempus ordinarium longa in utero mora accidit, ob quam & alimentum copioſius & ſpiritum liberiorem appetivit. Ad quæſtionem, quænam genuina vagitus uterini cauſa ſit? ita reſpondet Chriſtianus Franc. Paullini *Lagograph. Curioſ. Sect. I. cap. 3. p. 95.* Remur, grandem robu-

robuſtumque annunciare fœtum, qui ob loci anguſtiam, copioſioris alimenti & liberalioris ſpiritus deſiderium aliasque moleſtias, exodum optat & ploratu ſuo fores quaſi pulſat, ſupplex rogans, ut aperiamus & *μικρόκοσμον* benigne excipiamus. Sic Thomas Bartholinus *l. a. p. 6.* hujus vagitus cauſas dat naturales, inſtrumenta nempe & aërem. Soni inſtrumenta in embryonibus tam ſunt perfecta, præſertim partui vicinis, ut omnes ſtatim ac nati ſunt, vagitum edant. Aër vero tantillus vel per venas ſubminiſtratur, vel transſpiratione inducitur, vel in ſanguine concitatur ſpumoſo, vel per uterum inverſo prope partum fœtu ingreditur. Patulum quippe eſt os embryonis & alimentum in utero trahit. Incitantur ob doloris quemcunque ſenſum, ſive uteri anguſti, ſive dentium prurientium, ſive extinctæ matris. De aëre in membranis uteri & vagitu uterino ita ſcribit Gualterus Needham *Disquiſit. de format. fœt. cap. 3.* non ſolis liquoribus implentur conceptacula uteri, verum aërem inſuper eumque ſatis copioſum continent. Aëris autem præſentiam vagitus uterini nuntiant, & ſine aëre excitare ſonum, videtur prorſus impoſſibile, vid. *Biblioth. anat. Tom. I. fol. m. 553.*

§. 10.

Alii contra, his rationibus & exemplis non obſtantibus, vagitum uterinum penitus fere negant, v. g. Theodorus Craan *Diſſert. de Homin. cap. 149. pag. 742.* circa quæſtionem, an fœtus in utero materno exiſtens unquam vagitum excitaverit? reſpondet: Scimus, vagitum omnem eſſe ſpeciem ſoni, qui omnis fit tantum per undulationes mediocriter fortes ipſius aëris, ſiquidem igitur hic ille aër deberet penetrare primo membranas & aquam, fœtum involventes, poſtmodum ventris integumenta matris, & per aërem ambientem ire ad aures audientis, earumque meatus ſubire, & ad tympanum penetrare, hocque cum annexis tribus oſſiculis auditus ita commo- *Craanii ſententia.*

vere,

vere, ut nervus auditorius queat ita moveri, ut actionem ſibi impreſſam, ſatis vivide ad ſenſorium deferat commune, & ſic anima auſcultet, & percipiat ea, quæ in corpore aguntur, hoc eſt, judicet de hoc vel illo ſono, vel murmure. Examinemus nunc hæc omnia requiſita, an hic locum habere poſſint nec ne? Requiritur igitur magna & notabilis copia aëris. At ubinam illa continebitur? aut intra membranas fœtum involventes, aut inter, ſub, aut intra abdomen matris? Poſterius quidem concedimus, & non negamus, illic reperiri nullum flatum ſeu aërem, quod etiam de ſubſtantia uteri concedere quidem volumus, ſed quomodo inde poteſt vagire fœtus, membranis tribus involutus & cinctus? undiquaque deberet neſcio quas vias tranſire ille aër, priusquam perveniat ad os fœtus. Deberet igitur illa quantitas aëris neceſſario contineri intra tres tunicas fœtum cingentes, chorion, allantoidem & amnion: ſed ubi de reſpiratione fœtus egimus, diximus, nullum aërem, ſed potius aquam intra easdem contineri, adeo ut poſſibilitatem non videamus; & noſtro judicio hæcce tribuenda potius eſſent murmuribus & borborygmis, quæ ſæpe audiuntur in abdominibus gravidarum. Referunt enim, tempore vagitus fœtum eſſe grandem, quod etiam requiri debet, cum alias vox ſonora & nonnihil gravis produci non poſſet. Fœtus magnus quid facit? premit ſine dubio omnes partes circumjacentes, anguſtiam parit in toto abdomine. Siſtuntur igitur humores & vapores nonnihil, eique craſſi, utpote flatus hic illic propter pororum partium compreſſarum anguſtiam, poſtea impetum faciendo, & urgentibus a tergo aliis & aliis, tandem perrumpunt; quæ ſubita perruptio murmura facit & borborygmos, talem vocem excitantes, quæ vagitum æmulari videntur. Vagitus igitur illi, & murmura non fœtui, ſed matri potius adſcribenda veniunt, ita ut totum illud, quod narratur de vagitu fœtus intra uterum exiſtentis, pro mera fabula aſſumamus.

§. II. Cor-

§. 11.

Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſter. Obſ. 32. Schol. p. 357.* ſcribit: Sunt qui dicant fœtum, ut in utero reſpirare probent, nonnunquam ante natalem fuiſſe lacrymatum, nec non pullum intra ovum quandoque pipire, qui duo effectus utique absque aëre fieri nequeunt. Quantum quidem ad primum exemplum attinet, multa ejusmodi adducuntur, verum credibile eſt, deceptos fuiſſe qui putarunt, ſe ſonum aliquem fœtus audiviſſe: Nihil enim eſt, niſi murmur aliquod in ventre gravidæ a preſſione, vel calcitratione fœtus, interceſſu venti productum. Hujusmodi enim narrationes exemplaque vilibus plerumque mulierculis rerumque ignaris debentur, quæ vel iſta immerito credidere, vel ad fallendos alios, excitandamque ditiorum miſericordiam, mentitæ ſunt: Audimus enim hujusmodi vagitum pauperculis plerumque perceptum, vel ideo ſparſos fuiſſe rumores, ut nonnihil portendi fingerent, atque aliquod nomen inter vulgus acquirerent. Apprime itaque olim magnus ille philoſophus *Ariſtoteles Lib. 7. de Hiſt. anim. anim. cap. 10.* fœtum non plorare dixit, antequam ex utero prodiit: quamvis fieri poſſit, ut idem paulo ante nativitatem, non tamen antequam membranæ frangantur, ploret. **Stalpartii.**

§. 12.

Quod vagitum uterinum concernit, juxta Chriſt. Joh. Lang. *l. a. Part. I. fol. 245.* aut borborygmi ſeu murmura abdominis decipiunt incautos adſtantes, ut pro vagitu infantis habeant illos, aut ſi forſan quandoque verus ejusmodi adeſt ejulatus infantis, plane præter naturam conſtitutus eſt talis fœtus, h. e. ruptis membranis, ipſum involventibus, aërem per oſtium uteri admiſſum inſpirat, quapropter portentis merito annumeratur, & infortunium imminens matri vel fœtui adſtantes ex voce tali audita non ſine fundamento præſagire poſſunt. ***Langii ſententia.***

§. 13.

Lentilii. Roſinus Lentilius *Iatromn. Part. II. cap. 2. p. 365. ſeqq.* de vagitu uterino ait: num revera talis detur, vel a quoquam unquam ſit obſervatus, multi non ſine ratione dubitant. Sobrie philoſophantibus id impoſſibile judicari queat, ob reſpirationem infanti, quamdiu in utero continetur, denegatam, cujus tamen ad vocem edendam neceſſitas abſoluta perhibetur. Ad vagitum edendum, præter reſpirationem, ut os plenius aperiatur, omnino eſt neceſſarium. Quid vero? annon ſic ore aperto liquor amnii penetrans vagitum impediret, ſiquis eſſet edendus? Aërem præterea in ipſo amnio contineri non pernegamus: utrum ad vocem infantis formandam ſufficiat, alii disquirant. Si naturalis adeſt ad vagitum edendum in uteris diſpoſitio, cur tanta eſt obſervationum raritas? cur non frequentius vagire percipiuntur embryones? Nonne & hi, variis eheu! morbis tentantur? qui ſæpe non ſunt ſine doloris ſenſu. Cur in his caſibus nulli vagitus? Pulmones in uteris infantum nullatenus moveri, documento ſit, quod fœtui mortuo edito exempti ſubmergantur in aquis. Jam vero, ſi naturaliter ejusmodi vagitus edi non concedantur, num tot obſervationibus ac teſtimoniis hinc inde allegatis refragari deceat? Hæremus, id ſolum optantes, ut, qui obſervationes de vagitu uterino ſcripſerunt, ſemet avtacuſtas profeſſi fuiſſent. Imo, contenti vellemus eſſe, ſi vel unus ex omnibus, isque medicus, de ſe teſtari poſſet, ſe audiſſe infantem in utero vagientem. At vero cum hic vagitus ſit actio momentanea, qui has ediderunt hiſtorias, teſtes ne quidem proprie ſunt auriti, ſed ex aliorum relatione ſcribunt. Sonum aliquando a gravidis edi, huncque ab accumbentibus vel adſtantibus percipi poſſe, imo ſonum talem analogia quadam vagitum poſſe mentiri, quis negare præſumat? Eſſe revera vagitum, quis alius, niſi rerum gnarus, qualis eſt medicus dijudicet? quomodo dijudicet, niſi

in

in uxore ſua gravida quid tale audiat. Talis autem obſervatio mihi nusquam lecta. Quidſi flatus vel in inteſtinis, vel ipſomet utero concluſi preſſuque vario a motitatione infantis grandiuſculi, vel alia quavis cauſa exerciti, vagirent? Tanta eſt hominum, præcipue muliercularum ſuperſtitio, ut miriſſimas haud raro ſibi res imaginentur, quidni & vagitus? Atque utinam adeo usque creduli non eſſent viri, quos vitæ conditio ultra plebeculæ ſphæram evexit! Credam ego, ſi aliquando audierim, infantem in utero vagire. Et juxta Joh. Nic. Pechlin. *de Aëris & Aliment. defect. p. m. 103.* de vagitu uterino, quæ adferri ſolent teſtimonia, illa quidem nullius ſunt coloris, nam præterquam, quod ipſa adhuc res ſatis eſt dubia, non neceſſe, φαινόμενον iſthoc vel ad plenam reſpirationem aut ipſum aërem referre; cum & vaporum ſeu halituum, ſeſe per aſperæ arteriæ anguſtias prementium, opera ſibilus efferri & tortuoſo illo faucium itinere ſonus formari utcunque rudis fortaſſe posſit; verum ego jam longe majorem ſcrupulum reperiſſe videor, quando non ſepimenta tantum illa membranea, ſed & aquas reſpicio vocem jamjam factam ſive rumpentes, ſeu moderantes. Quanta autem varietate ludant flatus in hoc corpore & ſonos affectent etiam incluſi, neminem, paulo ultra popularia provectum, latere poteſt. *Pechlini.*

§. 14.

Porro Guilielmus Cockburn. *Oeconom. animal. p. m. 168.* inquit: Cum conſtet, fœtum generari in ovo, cujus membranulæ ſunt chorion & amnios, quæ tantum aëris permeationi ac partes aliæ membranaceæ, reſiſtunt, quocunque igitur modo aggrandeſcant hic fœtus ac ejusdem membranæ, nulla dari poteſt occaſio ad aërem intromittendum, nec ſunt aliæ viæ ex adverſariorum concesſis, per quas aër penetrabit. Imo os uteri, Hippocratis & Galeni teſtimonio, in prægnantibus tam arcte clauditur, ut nequidem ſpecilli aciem, nec ullius aëris aut aquæ, *Cockburni.*

in balneo, introitum admittat; quare quoque vagitum ullum fieri, qui pulmonum ab aëre diſtentionem ſupponat, maxime dubito; præſertim cum ſimilis ſonus a ventis, feneſtrarum anguſta foraminula cum impetu tranſeuntibus, obauditur; quapropter ſuſpicari fas eſt, ſonum iſtum in ventre gravidæ mulieris ſimiliter auditum, quem forte adſtantes pro fœtus vagitu habuerunt, excitari a flatibus per inteſtina, mole fœtus compreſſa & coarctata, rugientibus: præcipue cum hiſtoriæ, quæ de fœtus vagitu fiant, mulierculanm tantum fide narrentur: Sed & pulmones in utero aëre non diſtendi, ac per conſequens vagitum aut ſibilum nullum edere poſſe, confirmat αυτοψία ex pulmonibus &c.

§. 15.

Drelincurtii. Item Carolus Drelincurtius *de Concept. Conceptus Perioch. 55. p.m. 133. ſq.* ſcribit: Aëris in utero neſcius eſt fœtus. Aërem igitur ſibi ignotum expoſcit nuſquam: Ejus namque pulmones otiantur, ratione ſaltem muneris aërei; atque adeo vagitus uterini, membranis illæſis nec proruptis aquis, delirantium vetularum dulcia mihi ſomnia ſunt & gerræ gerrarum. Dictis fidem qui detrahit, pulmones comparet fœtus vel in utero vel inter naſcendum extincti luridos ſeroque gravatos & inſtar metalli fundum aquæ petentes, cum pulmonibus fœtus alterius vel ad vitæ brevisſimam uſuram ambiente ſufflatis floridisque & aëreis, atque ita levibus, ut ex ipſo gurgitis imo protinus reſiliant in altum. Sic domina de Cardet ſe puerum in utero clamantem audiviſſe teſtatur, quod tamen, ſecundum Lazari *Riverii.* Riverii *Obſerv. Cent. II. Obſ. 100. p.m. 181.* eſſe imposſibile, vel tantillum initiatis in arte medica, notum eſt. Fœtum carceribus uteri & membranarum concluſum, in mediis vivere undis nullamque aëris ambientis preſſuram experiri, docet Joh. Gothofr. Bergerus *l. a. p. 480.* Et ſecundum Isbr. de Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap. 25. fol. m. 236.* errarunt omnes, quotquot de infantis reſpiratione & vagitu in utero ſcripſerunt. Primo enim hiſto-

hiſtoriæ hac de re notatæ pleræque deſcriptæ ſunt ex relatu mulierc ularum aliorumque imperitorum hominum, qui ſibi ipſis has nugas imaginantur, aut ſtudio aliis hujusmodi fallacias perſuadent. Secundo certum eſt, neque reſpirationem neque vagitum in utero ſine aëre illic præſente fieri poſſe. Sed per quas quæſo vias aër eo penetrabit? Huc pertinet etiam, quod admonet Georgius Fridericus Rallius *de Generat. Animal. p.355.* quod ſcilicet non ſemper ploratus & vagitus infantum habendi ſint, qui tales aliquando videntur. Novit enim Antonius Deuſingius medicum, qui ipſe referebat, ſe fœtus vagitum aut ploratum in utero conjugis audiviſſe, cum interim uxor ne quidem gravida eſſet, ut eventus docuit, vid. ejusdem Tract. *de Fœtu Muſſipont. Sect. I. p.m. 85.*

§. 16.

Vagitus uterinus in brutis.

in mure.

Facta autem hactenus aliquoties vagitus vel ſoni a brutis in utero adhuc detentis editi mentione, de eodem pauca reſtant annectenda. De vagitu uterino in mure minore ſequentia refert Michael Bernhardus Valentini *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 122. pag. 216.* Fœtus quosdam in utero materno vagitum ſæpe edere, nota ſatis vulgi eſt traditio, quam in dubium tamen vocant tantum non omnes anatomici. Ridiculum vero ejus rei exemplum nuper obſervavit affinis meus Dn. Heerius, ſupremus Burisbacenſium præfectus, qui muſcipulam ſibi parai juſſerat ſimilem illi machinæ, qua martes atque glires vulgo capi ſolent. Accidit autem, ut eadem mediante murem utero gerentem ita prehenderet, ut ore, tantum ſubito compreſſo, machinæ adhæſerit; quo facto fœtus intus contenti non tantum vehementer ſe movere, & latera undique pulſantes exitum moliri inceperunt, ſed & ſibilos vagitusque omnibus clare ſatis perceptibiles ediderunt, intercepto forte aëre reſpirationem illorum inchoante.

§. 17.

in catellis. De cane venatica gravida, quæ tertio ante partum die, retro fornacem cubans, inquietius crebriusque ſeſe motitabat, ut etiam catellos in utero baubantes omnes domeſtici audiverint, vid. Chr. Franc. Paullin. *Obſ. med. phyſ. Cent. III. Obſ. 70. pag. 360.* Catellos in utero materno latraſſe, ex Georg. Balthaſ. Mezgeri *Diſput. de Vit. fœtus in utero Th. 11.* refert Georgius Fridericus Rallius *l. a. p. 353.*

§. 18.

in pullis. De pullis in ovis pipientibus inquit Robertus Boyle *de Vi aëris elaſt. p. m. 144.* non tantum mulieres ruſticæ, ſed majori judicio pollentes feminæ commemorant, quaſi ceu non inuſitatum, audire pullos in ovo nondum perrupto putamine pipizantes. De hoc pipitu ita ſcribit Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. VI. cap. 8. fol. m. 393.* Quidſi dicamus, pullos adhuc ovi teſta incluſos uno aut altero die ante excluſionem pipire, teſtibus Ariſtotele & Aldrovando Ulyſſe, ut voce ſua neceſſitatem exeundi matri ſignificent: Non intra teſtam reſpirant, & fruuntur aëre interno. Reſponſio ad iſtam objectionem extat apud Hippocratem *Lib. de genit.* quod ovum fotum & incubatum a gallina adeo tenerum & perſpirabile evadat, ut pullus externo aëre frui queat: ait enim, aërem per foramina corticis ovi ſubire, quibus etiam recens ovum igni admotum ſudat. Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. II. Obſ. 32. Sch. pag. 357.* pulli intra ovum pipitum non ante contingere, credit, quam circa ejusdem in lucem proventum, quando teſta parvo pertuſa eſt foramine. Pullum intra ovum, integro adhuc cortice, reſpirare, & ſæpe per biduum ante excluſionem vocem edere, ſive pipire, experientia quotidiana docemur; id autem ſine aëre non contingit, inquit Gualt. Charlet. *Oecon. animal. Exercit. VIII. p. 179.*

§. 19. Cum

§. 19.

Cum proinde ſecundum hactenus adducta exempla & rationes tam quoad reſpirationem & ſuctionem, quam vagitum ſive ploratum fœtus in utero tanta inter autores obſervetur differentia, ut, cuinam ſententiæ, an affirmativæ, an negativæ ſubſcribendum ſit, adhuc hæſitem, benevolo lectori non immerito liberum judicium relinquo, quanquam potius in negativam inclinem; interim verum utique permanet, quod Gualtherus Charleton *Oeconom. animal. Exercit. VIII.* §. *15. p. m. 177.* de reſpiratione fœtus in utero ſcribit, hac ſcilicet diſquiſitione vix aliam ſcrupuloſiorem invenies: ſiquidem ea in utramlibet partem, paribus fere autoritatum momentis, apud medicos, ab Hippocrate in hodiernum usque diem, librata manſit. *quæ ſententia amplectenda?*

§. 20.

De riſu fœtus in utero ſequentia ſcribit Martinus Weinrichius *de ortu Monſtror. cap. 25. pag. 232.* Quod de riſu aliquorum narratur, obſervato in partu, ut in loco non apto, non ſine cauſa fabuloſum habitum eſt, cum multa alia de hoc ſuperſtitioſiſſima reperiantur in hiſtoriis veterum, quæ credere nihil eſt neceſſe. Quod ſiquis ridens natus aliquando eſt, quid hoc habet admirabile? nam ſi flere poſſunt, & ridere poſſunt. Utrumque habere in natura cauſas ſuas poteſt. Noſtris temporibus infans triduo, antequam ederetur in lucem, flere auditus eſt. De riſu autem fœtus recens nati ita ſcribit Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib. VI. cap. 11. fol. 403. ſeq.* Quidam male ominantur matri & puello, ſi ipſe, ubi in lucem prodierit, rideat. Nam hercule riſus præcox ille celerrimus nulli ante quadrageſimum diem datur. Legimus tamen Zoroaſtrem eodem die, quo natus eſt, riſiſſe, præſagio futuræ ſcientiæ. *riſus in utero.*

§. 21.

Per miraculum fœtus quandoque in utero materno loquti *loquela fœtus in utero.*

cuti referuntur, v. g. ſecundum Jul. Obſequentem *de Prodig. cap. 34.* infans in utero matris in Marrucinis: io triumphe! clamavit; id quod Q. Fabio Maximo Verrucoſo IV. Marco Claudio Marcello III. Coſs. accidit. Item Romæ ſemeſtrem infantem in foro olitorio alta voce in matris alvo exclamaſſe atque articulate locutum eſſe, narrat Livius *Lib. XXI.*

SECTIO IV.

De Infantum in utero morbis & obitu, eorumque ſitu vitioſo.

CAPUT I.

De embryonum morbis.

§. 1.

fœtus in utero morbi.

CUm juxta caput proxime antecedens plerique autores vagitum uterinum a quodam fœtus morboſo & doloroſo affectu derivent, hac in ſectione nonnullorum fœtus utero adhuc incluſi morborum exempla adducemus. Fœtus enim in matris utero non minus, quam extra uterum morbificis cauſis exponitur, ac morbis plurimis eſt obnoxius. Unde etiam juxta Paul. Zacch. *Quæſt. Med. legal. Lib. IX. Tit. 12. Qu. 4. n. 2. fol. 821.* non difficile eventu videtur, ut prior gemellorum conceptus in ſua prima plasmatione aliqua ex cauſa præternaturali imbecillior ſe ipſo evadat, aut etiam aliqua ægritudine exerceatur, ex cujus cauſa non, ut deberet, meliorem ac copioſiorem ſanguinis materni portionem ad ſe allicere poſſit, interimque poſterior conceptus multo quam ante uberiori nutrimento munitus, majus robur ac majorem alacritatem ſupra priorem conceptum acquirat, unde fiat, ut tanquam ſi prior conceptus eſſet, in iis omnibus prævaleat, ac ſupra priorem conceptum excellat, in quibus prior conceptus ex

ſui

ſui natura prævalere ac excellere debuerat, quod tanto facilius evenire poſſet, quanto poſterior conceptus robuſtior in ſuo primordio extitiſſet.

§. 2.

Notatu digna eſt obſervatio de embryone ſimul cum matre gravida ab epilepſia per longum tempus infeſtato, quam Georgius Segerus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 160. pag. 291. ſeq.* recenſet: Friderici Waltheri bibliopegi Thorunenſis uxor, annos triginta circiter nata, poſtquam anno 1665. die 9. Martii uterum jam ultra quartum menſem geſſerat, convulſionibus epilepticis graviſſime corripitur, quas ἀφωνία biduana, ſumma debilitas & paroxysmi alii epileptici exceperunt. Die 16. Martii effluxit e pudendis albicans quidam atque lentus humor, cum horrore totius; quem excepit teterrimæ animæ fœtor, anxietates ingentes, inguinum dolores graviſſimi, & ſumma virium proſtratio, ita ut ad carpum motus arteriæ vix eſſet perceptibilis. Orta tunc eſt ſuſpicio de embryone extincto; Ab uſu autem cochlearis aquæ cinamoni, cui pauxillum aquæ liliorum convallium admixtum erat, inſignes primum motus in abdomine experta eſt ægra, quos paroxysmus inſequebatur gravis. Et ab hoc tempore motum fœtus percepit ægra, qui licet alias ſatis fuerit debilis, interdum tamen, & quidem eo ſemper tempore, quo ægræ imminebat paroxyſmus, juſto vehementior ac inordinatior erat, ut fœtum primum, poſt matrem convelli, extra omne eſſet dubium. Cum ipſa me præſente vel tantillum pulveris Marchionis aut balſami embryonis hauſerat, mox quoque paroxyſmum inſtare e convulſivo fœtus motu præſenſerat. Id confirmat etiam Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. An. 1. Schol. in Obſ. 42. pag 133.* Nil, inquiens, communius, quam motibus convulſivis & epilepticis fœtus torqueri in utero, præcipue, ſi gravidæ ex terrore, triſtitia aut ira humores commoverint; Satis id

Epilepſia.

matres experiuntur inordinato & vehementiore motu, quem etiam alia non raro periculoſa ſubſequuntur ſymptomata.

§. 3.

Contractura. Contracturam in fœtu recens nato, ex terrore & phantaſia matris paucos ante partum dies communicat Simon Scholtzius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 61. pag. 118.* Anno 1649. circa finem æſtatis, mulier quædam Leidenſis, vilioris conditionis, gravida, partu jam inſtante, per plateam, quæ *die lange Brücke* appellatur, domum petens, in via defeſſa præ foribus civis cujusdam, cui manus utraque curva erat, in ſubſellio conſedit: interim civis ille januam inferiore parte clauſam & ſuperiore apertam accedens, manus curvas exſeruit, quas poſteaquam gravida ex improviſo conſpexiſſet, valde conſternata eſt, ut fere in lipothymiam incideret. Vir ille mulierem adeo conſternatam videns eam conſolabatur, vitrumque vino Gallico plenam propinat. Mulier domum regreſſa caſum hunc infelicem marito ſuo narravit, male ſe interim habens, dein paucis diebus elapſis filiolum curvis manibus & pedibus enixa eſt.

§. 4.

Variolæ & morbilli in fœtu. Matres gravidas, ſi variolis corripiantur, interdum adhuc variolis affectos, interdum etiam variolarum maculis tantum per totum corpuſculum notatos fœtus partu edidiſſe, variæ teſtantur obſervationes; ſiquidem, referente Guilhelmo Fabricio *Obſ. Chir. Cent. IV. Obſ. 55. Oper. fol. m. 328.* honeſta quædam ac pia matrona, in oppido Fontenoy in Lotharingia, cum primo utero geſtaret & conſtitutum tempus pariendi fere attigiſſet, una cum marito ſuo, uno eodemque tempore, variolis correpta fuit, & quidem tam graviter, ut maritus mortem obiret. Matrona in ipſo vigore morbi cum corpore & mente ſimul & graviſſime laboraret (corpore ratione morbi, mente vero propter obitum mariti ſui) infantem peperit vivam

vivum quidem, ſed variolis ita infectum & contaminatum, ut ipſa facies quoque undique puſtulis ſcateret. Vixit nihilominus ad octavum usque diem. Et ſecundum *Obſ. 56.* prægnans morbillis laborans infantem per totum corpus morbillis contaminatum peperit. Nimirum honeſta & pia quædam matrona, & reipublicæ Bernenſis ſenatoris uxor, cum dimidiam partem noni menſis imprægnationis fere attigiſſet, febre acuta & quidem maligna correpta fuit: morbilli quin etiam mox per totum corpus eruperunt. Quarta die morbi prægnantium doloribus correpta puellum per totum corpus morbillis contaminatum peperit. Porro etſi cum mater, tum etiam ipſe infans per dies aliquot graviſſime laborarent, ambo tamen convaluerunt. Nobiliſſima quædam conjux ſeptimo menſe prægnans variolis quaſi tecta poſt periculoſum alvi fluxum & alia ſymptomata per Dei gratiam feliciter reconvaleſcebat, & poſtea juſto tempore filio ſano ex voto domum beabat. Ubi notandum, quod filius hic non paucis veſtigiis variolarum inſignitus comparuerit, qui poſtmodum in virum adolevit robuſtum, referente Johanne Georgio Sommero *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 23. pag. 54.* Juxta Sebaſtiani Egberti *Schol. in Rembert. Dodonæi Prax. Medicin. Lib. I. cap. 20. pag. 101.* quidam in utero materno adhuc exiſtentes morbillis laborant, quod anno 1608. in abortu fœtus immaturi, matre morbillis correpta, contigiſſe compertum eſt. Baroniſſa quædam ultimo imprægnationis menſe corripiebatur morbillis & quidem periculoſiſſime, Dei tamen ope reſtituebatur; fœtus vero, qui ſtatim prodibat, maculas rubras itidem oſtendebat, teſte Samuele Ledelio *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 97. pag. 204.* Idem Ledelius etiam ibidem *An. 6. Obſ. 61. pag. 147.* ait, juvenculam ruſtici uxorem gravidam variolis laborantem fœtum aliquot menſium in toto corpuſculo variolis plenum exturbaſſe. Et juxta Chriſtoph. Rœsler *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 347. p. 554.* quædam nobiliſſima laboravit morbillis, cum ſeptem menſes

geſtaſſet, edidit fœtum & ipſa obiit. Inquit Petrus Foreſtus *Obſ. medic. Lib. VI. Obſ. 44. fol. m. 196.* ſæpe deprehenſum eſt, prægnantes maturos partus ediſſe, variolarum lue perfuſos, quarum aliæ nihil omnino foris, aliæ non niſi multis poſt diebus incommoda ſenſerunt. Ipſiſſima hæc verba leguntur etiam in Joan. Fernel. *de abdit. Rerum cauſ. Lib. II. cap. 12. p. m. 503.* Et juxta Thom. Bartholin. *Hiſt. anat. Cent. IV. Hiſt. 50. p. m. 339.* æſtate anni 1656. variolæ ex ſanguinis putridi ebullitione ingenti numero & fœditate non puerorum tantum corpuſcula deturparunt, ſed adultiores utriusque ſexus & gravidas & puerperas & fœtus in utero infecerunt. Fœtum in utero a variolis non immunem eſſe, obſervavit etiam Valentinus Andreas Mœllenbroccius. Generoſi enim cujusdam viri uxor, cum ante variolis laboraſſet, filiam peperit veſtigiis variolarum conſpicuam, unde liquet ipſam adhuc in utero materno ſimul cum matre variolis affectam fuiſſe. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 53. pag. 150.* Uxorem quandam variolis laborantem anno 1669. Halis Saxonum filiam veſtigiis variolarum conſpicuam peperiſſe, refert Caſparus Theophilus Bierlingius *Theſaur. theor. pract. Obſ. 50. pag. 651.* Fœtum cum variolis natum frequenter ſe obſervaſſe ſcribit Horatius Augenius *de Febrib. Lib. IX. cap. 2. fol. m. 359.* De fœtu in utero materno variolis correpto & iisdem extincto, vid. Adam. Brendel. *Obſ. anatom. Dec. III. Obſ. 4. pag. 13.* Mulier 38. annorum, paupercula, cum uterum gereret, & in alvo materna fœtus adhuc inſtrueretur ad exeundi patientiam, de gravitate totius corporis conqueritur, premitur pandiculatione, cordis palpitatione, pruritu narium &c. erumpunt varioli in corpore undique: mox cum inſtaret partus hora, infantem edit variolis per tenerrimum corpus æque tam multis contaminatum, qui poſt ſacri baptiſmatis acceptum ſacramentum placide obdormiebat; mater autem tertia die poſt exibat mortalitatis ſenſus. vid. Th. Bartholin. *Epiſtol. med. Cent. II. Ep. 85. pag. 682.*

Scri-

Scribit etiam Johannes Dolæus *Encyclopæd. med. Lib. IV. cap. 6. p. m. 777.* ſe vidiſſe in matrona variolis editum iufantem, quibus & mater fuerat afflicta & maculata. Novit etiam Andreas Petermannus feminam nobiliſſimam, quæ quarta demum vice puerpera una cum puſione, quem tunc erat enixa, variolis corripiebatur, uti ex ipſius ore memini.

§. 5.

Porro Cornelius Stalp. van der Wiel *Obſ. rarior. Cent. II. Obſ. 42. ſch. p. 426.* ſeipſum fœtus non ſine variolarum labe editos conſpexiſſe ſcribit. De matre non varioloſa varioloſum edente fœtum hiſtoriam refert Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. med. phyſ. Cent. II. Hiſt. 58. p. 233. ſeq.* Bene diu eſt, inquiens, & ultra viginti quatuor annos, cum matrona quædam Gorlicenſis utero gerens felici alias niſu pareret filiolam variolis undique refertam, neſcia quid ſibi hoc velit phænomenon, cum nec ipſa tempore geſtationis, nec inſtante parturitionis tempore, iisdem fuiſſet afflicta. Et Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſ. med. Lib. II. Obſ. 15. p. 234.* obſervavit gravidam, quæ occaſione pueri majoris, cum variolis luctantis in ipſum illum morbum incidit, quo erumpente cum magna uteri hæmorrhagia enixa eſt gemellos, utrosque ſtigmatis refertiſſimos, ſed jamjam intempeſtivo fermenti tumultu jugulandos, evadente felicius matre. Item anno 1680. Kilonii duabus matribus parturientibus exeunt in cutim variolæ; excluſi infantes uterque & ipſi contagii notas attulere: Matrum uni copioſe fluxere lochia, creſcentibus tamen usque & ad maturitem juſtam perductis variolis, magno puerperæ commodo; alteri, cui lochia rariora apparuere, collapſis lente refugientibusque poſt partus variolis tertius dies fatalis fuit, uterque tamen puer caput ſalvum abſtulit. vid. etiam Joh. Schenck. *Obſ. medicin. Lib. VI. fol. m. 760.* Gravidam ſanam puerum variolis correptum enixam eſſe, cum antea filio ex variolis ægrotanti ſedulo aſſediſſet, ex Moriſſonio refert Michael Ettmüllerus *Oper. med. Tom.* *alia exempla.*

II. fol. m. 404. Econtra matre variolis extincta infantem ſine variolis excluſum obſervavit Olaus Borrichius *Act. Hafn. Vol. V. Obſ. 75. pag. 176. ſeq.* Videlicet illuſtris quædam comes octavum jam menſem prægnans variolis corripitur iisque ita frequentibus, ut a planta pedis ad verticem usque nihil in cute ejus non puſtuloſum. Itaque nihil a medicis intentatum (eramus enim plures advocati) ut puſtulis his ſua conſtaret rotunditas, & ſeroſior adhuc, tenuiorve liquor in ſaniem purulentum faceſſeret. Sed juvencula, omnium, quas vidi, inquietiſſima perpetuis membrorum jactationibus, & captatione frigidulæ auræ effecit, ut retrocederet in corpus liquor, relicta in puſtulis vallecula, &, in ejus meditullio, puncto obſcuriori. Nihil actum precibus medentum, nihil minis; perſeveravit illa minarum & lethi contemptrix, donec undecimo morbi die fœtus ſpectaret foras, & inquietudine matris excuſſus ſedibus ſuis manu obſtetricis allevante prodiret in conſpectum puellus bene obeſus, optime formatus, nullum in corpore variolorum circumferens veſtigium; ſed qui nondum maturus ſorbendo externo aëri (agebat enim non niſi octavum menſem) poſt horam dimidiam exſpiravit, matre paulo poſt ſpretarum admonitionum pœnas immaturo etiam obitu luente. De fœtus variolis in utero materno ſequentem obſervationem communicat Samuel *Obſ. 61. p. 147.* Juvencula, ruſtici uxor, dum hoc anno variolæ in his oris Ledelius *M. N. C. Dec. II. An. 6.* Gorlicienſibus graſſabantur, corripitur etiam hoc malo & veluti obruitur, uti in adultis non inconſuetum. Morbo hoc detenta non nimis graviter decumbit, natura ſe onere levat in prægnante fœtumque aliquot menſium exturbat plenum in toto corpuſculo variolis. Fœtum in utero matris variolis infectum & ſemiputridum excluſum annotavit Johannes Georgius Grübelius *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ 107. p. 178.* Vivit adhuc ſecretarii cujusdam uxor, ſedecim nunc liberorum mater, quæ ante viginti aliquot annos, quo tempore variæ hinc inde febres continuæ atque mali-

malignæ graſſabantur, prima vice prægnans de horrore & ſubſequente maximo calore, præcordiorum anxietate, dorſi dolore ſumme gravativo deque ventris torminibus inſtar dolorum ad partum conquerebatur; quapropter requiſitus ego ob metum abortus ſtatim venam in brachio ſecandam curabam, quo facto & adhibitis internis medicamentis indies melius ſe gerebat; quinta vero a venæſectione die præter opinionem hinc inde maculæ rubræ inſtar variolarum apparebant; & ipſa a me quæſita, annon variolis laboraverit, affirmative reſpondebat, id quod etiam multæ foveæ varioloſæ in facie & manibus conſpicuæ confirmabant; nihilominus tamen ſubſequentibus diebus dictæ variolæ diſcretæ in ea copia ſuccreſcebant, ut per totum corpus, variolæ disſperſæ conſpicerentur. Nono die redibat horror ſumma cum debilitate variisque ſymptomatibus, quæ adhuc per totum abdomen & pectus purpura alba inſequebatur. A quo tamen periculoſo ſtatu per Dei gratiam dicta femina libera evadebat, atque poſt quatuor menſes filiolum, per univerſum corpus veſtigiis ſive maculis variolarum ornatum optimeque ſanum enitebatur. Generoſi cujusdam viri uxor, cum ante variolis laboraſſet, filiam peperit veſtigiis variolarum conſpicuam; unde liquet, ipſam adhuc in utero materno ſimul cum matre variolis affectam fuiſſe, ait Valent. And. Mœllenbroc *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 53. p. 150.* Et *Dec. II. An. 9. Obſ. 23. p. 54.* refert Joh. Georg. Sommerus, nobiliſſimam quandam conjugem, ſeptimo menſe prægnantem, variolis quaſi tectam poſt alvi fluxum reconvaleſcentem, juſto tempore filio ſano domum beaſſe; qui non paucis veſtigiis variolarum inſignitus comparuerit atque deinde in virum robuſtum adoleverit.

§. 6.

Aliis quoque febribus, cum & ſine exanthematibus, in utero adhuc materno latentes fœtus laboraſſe, teſtantur autores medici. Inquit enim Thomas Bartholinus *Epiſt. medicin. Cent. IV. Epiſt. 87. pag. 500.* Conſenſu & incommodo morbo- *febres.*

rum

rum matris in utero fœtum affici, ejusdem inordinato motu in gravidis obſervavi. Nec mirum, quia a matre nutrimentum haurit, calore febrili accenſum; vidique excluſos fœtus a matre febricitante debiles, & univerſo corpuſculo quaſi excoriatos. Quibus injuriis in utero expoſiti ſi vagiant ſubinde, mirum non eſt. Item ibidem *Epiſt. 86. pag 488.* ad Th. Bartholinum ſcribit Daniel Puerarius: obſervati ſunt infantes aliqui, quos in utero materno febricitaſſe, certiſſima erant τεκμήρια demortuorum totius corporis habitus, qui maculis quibusdam rubris & lividis diſtinctus erat. Uxor Bodini ſeptimeſtrem partum excuſſit eodem modo maculatum (erat enim febris cum rubiolis) quo & mater, uti ex Guilhelmo Bellonio refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de mirac. mort. Lib. II. Tit. 1. §. 47. p. 334.* Embryonis motus a febre retardatur, inquit Thomas Bartholinus *Hiſt. anat. Cent. I. Hiſt. 96. p. 136.* Tardius enim movetur in utero fœtus, ſi uterum gerens prægnans febre corripiatur; & motum celerem vires utriusque promovent, in febre fractæ. In vicinia noſtra febricitabat gravida mulier, jamque hebdomadæ ſeptem & viginti effluxerant flaccido ventre & ſine ullo concepti fœtus certo motu, ut ſenſim de graviditate cœperit dubitare. Exinde tamen obſcurus embryonis motus deprehenſus ad ſeptimam usque hebdomadam, qua tenerrimum in lucem edidit puerulum, anguſtæ manicæ includi aptum. Secundinæ exſangues, hepar uterinum ſpongiam parvam exſiccam referebat, & vaſa umbilicalia exſanguia, quæ nullo vinculo obſtetrix conſtrinxiſſet, niſi flatuum habuiſſet rationem. In ſolitum igitur tumorem venter gravidus diſtendi non potuit. Fœtus tamen vitali luce donatus, & bene antea nutritus videbatur, & motus tarditatem poſtea expeditiori compenſavit. De prole tertianariæ pallidiſſima hanc obſervationem annotavit Daniel Ludovici *M. N. C. Dec. II. An. 9. & 10. Obſ. 155. p. 341.* Cum ſecundam Germanicarum Ephemeridum partem alia de cauſa evolveremus, fortuito incidimus in illos

Bata-

Batavæ puellæ peſte infectæ amores: ſubiitque tum memoriæ ſimilis fere, ſed deſponſatæ nec infimæ ſortis, tertianariæ ſuperioribus annis curatio. Conſummationem matrimonii, poſt annua pene ſponſalia, ſponſus æque ac illa, in omnem quoque eventum expetebant; & tradebatur tandem hæc, invitis fere ob morbum parentibus. Inter primos ſtatim dies, & forte prima (utpote intercalari) nocte ingravidata evaneſcebat quaſi ſua ſponte febris; peperitque puellam elegantis formæ, nunc (ni brevi vivere deſierit) viripotentem, adeo tamen per totam ætatem, etiam inter corporis animique motus pallentem, ut febris idolum videri potuiſſet. Quartanam infantis in utero communicat Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. II. An. 5. App. Obſ. 44. p. 28.* his verbis: Infantes, citra ullum vitæ errorem, a matribus contraxiſſe quartanam, aſſerit quidem Fernelius *4. Pathol. 14.* ſed ſine exemplo. Unicum, quod nobis obvenit, tibi dabimus. Annam Dorotheam *Meiſenthurm*, militis cujusdam conjugem, tertia vice tunc gravidam, altero ſtatim menſe pertinax invaſerat quartana. Ultimis menſibus in & ante paroxysmum embryonem maxime inquietum, tremulum, & ab uno in aliud latus ſeſe volutantem manifeſte ſenſit, ut triſtem ſibimet ipſa prædiceret eventum. Tandem ſuperato, eodem die, terribili paroxysmo, circa decimam veſpertinam peperit filiolam, quæ una eademque hora, una cum matre, febri iſta miſerrime affligebatur. Vidi miſerrimam puellulam, ſtupens ſane, qui tenerrimum corpuſculum, ſeptimam usque in ſeptimanam, tam graves ſuſtinuerit inſultus. Mater tandem, Dei miſericordia convaluit.

§. 7.

Lue venerea infantes materno adhuc utero occluſos a matre impura coinquinari, quotidiana docet praxis medico-chirurgica. Infantem ex utero materno vix egreſſum luis venereæ notas manifeſtas, præcipue in pudendis exhibentem ſe *Lues venerea.*

vidiſſe, ait G. W. Wedelius *de Morb. Infant. Cap. 36. p. 139.* Feminam gravidam lue venerea laborantem, infantemque viginti circiter menſium ætatis lactantem, ac fœtum nondum editum ab hac lue per ſalivationem ſimul liberavit Guilhelmus Fabricius, uti refert *Obſervat. Chirurg. Cent. V. Obſ. 97. Oper. fol. m. 494.* Imo contaminatos lue venerea infantes apud Indos naſci, ex Ludovico Vive allegat Johannes Rhodius *Obſ. med. Cent. III. Obſ. 83. p. 164.* & veneris illicitæ pœnam non adultiores modo ferre, ſed inſontes quoque liberos, antequam lucem conſpexere, in alvo materna luere, diro malo infectos, exemplo fœtus cum tophis venereis editi probat; fœtum enim recens editum Patavii conſpicere licuit, cui dorſum tophis venereis obſitum fuit. Et Veronæ pellionis uxor inquinata lue filium peperit defœdatum variolis, non reddito papaverculo, nec deguſtato lacte, tertio die obiit. Item matrum vitia in fœtus, quos adhuc ſinu complectuntur interiori, tranſire, nimium ſane ſolenne eſt; meminit enim Olaus Borrichius, ſpectatam ſibi in noſocomio Pariſienſi virgunculam a partu adhuc rubentem, cujus genitalia fœdis ulceribus venereis manabant, derivato in miſellam a genitrice infortunio. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 75. p. 176.* Malignos non ſecus ac benignos parentum mores & humores ab utero in ſoboles derivari, & ſtatis temporibus propullulare, teſtatur Nicolaus Guilielmus Beckers in caſtiſſima venereæ militiæ ducis filia annorum tredecim, per ſeptennium oſtocopicis artuum doloribus, horis nocturnis excruciata ac gummatoſo frontis tumore correpta. v. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 33. p. 59.*

§. 8.

Vulnera. Vulnerantur quandoque etiam fœtus adhuc in utero detenti, quale inſignis, uteri & ipſius fœtus vulneris exemplum de religioſo quodam Capucino recenſet Johannes Mauritius Hoffmannus *Anatom. patholog. Specim. IX. §. 21. p. 124.* cujusdam,

dam, inquiens, religioſi Capucini ab aliquot abhinc annis a me Neagori in vicino Palatinatu viſi, mater ipſo gravida ex vehementi ad bacillum extremitate acutum alliſione non uterum ſibi ſolum, ſed fœtus etiam thoracem ſub papilla dextra pertuderat, matre poſt conſolidationem viva remanente, ut & cicatrice in dicto religioſo veluti conſpicua. Talia vulnera interdum ſunt lethalia, uti de fœtu in utero matris occiſo ex Achillis Gaſſari, medici Auguſtani, literis teſtatur Johannes Langius *Epiſt. medic. Lib. II. Epiſt. 39. p. 671.* his verbis: Quum maritus, cui nomen Andreæ Rempter erat, ira percitus uxoris ſuæ ilia dextra cultro capulotenus trajeciſſet, ejusque inteſtina elapſa Mauricius Orcheotomus accerſitus calidis fotibus elota repoſuiſſet, epigaſtrii vulnus conſuit, tum miſera, facta puerpera, ſexto a conceptu menſe, & tertio poſt vulnus inflictum die, puerum occiſum enixa eſt, cujus dextram ſupremam calvariæ adhuc cartilaginoſæ partem ſævus ille homicida verius, quam parens, usque ad ſiniſtri oculi ſupercilium vulneraverat, mater vero chirurgi opera convaluit.

§. 9.

Fœtus quandoque croceo colore tinctos naſci, teſtatur Johannes Heurnius *Prax. medicin. Lib. II. cap. 14. pag. m. 164.* Ariſtolochia, inquiens, cum myrrha & pipere pota ſecundas & fœtus pellit; addo crocum, quod raptim uterum petit; adeo ut cum quædam excludere fœtum non poſſet, dato croco, prodierit fœtus croco tinctus. Sic Henricus ab Heer *Obſ. med. 14. p. 140.* inquit: An. 1603. uxori gregarii militis, difficili partu pæne enectæ, dedi pulverem teſtium equi, in aqua liliorum alborum cum croco, pudendo ſaponem nigrum applicandum curavi; dimidio quadrante citius puerum croceo colore tinctiſſimum Indoque Mulatto ſimilem enixa eſt. Mirabar tantulo temporis intervallo crocum utero fœtuique vim ſuam communicaſſe, idque tam pertinaciter, ut aliquot poſt menſibus puer ille fla- *fœtus crocceus.*

vedinis nihil amiſerit. De ejusmodi fœtu croco in utero tincto ſequentia in *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 60. p. 157.* refert Johannes Ferdinandus Hertodius : Magnum & admiratione dignum dicere viſus eſt Amatus Luſitanus, ubi *Curat. med. Cent. V.* ait, mulierem quandam ab epoto medicamento, cui crocus admixtus eſſet, duas puellas ab extra coloris lutei peperiſſe: & hanc coloris cauſam ipſi croco attribuit, ſigno deſumpto, quod color lotura aquæ disparuerit. Hanc Amati aſſertionem uti dubioſam, data occaſione commoda præſente anno, & quidem quadrageſimali tempore ad veritatis incudem devolvi. Occupatus quippe eram in anatomia publica corporis feminei, ob ſupplicium capite mulctati; & feliciter ad finem perducta omnium partium præparatione & explicatione, experimentum cum croco in cane inſtituere decrevi; quod & felici cum ſucceſſu effeci. Copia experimenti ſequens eſt: Sumſi canem feminam trium vel quatuor ſeptimanarum gravidam, cui toto geſtationis tempore tam cibum, quam potum croco tinctum exhibui, donec octo forſan dies ad partum ſupereſſent, ubi ultimis tribus diebus etiam ad drachmas duas & tres croci, juſculis addidi. Canis etſi in principio ſperneret alimenta croco condita, fame tamen plus urgente poſtea eo alacrius ſumſit. Demum ſecta hujus canis tota abdominis regione, ut & ipſo utero ad placentas usque, iisque demum etiam diſſectis, ſumpſi colliquamentum, quod non exiguo colore croceo tinctum viſebatur, ſcutellæ impoſui & igni ad concretionem admoveri præcepi. Interim jucundo viſu contemplandi erant catelli, de nigro ad albedinem variegati coloris, hinc inde ſeſe volutantes, in quibus albidiores cutis particulæ plenarie croceo colore tinctæ fuerant. Quo experimento conſtabat, veram eſſe Amati Luſitani ſententiam, crocum etiam in utero fœtum tingere, hancque ob rationem eundem tanquam ſingulare & ſpecificum medicamentum adhiberi poſſe ad pellendum fœtum & menſtrua retenta. Sed, quod mirandum, chylus in vaſis lacteis al-

bicans

bicans erat. v. Joh. Ferd. Hertodt *Crocolog. curioſ. cap. 23. Qu. 4. p. 278.* item Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mort. Lib. II. Tit. 1. §. 48. p. 335.* quo loco hic autor ita pergit: Tantum abeſt, ut nobiliſſimi viri experimentum in dubium traham, ut potius rationibus & experientia hac, tanquam firmiſſimis phyſicæ & medicinæ Atlantibus, fulti curioſitatem ejus exoſculer. Hoc ſaltem adjicere libet, quod bis in infantibus recens natis mihi his tueri licuit. Puellæ nempe crocea tinctura habitum corporis conſpicuæ a matribus, quæ ne tantillum tempore geſtationis de croco guſtaverant, neque difficili partu adactæ eundem abſorbere fuerint coactæ luci datæ ſunt, qui ipſe color nec aquæ, nec vini lotura adhibita disparuit, quod de fœtibus croco decoloratis annotavit Amatus, ſed ultra menſem fortiter tanquam cuticulæ nativus in ea ſine omni noxa perſeveravit. Ictero in utero has laboraſſe & adhuc laborare, mulierculärum aſtantium erat ſententia, inde, pergit Garmannus, ut malum illud averruncarem, in conſilium vocabar. Cum vero nihil, quod a ſtatu præternaturali recederet, aut eundem turbaret, cognoſcerem, aliam cauſam ſubeſſe arguebam tacite. Notum videlicet eſt, lochia non raro flava egeri, quinimo & fluorem muliebrem menſtruum croceo aliquando comparere colore; prout obſervavit Alardus Hermannus Cammenius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 115. p. 186.* Inde etiam contingit, ut infantes recens nati & vomitu & ſeceſſu materiam exponant croceam hauſti per os in utero alimenti peculiarem indicinam. Si igitur humor, cui innatat fœtus, tinctura crocea & flaveſcente, ſive bilioſam voces, ſive non, hoc ipſo non me movet, fuerit imprægnatus, cutis & cuticulæ teneritudo facile imbibet eandem, crocumque æmulabitur.

§. 10.

De nato flavo ſeu icterico obſervationem recenſet Dominicus Panarola *Obſ. medic. Pentec. IV. Obſ. 44. pag. 137.* *Icterus.*

inquiens: infantem barbitonſoris filium ictericum, natum vidimus cum magno ſtupore, qui poſtea placente Deo evadebat & optima fruebatur valetudine. Ex quo apparet, fœtum icteritiam in utero matris contrahere poſſe. Uxor Viti Bretſthels anno ætatis ſuæ vigeſimo quinto tertium gravida, neſcio quo inordinato appetitu ferebatur in crocum, adeo ut omnes faſtidiret cibos, ſi non croco eſſent conditi. Peperit tandem lepidum puellum, cujus tota cutis crocei coloris erat. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 4. Append. pag. 199.* Sanguinem & oſſa fœtus flavo colore ex ictero matris imbuta annotavit Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ. 57. pag. 118.* inquiens, mater ictero laborans octavo gravidationis menſe puerum peperit mortuum quidem, quod iſto menſe non eſt mirandum: ſed, quod ego ſtupebam, ita flavum, ut e cera confectus puer, non partus humanus videretur. Eum poteſtatis meæ factum ſeco, pro ſanguine humorem fellis inſtar flavum reperio, eumque diligenter lagena exceptum ſervo; ad oſſa ubi perventum, ea ſic erant eodem humore, eodem colore flavo imbuta, ut, ſi non ipſe ſecuiſſem corpuſculum, illud mihi arte tincta fuiſſe putaſſem &c. De fœtu abortivo adhuc vivo, qui a matre ſeptimo menſe gravida & ictero laborante totus bile tinctus poſt frequentes dejectiones excludebatur, vide Gottofredi Schultzii *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 241. pag. 355.* Item nobiliſſima quædam femina ſexto menſe gravida ætatis anno trigeſimo tertio fœtum bene formatum totoque corporis habitu luteum & ictericum excluſit; eaque matrona jam bina vice pepererat filios intra decendium a partu ictero extinctos. vid. Joh. Michael. *Oper. Prax. Clin. ſpec. caſ. 23. pag. 557. ſeq.*

§. II.

Fœtus niger. De fœtu nigro a matre pulvere pyrio aduſta excluſo Johannes Petrus Albrecht *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 13. pag. 39.* hanc recenſet obſervationem. Fœtum vi imaginationis ab aſpectu

aſpectu rei nigræ ſimili colore præditum nonnunquam in lucem veniſſe, ex hiſtoriis paſſim conſtat. Non talem, ſed quendam longe alia ratione atro infectum colore in ſcenam producendi animus eſt. Tragœdia, ex qua ſuas hæc obſervatio ſumſit natales, ante aliquot annos hic loci ſequenti modo agebatur. Depoſuerat ille, qui pulveris tormentarii conficiendi munere fungitur, ejus ad ulteriorem exſiccationem obtinendam duodecim libras prope fornacem in ſellam: Vix ædibus, aliorum, quæ ipſi facienda incumbebant, negotiorum cauſa egreſſus erat, cum ſcintillula ex fiſſura fornacis proſiliente dictumque pulverem incendente domus funditus & cum intenſo fragore everteretur. Duobus filiolis cum matre partui vicina in ſuperiori cubiculo placido fruentibus ſomno hic caſus exſtitit funeſtus: diſperſis enim illorum corporibus in præterlabentem fluvium, vi fluminis ſuffocati necabantur; Mater vero trabibus aliisque ædium partibus oppreſſa, miſere aduſta, ſemimortua inſtarque carbonis nigra extrahitur. Admota igitur ſolita contra ambuſtionem curatione, refectisque ita viribus, ut fœtus motum ſatis fortem ſubinde perſentiſceret, inſequenti menſe filiolus nigerrimus, Æthiopem crediddiſſes, lucem aſpiciebat, qui tamen vix baptiſmate tinctus, ſomno conſopiebatur ſempiterno, ipſa matre tum terrore ac animi dolore, tum cruciatibus ex aduſtione & partu ortis confecta, paulo poſt ſimile fatum ſubeunte. Plumbini dux cum de ſe prægnantem concubinam crederet, invitaſſetque ad baptiſmi ſacra quam plurimos primarios viros, ea Æthiopem peperit coquo ſuo ſimillimum. v. Mart. Weinrich. *de Monſtror. Ort. cap. 17. p. 160.* An. 1656. die 9. Nov. juſto pariendi tempore mulier quædam, quod Æthiopem forte occurrentem adſpexiſſet, filium excluſit, cujus facies & brachium dextrum cum manu coloris erant nigricantis. conf. Job. a Meckren *Obſ. med. chir. poſth. c. 1. pag. 350. ſeq.* In oppido Eſſen, in Marchia, matrona quædam gravida, cum

caſu

caſu ictum bombardæ in coxam dextram non quidem globo, ſed charta madefacta, & dentibus maſticata reciperet, protinus doloribus correpta fuit, & aqua, quæ fœtum comitari ſolet, paulo poſt effluxit. Sequenti die fœtum non tantum mortuum, verum etiam nigrum, quaſi pulvere tormentario infectus fuiſſet, edidit, vid. Guil. Fabric. Hildan. *Epiſtol. ad Michael. Dœring. Oper. fol. 900.* Plures & varios ejusmodi caſus, ubi de gravidarum imaginatione egimus, adduximus. Limburgi hoſpitis cujusdam uxor anno 1675. die tertio Septembris peperit filium inſtar Æthiopis, cum admiratione adſtantium, qui vero color poſt tres dies nullis adhibitis remediis evanuit, & infans fuit alii ſimillimus & albus, referente Johanne Dolæo *Encyclop. medic. Lib. V. cap. 7. §. 5. p. m. 938.* quo loco etiam recenſet, quod conſulis cujusdam Wittebergenſis uxor in ipſa eclipſi filiam fuſci coloris & horribilis aſpectu in lucem ediderit, a cujus conſpectu adſtantes valde perterriti fuerint, diſcuſſa tamen eclipſi color & forma ad naturalem mutati, & parentes bene formatam filiam nacti fuerint.

§. II.

Excoriatio. Quandoque a gravidarum ſero nimis acri & corroſivo fœtus in utero materno cutis excoriationem patiuntur; Referente enim Chriſtiano Ludovico Gœckelio, gravida quædam, quæ binos ante puerperium menſes tertiana exquiſita laborabat, per Dei gratiam feliciter curata, juſto tempore puellam peperit cum cuticula tota puſtuloſa, quam paulo poſt plenaria velut excoriatio excepit, haud ſecus acſi fervida macerata eſſet cutis. Vita puſionis ob ἀειπάθειαν totius periclitabatur, quam oleoſis, in ſpecie autem oleo lini tepefacto iteratis demulcendam vicibus ſuaſi, conſtipatis ita & oblinitis poris cuticula regenerabatur, infante ad ravim usque per aliquot dies noctesque inclamante præter ſpem ſuperſtite. Symptomatis hujus cauſa extra dubium fuit humorum, queis embryo innatavit, fer-

vor

vor a calore febrili excitatus; cuticulam ante tempus ſolitum depaſcens &c. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 151. pag. 313.* De aceti & acidorum uſu nimio fœtui noxio hanc obſervationem annotavit Chriſtianus Fridericus Garmannus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 149. p. m. 233.* Nobilis quædam femina uterum gerens toto geſtationis tempore nullum cibum niſi acidum, prout ipſa retulit, expetiit, potus vero loco continuo acetum avidis hauſit faucibus. Excluſit poſtea fœtum absque epidermide, cætera perfectum & valentem quidem, qui tamen paulo poſt ob dolores a defectu cuticulæ cauſatos fatis cedere coactus eſt. Idem de Ludovico Hungariæ rege apud Curæum legitur, cujus mater an eodem in acida flagrarit appetitu, incertum eſt. Puellulus ſemeſtris ævi matre febri ardente detenta natus excoriatione totius corporis a primis incunabulis perpetuo fere vexabatur, quæ per vices ſedata recrudeſcebat, donec interioribus ardore eodem æſtuantibus miſere tandem, immaturo fato, ad vitam meliorem tranſierit, teſte Thoma Bartholino *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 21. pag. 31.* Sic infantulo cuidam tertio poſt nativitatem die epidermis omnisque cutis de corpore erat quaſi abrupta & avulſa, ſequente magna ſanguinis copia; & ita per menſem circiter excoriatus vixit, ejulatus præ dolore continuo edens. Adverſus hunc autem affectum nil præter oleum raparum cum creta mixtum fuit adhibitum &c. obſervante Friderico Dekkero *Exercitat. pract. cap. 5. §. 12. p. m. 271. ſeq.* Georgius Francus matronam novit, quæ toto impraegnationis tempore mire acetum deperibat furtimque, ubi ubi poterat, conquirebat; quæ fœtum dein cuticula orbum & ſemicrudum peperit Leucopetræ vid. *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 201. pag. 362.* Fœtus a matre febricitante excluſos debiles & univerſo corpuſculo quaſi excoriatos ſe vidiſſe ad Danielem Puerarium ſcribit Thomas Bartholinus *Epiſt. medic. Cent. IV. Epiſtol. 87. p. 500.* Scribit etiam Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib. VI. cap. ult. fol. 410.* cuticulam in fœtu facile abradi & evelli, propter

corporis diuturnam immerſionem, ſive natationem in aquis.
Veſiculæ. Veſiculas ſeroſas in fœtu obſervavit Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 23. pag. 63.* Imprægnata ſcilicet exquiſitiſſimo deſiderio vinum expetebat indiesque ad ebrietatem fermè ſeſe implebat geſtationis tempore. Quid fit? Embryone feliciter in lucis auras extracto totum corpuſculum veſiculis copioſis ſeroſa lympha refertis, notatum adſpicientium alliciebat oculos, matrique delictum exprobrabat tacite non diu ſuperſtes. Annotante Marco Gerbezio *Chronolog. med. pract. An. 2. §. 58. pag. 153.* citra ullam a matre datam cauſam octavo geſtationis menſe excluſus fuit fœtus, in abdomine prope dextrum inguen ſat amplo affectus ulcere.

§. 13.

Hydrops. Fœtus humanos etiam, antequam extra carceres uterinos prorumpant, nonnunquam ex matrum erroribus hydropem incurrere, monſtrat Georgius Segerus inquiens, *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 42. p. m. 132.* de embryone hydropico. Cum anno 1666. die 26. Octobr. veſperi circa horam ſextam hic Thorunii, in novo oppido piſtrinum cujusdam piſtoris flammam concepiſſet, & ſub initium paulo liberius ſcintillas ſparſiſſet, conſularis cujusdam viri uxor ſumme gravida, antequam de ſitu ardentis ædificii certior redderetur, in area ſua ſcintillarum, vicini parietis incendium mentientium, volatum anxie obſervavit. Auxit anxietatem abſentia mariti, ob publica negotia Varſaviæ tum commorantis. Poſtquam vero reſcivit, quodnam ædificium Vulcanus occupaſſet, ſedatiore animo in hypocauſtum ſe contulit. Hic ſibi moleſtiſſima turbata cereviſiæ ſecundariæ largiore potu eam abigere tentavit. Poſtridie nullum ſenſit incommodum. Aſt tertio poſt die ingruentibus doloribus partus enixa eſt filiolam hydropicam, quæ medicamentis, tam internis, quam externis nihil quicquam conferentibus paucis poſt diebus hydrope periit. Embryonis

nis maſculi quatuor vel quinque menſium hydropici, cujus totius corporis cutis & capitis quoque piloſa, aqua ſubter cutem tumebat, ex Plateri obſervationibus propriis meminit Johannes Schenckius *Obſ. med. Lib. IV. fol. m. 573.* vid. ipſius Plateri *Obſ. Lib. III. pag. m. 748.* De infante hydropico feminei ſexus, cujus nates invicem tam firmiter adeo cohærebant, & connectebantur, ut debita partium diviſio nulla, loco ani conſueti vero in plano non niſi foramen parvulum ad inſtar fonticuli ſignatum obſervaretur, obſervationem communicat Johannes Adamus Lospichlerus *Ephemer. Acad. N. C. Cent. I. & II. Obſ. 150. pag. 313.* De fœtu hydropico octimeſtri v. Marc. Aurel. Severin. *de recond. Abſceſſ. nat. cap. 36. pag. 266. ſeqq.* Hic Dresdæ etiam hactenus piſtoris cujusdam uxor, & paſtoris animarum filia, quarta vice prægnans, circa ſeptimum, ut ipſa ſibi imaginabatur, prægnationis menſem, tantum uteri & abdominis acquirebat incrementum, ut non modo vix incedere gradusve formare poſſet, ſed etiam, ad minimum, gemellos ſe utero geſtare firmiter crederet. Ab hac vero mole, indies aucta, tandem medio, ſecundum ipſius computum, octavo geſtationis menſe, poſt graviſſimos, duosque fere dies durantes partus dolores liberabatur, infantem enitendo mortuum, & quidem ultra ulnæ longitudinem magnum, adeoque craſſum, ut ipſius ex vivæ matris utero egreſſum vel extractionem pro incredibili ac impoſſibili, niſi ipſe interfuiſſem, absque dubio judicaſſem; ſiquidem totum caput, collum, abdomen & artus a ſero ita erant diſtenta, ut non ſolum per cutem hinc inde, ubi ubi ipſius epidermis in partu difficili fuerat ſeparata vel dilacerata, largiter tale ſerum transſudaret, atque lintea, quibus fœtus involutus erat, madefaceret; verum etiam ex parva abdominis inciſione in magna copia efflueret. Fœtum autem ipſum ut ſecarem, a parentibus impetrare non potui. Embryonem maſculum immaturum per abortum quarto vel quinto menſe rejectum, hydropicum in utero ma- *Obſervatio.*

tris jam factum eſſe, deprehendit Felix Platerus; cujus cum interiora examinaret, totius corporis cutis & capitis quoque piloſa pars aqua ſubter cutem tumebat, atque e veſicæ ipſius fundo, meatus amplus, urachi inſtar, in cavam venam, ſub renibus, univerſam ſeroſo ſanguine refertam, deſinebat. vid. Felic. Plater. *Obſ. Lib. III. p. m. 748.* Infantem in utero hydropicum a collectis tum in abdomine, tum pectore aquis, obſervavit Marcus Aurelius Severinus *de recondit. Abſceſſ. natur. p. m. 266. ſeq.* In urbe ſcilicet Neapoli fœtura fuerat abortiva octimeſtris diſtante ſic abdomine, ut magnitudine reliquum corpus exſuperari facile dixiſſes. Qui venter diſciſſus fluentem affatim reddidit aquam, qua patinæ argenteæ quam ampliſſimæ vacuitas repleta eſt, ſed & totum pectus eodem humore perfuſum erat &c. Gemellos ſeptimeſtres & quidem primo filiam, & paulo poſt puellum, quorum illa admodum hydropica, hic vero optime erat ſanus, ex juvenis uxoris utero extraxit Louyſe Bourgeois, vid. *ipſius Libr. Obſtetr. Part. I. cap. 43. pag. 163.* De fœtu abortivo hydropico ſequentem obſervationem annotavit Johannes Daniel Dorſtenius *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 153. pag. 298.* Stipem nuper famula quædam advena paupercula quindecim annorum Marpurgi cogens, ac hydropiſi cum vomitu frequenti ex nigra amurca correpta, poſtquam per bimeſtre ferme ſpatium miſerabiliter valde decubuiſſet, præterque omnium, quod gravida eſſet, opinionem, doloribus partus in eam irruentibus, vixque obſtetrice propinquante, quatuor, juxta ſuam ipſius confeſſionem, menſium fœtum puerulum jam mortuum, ulnam dimidiam, minus pollicem latum, longum, partu immaturo enitebatur. Fœtus hic abortivus, totus etſi, omnibusque partibus a capite ad calcem mire intumuerit, ſequenti tamen die 17. puta Octobris anni 1684. in theatro, cultro ubi ſubjiceretur, anatomico, in facie, manibus ac pedibus tumor maximam partem iterum evanuerat atque receſſerat, excepto illo ingenti, caput

æquan-

æquante ac circa occipitium imprimis hærente, quo prius aperto humor ichoroſus, ceu gelatina, nonnihil congelidus eximebatur. Intra cranium cerebrum nullo humore videbatur perfuſum, præterquam quod externa facie pallidum nimis, vaſaque ſanguiduca omnia eſſent exſanguia; neque, ſaucio illo, neque in plexu choroideo ſanguinis conſpici poterat veſtigium ullum. Aperto abdomine ampla humoris ichoroſi copia, carnis loturam referentis, quali tota referta erat cavitas, profluebat. Omentum exiguum valde, nec inteſtina obtegens comperiebatur. Hepar ceteraque in abdomine contenta viſcera ſatis commode habebant, ſed ſanguine orba. Ventriculus valde exiguus, corrugatus & vacuus exiſtebat. Thorace aperto pulmones æque ac viſcera abdominis, ingenti ſimilis ichoris ſuffuſione inundabant, ſubſtantiæ & coloris tamen laudabilis, reperiebantur. In corde ne ſtilla cruoris conſpicua erat. Sub cute denique intraque muſculorum ſpatia ichor effuſus gelatinæ adinſtar coagulatus ubique reſidebat.

§. 14.

Obſervationem de partu difficili ab embryone hydrocephalo in utero mortuo annotavit Caſparus Theophilus Bierlingius *Adverſ. curioſ. Cent. Obſ. XCII. pag. 234. ſeqq.* hujus fœtus cum ſummo fœtore tandem excluſi caput inſigniter tumidum cum diſtenſione cranii conſpiciebatur, & ſi illud parum moveretur, ſonitus aquæ exacte percipiebatur, Germani dicunt, *daſs es darinnen recht ſchwapperte.* Cute igitur artificialiter cultro anatomico in forma crucis diſſecta, aqua limpidiſſima maxima in quantitate effluebat. Remotis cæteris partibus, omnes ſuturæ totaque calvaria diſtenta in conſpectum veniebant, ſtabantque oſſa bregmatis in anteriori parte ab oſſibus frontis ſeparata & inſtar cornuum erecta, quorum apices diſlocati erectique in partu oſſibus pubis adeo firmiter infixi, niſuque matris & attractione obſtetricis magis magisque prædi- *Hydrocephalus.*

ctis oſſibus defixi ſunt, ut tandem omnem conatum tam matris quam obſtetricis illuſerint, donec per elevationem mantili factam, capite infantis retroceſſo, iterum conciderunt & ſic ulteriorem exitum infanti permiſerunt.

§. 15.

ſingultus. Fœtus in utero materno ſingultientis meminit Johannes Petrus Albrecht *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 15. p. 42.* Femina, inquiens, quædam ultimis geſtationis menſibus de moleſto admodum ſæpiusque reciprocante fœtus motu conquerebatur, præſertim, cum ita inde defatigaretur, ut non raro animi deliquiis proxima eſſet. Hic motus ſubſultorius ſuos quaſi rhythmos obſervans, quoties percipiebatur, toties totum matris abdomen concutiebat. Singulis diebus ter ad minimum hunc paroxyſmum illa ſuſtinebat. Vocatus igitur in conſilium, manuque abdomini admota diligenter cunctas circumſtantias perpendi, embryonemque ſingultu a nutrimento nimis acri contractionem diaphragmatis violentam ac reciprocam concitante, laborare judicavi. Hinc ut tum fœtus tum matris moleſtia tolleretur, irritationisque ſenſus obtunderetur, medicamentis idoneis ad temperandos humores acres curam tam felici ſucceſſu direxi, ut ceſſante motu convulſivo fœtus hic poſtea absque tanta violentia naturaliter ſeſe moveret, ſanusque poſt aliquot ſeptimanas in lucem emitteretur.

§. 16.

Herniæ. Varias herniarum ſpecies in utero materno partim a matris impreſſione, partim ab aliis cauſis oriri, teſtantur autores. Congenitam enim umbilici herniam ex communicatione Johannis Georgii Gockelii recenſet Joh. Scultetus *Armament. Chir. Part. II. Obſ. 60. p. 87.* Villica ſcilicet quædam Berenſtattenſis, Ulmanæ ditionis, Jacobi Hœckeri conjux, præcedentis meſſis tempore, ſed primis geſtationis menſibus, ſuburbanis ruſticisque operationibus incumbens & frumenti per agrum hinc

inde

inde ſparſos manipulos colligens, ſub eorundem uno reptantium viperarum acervum ſubito animadvertit, harumque & figuram & motum, umbilicali regioni ſuperimpoſita manu, ita ſtrenue ſibi imaginata eſt, ut toto quidem, quo utero gerebat tempore, utcunque bene habuerit, at heri, circa crepuſculum veſpertinum, filiam, ſacra mox unda Barbaram initiatam, quoad reliqua vividam quidem peperit, ſed ex radicata illa imaginatione, non bene formatam; adeo ut omnia natæ hujus inteſtina præter naturam per relaxatum umbilicum, extra corpus, tanquam magno in culeo recondita, ſoloque peritonæo inveſtita conſpicienda ſe præbuerint. In infante, quæ quindecim horas auram vitalem hauſerat, a domino Mory obſervata eſt hernia umbilicalis monſtroſa, quæ pulmones, jecur, ventriculum & inteſtina omnia includebat. v. Act. Erudit. Lipſ. *1720. menſ. Mart. p. 130.* Enterocelen omphalidem in matris utero ortam annotavit etiam Dominicus Panarolus *Obſ. medic. Pentec. II. Obſ. I. p. 33.* Textrix nimirum quædam peperit filiam tam male affectam, ut per triduum vivere non affirmaſſes; portentoſo enim & undequaque periculoſiſſimo morbo vexabatur. In regione enim umbilici pars cutis & pars muſculorum deficiebat, ita ut ampliſſimum hiatum rotundum aſpiceremus, ex quo inteſtina profluebant; ſolum peritonæum, ne penitus laberentur, prohibebat &c. Fœtum mortuum, menſium circiter ſeptem, in ipſo jam utero bubonocele laborantem ab obſtetrice extractum obſervavit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 84. p. 319.* Plura exempla vid. *Tract. noſtr. de Graviditate.*

§. 17.

Quamvis dentitio ordinarie ſit affectus infantum, aliquot jamjam ante menſes, vel integrum annum, ex utero materno excluſorum, ſatis doloroſus, quandoque etiam lethalis, ſæpe tamen etiam embryones & fœtus materno carceri adhuc incluſi *Dentitio.*

den-

dentitionem patiuntur: ita, ut aliquot dentibus armati in lucem proveniant; id quod interdum etiam circa abortus obſervatur. De abortu enim ſex menſium dentato Rudolphus Wilhelmus Crauſius *M. N. C Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 268. p. 619.* ita ſcribit: Quod infantes dentibus quibusdam ex maxillis conſpicue prominentibus naſcantur, rarum quidem, miraculi tamen nomine indignum eſt. Vidimus tales infantes aliquoties. Muſici cujusdam aulici uxor, aliquot infantum mater, ſexto a conceptione menſe, poſt alterationem mane abortum excludebat ſequioris ſexus, vivum quidem, ſed conſueta immaturitatis ſuæ ſigna præ ſe ferentem & valde debilem. Inter plorandum obſervabantur duo dentes primores, inciſores dicti, in inferiori maxilla, ſatis conſpicue prominentes. Moriebatur hæc puella eadem die veſperi. Audito magno crepitu mortuus infans duos dentes anteriores in ore habens, ex utero matris mortuæ prodiit, uti refert Johannes Schenckius *Obſervat. med. Lib. IV. fol. 590.* Zoroaſtrem & Marcum Curium dentatos fuiſſe editos, vid. Mart. Weinrich. *de Monſt. Cap. 26 p. m. 231.* Feminam quandam peperiſſe infantem cum capillitio ac dentibus, legimus *in vita Peireskii Lib. I. p. 87.* Ob tales dentes prurientes interdum vagitum uterinum oriri, ſtatuit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 1. p. p. 6. & Hiſt. 8. p. 17.* Joachimi Navinii Epiſcopatus Caminenſis filia in lucem edita duos etiam inciſorios dentes in maxilla inferiore habuit, teſte Baldaſſare Timæo a *Güldenkl. Lib. V. Caſ. 10. p. 248.* Anno Chriſti 1634. Noribergæ puellus, partus ſeptimeſtris, dentes duos in inferiori maxilla ſecum in lucem protulerat, ſecundum Joh. Hellwig. *Obſ. 28. p. 106.* De puella in quavis maxilla inciſoriis dentibus ab ortu armata, quibus ſibi linguam totaliter transfixerat, ut modico ſaltem utrinque ad latera cohæreret, vide Danielis Ludovici obſervationem *M. N. C. Dec. I. An. 4. Obſ. 208. p. 294.* Anno 1636. Patavii Bartholomæo Salodienſi natus eſt filius maxilla utraque dentibus conſpicua, teſte Johanne Rhodio *Obſ.*

med.

med. Cent. I. Obſ. 92. p. 51. Ulmæ in Johannis Pfauzii, medici, diverſo tempore recens natis prolibus dentes prominentes & enixos ſe vidiſſe refert Eberhardus Gockelius *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 28. Schol. p. 73.* Julius Mazarinus haud nudus, ut ceteri homines, ſed tunica quadam, quaſi veſte circumdatus, & cum duobus dentibus in vitam introiviſſe dicitur. vid. Act. Erudit. *1717. menſ. Maj. p. 225.* Inquit etiam Simon Majolus *Dier. canicul. Colloqu. 4. f. m. 49.* ſe legiſſe, puerum in Picino cum ſex dentibus natum cum facie inſolentis magnitudinis Caliſto III. Pontifice. Et ſecundum verba Alexandri Benedicti *de Re medic. Lib. XXV. cap. 23. fol. 475.* in Cyro inſula tempeſtate noſtra feminam geminos peperiſſe accepimus, alterum octavo menſe, alterum decimo nono macie confectum, utrinque dentatum. Plura exempla in Odontologia D. v. videbimus.

§. 18.

Variis etiam ſtigmatibus fœtus in utero materno inſigniri, ſæpius experimur; totius enim corporis lividum colorem, ſtatim in fœtu excluſo deprehendit Vitus Riedlinus *Linear. med. An. 1696. menſ. Mart. Obſ. 6. p. 110. ſeq.* & quidem a terrore. Viſitaverat enim aurifaber quidam cum uxore ſexto jam menſe gravida patrem, in via offendunt milites Hungaros, quos Haiduccos nominant, qui ebrii, & quoniam apud meretricem, quam quæſiverant, non admiſſi fuerant, ſtomachantes, primo verbis, hinc gladiis ſtrictis maritum, uxorem vero verberibus adoriuntur, illoque læſo abeunt, curatur brevi vulnus, nec etiam quicquam mali notatu digni ſentit gravida, ita ut exacto demum definito tempore partum quidem ſat ſanum & vegetum ediderit, aſt in toto corpore livido colore tinctum, qui tamen poſtmodum ſponte evanuit. Piſcatoris cujusdam uxor ſemper, & quæ viri nequam intemperies erat, maxime graviditatis tempore, male a viro multata infantes peperit ad unum omnes ſignis illis ſtigmatibusque in ipſis locis fœdatos, quibus verbe-

Stigmata.

verberum ſigna.

verbera acceperat gravida, nunc levius nunc altius impreſſa. vid. Joh. Nicol. Pechlin. *Obſ. med. phyſ. Lib. III. Obſ. 15. p. 430.* Scortum quoddam publicum, quod magiſtratus minime gravidum putabat, virgis cædebatur. Verum poſt paucas ſeptimanas abortiebat gemellos, ictus virgarum in dorſo referentes, uti ex avtopſia recenſet Philippus Salmuth *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 14. p. 65. ſeq.* Simonis Schulzii, medici Thorunienſis, uxor circa initium noni menſis prægnans ſana & vegeta inter cœnam inopinato metu percellitur, audito ſigno campanæ incendium in urbe indicantis, a quo temporis momento male habere cœpit, motumque infantis per triduum nullum ſenſit; ſequentibus vero diebus admodum debilem. Tandem filiolum perfectum, ſed poſt baptiſmum tantum bihorium viventem in lucem edidit, cujus totum ſiniſtrum latus a capite usque ad calcem colore flammeo conſpiciendum erat, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 83. p. 158.* De ſtigmate ſanguineo ſequentem obſervationem refert Guſtavus Caſimirus Gahrliep *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 56. p. 90.* uxor, inquiens, quacum tertio matrimonio junctus etiamnum vivo, e priori conjugio prægnans, militem a commilitone verberibus male mulctatum, cruenta facie ſibi occurrentem, ut illatam injuriam ad vice-chiliarchum deferret, ex improviſo cernens, territa ſpectaculo illo horrido, ne ulterius illud oculis uſurparet, manu dextra totam cum utroque oculo frontem tegit: Quid fit? paulo poſt partu filium excludit, cujus frons tota cum oculorum palpebris, quousque faciem manus tetigerat, nævo ſanguinei coloris fœdata erat, qui tamen ſucceſſu temporis, illo adoleſcente paulatim diſparuit. Sic feminæ cuidam utero gerenti, cum alterius feminæ ſanguinem in venæſectione inſtituta exſilientem pelvi excipere vellet, guttulæ aliquot ſanguinis in brachium inciderunt. Hinc perterrefacta digitum ſub naſum poſuit. Puella nata nævum inſtar guttulæ ſanguini iſto in loco poſtea habebat. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Adverſ. curioſ. Obſ. 9. p. 24.*

ictus virgarum.

flammea.

24. Plures ejusmodi & varios caſus etiam in noſtra Syllepſilogia *Section. V. Cap. 9.* reperies.

§. 19.

De fœtu octimeſtri vivo, frigido & rigido ſequentem obſervationem recenſet Johannes Andreas Uſenbezius Ephemerid. Acad. Nat. Cur. *Cent. IX. Obſ. 30. p. 62. ſeq.* Pepererat in noſocomio noſtro (Ulmenſi) die 7. Octobr. 1718. gregarii cujusdam militis uxor, circa finem octavi ab impraegnatione menſis, partu ſatis moleſto filiam; quamprimum autem obſtetrix officio ſuo gnaviter fungens eandem ſuſceperat, ſtiriam quaſi ſe ſuſcepiſſe ſtatim aſſeverabat, non ſolum ratione frigiditatis intenſiſſimae, ſed etiam rigiditatis plane inſolitae & quaſi ligneae, ut ne buccis quidem forti quamvis manu fovea notabilis imprimi potuerit, verbo tota corpuſculi compages erat ad inſtar carnis fumo valde exſiccatae & induratae, hinc niſi reſpiratione, eaque admodum levi, vitae praeſentiam prodidiſſet, vere jamjam demortuam omnes firmiter credidiſſent. Quo igitur in tenellum hunc, caetera tamen optime formatum, nec nimis ἄσαρκον fœtum omnis debita & ſollicita cura impenderetur, calidis linteaminibus involutus, imo & ad fornacem poſitus, optime & blandiſſime fovebatur, attamen uti ſtatua lignea a calore quidem incaleſcebat, ab eodem vero remotus citius eadem refrigeſcebat, rigore a capite ad calcem continuo perennante, in quo etiam ſtatu per integrum diem ſine cibo & potu, cum maxillae prae rigiditate diduci nequiverint, permanebat, quo abſoluto animulam ſuam ſine ſenſu & motu, ne ullo vagitu quidem creatori placidiſſime reddidit. *frigiditas & rigiditas.*

§. 20.

Saepiſſime etiam fœtus materno utero adhuc incluſus a variis cauſis animulam ſuam Deo reddit, ex quibus unicam a funiculo umbilicali deſumtam hoc loco adducere volumus; ab hujus enim contorſione fœtum necatum annotavit Frederi- *Mors a funiculo umbilicali.*

cus Ruyſchius *Obſ. anat. chirurg. Obſ. 11. p. 18.* inquiens: Sicut homini in lucem edito innumerabiles mortis cauſæ imminent, ita quoque non paucæ ſunt conſtitutiones morboſæ fœtum in ipſo jam utero enecantes. Inter eas maximi eſt momenti funiculus umbilicalis contortus. Nuper fœtus mortuus in lucem editus eſt, membranis chorio & amnio integris exiſtentibus, cujus funiculum umbilicalem mire contortum inveni; ſicut quotidie in fune fieri videmus, quum poſt tenſionem ejus & unius extremi frequentiorem circumgyrationem, ad invicem duo extrema ducuntur. vid. *Fig. 13.* Veroſimile quoque eſt, malum iſtud a frequentiore circumgyratione fœtus ortum duxiſſe, in utero, ejusque mortis fuiſſe cauſam; utpote humorum circulatione per funiculum in totum impedita. Fœtum in utero ſtatim extingui, ſi pars quædam funiculi umbilicalis ita comprimitur, ut ſanguis ab utero matris in fœtum commeare non poſſit, ſtatuit D. Mery. vid. Joh. Bapt. du Hamel *Hiſtor. Acad. reg. Scient. Lib. III. Sect. II. cap. 3. p. 320.*

§. 21.

Item. Quod ſi in fœtus adhuc incarcerati funiculo umbilicali nodus aliquis plenarie conſtrictus oriatur, facillime ſanguinis circulus cum fœtus morte impeditur, quod tamen a nodo adhuc laxo non penitus conſtricto timendum non eſt. Ejusmodi autem nodos in funiculo umbilicali ſæpius reperire probat François Mauriceau *Obſervat. CXXX. p. m. 76.* de huit enfans, qui en venant au monde avoient le cordon de l'ombelic noüé d'un veritable nœud: ita ſcribens: Le 2. Avril 1675. j'ay accouché une femme d'une fille vivante, qui vint naturellement, dont je trouvay le cordon de l'ombelic noüé d'un veritable nœud, qui s'eſtoit ainſi fait dans le ventre de ſa mere, par la grande longueur de cordon, dont il s'eſtoit fait un cercle, dans la quel il falloit, que tout le corps de l'enfant eut paſſé, lorsqu'il s'eſtoit tourné. Ce nœud eſtoit extremement ſerré, mais cela ne s'eſtoit fait ſeulement que dans la ſortie de l'enfant;

car

car s'il euſt eſté long temps ſerré, dela ſorte dans le ventre dela mere, l'enfant auroit certainement peri; à cauſe que le mouvement du ſang, qui luy eſtoit neceſſaire, auroit eſté entierement intercepté dans le cordon. J'ay encore accouché depuis ce temps là ſept autres femmes, dont les enfans avoient pareillement le cordon noüé d'un ſemblable nœud.

§. 22.

A lapſu matris gravidæ fœtum in utero mortuum annotavit Rudolphus Salzmannus in femina quadam, piſtoris *a lapſu.* uxore, quæ, cum gravida eſſet octavo vel nono menſe, mane e lecto ſurgens prona in terram procidit & ventrem ita impegit, ut etiam fœtus in utero extinctus fuerit. Maritus actorum ignarus, tandem ex ſomno expergefactus, cum animadverteret, uxorem e lecto ſurrexiſſe, & ipſe ſurrexit, ut, ne quid damni caperet uxor, præcaveret; Sed miſer eam humi proſtratam absque ſenſu & motu pronam adhuc jacentem invenit, eamque mox convocatis miniſtris a pavimento ſuſtulit & lecto impoſuit, quo facto convulſiones epilepticæ eam prehendere cœperunt, partusque non longe a venæſectione fuit excluſus. vid. Johann. Hornung. *Ciſt. med. Epiſt. 276. pag. 490. ſeq.* An fœtus ex lapſu geſtantis ancillæ intra uterum fuerit extinctus? quærit & ita reſpondet Johannes Bohnius *Diſſert. I. de Infanticid.* eum equidem ſeptimo aut octavo ante partum die ſtatim, quo illa conciderat, vix deceſſiſſe, ideo quod ſine omni ſqualore ac fœtore prodierit: fieri tamen potuiſſe, ut ab alliſione præcedanea debilitati motu evidenter facto, ille nihilominus eousque ſuperſtes manſerit, donec veſpera partum proxime præcedens, qua mater horrore corripiebatur, animam exhalarit. vid. Johann. Bohn. *de Renunciat. Vuln. pag. 171.* Fœtum in utero a puerperæ lapſu conquaſſatum annotavit Adamus Brendelius *Obſervat. anat. Dec. II. Obſ. 8. pag. 24. ſeq.* ſcilicet feminæ cuidam gravidæ in pago molem farinæ ſecalinæ domum apportanti inter eundum pes vacillat,

quo fit ut a mole farinæ, quam ſuſtinere non poterat, proſtrata ſiniſtrum latus vehementer in terram allidat, & brevi poſt, profuſa uteri hæmorrhagia, hancque inſecuta lipothymia tentata, quia nihil remediorum, quibus obortis ſymptomatibus proſpici potuit, in promptu poſitum erat, exſpiravit. Fœtus, qui proxime a partu aberat, poſt mortem matris ſuo quidem motu vitam prodit, ſed quia tam vehementis injuriæ lapſus in eum pariter redundaverant, nemoque aderat, qui illi auxiliares confeſtim manus admovit, extinctus eſt. Secto deinde gravidæ abdomine apertoque utero, in cavo amnii multum ſanguinis fluctuabat fœtusque in globoſo & convoluto ſuo quidem poſitu conſtitutus, ſed ita conquaſſatus erat, ut ſanguis ex ore & naribus manarit. De infanticidio in utero peracto obſervationem communicat Thomas Bartholinus *Ciſt. medic. Locul. 28. pag. 318. ſeqq.* quippe a Gertrude Martinia homicidii fœtus in utero reus accuſabatur Janus Nicolai, quia matrem in terram proſtraverat atque baculo ejus uterum aliquoties ictibus tractaverat, ut contracta macula prope umbilicum remanſerit, & oſſicula infantis per partes deinde ex utero prodierint.

CAPUT II.

De *Fœtus in utero corruptione.*

§. 1.

Fœtus in utero exſiccatio.

NOnnunquam etiam fœtus in utero materno a variis cauſis ita exſiccantur, ut præter cutem & oſſa nihil in illis deprehendatur, ideoque ante vel poſt legitimum pariendi tempus mortui excludantur. Talem fœtum in utero exſiccatum annotavit Thomas Bartholinus *Hiſt. anat. Cent. I. Hiſt. 12. p. m. 21.* inquiens: attigerat paupercula femina Helena Mauritii filia Eggelſtedi in parochia Thœlange Scanorum geſtationis

nis ſuæ terminum nempe hebdomadas quadraginta, accitaque obſtetrice Benedicta Andreæ Suenonis Lucinam invocavit. Inter has autem curas & apparatus tumor ventris remiſit, nec ullum fœtus vitæ indicium dedit, ut ſenſim gracileſcens puerpera extinctum in utero fœtum ſuſpicaretur. Transacta dubia ſollicitudine hebdomadis novem a definito partus tempore infantem ſequioris ſexus peperit omnibus membris perfectam, ſed carne omni nudatam, ſola cute cum oſſibus reſiduis. Faſſa eſt, ſe octo ante puerperium diebus languidam in furnum irrepſiſſe, ibique nihil tale cogitantem in partu fuiſſe deprehenſam, præſentibus in eodem tugurio mulierculis Bodilda Olai Jani, Chriſtiani Jani Medes vicina, Helena Petri Aaſteds & Benedicta Andreæ Suenonis, obſtetrice, quæ jurejurando hæc viſa ſibi confirmarunt. Obſervavit autem dicta Helena extinctum fuiſſe embryonem octodecim hebdomadibus, novem ante partus legitimam horam, & totidem poſt, atteſtantibus matronis illi familiaribus, imprimis conjuge M. Andreæ Nicolai paſtoris; qui ipſe & fœtum exſiccum vidit & ad ſepulturam procuravit. Idem autor etiam *Cent. II. Hiſt. 2. pag. 150.* vituli in vaccæ utero exſiccati exemplum refert. In fœtu mortuo circa finem octavi menſis impraegnationis ex utero extracto, qui longitudinem ſpithamæ cum dimidia non excedebat, oculi ex ſuis orbitis ſeu capſulis propendebant; os item apertum, caput nigrum & flaccidum erat; interim tamen fœtor nullus aderat, hepar uterinum integrum, ſed flaccidum pallidumque conſpiciebatur, teſte Guilhelmo Fabricio Hildan. *Obſerv. Chirurg. Cent. II. Obſ. 51. fol. 122.* quo loco ſimilem refert caſum de fœtu, qui corpore ita extenuatus cute & muſculis rugoſus exſiccatusque fuit, ut figuram ſceleti plane præ ſe ferret. Fœtum exſuccum & carnis inſtar fumatæ duratum annotavit Joel Langelottus *N. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 13. pag. 23.* Fœtum in utero exſiccatum annotavit etiam Johannes Chriſtophorus Bautzmannus *M. N. C. Dec. III. An.*

7. & 8.

7. & 8. pag. 40. Anno, inquiens, 1689. circa tempus paſchale, uxor tabellarii, ex ſuppreſſis hactenus menſibus & inſequente motu embryonis, gravidam ſe eſſe percipiebat. Circa feſtum autem Pentecoſtes per duas noctes inſequentes horrores febriles patiebatur, & motum embryonis ab eo tempore mater non amplius ſentiebat, tumorque ventris indies ſubſidebat, adeo ut veſtimenta ſtrictiora, hactenus remota, rurſus capeſſere potuerit; cæterum tamen nullatenus male habebat. Quid fit? menſis Julii fine partum edebat mortuum, ita exſiccatum, ut oſſeus plane, cute ſaltem ſuperductus appareret, lochiis parcius, aut fere nihil fluentibus, nec lacte in mammis accreſcente, nullis aliis ſymptomatibus inſecutis. Femina quædam honeſta, poſtquam die 10. Auguſti ſub machina quadam corpore valde inclinato repſiſſet magis, quam progreſſa eſſet, paulo poſt doloribus, & hæmorrhagia uterina, aliquoties ſuppreſſa, ſed ſemper recrudeſcente, corripitur usque ad d. 19. dicti menſis. Hoc enim ſubito, abſente obſtetrice, peperit prorſus enervata maſculum, vitalem quidem & juſtæ longitudinis, ſed emaciatum, & faciem rugoſi ſenis exhibentem, cum placenta exſucca & funiculo exſangui, uti ex Johann. Hadriani Slevogti Program. de Partus retardati nocumentis referunt Nova Literar. German. *An. 1705. menſ. Sept. p. 342.*

§. 2.

Putrefactio A variis etiam morbis fœtus in utero materno putrefactioni jamjam ſunt ſubjecti fereque conſumuntur. Ambroſio enim Stegmanno juxta *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 31. pag. 53. ſeq.* recenſuit gravida quædam paupercula, a primo ad ſeptimum usque ingravidationis menſem bene, aſt poſt hunc male ſe habuiſſe. Nam ex improviſo terrore prorupiſſe inſolita menſtrua, fœtum a motu antehac vegeto plane abſtinuiſſe, ventris acceſſiſſe frigiditatem, dolorem circa umbilicum ſenſiſſe gravem, partes extremas lividas ac frigidas apparuiſſe, faciem & labia palluiſſe, mammas flaccidas extitiſſe, ſpiritum

fœti-

fœtidum ſe a die in diem majorem exhalaſſe, horrorem febrilem corpus ſuccuſſiſſe, animi deliquia, ſtomachi ac capitis dolores continuos eſſe paſſam, ante aliquot horas profluxiſſe ab utero aquam fœtidiſſimam & ſentire jam dolores partus vehementiſſimos cum lipothymia conjunctos. Huic itaque gravidæ Stegmannus propinabat confortantia pellentibus commixta, item clyſteres uterinos per vices injiciendos, & ſuffimenta fomentaque adhibenda ordinabat, hinc factum, ut tum ſecundina, tum fœtus ex toto putrefactus fruſtulatim inter ſumma animi deliquia excluderentur, ſuperſtite tamen puerpera poſthac ſana & incolumi. Anno 1681. cujusdam paſtoris uxor, per menſes nonnullos utero gerens incidit in febrem ardentem. Qua ſanata motum fœtus in utero ſentire nequivit, quo de mire angebatur. Evenit autem, ut his in anguſtiis conſtituta motum quendam aliquando circa præcordia ſatis vehementem animadverteret, ceſſante hinc eo per quinque hebdomadum lapſus; quare falſam impraegnationem exiſtimabat. Præterlapſo hoc tempore dolores parturientium fatigant miſellam, perſeverant, tandemque iterato niſu puerum emortuum excludunt, quoad carnem muſculoſam lividum, quoad artus laxum & putredini jam proximum, matre poſthac ſenſim convaleſcente, vid. Ehrenfrid. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. III. Hiſt. 10. pag. 294.* De excluſione fœtus mortui ex parte jam putrefacti & poſt obitum matris inventi, ultimo naturæ conatu facta hanc obſervationem refert Chriſtophorus Schrödterus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſerv. 107. pag. 206.* Nobilis quædam in vicina Pomerania triginta circiter annorum primipara anno 1680. poſt tot in partu per ſpatium novem noctium dierumque exantlatos dolores, fœtu jam in utero putreſcente, ut ex ſummo fœtore conſtabat, nono die me in conſilium vocat, ſed fruſtra omnia, etiam ipſius unci applicatio, qui ob vires exhauſtas ſuccumbente natura in uſum trahi non poterat. Unde circa veſperam eodem die

placide in Domino exſpirat. Adſtantes igitur circa lotionem corporis laborant ſolicitæ, quicquid abluendæ immunditiei eſſet, decernunt. Hisque & aliis circa curam talem exactis, fœtum putrefactum, ex inſperato intra femora defunctæ matris inveniunt, ultimo providæ naturæ conatu excluſum, quem nulla ars manusque adſtantium ſedula poterat promovere.

§. 3.

Sic Guilhelmus Fabricius Hildanus *Epiſt. 12. Oper. fol. 964.* ait: Lauſanniæ parturientem in mortis agone inveni, atque in illa ipſa hora, in qua ad ipſam acceſſi, e vita diſceſſit. Poſt mortem aperto ventre, fœtus ſemiputridus, uterus vero dilaceratus conſpectus fuit. Idem etiam in Muratenſi agro fœtum ſemiputridum extraxit. In defunctæ feminæ cujusdam Anglicanæ utero fœtus putridus fuit inventus, cujus caro in pus converſa ab oſſibus abſcedebat, vid. Louyſ. Bourgeois *Part. II. Obſ. 4. pag. 17. & 20.* Ejusmodi exempla refert etiam Franciſcus Roſſetus *de Part. Cæſ. Sect. IV. cap. 2. pag. 72. ſeq.* de Ludovica Popard, quæ, cum ob febrem quartanam menſtrua ſuppreſſa ſibi eſſe exiſtimaret, revera conceperat: & licet propter fœtum in utero contentum durities appareret, tamen ſcirrhus cenſebatur, aut alia colluvies, quæ ex putata ſymptomatica menſtruorum ſuppresſione eſſet orta. Tandem fœtu mortuo mollioribus que ipſius partibus putrefactis, nec ullius partus ſignis conſpicuis, oſſa tractu temporis denudata fuere & uterum poſteriora verſus circa regionem recti inteſtini perforarunt &c. Ibidem etiam *pag. 73.* ſimile exemplum recenſet de femina, quæ quindecim menſium ſpatio fœtum in utero geſtavit mortuum, a die ipſius interitus ſupputatione facta, præter ante actos novem menſes, quibus in utero materno vixerat. Id confirmat etiam Guelielmus Rondelitius *Method. cur. Morb. Lib. III. cap. 65 pag. m. 297. b.* inquiens, fieri poteſt, ut in utero putreſcat fœtus, ut & vidimus puerum putrefactum

&

& fruſtillatim rejectum , relictis magnis oſſibus in utero per longum tempus, quæ poſt in utero matris mortuæ reperta ſunt. Uxor fuit chirurgi Monſpelienſis vocati Auſme , qui poſt mortem, ut cauſam alicujus affectus interim cognoſceret, paſſus eſt illam diſſecari.

§. 4.

Sartoris cujusdam uxor, annorum circiter triginta, quæ quater prius pepererat, quinto gravida facta, exactis decem menſibus cum jam pariendi tempus inſtaret, atque in ipſo labore fœtus convolutionem levesque aliquot pariendi conatus ſentiret, tandem iis omnibus ceſſantibus fœtum mortuum adhuc quinque menſes retinuit, donec viginti ſeptimanarum ſpatio, ſupra decimum menſem, quo uterum geſtavit, tempore exacto exſpiraret. In latere umbilici veſicæ geminæ lividæ apparebant, quibus diſruptis, ſtatim vertebræ fœtus, una cum ſcapulis & coſtis obvia erant. Transverſim enim collocatus & ſupinus dorſo inflexo jacebat. Qui exemptus adeo putris erat, ut præter cutem & oſſa, quæ tamen levi negotio diſſolvebantur, nihil alias liceret cognoſcere, quam quod hoc temporis ſpatio computruerit ſimulque vicinas partes undique infecerit; cum univerſus uterus, una cum involucris & omenti portione aliqua, muſculisque epigaſtrii illius loci deſiderarentur. vid. Felic. Plater. *Obſ. med. Lib. I. pag. 227. ſeq.* Et *pag. 229. ſeq.* idem Platerus concubinæ ſacerdotis cujusdam, tertio gravidæ, meminit, ex cujus tertio gravidæ ventre fœtus ſemiputridus a chirurgo fuit extractus. De fœtu putrido & fruſtillatim per umbilicum exempto vid. Joh. Menradi Vorwaltneri obſervationem *in M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 106. p. 222.* De fœtu in utero matris variolis infecto & ſemiputrido excluſo, cui naſus erat abolitus, aliæque faciei partes admodum corruptæ, obſervationem communicat Johannes Georgius Grübelius *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 107. pag. 178.* Fœtus etiam putre-

alia exempla.

putrefacti in feminæ ruſticanæ utero ultra annum permanentis & a chirurgo per ſectionem circa umbilicum, cum matris conſervatione feliciter extracti, ex Sim. Vries Gedenckboek meminit Chriſtianus Juncker *in Hiobs Ludolffs Schaubühne der Welt Tom. III. Lib. LXI. cap. 14. fol. 1351.* Plura exempla collegit Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. XXXVIII. Obſ. 4. fol. 1381. ſeq.* Exemplum fœtus fere conſumpti vid. Jean Palfyn *des Parties de la femme p. m. 77. ſeq.* De muliere prægnante fœtum corruptum ejusve particulas carneas, & oſſa quaſi cartilaginea & mucoſa paulatim exonerante, vid. Petr. Foreſt. *Obſ. med. Lib. XXVIII. Obſ. 77. fol. m. 760. ſeq.* De fœtus ſemiputridi ex utero extractione obſervationem communicat Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 90. pag. 336. ſeq.* vid. etiam fœtum poſt quadriennium ſemiputridum ex utero extractum in Fr. Roſſet. *de Part. cæſar. pag. 228. 234.*

§. 5.

Obſervatio. In rhedarii cujusdam Dresdenſis uxore, quæ partui proxima per ſcalas anguſtas aſcendens & utrumque brachium, alterum quidem vaſe aquario, alterum vero infante bimulo, onuſtum habens, in abdomine rupturam quandam doloroſam ſentiebat, quam ſequentibus diebus aliquales ad partum niſus ſequebantur; quarta demum die accerſita obſtetrix dextrum infantis brachium extra uterum, in vagina ſcilicet, deprehendit, de reliquis vero fœtus partibus ne minimum tactu reperire potuit. Fruſtra tandem omnibus adhibitis naturæ debitum ſolvit parturiens, hinc cadaveris aperturam expetens obſtetrix ad me advolat, ut ipſi partus impedimentum demonſtrarem; prædicebat autem me aliquid peculiare eſſe obſervaturum. Hinc facta defunctæ ſectione fœtus cum annexis extra tunicas & uterum jacens, dextrum brachium per uteri rupturam verſus uteri vaginam extendebat. Ipſa uteri ſubſtantia maculis hinc inde lividis & nigricantibus ſtipata apparebat;

rebat; & ipſius fœtus non modo epidermis per totum corpuſculum a lenisſimo contactu a ſubjacente cute ſeparabatur, ſed etiam cutis & partes carnoſæ hinc inde tam externe quam interne corruptioni atque putredini erant proximæ; Inteſtina etiam pariter nigricantia a flatibus ad rupturam usque diſtenta videbantur.

§. 6.

De fœtu in utero materno adhuc a vermibus conſumpto raram obſervationem annotavit Ambroſius Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 32. pag. 54.* Ante biennium, inquiens, & quod excurrit, ruſtica quædam ex proximo pago, *Helffta* dicto, me convenit & retulit: ſe octavo menſe jam gravidam ſentire in infimo ventre motum vermiculantem: *es ſey nicht anders, als wenn der untere Leib voller Ameiſen wäre.* Gerebat quidem hæc femina ventrem prægnantem, ſed ex toto marcidum, nec ulla fœtus vivi vel moventis indicia edentem, hinc potius ex obſtructione menſium, quam ex ingravidatione intumefactum eſſe ventrem hariolabar. Abſoluto nono menſe accerſitus ad ruſticam, hanc convulſam ſine intellectu & voce deprehendebam, propinabam itaque illi optima quævis, ut aliquo modo refocillaretur. Hinc, cum ad rem ipſam indagandam tum a pariente, tum ab adſtantibus admonerer, tacto abdomine obſervabam, molem verſus pubem prorumpere ingentem atque admodum mollem, partes vaginæ internas deprehendebam ſicciſſimas nullamque uteri aperturam vel pariendi conatum alium. Abiens ſuadebam, ut luteum liliorum incoquerent juri gallinæ & oleo amygdalorum, pingue redderent, ordinatamque pellentia cum confortantibus mixta per vices adhibenda. Altero die poſt reviſebam ægram, illamque doloribus partus inſufficientibus, languidis & per longa intervalla recurrentibus oneratam videbam, hinc fortiora pellentia illi propinanda, itidemque fomenta applicanda, & linimenta emollientia ad infimum ventrem, lumbos ac regionem circa *Conſumptio a vermibus.*

os ſacrum, pectinem, oſſa pubis, pudendaque cum cervice illinenda ordinabam, a quibus parturiens in vehementiores partus dolores incidebat, quos non longe poſt hiatura uteri altaque partus inſtantis indicia ſequebantur. Cum autem pariens admodum debilis, nec tanta uteri apertura adeſſet, ut fœtus ab obſtetrice apprehendi poſſet, hinc illam ſupinam reclinato capite, elevatis coxis & poſterioribus locandam ſuadebam. Obſtetricem autem inſtruebam, ut obſtetricantem manum oleo delibutam ſenſim ſenſimque in uterum immitteret, alteraque parientis abdomen leniter comprimeret. Dictis obtemperans obſtetrix referebat: inſtare quid quidem utero, ſed nullum eſſe partum, neque manu poſſe extrahi. Jubebam, ut quale quale unco apprehenderet illudque leniter & paulatim extraheret. Hinc maximo molimine & longo labore protrahebat obſtetrix ſacculum quendam (qui membrana erat exterior fœtum includens, *χόριον* dicta, admodum denſa & p. n. craſſa) ex quo innumera vermium progenies figuræ latæ & coloris rubri in conſpectum veniebat, qui totum fœtum, exceptis paucis oſſiculis conſumſerant &c.

§. 7.

Oſſa fœtus per varias vias excreta:

Sæpe etiam ejusmodi fœtuum in utero materno putrefactorum, vel quorum caro penitus conſumpta, vel in ſaniem mutata, vel etiam fruſtillatim ex utero ejecta fuit, oſſa in utero remanentia poſt aliquot, interdum ſatis longum temporis ſpatium, per ipſum uterum vel varias vias ejiciuntur. Quod confirmat Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. I. Obſ. 71. p. 305.* contingit, inquiens, nonnunquam, ut matris in corpore fœtus corrumpatur, ac carne, partibusque tenuioribus, tanquam pedetentim liqueſcentibus, oſſa fruſtatim emittantur. Hujus rei exemplum in paupere muliercula videre mihi contigit, quæ diverſis vicibus, ſimul cum urina oſiculorum tantum emiſit numerum, ut fœtus trium circiter menſium ſceletum con-

ex utero, cum urina & per alvum.

conſtituiſſent, quæ omnia accurate etiamnum ſervo. Femina quædam Alsfeldenſis anno 1705. pluribus ſæpe noctibus viginti ſedes habuit prodeunte ſimul cranii particula, tandem ſpina dorſi cum duodecim coſtis & corculo adhærente per inteſtinum rectum ſequitur. vid. Mich. Bernh. Valentini *Chirurg. Sect. III. p. 399.* De fœtu mortuo ſenſim per fruſtula excidente obſervationem refert Balduinus Ronſſeus *Epiſt. med. 1. p. 9. ſeqq.* Mulier annos nata plus minus quadraginta duos, cui, cum ſoliti hactenus fluere, menſes interciperentur prorſus, neque ſpes ulla, propter ætatem, reſiduæ fœcunditatis eſſet, ſenſit tamen ventrem ſuſtolli, atque imprægnationem (ut erat) ſuſpicata, parturitionis momenta expendebat. Embryo interim imbecillior jam non calcitrabat, ſed vix movebatur, ita ut miſera de conceptu addubitare inciperet, ac neſcio aliud quid enorme in utero eſſe animo conciperet. Interim imminet parturiginis tempus & labores ingraveſcentes parturitionem præſagiunt. Superveniens vero obſtetrix ſingula ordine perquirit, locos attractat, uteri os omnino clauſum comperit, parturientem bono eſſe animo jubet; non eſſe veram hanc parturitionem, cæterum aliud quid, quod dolores parturigini non abſimiles procreet. Sed ecce! revoluto jam anno illa una cum lotio primum digitorum articulos excrevit, ac ſenſim alia majora oſſa, tibiam, radium, coſtas, & id genus alia per poſticum cum excrementis emiſit, tandemque ſecundo a parturitione anno, maximos ante perpeſſa labores calvariam totam, cum cubito, coſtis, & aliis aliquot oſſibus ejecit. Cum interim illa totum illud biennium ſanioſo profluvio conſumeretur, & putidiſſimis vaporibus discruciaretur, adeo ut & præſentes, ſi diutius adeſſent, odor offenderet. Liberata tamen a cadavere, convaluit atque ab omni accidente libera evaſit. Ibidem dictus autor alius feminæ meminit, quæ quum totum annum fœtum in utero geſtaſſet, conſumpta tandem carne, oſſeam illam compagem excrevit. Sic civis cujusdam in oppido Eber-

bach

bach uxor fœtum viventem aliquot menſes in utero geſtaverat, & cum jam tempus enixus appeteret, ubera ejus prius turgida, lactis aquoſi rore madebant, ac decreſcebant: nec puer in utero ſubſiliit; quæ ſigna fœtum mortuum teſtabantur. Tandem fœtus in matrice computruit, cujus de cruribus & cerebello oſſa denigrata & carie obſita. Quum mulier ob inteſtini exulcerationem alvi profluvio laboraret, tandem anno decimo non per vulvæ oſtiola, ſed per anum, oſſa excrevit. vid. Joh. Lang. *Epiſtol. med. Lib. II. Ep. 39. p. 670.* Embryonis fruſtillatim per alvum excreti meminit Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. IV. cap. 39. p. 358.* ſcilicet femina octo plus minus annis ſterilis, nulliusque prægnationis ſibi conſcia, doluit acerbe in imo ventre cum tumore circa ſiniſtra inguina, quem Franciſcus Vicquius ratus cum utero communicare, ante diem ſextum decimum eo produxit maturitatis, ut per ſe adapertus pus ſuum effuderit, parcius quidem ab utero, verum ab alvo uberius; deinde medicamentorum laxantium ope erupere per alvum pedes embryonis demortui membraneo involucro incluſi, quos manu ſua educturus chirurgus extraxit ſimul inde femora, nates, ventrem, imo quicquid fuit infra lumbos, cum cute, carne, umbilico ac evidente ſexus feminei diſcrimine; ſequentibus deinde tribus coſtis ac poſtridie, a medicamento purgante, præter plurima purulenta, omnibus manus oſſiculis, cum cute ac ligamentis adnexis, duabusque coſtis haud diu poſt ſimiliter excretis &c. hæc tamen femina priſtinam recuperavit ſanitatem.

§. 8.

Fœtus oſſa per uterum.

Interdum etiam fœtuum in utero materno putrefactorum partes carneæ & oſſa non per vias inſolitas, ſed ex ipſo utero excluduntur vel extrahuntur. Feminæ enim 37. annorum, quæ in priori conjugio quatuor vel quinque pepererat liberos, alteri marito nuptæ incipit ſenſim abdomen intumeſcere, & licet ſanguis ſtatis menſium periodis flueret, ipſa tamen gravida erat,

neque

neque talis ſanguinis fluxus venæſectione in brachio ſiſti poterat, interim motus fœtus plane evaneſcebat, ipſa fœtum jam mortuum eſſe ſuſpicabatur. Quam ipſius opinionem cum maniſeſtiſſima putredo, per corpus ipſius ſeſe diffundens tetrumque ſpirans odorem, & præcipue in anima præter modum & ſolitum fœtente ſeſe exſerens, & pondus uteri, quo plumbi inſtar ſeſe gravari querebatur, non obſcure confirmarent, poſt propinatum vinum medicatum mulier oſſa fœtus mutilata (quæ inter cranii fruſtula, os humeri & femoris dignoſci poterant) partesque carneæ plane putridæ ex utero fuere rejectæ. Sicque excluſo tandem per partes fœtu, mulier ſanitati fuit reſtituta, uti *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 256. p. 382.* refert Cæſo Grammius. Quæ obſervatio etiam *An. 3. Obſ. 80. p. 137.* verbotenus reperitur. Fœtum in utero mortuum ultra trimeſtre geſtabat paſtoris cujusdam uxor, ex cujus utero poſt varia medicamenta & peſſarium primo ſanies quædam fœtida, poſtea integra carnium oſſiculorumque fruſta excernebantur, ægraque intra dies viginti ab omni putrilagine perfecte liberabatur, vid. Bald. Timæi a *Güldenkl. Caſ. med. Lib. IV. Caſ. 26. p. 223. 225.* Huc pertinet etiam, quod refert Gulielmus Harvæus *de Generat. anim. de Partu p. m. 505.* inquiens, perire intus conceptum, & in putrilaginem verſum ſenſim indies (tanquam fluores albos) emanare non nunquam obſervavimus, tum in mulieribus, tum etiam in animalibus. Erat non ita pridem Londini mulier, quæ, poſt ejusmodi abortum, concepit denuo, debitoque tempore infantem peperit. Poſtea vero, interpoſitis aliquot menſibus, dum conſueta obit munia, ſine dolore & ægritudine aliqua inſigni, prioris abortus oſſicula nigra fruſtratim ejecit. Eorum quædam ad me delata, eſſe ſpinæ, femoris, & aliorum oſſium fragmina indicium fecerunt. De oſſibus per uterum excretis ſequentem obſervationem recenſet Georgius Abrahamus Mercklinus *M. N. C. Obſ. 49. p. 77.* Honeſta honeſti cujusdam civis Norimbergenſis relicta vidua, triginta quatuor

circiter annorum, trium liberorum mater per uterum jam annuo fere ſpatio varia oſſicula excernebat, nunc una cum menſium ſeceſſu rectiſſime ſe habentium, nunc ſolitarie, muco tamen quodam pleraque obducta, omnia certe ſpurciſſimum odorem de ſe ſpargentia, naresque graviſſime ferientia, fuſca & nonnihil carioſa. Plurima eorum humana oſſa figura ſua pulcherrime æmulabantur, ut oſſa cubiti, femoris, tibiæ; magnitudine autem digiti articulum nullum excedebat. Suſpicabatur autem Mercklinus proveniſſe ea a conceptu in utero retento & putrefacto. Janus Nicolai homicidii fœtus in utero reus accuſabatur, a Gertruda Martinia, quia matrem in terram proſtraverit, atque baculo ejus uterum aliquot ictibus tractaverit, ut contracta macula prope umbilicum remanſerit & osſicula infantis per partes deinde ex utero prodierint, vid. Thom. Bartholin. *Ciſt. medic. Locul. XXVIII. p. 318. ſeq.* item Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. med. legal. Part. I. Sect. II. Caſ.*
Obſervatio. *19. p. 211.* Ante triginta circiter annos uxor viri non ignobilis poſt præterlapſum graviditatis terminum, nullum fœtus motum amplius ſentiens non modo putrilaginem & varia fruſtula membranacea, ſed oſſa quoque corrupti fœtus ſucceſſive ex utero excernebat. De ſceleto infantis ex utero uxoris ſartoris cujusdam Vratislavienſis per partes prodeunte, vid. *Nov. Literar. German. An. 1703. menſ. April. p. 131.* Roſinus Lentilius cujusdam viduæ comitis meminit, quæ ſe gravidam per tempus longum credidit, ſignis omnibus præſentibus. Denique vero ſpe uteri decollante ſenſim alvus detumeſcere cœpit, fœtu per fruſtula putrida, paulatim, immo menſtruo ſpatio, prodeunte, vid. *M. N. C. Dec. II. An. 10. Append. 45.*

§. 9.

per umbilicum. Per umbilicum ejusmodi putrefactorum infantum oſſa exitum ſubinde quærunt, uti refert Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 237. p. 450.* ſcilicet Maria Rœgerin, cum annos eſſet

26. na-

26.-nata, & unius infantis mater felix, tunc ſecundum gravida poſt animadverſum in fœtu per aliquot ſeptimanas motum, ſucceſsive & ſenſibiliter detumeſcere abdomine cœpit, fœtu, ceu pondere, ad utrumlibet latus, cum in lecto recubans ſitum mutaret mater, pereunte naturali motu, provoluto. Quo tamen inſuper habito, cum ad partus legitimum tempus adhuc ſeptimanæ novem ſupereſſent, in templo corripitur horrore ſubitaneo; domum properanti ſupervenit æſtus & abdominis brachiorumque quaſi ſugillatio quædam, dum intenſisſime ruberent iſtæ partes: mox dolor in umbilico, diſparente protinus iſta ſugillatione. Quum perduraſſet iſte dolor umbilici ad aliquot dies, accedente inſuper ejus tumore, animadvertit denique, umbilicum tabum plorare, reperto proinde minuto foramine, infixo fuſo (*eine Spindel*) curioſa, quousque penetraret, exploravit. Ortus inde cruciatus inſignis & ſimul prodire viſa fœtus osſicula, carne omni nudata, ſed colore nigerrima: oſſa prima brachiorum & manuum, mox coſtæ, hinc vertebræ, poſt ilium, femorum & pedum oſſa, poſtremo omnium oſſa cranii, ſed hæc ultima cum dolore ſcindente vix ac ne vix quidem tolerabili. Duravit autem ſucceſſiva iſthæc excretio per annum integrum, miſera ad internecionem ſubinde excruciata. Percepit aliquando ſummum inteſtini recti & profundum dolorem ad dies paucos hinc excrevit os femoris, dolore quidem ſopito, ſed ulcere fiſtuloſo diu aperto manente: Reliqua osſicula omnia, omnia tamen nigra, per ipſisſimum umbilicum excreta, carne nudata, comitante tamen excretionem oſſeam ſanie multa, cujus vis notabilis tunc quoque per muliebria manavit &c.

§. 10.

Imo ipſa demortui fœtus in utero oſſa & carnes per os prægnantis ejecta fuiſſe obſervatum jam eſſe in uxore cujusdam ſervi marchionis de Montexar, rarisſimo ſed vero & admirando caſu ex Bernardino Montanna affert Fontecha, vid. Caſpar. *per os.*

 a Reies

a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Quæſt. 41. §. 11. p. 497. item Quæſt. 90. §. 16. p. 1172.* ubi addit, hanc uxorem poſt convaleſcentiam gravioris morbi tantam carnis & osſium quantitatem per os depoſuiſſe, ut integram humani fœtus confabricationem æquarent; & hominis ſive fœtus absque dubio fuiſſe ait in utero geniti, cum ipſa ante morbum gravida eſſet, nec per conſuetam aut aliam viam conceptum alias emiſerit. Per quas autem vias ab utero ad os caro & oſſa illa ferri potuiſſent, cum nulla pateat, exiſtimat ipſe per venas uteri ad venam cavam aſcendiſſe, inde ad ventriculum deſcendiſſe. Res quidem noſtro auditui ſatis admiranda, & quæ vix fidem meretur, niſi ipſe Montanna oculis ſuis vidiſſe teſtaretur. Itaque de naturæ majeſtate & potentia hoc & adhuc majora credere poſſumus, cum tanta illius ſit ſolertia, ut per media oſſa pus conferat; quare & oſſa carnemque per venas ducere potuiſſe non concedamus? cum plumbeos globulos, cultellos, enſium fruſta & alia multa per ignotas vias & ſibi ipſi ſolum cognitas ſæpius extra corpus transmiſiſſe viſum fuerit. Hæc Reieſius. Attamen circa hanc obſervationem Thomas Bartholinus *Tr. de inſolit. Part. viis Cap. 9. p. 57.* potius vicinitatis jus tuetur, cum difficilis ſit osſium longiorum per anguſtias venularum tranſitus, imo periculoſus, quia ſanguinis curſus interciperetur, palpitationes orirentur & pulſuum intermisſiones. Duplicem autem, inquit, prægnans uterus & diſtentus viciniam habet, quæ huic phænomeno illuſtrando inſervit, nempe inteſtinorum & ventriculi. Illis incumbit gravidus uterus ad latera detruſus, quibus idcirco ab exulcerato utero, qua parte vicinitas jubet, perforatis, oſſa & aliæ putridæ carnes infantis per illorum cavitatem recta ad ventriculum usque eructantur. Tam quoque ventriculo vicinus in gravidis eſt uterus, ut illum comprimat, cibique parſimoniam non raro imperet & vicino ſua contagia de facili imprimat. Forſan hac etiam parte erupere fœtus fruſtra. Plauſibilior tamen ſententia videtur Philippo

Jaco-

Jacobo Sachſio mala uteri conformatio & hiatus in inteſtina, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſerv. 110. Schol. p. 258.*

§. 11.

Porro Michael Bernhardus Valentini *Chirurg. med. Sect. III. p. 399. ſeq.* matronæ, quadraginta circiter annorum, meminit, quæ decimum gerebat fœtum, hora autem partus appropinquante nullos dolores genuinos ſentiebat; interim in pariendi conatibus nothis ac laboribus per integrum diem verſabatur tremebunda, labiis facieque pallens, circa regionem vero hypogaſtricam intenſe frigida, mammæque antea valde turgentes, erant flacceſcentes. Vix una præterlabente hora horrore percuſſa ſe motum fœtus plane non ſentire conquerebatur patiens, deque latere in latus ſe convertens partum quoque ſaxi inſtar eo dilabi referebat. Ex his & aliis fœtum infallibiliter demortuum judicavit Valentini. In hoc autem ſtatu puerpera per tres integros menſes beneficium naturæ fruſtra expectabat. Ab eo tempore materia quædam tenuis & graveolens immediate infra umbilicum per ulcus effluebat, quod a partibus carnoſis corruptis proveniebat. Hujus materiæ putridæ effluxus non ſolum per integrum annum cum ſpatio trimeſtri perdurabat, ſed & tam adverſum tetrumque indies fœtorem ſpirabat, ut ægræ & adſtantibus moleſtisſimus & intolerabilis exiſteret. Tandem infra umbilicum ex ulcere antedicto, poſt dolorem intenſum & lancinantem pars ſcapulæ partus retenti & os humeri aliud recipiens exitum moliebatur. Deinde quamprimum certi cujusdam apozematis unum vel alterum hauſtulum aſſumpſerat agrotans, quasdam ſubſultationes in abdomine ſentiebat, ulceris, antea exigui & anguſti, orificium dilatabatur, livor ejus cum naturali colore permutabatur, oſſaque a capite ad calcem ad unum omnia, in figura ſua naturali, absque ulla fere inſtrumentorum ope, ſponte ſua, ſine inſigni cruciatu & dolore, ex ulcere hoc extracta fuerunt, & ſpatio duodecim hebdomadum matrona hæc in integrum fuit reſtitu- *per abdomen.*

 ta.

ta. De oſſibus per abdomen perforatum extractis vid. Matthiæ Cornac. *Hiſtor. Geſt. Fœt. mort. ap.* Franc. Roſſet. *de Part. Cæſar. p. 228. ſeqq.* Greg. Nymman. *M. N. C. Dec. 1. An. 1. Obſ. 1. Sch. p. 13.* Oſſa embryonis ex abdomine extracta communicat Henricus a Moinichen *Obſ. 12. pag. m. 47.* inquiens: Nurſinus quidam Venetius mihi retulit, puellam ab amaſio compreſſam, ut pro virgine haberetur, medicamentis fœtum in utero occidiſſe; Poſt aliquot tempus apparuit in abdomine tumor durus & rubens, cui cauſticum impoſuit idem; quod ubi vires exſeruerat, coſta fœtus volſella extracta eſt, quod poſtea factum eſt cum omnibus reliquis embrii oſſibus. Convaluit & viro nupta plurimorum puerorum mater evaſit. Juxta Reiner. Solenandr. *Conſil. medic. Sect. V. Conſ. 15. §. 40. fol. 492.* mulier quædam retinuit partum intra corpus & a putrefactis membris vexata medicamentis, non poterant oſſa extrahi. Tandem ipſamet inſtrumento, caput gruis dicto, extraxit, & lotionibus ex vino inditis roſis & id genus aliis convaluit. Feminam quandam gravidam diu fœtum mortuum geſtaſſe, tandem ad latus umbilici dextrum abdomine rupto in conſpectum veniſſe embryonis pedes, quibus extractis ab obſtetrice imperita putridis, reliquum corpus remanſiſſe & fruſtillatim demum intra decem hebdomades, ſub fœtore intolerabili extractum fuiſſe, annotavit Johannes Adamus Gœritzius *Ephemer. Acad. N. C. Cent. VII. Obſ. 16. p. 43.* vid. etiam Palfyn *de la Gener. p. 77. 79. ſeq.*

§. 12.

Sceleta diu in utero remanentia.

Secundum obſervationem Johannis Guilielmi Rivæ, Romæ erat femina quædam per ſex menſes gravida, a multis autem pro non gravida habita, quippe argumentum opinioni horum erat, quod poſt plures dies, poſt plures conatus, partus apparuit nullus venterque tumidus ſubſedit. Sed veritatem eventus, quanquam tardiori mora docuit. Duobus enim annis

annis fere elapſis, diverſis vicibus, ſceleton fœtus partitim exiit, cujus fœtus caput vel potius cranium in Rivæ oſteotheca vidit Johannes Georgius Elsnerus. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 45. pag. 137.* Fragmenta vero ſive oſſa hujus fœtus non per vias naturales vel conſuetas, ſed per ſeceſſum exiverunt; & puerpera priſtinam ſanitatem recuperavit, ſed nunquam amplius concepit; *juxta pag. 340.* Sceleton fœtus humani a matre jam per tres annos in utero citra ſanitatis diſpendium geſtavit mulier, poſtquam paulo poſt legitimum partus tempus fœtidus & ſanguinolentus ichor cum membranarum fibrarumque carnoſarum fruſtulis effluxerat, remanente in infimo ventre quadam inæquali duritie cum ſenſu doloris pungentis & crepitu oſſium, quoties corpus antrorſum vel retrorſum flectebatur, obſervante Daniele Nebelio *Ephemerid. Academiæ Naturæ Curioſorum Centur. VI. Obſervat. 52. pag. 307.* Sceleton fœtus humani ultra ſexennium in utero materno geſtatum annotavit etiam Georgius Hannæus in femina quadam, per cujus totum corpus effloruit fera ſcabies, in puſtulas abiens majuſculas, tam acri, tam morboſa repletas ſero, ut hoc exſudans vicina denuo excoriaret loca, donec ſanioſis ulceribus malefidam ſuperindueret cruſtam fœdiſſima eſchara. Ubi menſibus pluribus ſe ita deferveſcendo exoneraſſet irritatus Archeus, aliquantulum detumuit fœtus venter, remanebat tamen intra clauſtra alvi maternæ cadaver. Et ubi carnem induerat, invitante natura, ibi eandem exuebat, ſtupente natura. Geſtavit hunc fœtum infauſtum mater infeliciſſima, olim carnibus veſtitum & cute, nunc iisdem plane nudatum, ultra ſexennium integrum & geſtat adhuc, ipſaque oſſa ſatis cohærentia Hannæo palpanda obtulit intra vivum ſui ventris ſepulchrum, a putredine adeo libera, ut ſollicita manu explorata debitam oſtenderent ſoliditatem oſſeam &c. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 174. pag. 352. ſeq.*

Plu-

Plura ejusmodi exempla congeſſit Marcellus Donatus *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 22. pag. 434. ſeqq.* Georg. Nymman *de Vit. fœt. in Uter. pag. 22. ſeqq.* Joh. Schenck. *Obſervat. medic. Lib. IV. fol. 590.* De anatome ovillorum uterorum embryis intus ſceletis, vid. *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſervat. 20. pag. 42. ſeq.*

§. 13.

fœtus mortuus ſine corruptione.

Minime tamen omnes fœtus in utero mortui ſtatim putredinem contrahunt, ſed quandoque per longum ſatis tempus, & quidem per aliquot menſes vel etiam annos absque putrefactione in ſuo ergaſtulo conſervantur; unde Antonius Deuſingius *Conſiderat. Fœt. Muſſipont. Sect. IV. §. 113. p. m. 42.* inquit: non præter rationem eſt, poſſe fœtum, jam vere mortuum, per longius temporis ſpatium in materno corpore aſſervari citra putredinem, æque atque fructus varii, etiam horarii, artificio condiuntur, atque ſolo aëris ambientis affluxu præpedito, in liquoribus quibusdam integri planeque incorrupti aſſervantur diutiſſime, uti paulo ante de embryonibus in utero exſiccatis monſtravimus. Exemplum fœtus, qui poſt mortem per trimeſtre nullis ſupervenientibus ſymptomatibus in utero materno contentus fuit, narrat Guilhelmus Fabricius Hildanus *Obſ. chirurg. Cent. II. Obſerv. 51. Oper. fol. 121. ſeq.* Hic autem fœtus longitudinem ſpithamæ cum dimidia non excedebat. Oculi ex ſuis orbitis ſeu capſulis propendebant. Os item apertum, caput nigrum & flaccidum erat; interim tamen fœtor nullus aderat, hepar uterinum integrum, ſed flaccidum pallidumque conſpiciebatur. Ibidem etiam ſimilem caſum retulit de femina gravida, quæ elapſo quinto menſe fœtum non amplius ſenſit, & cui venter paullatim adeo ſubſidit, ut de imprægnatione amplius non cogitaret. Circa vero octavi menſis finem parturientium doloribus correpta filium peperit, longitudinem ſpithamæ cum dimidia non excedentem,

dentem, ſed ita corpore extenuatum, cuteque & muſculis rugoſum exſiccatumve, ut figuram ſceleti plane præ ſe ferret. Ex quibus adſtantes omnes fœtum, quamvis non putridum, neque fœtidum, per menſes tres aut circiter mortuum fuiſſe judicabant. Femina quædam parvæ ſtaturæ gibboſa, exacto novem menſium curriculo filiolas binas pauco temporis intervallo pepererat, quarum una elegans & omnibus corpuſculi membris rite conformata, viva & alacris: altera fœtum quinquemeſtrem longitudine, juſta articulorum compagine, niſi quod a capite, in acumen faſtigiato, ad pedes usque, quaſi ſtudio duos inter aſſeres leniter compreſſa eſſet, præſentans, mortua naſcebatur. Majus miraculum capiebatur, ex integritate fœtus, inſtar alabaſtri nitidi, quomodo tamdiu in latebris absque ulla putredinis nota hærere potuerit, juxta verba Lucæ Schrœckii *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſerv. 162. p. 356.* Hanc autem fœtus in utero materno a putredine præſervationem certo liquoris amnii, in quo fœtus ad partum usque conſervatur, ſali nitroſo adſcribit Franciſcus Mauriceau *Obſervat. ſur la Groſſeſſe Obſ. 500. pag. 293.* inquiens, c'eſt à ce que je croy la qualité de ce meſme ſel, qui fait que nous voyons quelque fois, qu'un enfant mort dans le ventre de ſa mere, s'y conſerve des mois entiers ſans grande corruption, quand les eaux n'en ſont pas écoulées, & que l'air n'y a pas eſté introduit, ces eaux luy ſervant, pour ainſi dire, comme d'une eſpece de ſaumure, qui le preſerve de pourriture cadavereuſe, qui ne manque pas de luy arriver incontinent aprés leur écoulement.

§. 14.

De fœtu in matris illæſæ utero a fulmine occiſo ſcribit Ludovicus Bonaciolus *de Format. Fœt. cap. 5. pag. 265. ſeq.* quod Martia Romanorum princeps, utero gravis claro fulmine (quippe cui ea natura ſit, ut dolia intactis operimentis exhauriat, aurum intus ſacculis haudquaquam ambuſtis ſigno- *a fulmine occiſus.*

que ceræ nec confuſo, liquet) icta exanimato partu incolumis ipſa ullum citra aliud incommodum vixerit.

§. 15.

Fœtus petrefactus. Quandoque etiam diuturnitate temporis fœtus in utero materno penitus indureſcunt atque petroſi evadunt, quod quidem incredibile fere videtur, hinc etiam Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. 11. Hiſt. 100. p. m. 308. ſeq.* inquit in utero fœtum ſolum ſolideſcere, ſalvis aliis viſceribus, omnem fidem ſuperaret, niſi hi oculi vidiſſent, hæ manus palpaſſent. Loquitur autem ibidem autor de lithopædio ſeu infante petrefacto, qui Agendici Senonum poſt 28. annorum moram ex utero matris Columbæ Chatry fuit exſectus. Anno ſcilicet 1582. dicta femina Ludovico Caritati ſartori nupta, quum ad annum 38. valetudine integra perveniſſet, neque adhuc uterum geſtaſſet, certiſſima habuit concepti fœtus indicia, menſtruis purgationibus non jam, ut antea ſtatis temporibus erumpentibus, & frequenti uteri motu, jam manifeſto, ac tumore lumborum & abdominis paullatim ſuccreſcente, mammisque lacte turgentibus. Tandem decurſo ſtatæ geſtationis curriculo, graves puerperii labores, & alvi tormina experiri cœpit, urina ad aliquot dies ſuppreſſa, quæ poſtea currente veluti alvo magna vi erupit, profuſo illo ichore non tam ex veſicæ meatu, quam ex muliebribus loculis ſcaturiente, & tunica diſrupta una cum ſeroſis recrementis ſanguinis coacti quaſi rhombus emerſit. Ex eo mammæ concidere viſæ, & motus infantis aut ignavus, aut nullus, ac labores mulieris tolerabiliores fuere, quæ a ludibrio illius fœturæ totum triennium in lecto decubuit, ſemper de valetudine adverſa, de duritie, de tumore, de torminibus alvi, ac de inutili pondere, quod per ſe mobile, pro vario geſtantis motu, modo in hanc, modo in illam partem procumbebat, quamdiu vixit, conqueſta. Fato poſt vigeſimum octavum geſtationis illius annum functæ diſ-

diſſecto abdomine, uterus rugoſus apparuit & verſicolor, tactu durus ac veluti teſtaceus; ſectoque rurſus eo vix tandem renitente ad novaculæ aciem, portentoſa mole gypſea eductus fœtus bene confirmatis membris, ac eodem prorſus, quo cæteri poſitu, cor, cerebrum naturalem habitum ſervabant, niſi quod ultra modum induruerat, non tamen ut externæ. Hodie adhuc corpuſculum illud Agendici a prætereuntibus miraculi inſtar viſitur, expers putredinis & teredinis. Hunc fœtum lapideum ſibi a mercatore quodam Pariſienſi fuiſſe monſtratum refert Louyſe Bourgeois *in Art. obſtetric. Part. II. Obſ. 36. p. m. 77.* Eandem hiſtoriam deſcribit & lithopædion depingit etiam Johannes Georgius Schenckius *Monſtror. Hiſtor. n. 68. pag. m. 90. ſeqq.* De hoc fœtu lapidefacto ſeu lithopædio agit etiam Daniel Sennertus *Pract. med. Lib. IV. Part. II. Sect. IV. cap. 8. pag. m. 323. ſeq.* Mauric. Cordæus *in Hippocr. Lib. I. de Muliebr. Comment. VII.* in Iſrael. Spach. *Gynæc. fol. m. 740.* Johann. Schenck. *Obſ. med. Lib. IV. fol. 609.* Chriſtian. Frid. Garmann. *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 109. pag. 1134.* Prodiit etiam Amſtelodami anno 1662. tractatulus, cui titulus: Collectanea de diuturna graviditate, in quo Johannis Alboſii & Simeonis Provancherii relatio de portentoſo lithopædio ſive embryo petrefacto urbis Senonenſis, & exercitatio de iſtius indurationis cauſis continentur. vid. etiam Franciſ. Roſſet. *de Part. Cæſar. pag. 287. ſeqq. & 318. ſeqq.*

§. 16.

Mulier quædam gravida frequenter admodum præconiis verbi divini intererat ſemperque figuram aliquam cherubinum referentem, & ex gypſo formatam oculis fixis aſpiciebat. Tandem nono appropinquante menſe doloribus partus corripiebatur, cum prioribus geſtationis temporibus multos infantis motus ac volutationes ſenſiſſet, qui dolores per aliquot dies perſiſtebant, nullo ſubſequente partu. Tum per quin- *gypſeus.*

que adhuc annos in ſtatu illo incerto degens ac ſatis recte valens magnam illam molem corporis gravidi circumgeſtabat, labentemque fœtum in illud latus, quo ſe flectebat, ſentiebat, donec illis transactis animam redderet. Aperto cadavere, puellus rite conformatus, ſolidus ac albicans comparebat, ſine ullo putredinis indicio. Curioſitas adſtantes invitavit ad faciendam in carnes inciſionem, quæ inventa eſt dura, & ob parvula granula albicantia referre gypſum videbatur. vid. Daniel Hoffmann. *Annotat. medic. ad Hypotheſ. Goveyan. p. 88. ſeq.*

§. 17.

Fœtus Musſipontanus.

Nota quoque eſt medicis obſervatio ſingularis ſive hiſtoria fœtus Muſſipontani extra uterum in abdomine reperti tandemque lapideſcentis, quam cum adjectis variorum excellentiſſimorum virorum commentis edidit Laurentius Strauſſius. Obſervatio autem hæc eſt: Mulier quædam annum ætatis ſexageſimum prætervecta, exili corpore & exigua admodum ſtatura, jam pridem orbata conjuge ſex prope luſtris cælibem agebat vitam. Aſt 1659. ſexto Calendarum Auguſti, neſcio quo abrepta impetu, ſeſe e ſuperioris cubiculi feneſtra, in ſubjectam planitiem egit præcipitem, ex quo violento caſu graviter ſaucia duas circiter poſt horas extincta eſt. Sed quoniam, dum in vivis ageret, non raro apud medicos conqueſta fuerat, ſe lapideam utero geſtare molem, placuit extiſpicio rem totam diligentius indagare. Itaque dominus Pillement, medicæ facultatis decanus, demortuæ cadaver ſecari juſſit, & reſectis primum communibus abdominis integumentis, adactoque omentum usque ſcalpello, emerſit illico moles, quæ quadrimi infantis capiti magnitudine nihil cederet. Totam hanc molem natura in orbem fere conglomeraverat & duriſſimo involucro obtexerat, quod bubuli ventriculi tunicas colore referret & craſſitie. Ubi primum tegmen illud duriuſculum immiſſa removit novacula, ſtabulantem in medio fœtum facile

cile deprehendimus, decuſſatis in crucis formam brachiis, & utraque tibia communem aliis in utero ſitum retinentem. Illa tamen eadem membra nullis diſtincta intervallis ita cum reliquo corpore coaluerant, ut inſpicientium aciem oculosque propemodum ſubterfugerent; quamvis nec hanc, nec alias hujusce corpuſculi partes ulla in re mancas aut mutilas ipſa formatrix vis reliquerit. Nam cerebri veram germanamque ſubſtantiam utraque tunica & obducta inſuper cranii compago eaque duriſſima coërcebat &c. Neque vero illud prætermiſſum oportet, quod jam aliquatenus lapideſcere cœperat, vultu præſertim in gypſeam quandam duritiem abeunte, nec ultra eam magnitudinem excreverat, quam juxta conſuetas naturæ leges ſemeſtris fœtus aſſequitur. Cæterum uterus mulieris, quæ intra abdominis latebras hocce prodigium complexa tot annis geſtaverat, tam illæſus intactusque repertus eſt, quam qui maxime nullo prorſus obductæ cicatricis veſtigio. Reſolutionem Laurentii Strauſſii *vid. l. a. pag. 2. ſeq.* & Antonii Deuſingii conſiderationem *pag. 11. ſeqq. &c.* Johannes Daniel Horſtius quoad hujus hiſtoriæ veritatem & Strausſii reſolutionis varia contenta, multa deſiderat, utut comes Digbæus pronuper Pariſiis ſcripſerit ſe fœtum illum vidiſſe, juxta Th. Bartholin. *Epiſt. med. Cent. III. Ep. 7. pag. 21. ſeq.* item *Cent. IV. Ep. 58. pag. 368. & de inſolit. Part. Viis cap. 11. pag. 78. ſeq.* item *Hiſtor. Cent. VI. Hiſt. 92. pag. 359.* Varia etiam dubia contra veritatem hujus hiſtoriæ movet idem Bartholinus *l. a. Epiſt. 8. pag. 22. ſeqq.* vid. etiam Chr. Frid. Garmann. *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 112. pag. 1136.* vid. Mich. Albert. *Jurispr. Med. cap. IV. §. 18. pag. 94. ſeq.*

§. 18.

Huc pertinet etiam hiſtoria fœtus totis viginti quinque annis in utero deliteſcentis, quam refert Nicolaus de Blegny *Zodiac. med. Gall. An. 1. Januar. Obſ. 9. pag. 9. ſeq.* de Marga- *alii fœtus lapideſcentes.*

retha Matthieu, uxore Johannis Pugetii pannorum tonſoris Tholoſani, undecimam graviditatem patiente. Hæc per totum hujus ſtadii decurſum torminibus adeo vehementibus fuit affecta, ut ſæpe chirurgum in auxilium advocaverit, qui ventris apertione facta cauſam adeo vehementis doloris eximeret. Tandem 1675. die 17. Junii prægnantem invadit febris continua vitæ & ærumnis ſimul finem imponens, ſexageſimum ſecundum ætatis annum agentem. Poſtridie corpus novaculæ exponitur, deprehenſumque corpus lapideæ duritiei uteri univerſo fundo coëxtenſum, concavum qua parte fundum illud reſpiciebat. De hac hiſtoria epiſtolam Franciſci Bayle communicat Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 134. pag. 293. ſeq.* ubi hanc feminam anno 1678. fato functam, ejusque frontem, oculos, naſum, os materia quadam cartilaginoſa digitum transverſum craſſa, obducta fuiſſe refert. vid. etiam Journal des Sçavans *Tom. VI. p. 312. & Tom. VII. p. 24. ſeq.* item Act. Erudit. Lipſ. *An. 1703. Febr. pag. 77.* De fœtu lapideſcente ita ſcribit Felix Platerus *Prax. Tom. III. Lib. II. cap. 15. pag. 818.* in partu fœtum lapideſcentem ſeu petroſum excluſum a matre ſe vidiſſe, medicus quidam, noſtri ſeculi clarus mihi narravit, idemque ſcripto publico teſtatus eſt.

§. 19.

fœtus petroſus ex pica.

Sequentem obſervationem ex libro Italico, Neapoli impreſſo, variis curioſis enarrationibus referto, cui titulus eſt: Lettere memorabili, propriis autoris verbis Italicis recenſet Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 28. p. 31. ſeq.* Poiche mi trovo encomiando le pietre di Napoli prego V. E. diſpenſarmi uſcir un poco dalla mia narratione, par farle un curioſo racconto: Anna Margarita Jannoccaro, moglie d'Anello del Porto Scrivano del Sacro Conſeglio, che abita alla Sellaria nelle caſe del Sign. D. Gaetano de Vincentiis, eſſendo l' anno 1686. gravida; le venne voglia di queſte pietre, coſa ſtravagan-

vagante ad udire, de' quali preſe à mangiare, e continuò ſenza prender altro per ſuo cibo, per lo ſpatio di tremeſi, e cio faceva con tanto ſuo guſto, che più volte havea certato non haver mai più in ſua vita aſſaggiata coſa pèr delicata ſi faſſe, che più ſaporoſa, ò dilettevole ſiaſi reſa al ſuo palato. Venuto poi il tempo del ſuo partorire fù aſſalita da dolori, ch'erano acerbiſſimi, & oltre ogni tolleranza. Alla fine eſſendo ridatta all'eſtremo di ſua vita, ſi fecero venire molti chirurgici, li quali allargando con ferri la ſtrada, per la quale al mondo veniamo, riuſci un Bambino morto, coſi duro, come una pietra, e nell' uſcire fece una batta, come ſe una piſtolla sbarrata ſi fuſſe, che ſi inteſe da tutto il vicinato. Campata dal pericolo, tornò ad eſſer gravida, partori felicemente, & oraſi trova altre ſi col ventre pieno, mà non fà più ſimili paſti &c. In corpuſculo quodam, quod haud aliter quam majoribus oſtreis minus quandoque adhæret, funiculo quodam placentæ alterius fœtus conjunctum erat, parvulus adhuc fœtus maſculus digiti inſtar latebat; qui omnibus abſolutus membris durus admodum, ac tanquam e latere cocto conſiſteret, reperiebatur. vid. Corn. Stalp. van der Wiel *Obſ. rar. Cent. prior. Obſ. 64. p. 323.*

CAPUT III.

De Fœtu extra uterum reperto.

§. I.

Quamvis autem, de quibus hactenus legimus, fœuts ordinarie in utero materno latuerint, accidit tamen nonnunquam, ut etiam tam vivi, quam mortui, absque tamen putrefactione, extra uterum in abdomine deprehendantur, & quidem duplici modo; vel enim a prima ſtatim conceptione ovulum in ovario impraegnatum ob varias cauſas v. g. ob tubæ Fallopianæ oſculi, quod tale ovulum juſto tempore ex ovario excipere atque per ſuum ductum ad uteri cavitatem, deferre de- *Fœtus extra uterum*

bet,

bet, nimiam anguſtiam vel coalitum, vel ob tardiorem motricium dictæ tubæ fibrarum motum & ſegniorem ad ovarium explicationem, ita ut ovulum ab ovario per disruptam membranam ſecedens, ab hoc orificio ſtato tempore excipi non queat, ſed potius in abdominis cavitatem prolabatur, ibidemque vel pereat, vel etiam commodo loco affigatur, ſenſimque in majorem & perfectum fœtum excreſcat. Vel reperitur quoque fœtus extra uterum, ſi quando ovulum fœcundatum a tubæ Fallopianæ orificio equidem excipitur, in ea tamen vel ſtatim circa initium, vel circa medium retinetur, atque ab ulteriori ad uterum detruſione impeditur, uti jam alibi de conceptu tubario & fœtu extra uterum demonſtravimus.

§. 2.

Exempla. Quam ſententiam exemplo fœtus viginti quinque annos in Margarethæ Matthieu abdomine detenti atque epiploo annexi confirmat Nicolaus de Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. I. Februar. p. 52. ſeq.* inquiens: ſupra a me adducta eo me impellere videntur, ut aſſeram, dictum infantem in utero conceptum non eſſe: Revera, annon illud obtendi poteſt, quandoquidem generatio mediantibus ovis contingit, in teſtibus muliebribus obviis, aliquod forte ex iis in dicta Margaretha, inibi vivificatum fuiſſe a ſpiritu virili ſemini inſito, quod a tubis aberrans, ex iis in uterum deſcenſurum a cauſa quapiam extraordinaria in inteſtina illapſum ſit, ob eorum motum ſub omentum ſe inſinuavit, ejusque ſubſtantiæ quaſi agglutinatum fuerit, hinc tandem ibi loci illius factus fuerit incubitus fœtusque conceptio. Plura de hac hiſtoria anatomica viginti quinque annorum graviditatis, in pannorum tonſoris uxore. vid. etiam Act. Erudit. Lipſienſ. *An. 1703. Febr. p. 77.* In mulieris cujusdam, Aurelianenſi in noſocomio diſſectæ, quæ poſt multos dolores irritosque in pariendo conatus obierat, cavitate abdominis inter uterum & inteſtinum rectum fœtum optime ſe haben-

bentem, illæſa matrice, repertum fuiſſe, utut non diu matri ſuperſtitem, ex Monconnys Itinerario refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. Cent. poſter. Obſ. 30. p. 320.* quo loco adhuc aliud exemplum adducit infantis rite conformati, in alvo matris extra matricem, inter inteſtinum rectum & uterum reperti, quanquam in hoc neque ulcus, neque cicatrix animadverſa ſit. Varia quoque generationis infantum in abdomine extra uterum in Dominici Anel Nouvelle Methode de guerir les fiſtules lacrymales, recenſeri exempla, referunt domini collectores Actor. Erudit. Lipſ. *An. 1718. menſ. Januar. p. 15.* vid. etiam Henr. a Roonhuſ. *Obſerv. Lib. II. Obſ. 1. p. 17.*

§. 3.

Sequentem obſervationem recenſet Jean Joſeph Courtial *des Obſervat. anatomique X. p. m. 86. ſeq.* Un chirurgien fût appellé pour faire l'operation ceſarienne à une femme enceinte, qui venoit d'expirer. Il fit ſon inciſion & ayant trouvé la matrice il l'ouvrit, mais il n'y trouva point de fœtus. Aprés il ouvrit tout l'abdomen & vit ſous l'epiploon un enfant parfait, qui étoit couché la tete en bas le long de l'epine du côté gauche, occupant les trois regions du bas-ventre, ayant ſes pieds ſous l'eſtomac & le colon, & le reſte du corps recouvert de l'epiploon. Il avoit ſon cordon autour du col, & il eſtoit ſorti de ſes envelopes. Je crûs, pergit Courtial, que cet enfant s'étoit echapé dela matrice, ou de ſes trompes, & je m'attachay, à decouvrir, d'ou il eſtoit ſorti. J'examinai la matrice dans toute la ſuperficie externe, & je la trouvai par tout fort unie, ſa cavité le fût de même, les trompes dans l'état naturel & les teſticules auſſi. Cet accident eſt rare & ſurprenant, je ne ſai même, ſi l'on a jamais oui dire rien de ſemblable. Il eſt vray, qu'on a trouve des enfans hors dela matrice dans le bas-ventre, mais non pas dans toutes les circonſtances de celui-ci, qui étoit un enfant de neuf mois, & qui paroiſſoit

alia exempla.

ſub omento.

n'avoir jamais été dans la matrice, ni dans les trompes. Je croirois, que cet accident peut étre arrivé d'une de ces deux manieres. La premiere, que l'œuf de cette femme fecondé par la ſemence du mâle n'a pû être pris par la trompe, & qu'il eſt tombé dans le bas-ventre, & s'eſt attaché dans la ſvite aux vaiſſeaux de l'eſtomac & de l'épiploon, où il a pris nourriture & accroiſſement. La ſeconde, que cet œuf a pûr eſter dans l'extremité de la trompe jusqu' à un certain temps, au quel l'enfant s'eſt echappé delà dans le ventre, & la trompe s'eſt remiſe en ſon état naturel; mais il a falut toujours, que l'enfant ſe ſoit nourri par l'endroit, où le placenta étoit attaché. Aliud exemplum refert etiam Dionis *des Operat. de Chirurg. Demonſtr. II. p. 115.* inquiens: une ſemblable hiſtoire a été faiſte à Pont-a Mouſſon. La cour y paſſant en l'année 1673. frere Barbilar apoticaire des Jeſuites de cette ville, montra a la Reine, qui viſitoit leur maiſon, un enfant, qu'il gardoit dans l'eau de vie, & qu'il diſoit avoir été trouvé dans le ventre dela mere aprés ſa mort. Varia exempla de fœtu in tubis Fallopianis reperto in *Syllepſiiog. noſt. Sect. I. cap. 5. §. 8. p. 84. ſeqq.* adduximus. vid. etiam Mich. Albert. *Juriſpr. med. c. 4. §. 18. p. 93. ſeq.*

§. 6.

cum uteri ruptura. Deinde alio quoque modo, & quidem poſt uteri rupturam fœtus in abdomine apparet, quando nimirum uterus vel putrefactus, vel etiam minime antea corruptus a nimio partus niſu disrumpitur fœtusque per foramen ex utero in abdomen propellitur, quale exemplum refert Cornelius Solingen *van de Ampt ende Plicht der Vrœdvrouwen p. 56.* ſequentibus verbis: Een remarcable Breuck in de Bærmœder, ſoodanigh dat het Kind gants buyten de gebrockene Lijf mœder op de Darmen lagh. Op den derden Maert 1683. is door my geopend 't toode Lighaem van Eliſabet Graun, Huyſvrouw van Haſevelt, oud 44. Jaer, de welcke voorheen vif Kinderen mœlijck gebaerd hadde,

de, ſo als voorleden Jaer door my van een doode Vrugt verloſt is, bevond en hebbe geſien, dat de Lijfmœder in haer Grond ſoo veerwas in ſtucken gebrocken, en van een geſchoven, dat de Vrugt, zynde een Soontje, geheel met een goed gedeelte der Navelſtrengh, in 't hol van den Buyck des Mœders gebragt was en mœſte dit Kind niet langh buyten den Uterus geweeſt zyn, want 't waas maer op den Rugh een weynigh van 't Epidermis ontbloot, leggende met de Vœtjens hoogh en 't Hoofd nederwaerts hangende, een weinigh na de regter zyde ſynes Mœders gebogen, en vernamen wy verders (vermits 't voorſz doorbrecken des Lijfmœders een groote menigte bloeds uyt de Selfſtandigheyd des voorſz Lijfmœders in de holligheyd des Bucks uytgeſtort te zyn, waer in 't voornoemde Kind, boven op de Darmen geliick als ſwemmende was) 't water, ſoo wy berigt waren, was Vrydags, zynd drie Dagen voor haer dood gebroken, en wierden wy gewaer, dat de Mond des Baermœders oock noch na de Dood, inwendig ſoo wijd geopnet was, dat men een kleyne vuyſt daer inbrenghen konde. De Lijfmœder was ingekrompen, ſonder Bloed in ſigh bevattende, hel ſchoon en wit, en was de Nageboorte regt tegen 't os pubis vaſtſoo dat die gants en geheel mœſte afpellen. vid. etiam *Edition. German. pag. 776.* Hujusmodi obſervationes alii quoque annotarunt autores, diverſas ſimul circumſtantias adducentes, v. g. Guilielmus Fabricius, Hild. *Obſ. chir. Cent. I. Obſ. 64. fol. m. 51.* exemplum feminæ ex partu mortuæ recenſet, cujus infantis caput per matricis rupturam in lævam ventris capacitatem tranſierat; ipſa autem matricis ſubſtantia, tanquam pars nervoſa, circa infantis collum contracta reperiebatur, quæ fœtum absque dubio ſuffocarat. Idem Fabricius *ibidem Obſ. 67.* honeſtam matronam, quæ totos ſex dies parturiens fuerat, poſt mortem aperiens, uterum laceratum & caput infantuli in ventris capacitatem dimiſſum invenit. *Et Cent. IV. Obſ. 57. fol. 328. ſeqq.* de fœtu agit, qui transverſe jacens altero pede ute-

rum perforaverat, manu altera extra orificium perforaverat, manu altera extra orificium propendente. Refert etiam Henricus Roonhuſius *Obſ. chirurg. Lib. II. Obſ. 1. p. m. 12. 16. ſeq.* caſum, quo fœtus in medio abdomine inter inteſtina reperiebatur, parti cuidam inteſtini coli ita affixus, ut ſine forcipe ab eo ſeparari vel avelli non poſſet. Et Franciſcus Mauriceau *Obſervat. ſur la Groſſ. Obſ. 251. p. m. 146.* ſimile exemplum recenſet d'une femme qui mourut en travail avec ſon enfant dans le ventre, par l'ouverture du corps de la quelle aprés ſa mort on trouva cet enfant au milieu des boyaux, eſtant ſorti de la matrice par une rupture, qui s'y eſtoit faite, la ſeule teſte de cet enfant eſtoit reſtée engagée dans le paſſage en mauvaiſe ſituation; & comme la matrice eſtoit entiérement vuide, & que l'arrierefaix meſme ne eſtoit auſſi ſorti & tombé dans la même capacité du ventre, elle eſtoit epaiſſe de trois ou quatre travers de doigt; a cauſe qu'elle s'eſtoit toute contractée auſſitoſt que cet enfant, qui eſtoit tres-gros, en eſtoit ainſi ſorti & tombé dans le ventre, par la rupture, qui s'y eſtoit faite vers la partie laterale dextre: laquelle rupture eſtoit arrivée par les grands efforts, que cette femme avoit fait.

§. 5.

alia exempla. Rupturæ uteri cum fœtus in abdomen prolapſu annotavit etiam Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. prior. Obſ. 66. p. 284. ſeq.* Cum Jonæ Pergo filia jam quater peperiſſet, nec ſine maximo dolore atque incommodo ſingulis vicibus edidiſſet partus, quinto uterum ferens haud minoribus agitata cruciatibus, ac ſatis diu, antequam pareret, infeſtata usque ad tertium ante partum diem, ab hoc enim tempore multum ſibi obveniſſe levaminis fatebatur. At, cum jam ipſe inſtaret pariendi actus, nullo modo emittere obſtetricis ope valuit fœtum, qui jam ante dies aliquot extinctus videbatur. Accerſitus tandem chirurgus Cornelius Solingius brevi poſtea

jam

jam mortuum eduxit fœtum. Quo facto, quia non ita facile educere ſecundas poterat chirurgus, in ipſius muliebris corpus immittere manum, quam funiculus ducebat, cœpit: tum vero inteſtina prius, quam uteri placentam ſenſit. Hanc vero illico poſtea reperiens, tribus partibus propendentem ſenſit in abdomine, extra uterum, quem, quoniam jam ante aliquot dies fœtum emiſerat, pro maxima parte, dure admodum compactum atque in ſe contractum comperit. Ille porro ſecundam, ubi etiamnum adhærebat, ab utero ſeparavit, & mulier ipſa tantis victa laboribus eodem die vivere deſiit, illiusque cadaver à Solingio fuit apertum, qui poſtea manum ab exteriore parte per vulvam in cadaver immiſit, atque iterum tum inteſtina recedentemque ſupra os pubis uterum reperit, cujus partem inferiorem paulo ſupra internum os verſus poſteriora ruptam invenit, per quam aperturam totus fœtus, exceptis capite brachiisque, poſt cervicem flexis in matris ventrem tranſierat. Idem etiam Stalpartius *Cent. poſter. Obſ. 30. p. 315.* aliam obſervationem fœtus materno in corpore extra uterum reperti recenſet, quæ vero eadem eſt, quam paulo ante ex Cornelii Solingii Tract. de arte obſtetricandi editione Belgica adduximus. Stalpartii verba hæc ſunt: Anno 1683. die 3. Martii talem nobis videre licuit caſum: cum Cornelius Solingius cadaver mulieris cujusdam annorum 44. diſſecaret, quæ poſtquam antea quinquies, quamvis non ſine moleſtia ſummisque laboribus peperiſſet, tandem partus doloribus victa deceſſit. Diſſecto cadavere usque adeo uteri fundum reperimus laceratum, ut fœtus tenellus cum notabili funiculi umbilicalis portione in abdominis cavitatem ejectus eſſet, ubi haud dubie non ita diu decubuerat, ſiquidem tergum tantum cute denudatum eſſet, niſi forte quisquam eum extra uterum aliquandiu per funiculum umbilicalem nutritum ſtatuat. Verum id credi vix poteſt, quia propter ruptionem uteri magna ſanguinis ex ipſius ſubſtantia ſimul in illam cavitatem profluxerat quantitas, quo

ſupra inteſtina veluti natans fortean fuit ſuffocatus. Aquæ, uti nobis narrabatur, triduo quidem ante obitum effluxerant; os etiam uteri poſt mortem adeo apertum, ut parvus in illud pugnus inſeri potuiſſet, conſpeximus. Secundum relationem Philippi Salmuthi *Obſ. med. Cent. I. Obſ. 16. p. 12.* inter pariendum moritur femina quædam Lipſiæ, ante portam Rahnſtadianam. Maritus certior de matre & fœtu eſſe cupiens rogat ſectioni ut præeſſe velit ipſe Salmuthus. Secto itaque abdomine infans extra uterum ſupra inteſtina reperitur. Rem mirati uterum inquirimus & ruptum illum ad ilion dextrum prope cervicem, ad dimidiæ ſpithamæ longitudinem offendimus. Fœtus quoque brachium dextrum, quod pridie ejus diei exſeruerat & retraxerat, corruptum erat & fœtens. Jacobus Guillemæus etiam duas refert hiſtorias mulierum, quarum fœtus perforato utero in abdomine ſunt inventi, juxta Corn. Stalp. *l. a. Cent. I. p. 289.* qui etiam *p. 288.* ex Johanne Schenckio fœtus meminit, qui nullo neque velamine aut membrana, neque utero cinctus, ſed liber in ventris inferioris capacitate, vaſis tamen umbilicalibus placentæ etiamnum affixis, in matris cadavere fuit repertus.

§. 6.

Hanc obſervationem refert Simon Aloyſius Tudecius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 2. 54. pag. 378. ſeq.* Anno 1670. die 23. Auguſt. Pragæ Catharina Wolrabin, ætatis 35. annorum, quatuor jam antea proles robuſtas feliciter pepĕrit, tandem de dolore uteri ſubinde querebatur, colore pallida, macies indies incrementum ſumſit, tusſis ſicca moleſtabat, cum quinta prole ad nonum menſem, naturale tempus pervenit, quatuor diebus laborioſo partu miſere torquebatur, fœtus dextram manum exporrectam habuit, nec ultra ab obſtetrice adjuvari, nec a conatu matris protrudi potuit, quinta tandem die, fœtu jam extincto, & illa exſpiravit. Maritus tam laborioſi partus cauſam ſcire cupiens, ut eam perveſtigarem rogavit; aperto

to itaque leniter abdomine, puer robuſtus extra uterum, omnibus involucris ſolutus, pedibus in ſiniſtrum hypochondrium extenſis lienem contingens, capite cum manu exporrecta intra oſſa pubis & cervicem uteri hærebat. Chirurgo adſtanti, ut fœtum ſuaviter eximat, dico, quo exempto, manus livida una cum parte capitis, quæ exitum tentabat, ob vehementem facultatis expultricis conatum, in acutum redacta, deprehenſa. Uterus in parte ſiniſtra una cum ſecundinis a conatu pueri pedibus diſruptus &c. Et Simon Scholzius *ibid. Obſ. 85. p. 159.* etiam caſum annotavit: Honeſta, inquiens, matrona, juvencula bis fœtum mortuum, opportuno tamen tempore enixa, tertium gravida tempore partus inſtante doloribusque urgentibus fœtum fruſtra excludere allaborat. Ego die 1. Julii 1670. veſperi ad eam vocatus ad quæſtionem de ipſis ſtatu, ab obſteticibus reſponſum tale retuli: os uteri apertum eſſe, reliquaque bene conſtitutá, ſitum autem infantis malum, manu tantum dextra extra vergente, capite vero & reliquis membris imperveſtigabilibus. Quæ omnia in eodem ſtatu per totam noctem permanſerunt, manu infantis usque ad ſcapulam fere exerta & jam emortua immobili manente, puerperaque ſumme debili: donec tandem natura in totum deficiente, die ſecunda Julii animam Deo reddidit. Cadavere ipſius ſtatim poſt mortem aperto inferius uterum invenimus laceratum & quaſi ex ulcere perforatum, fœtu maſculino perfecto cum ſecundinis extra uterum inter inteſtina latitante, manu tantum dextra partim in vagina uteri, partim extra uterum prominente; præterea quoque uterus in fundo diſſectus ad palmæ craſſitiem ſcirrhoſa duritie tumidus apparuit.

§. 7.

Similem fere obſervationem paulo ante, de fœtus in utero putrefactione, deque ejusdem per uteri putrefacti foramen ſive diſruptionem in abdominis cavitatem prolapſu recen- *Obſervatio.*

recenſui; Cui adhuc aliam de piſtoris Dresdenſis uxore viginti aliquot annorum annectere libet. Hæc ſcilicet, alias ſatis vegeta & robuſta, prima vice puerpera ordinario tempore ingentes partus dolores per ſex horas perpeſſa, cum vel ob nimiam uterini orificii anguſtiam vel fœtus magnitudinem partus nondum ſuccederet ipſaque ad majores excluſionis niſus ab obſtetrice admoneretur, in tanto labore ex improviſo magnum in abdomine crepitum atque dolorem peculiarem perſentit, quem ſonum adſtantes quoque auribus percipiunt; quo facto omnis ſtatim niſus ceſſat ipſaque puerpera paulo poſt animam exhalat. Accerſitus ego in diſſectæ feminæ abdomine fœtum maturum, magnum & craſſum membranisque ſuis excluſum, defunctum tamen, extra uterum, in ipſo autem utero (cujus ſubſtantia duorum ad minimum transverſorum digitorum craſſitiem æquabat) recentem rupturam ad ſpithamæ longitudinem deprehendebam.

§. 8.

Sequentem obſervationem recenſet Dionis *des Operations de Chirurgie Demonſt. II. pag. 119.* Dans le mois de Juin 1681. une des femmes de chambre de Madame la Dauphine, étant groſſe de ſix mois ou environ, fut ſurpriſe de douleurs exceſſives à la region de la matrice, les cris, qu'elle faiſoit marquoient, que cette partie n'eſt pas des moins ſenſibles; les convulſions ſurvinrent, on vit ſon ventre s'enfler, & elle mourut un quart d'heure après. La Reine & Madame la Dauphine étonnées d'une mort ſi prompte, m'ordonnerent de faire l'ouverture de ſon corps, pour en ſçavoir la cauſe. Je la fit le lendemain en preſence de Monſieur Daquin, alors premier Medecin de Roy, & de Monſieur Fagon, premier Medecin de la Reine. Je trouvay la capacité du ventre toute pleine de ſang, & un enfant couché ſur les boyaux. J'examinay la matrice, qui n'étoit pas ſemblable aux autres, elle avoit deux fonds, dans l'un je trouvay un faux germe, & dans l'autre,

qui

qui étoit la ſurnumeraire , avoit été formé l'enfant, le quel y ayant vécu jusqu' au ſixieme mois, avoit creve cette partie qui n'étant ni ausſi ferme, ni ausſi epaiſſe que le fond d'un uterus ordinaire n'avoit pu reſiſter davantage. Tobias Knoblochius in diſſecta gravida ſcirchum inſignis magnitudinis a fundo uteri incipientem & ad os uteri deſinentem obſervavit, ob quam cauſam bona illa femina ſobolem parere non potuit, ſed utero perfracto in abdomen projecit. vid. Thom. Bartholin. *de inſolit. Part. Viis cap. 3. pag. 21.* In feminæ cujusdam ventre diſſecto extra uterum inventus fuit puellus egregius & optime formatus, uti ex Monconis Itinerario refert Theophilus Bunet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. XXXVIII. Obſ. 4. §. 8. fol. n. 1383.*

§. 9.

Fœtum etiam, rupto utero, intra abdomen excluſum annotavit Salomon Reiſelius *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 10 pag. 16. ſeq.* Scilicet Anna Catharina, Chriſtophori Steigers, civis Stutgardiani uxor, annorum quadraginta, octo liberos peperit difficulter quidem, quum & primo partu læſam ſe retulit: nonum gerens fœtum divinavit, ſe morituram, ut mater quoque nono fœtu mortua. Cum tempus geſtationis usque ad tres ſeptimanas completum fuiſſet, ſeptimo Januarii 1684. ſerum cum ſanguine copioſiſſimo, hinc dolores & conatus parturiendi multi, ſed inutiles ſecuti: a quo die fœtus moveri non ſentiebatur; atque ceſſantibus doloribus decimo Januarii obiit, remanente fœtu; atque poſt mortem vermis longus ex naribus erupit. Apertis abdominis muſculis illico apparuit caput piloſum, quod terribile & inuſitatum fuit aſpici. Inquirentibus ulterius brachium dextrum obvenit cum parte dorſi. Diſſecto utero a ſuperiori parte, pedes verſus fundum erecti, nates ad orificium converſæ: Uterus, cui dextrorſum ſecundina adhuc adhærebat, in ſuperioribus craſſus & naturalis, in inferioribus, verſus pubem, tenuis, diſruptus & gangrænoſus erat, ut per rupturam

aliæ obſervationes.

ejus embryo extra uterum & intra abdomen egreſſus fuerit medio corpore. Huic caſui dictus Reiſelius aliam adjungit obſervationem, quam ipſi Ludovicus Witzel, phyſicus Francofurtenſis, anno 1669. communicavit, raram, inquiens, feci apertionem in uxore lanionis, quæ in ſeipſa peperit diſrupto utero & mox cum maxima hæmorrhagia ſpiritum emiſit. Cauſa fuit, quod medietas uteri in latere dextro ſcirrhoſa, reliqua fœtui locum concedens nimis attenuata laboribus partus rupta fuerit, unde embryo egreſſus ſupra inteſtina ſe collocavit. Annotante Andrea Löw *l. a. An. 9. Obſ. 115. pag. 194.* aurifabri cujusdam conjux tenella, cum quarta vice uterum geſtaſſet & jam ad legitimum parturiendi tempus usque perveniſſet, ad partum ſe accinxit; accedentibus maximis doloribus & ad parturiendum conatibus, aqua effluxit copioſiſſima; quo tempore fragor audiebatur ingens, ſine dubio uteri, tum temporis diffracti ſignum; & fœtus paulo poſt brachium ſiniſtrum porrexit foras, una cum parte funiculi umbilicalis. Mater mox horroribus circa uterum ſe corripi conqueſta mortem mox ſubſecutam confirmavit. Fruſtra enim tentatis omnibus, tandem lipothymiis & convulſionibus accedentibus parturiens deceſſit. Abdomine aperto fœtum mortuum totum extra uterum jacentem, & jam feregangrænoſum, nulla membrana aut velamine cinctum, vaſis tamen umbilicalibus placentæ etiamnum affixis, ſupra inteſtina, cum pedibus ad latus dextrum, cum capite ad ſiniſtrum; uterum vero verſus cervicem ſiniſtri lateris ita perforatum, ut ferme pugnus intromitti potuerit; cujus tamen fundus diſſectus trium transverſorum digitorum craſſitiem ſuperavit, quorſum ſpectavit caput infantis cum ſecundinis: fœtum quoque magnitudine uterum ſexies ſuperaſſe, deprehendimus. Ibidem etiam mentio fit alius honeſtæ matronæ, quæ ſumme gravida parturientium doloribus tres dies noctesque continue miſere cruciata ab obſtetrice, partum inſtare advertente, laborum indefeſſorum admo-

admonita, eos ſtrenue ſuſcepit ad mortem usque. Cadavere vero aperto uteri ſubſtantia in ſiniſtro latere uteri fundi duobus in locis rimas ſat grandes egerat, per quas pars quædam cranii prominuit &c. A partū difficiliori diſruptum uterum notavit & profectione facta αὐτόπτης obſervavit Auguſtinus Henricus Faſchius, vid. Georg. Wolffg. Wedel. *Exercit. medic. philolog. Exercit. 1. pag. 7.* De leporibus extra uterum repertis curioſam obſervationem ex Petri Romelii diſcurſu recenſet Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lagograph. curioſ. Sect. I. cap. 3. p. 35. p. 81. ſeq.*

§. 10.

Uteri rupturam lapſu annotavit Johannes Caſpar Fauſſius. Mulier valens & vegeta, quatuor ante partum ſeptimanis, prona & in genua cadens ſonum quendam in ventre, tanquam crepaturam audivit, ſtatimque reliquo geſtationis tempore ſolito triſtior, ponderoſior & pallidior fuit. Comedit tamen, dormivit, cæteraque ſanorum hominum munia obiit, de pondere potius interdum, quam de dolore ventris conqueſta. Præfixo partus tempore dolores ſenſit, ſed fruſtra, ac tandem ea extincta & aperta abſolutisſimus fœtus in ſanguine materno in medio abdomine natavit, nulla putredine infectus aut fœtore gravis: uteri diſrupti corpus duos transverſos digitos craſſum hiatu pulchre pomum granatum, ut depingi ſolet, repræſentavit. vid. Th. Bartholin. *de inſolit. Part. Viis cap. 11. pag. 76. ſeq.* Anno 1645. die 20. Januarii, e ventre aperto uxoris in parte enectæ, Johannis Packen ruſtici Suinfurtenſis per chirurgum ſtatim aqua ſanguinolenta, inſtar loturæ carnis profluebat, uterus ſuperius, qua inteſtinis adjacet, ruptus erat, & pes cum brachio uno (alter enim e pudendo propendebat) capiti embryonis involuti, inter ipſa inteſtina conſpiciebantur, reliquo uteri ſalvo, præterquam quod tumor quidam in eo ſe offerebat, qui inciſus ſcirrhum repræſentabat œdematoſum, quo ipſo absque dubio ſurſum retruſus embryo jam grandiu- *a lapſu.*

ſculus, calcitrans perrupit ea, qua tenuior eſt parte, uterum membranasque omnes, accedente imprimis conatu illo externo, quo in caleficiendo hypocauſto ſupra focum magna vi eniſa erat gravida, illo enim tempore ſtatim dolorem quendam obtuſum cum ſonitu in ventre percepit. vid Joh. Laur. Bauſch. *de Lapid. Ætite pag. 4.* Et *pag. ſeq.* meminit, fœtum uxoris Jacobi Gerbich, ſutoris anno 1636. capite uterum parte ſiniſtra perforaſſe & perrupiſſe, cujus labia collum infantis ita arcte conſtrinxerant, ut ſuffocaretur, brachio extra vulvam propendente. Teſtes adducit Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. XXXVIII. fol. 1378.* ſe diſſecuiſſe cadaver pauperculæ mulieris in noſodochio Pariſienſi mortuæ, in cujus ventre repertus infans aquis innatans, utero circa fundum diſrupto. Quo loco plura alia recenſentur exempla. vid. inſuper *M. N. C. Dec. II. An. 2. pag. 477. ſeq.* Item ſutoris cujusdam uxor parvula, gibba, claudicans, genubus valgis ſeu introrſum flexis & pedibus divaricatis, ſive extrorſum ſpectantibus, ſecundum gravida, ſub finem noni menſis die 14. Octobris 1718. non exiguo cum dolore membranarum fœtus ſentit rupturam cum aquarum & ſanguinis hinc profuſione & effluxu, unde obſtetricem vocari jubet, quæ accedens funiculi umbilicalis adhuc pulſantis, una cum ſecundina in orificium uteri internum ingreſſum obſervat, nullis tamen conatibus & doloribus parturiendi amplius inſequentibus; quibus proin fruſtra expectatis die ſequenti miſera hæc parturiens placide exſpirat. Quo facto medicus & chirurgi parturientis hujus infelicis corpus aperturi ante omnia oculis prius ipſius abdomen perluſtrantes, illud enormiter magnum invenerunt & ſecundum omnes dimenſiones extenſum, durum inſuper, difforme, inæquale & figuræ triangularis quaſi, ita ut partes fœtus externas, immediate ſub integumentis infimi ventris deliteſcentes tangere & diſcernere tantum non liceret, tanquam ſigna fœtus extra uterum ruptum jam ſiti & locati, imprimis ſi ſub conatibus

partu-

parturiendi hi ſubito ſive ex improviſo ceſſent penitus, nec amplius redeant, in matre, viribus alias adhuc valente. Hac contemplatione finita per crucem cultro diſſecarunt chirurgi abdominis cutem, pinguedinem, muſculos & peritonæum, cuncta valde attenuata, puellumque naſcendum jam extinctum, aque mole ejus magna inteſtinis in circumferentia hujus retrorſum adactis, in dextro abdominis latere & illius cavitate extra uterum deprehenderunt, oſſibus pubis ibidem capite incurvato aliquo modo firmiter innitentem ac infixum, & circa collum funiculo umbilicali cinctum & ſtrangulatum quaſi; &c. referente Maximiliano Preusſio *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. & X. Obſ. 19. p. 21. ſeq.* Alia exempla vid. *Ephemerid. Cent. I. & II. Obſ. 149. p. 312. & Cent. X. Obſ. 29. p. 301.*

§. II.

Anno 1531. femina quædam Niſſæ paupercula, quæ cum marito in conjugio quindecim annorum ſpatio novem liberos genuerat, in iliis verſus ſiniſtrum hypochondrium, velut in tumore aut veſica quadam protuberantem geſtavit fœtum, adveniente legitimo tempore partus, veſica illa ſupra femora ad genu usque propendens, ex conſilio medicorum, aperta fuit, ex qua infans boni habitus extractus, qui baptizatus fuit & annum cum dimidio ſupervixit, mater vero ſummis in doloribus tertio die obiit, uti ex Polii, viri probatæ fidei, Hemerologia Sileſiaca refert Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 110. p. 259.* *Fœtus in tumore ad genua propendente.*

§. III.

Quodſi etiam quorundam autorum verbis fides eſt adhibenda, rarioribus adhuc obſervationibus adſcribendum eſſet, quod de aliis & quidem incredibilibus fere fœtus locis, ex aliorum quandoque relatione narrant, v. g. de prodigioſo fœtus domicilio, & quidem in parte muſculoſa vel ſtrumoſa ſequentem obſervationem recenſet Erneſtus Sigismundus Graſſius *M. N. C.* *Fœtus in ſtruma.*

N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 56. p. 102. ſeq. In carne, inquiens, muſculoſa uterum effingi, in eoque fœtum humanum ex nullo præexiſtente ſemine, ea quidem ſtuporis pleniſſima res eſt, & omnia, de viribus imaginationis exempla, ut opinor, longo poſt ſe relinquit intervallo. Schmidebergæ, ducatus Jauravienſis oppido montano, faber clavarius ſenex, Gregorius John, paucis ante Reformationem annis, ad ſecunda vota tranſiens uxorem ducebat virginem aliquot triginta annorum; quod conjugium erat pacificum, ſed ſterile. Cum vero uxor procul dubio prolem impenſius deſideraret, cui generandæ ſilicernium illud effœtum non erat, tandem evenit, ut feminæ tumor in ſiniſtra colli parte inſtar ſtrumæ oblongæ oboriretur, qui indies augeſcens & doloribus tandem comitatus acerbis, quietem, neque diurnam, neque nocturnam, vix concedebat. Graviter ſic afflicta, in defectu medici, paſtorem loci, Georgium Wernerum, conveniebat, ut conſilio ſibi adeſſet, ſed omnis medicamentorum applicatio exoptato carebat effectu, donec lecto affixa firmiter ſibi perſuaderet, vivum aliquid in tumore contineri, proindeque a domino paſtore contenderet, ut poſt obitum ſuum tumor iſte aperiretur. Hic ergo, ut poſtea defunctæ petito gratificaretur, adſcitis duobus ſcabinis, per chirurgum, Hiobum Clementem, ſecari curabat tumorem, & cum ſumma admiratione inveniebatur fœtus humanus medii digiti longitudinem largiter æquans, in quo cranium, manus & pedes optime diſcerni poterant, & qui alimentum a mamma ſiniſtra acceperat. Fœtum hunc prænominatus paſtor ſecum recipiebat & bene exſiccatum in ſcatula recondebat, cujus jacturam deinceps ſecuta reformatio hincque proveniens domicilii mutatio peperit. Hiſtoriam hanc tanquam teſtis oculatus Schmideberga 21. Decembris 1689. idiomate Germanico & propria manu perſcripſit vir integerrimus & fide dignus Dn. Chriſtophorus Wernerus, vectigalium Cæſareanorum collector & præfati paſtoris filius, qui anno ſeptuagenario major ſuperiori an-

ri anno deceſſit. Quamvis vero de veritate rei minime dubitandum ſit, dolendum tamen, quod, procul dubio ex defectu ſcientiæ anatomicæ, plenior & accuratior deſcriptio non fuerit addita, tum fœtus ipſius cum ſua matrice, tum præcipue ductus illius lactiferi, a mamilla ſiniſtra ad fœtum derivati. Hæc Graſſius. An autem hæc obſervatio fidem mereatur, an vero minus, cujuslibet deliberationi relinquit Michael Alberti *Jurisprud. med. Cap. IV. §. 18. p. 95.*

§. 13.

De fœtu humano in veſica urinaria contento rariſſimum caſum annotavit David Laurentius Ebersbach *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. V. Obſ. 20. ſeq.* his verbis: Lœbaviæ aromatopolæ cujusdam uxor juvencula ætatis 28. annorum, per quinque vel ſex annos ſterile ducens matrimonium, hydrope aſcite laborabat; anguſtias perſentiſcebat præcordiorum enormes, diutinam urinæ patiebatur obſtructionem, de ſenſatione circa os pubis conquerebatur tenſoria. Varia, licet incaſſum, ſingula adhibebantur medicamina. Profluvium urinæ multis modis promovere moliebatur obſtetrix, ſed laterem lavabat, quippe quæ ſemper aliquod in veſica obſervabat, digiti ingreſſum & urinæ egreſſum prohibens obſtaculum. Affligebant porro ægram labores ad partum, omnes tamen ad illos promovendos fruſtraneo molimine applicabantur vires. Succumbebat tandem ægra fatis. Aperiebant, præſentibus aliis medicis cadaver, in cujus abdomine multa offendebatur aqua, quacum & uterus impletus erat. Veſica vero urinaria turgida admodum conſpiciebatur, quæ poſt inciſionem multam pallidamque aquarum profundebat copiam, & ex ea embryo trium præter propter prominebat menſium, cujus funiculus umbilicalis in fundo veſicæ variis cum vaſculis ſanguiferis intertextæ, inque nonnullas quaſi partes, inter ſe tamen invicem cohærentes, diſtinctæ adhæreſcebat maſſa carnoſa; ſecundinis, quoad colorem & *Fœtus in veſica.*

con-

conſiſtentiam non abſimilis. Per quas vias, pergit idem, fœtus hic in veſicam penetraverit urinariam, vix auſim dicere, dum nulla uteri cum veſica nimium arcta connexio, nec ulcus uteri, nec aliæ viæ ex utero ad veſicam obſervari potuere perviæ. Celeberrimi vero Bartholini verba, quæ in diſſertatione ejus de inſolitis partus humani viis *p. 57.* leguntur, huc quadrare poterunt: vias quidem nobis eſſe obſcuriores, neutiquam tamen naturæ, cui ubique pateat corpus humanum, hinc alium quemcunque locum capacem & calore tepentem, ad fœtus conformationem aptum eſſe poſſe, quanquam non ad ejus excluſionem.

§. 14.

in inguine. De fœtu in inguine hanc obſervationem communicat dominus de Gofey *de Generat. Fœt. p. 79.* Anno 1706. menſe Auguſto virgo quædam annorum viginti tumorem in dextro inguine magnitudine ovum gallinaceum æquantem gerens, meam imploravit opem, quo viſo, illum ex certa cauſa pro bubone venereo habui. Hic tumor neque cum dolore neque alio ſymptomate erat conjunctus, ſenſimque creſcebat. Digitis cum illum tangerem, inæqualitates pulſumque ſatis magnum ſentiebam, unde ob pulſus arteriarum ibi obſervatos ſuſpicio de anevrismate ſubnaſcebatur. Quum dictus tumor intra duorum menſium ſpatium molem panis libram pondere æquantis attigiſſet, precibus tractationem curatoriam extorquebat, ita ut operationem bubonoceles inſtituerem; facta proinde integumentorum inciſione, ſaccum quendam coloris fuſci, elongationem nempe peritonæi ab inteſtinorum lapſu obſervavi, atque per hujus ſacci inciſionem aquæ ibi contentæ claræ exitum paravi. Illo aperto parvulus quidam fœtus dimidium pedem longus conſpectui ſeſe ſiſtebat, quem ſtatim, erat enim vivus, baptismi aquis conſpergebam, funiculumque umbilicalem prius ligatum modo ordinario abſcindebam. Veroſi-

roſimile eſt, ovulum illud per interſtitia fimbriarum excidiſſe, & poſtquam in abdomen, uterique ligamenta rotunda annulos muſculorum abdominis perforantia inciderit, in ipſum muſculi transverſi annulum locatum fuiſſe, idque favente peritonæi relaxatione, viſcerumque motu, ita ut, poſtquam muſculorum duorum obliquorum annulos tranſierit ac peragrarit, in illa parte ſedem fixerit, in qua incrementa ſumſit.

§. 15.

De fœtu in mola ita ſcribit Chriſtian. Fridericus Garmannus *Diſc. phyſ. med. de Gemell. & Part. numeroſior. Cap. 1. §. 5.* inauditum, molam gravidam extitiſſe, ſed en! accipe hiſtoriam Alexandri Benedicti: Vidimus, refert, nobilem Venetam, Dionoram Georgiam, ſeptimo menſe, quo partum geſtaverat, polypum peperiſſe monſtrificum, quem nos diſſecuimus, in medio maſculinus fœtus integer repertus eſt: quem monſtrum illud in ſeſe genitum inter eas anguſtias accreſcere non patiebatur, annexus tamen umbilicus polypo. Id autem procul dubio factum, judicante Daniele Sennerto, quod, antequam fœtus conciperetur, mola jam uteri ſinum occupavit, & propterea fœtus radicationi locus datus non eſt: itaque in ſubſtrata mola carnea & ſanguine plena radicem agere neceſſe habuit. Tale exemplum etiam mihi ante triginta aliquot annos in Chriſtiani Herfurti uxore annotare contigit, quippe quæ ultra octodecim ſeptimanas ſuppreſſione menſium cum aliis antea ipſi aliquoties gravidæ conſuetis ſymptomatibus laborans, ingentes abdominis cruciatus doloresque inſtar parturientium per decem horas perpetiebatur: quibus præterlapſis poſt aſſumpta medicamenta molem carneam, ultra pugni magnitudinem, maximo niſu excernebat, in qua diſſecta interne in cavitate quadam latebat embryo dimidii digiti magnitudine, maſculi notam referens, cum annexa placentula & funiculo umbilicali. Ut autem, quid circa tales molas prægnantes ſentiam, mentem meam explicem, potius mihi ejusmodi polypoſa vel

In mola fœtus, polypo.

Obſervatio.

molaris in utero excreſcentia a membranis embryonem involventibus, chorio & amnio cum ſecundina dependere videtur, dum his per certas & extraordinarias vias plus nutrimenti vel ſucci alibilis, quam ipſi fœtui advehatur, ut in tantam molem excreſcere queant. Non ſolum autem in chorio, ſed etiam amnio, tanquam tenuiſſima membrana, ejusmodi vaſa ſanguiveha deprehendi, defendit Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *de Format. Fœt. Part. I. cap. 8. fol. m. 45.* inquiens: unum admiraberis in tunica amnio, quod, cum hæc tenuiſſima ſit, ita ut tenuior ferme excogitari non poſſit, duplex tamen eſſe conſpicitur, & inter utramque reduplicationem exiguæ venarum fibræ excurrere apparent, quæ forte cauſa eſt, ut tota tunica conſpicuis venis non ſit irrigata in plurimis animalibus, nam in equino fœtu inſignes venas vidimus. Et ſecundum Gulielmi Cowper ſententiam, licet amnios tunica videatur transparens, vaſcula tamen ſanguinea a vaſis umbilicalis chordæ oriunda detegi queunt copioſa arteriæque venis continuæ, ſi mercurio in arterias & venas injecto microſcopium adhibeatur. vid. Act. Erudit. *1699. menſ. Februar. p. 53.* De gemellis in mola comprehenſis obſervationem communicat Adamus Brendelius *Ephem. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 164. p. 375.* Mulier ſcilicet quædam poſt partum alterum de tenſivo abdominis dolore, murmure & inſultibus hyſtericis , appetitu dejecto & laſſitudine artuum per tempus aliquod conqueritur, facies pallido & livido infecta colore ſqualet, catamenia inordinate manant, ſubinde penitus exareſcunt, ut tandem in ſuſpicionem graviditatis propter abdominis increſcentis molem veniret. Demum poſt duos & quod excurrit menſes ex inſperato dolore perculſa exquiſitiſſimos dolores hyſtericos & profuſiſſimam menſium fluxionem, cum grumis ſanguineis experitur, inter quos caro deformis, oſſibus deſtituta & vaſis dives, cum larga hæmorrhagia prodit, in cujus medio duo gemelli concluſi latebant; ſi figuram molæ ſpectes, ad ſimilitudinem parvi cyprini accedebat.

bat. Aliter tamen hunc caſum recenſet idem autor *Obſ. anat. Dec. II. Obſ. 3. p. 12.* inquiens, dictam molam non æque a viva adhuc muliere fuiſſe rejectam, ſed gravidam tandem lente corruptam exſpiraſſe; Aperto autem ejusdem utero dicta mola in conſpectum prodibat, qua ſecta intus duo gemelli membranulis ſuis inveſtiti, ſed ope amnii ab invicem ſejuncti latitabant.

§. 16.

Quandoque etiam præter fœtum ordinarium in ſecundina contentum atque placentæ uterinæ mediante chorda umbilicali annexum, vel etiam jamjam editum alius adhuc embryo placentæ uterinæ incluſus vel annexus deprehenditur; quod tamen plerumque a ſuperfœtatione obſervari ſolet. Meminit enim Johannes Daniel Geyerus fœtus abortivi inque hujus placenta uterina incluſi embryonis cum propria ſecundina. Honeſta ſcilicet femina Manhemii gravidam ſe ſentiens circa medium noctis ingentes patiebatur niſus & dolores, adeo, ut lochia ante partum profluerent, ipſo fœtu cum ſua placenta ſubſequente, qui vivus perfectusque in omnibus erat, ſed poſt baptismum exſpirabat. Cum vero penitius ſecundinam Geyerus inſpiceret, invenit eam circumdatam tenaci membrana, inque hac incluſum alterum filiolum, ad ſpithamæ longitudinem, cujus funiculus umbilicalis inſertus erat propriæ placentæ, quæ alteri fortiſſime connexa erat. Hic embryo in omnibus erat perfectus, niſi quod ungues deficerent &c. vid. *M.N.C. Dec. II. An. 5. Obſ. 233. p. 457. ſeq.* Obſtetrix quædam Hagienſis e puerpera excepit geminos, quorum alterius membranæ amnio quoddam accreverat corpuſculum, haud aliter, quam majoribus oſtreis minus quandoque adhæret, quod funiculo quodam placentæ conjunctum erat, & in quo parvulus digiti inſtar latebat. Hic autem maſculus omnibus abſolutus membris, altera pectori impoſita manu, ſed durus admodum, ac tanquam e latere cocto conſiſteret, reperiebatur. vid. Corn. Stalp. van in placenta.

der Wiel *Obſ. rar. Cent. prior. Obſ. 64. p. 323.* Sic chirurgus Pariſienſis, nomine Amiens, ad mulierem quandam, quæ puellam vivam enixa erat, accitus fœtus ſecundinas perluſtrat, in iisque latentem deprehendit fœtum marem, manus longitudine compreſſum, ut vix craſſitie quartam pollicis partem adæquaret &c. recenſente Nicolao de Blegny *Zodiac. med. Gall. An. I. Jan. Obſ. 8. p. m. 8.* vid. etiam le Journal des Sçavans *de l'an 1679. Tom. VII. p. 98.* Et obſtetrix Dresdenſis placentam quandam accuratius perſcrutans in ejusdem extremitate tumorem, nucis viridis magnitudine, offendit, in quo unguibus dilacerato minutiſſimus embryo, vix minimum digiti articulum æquans, (in quo duo puncta nigra oculorum, os late apertum cum lingua manifeſte cernere licebat) cum funiculo umbilicali atque placenta incluſus jacebat. Quam obſervationem alibi de ſuperfœtatione prolixius recenſui. Inquit etiam Franciſcus Mauriceau *Obſerv. 108. p. 63.* Je vis une femme, qui croyant eſtre groſſe de deux mois & demy, aprés avoir ſenti quelques douleurs de reins, vuida en ma preſence, avec une grande perte de ſang, une poche membraneuſe & charneuë dela groſſeur d'un œuf de poule, pleine d'eau, dans le milieu dela quelle je trouvay, aprés l'avoir ouverte, un petit fetus, qui n'eſtoit pas plus gros, qu'une ſimple mouche a miel, dont la teſte n'eſtoit que dela groſſeur d'un petit pois, & le reſte du corps à proportion, les autres parties ne pouvant pas eſtre bien facilement diſtinguées, à cauſe de leur petiteſſe & de leur molleſſe, ſi non qu'on voyſoit manifeſtement en cette teſte les deux yeux, qui paroiſſoient comme deux petits points noirs, & l'on voyoit auſſi tres bien le cordon de l'ombilic, qui s'alloit attacher à une eſpece de petit placenta.

Obſervatio.

§. 17.

Fœtus magnitudo in utero.

Quod autem fœtus, non in ipſius uteri cavitate, ſed in ejusmodi loco extraordinario v. g. in mola, placenta uteri-

na &c. reperti, longè minores deprehendantur, nec juſtam magnitudinem acquirant, ſed vix apes vel digiti articulum ſuperent, ſane non mirandum, cum partim ob commodi loci defectum, partim etiam, quia fortaſſe ob ſuperfœtationem in majorem longitudinem excreſcere nondum potuerint, ſiquidem nonnunquam alii quoque embryones, per integrum ordinariæ geſtationis ſpatium, in utero materno nutriti, vel ob morboſum eorundem ſtatum, vel ob ſufficientis alimenti defectum, non ſemper debitam & juſtam magnitudinem adipiſcuntur; unde etiam non in omnibus excluſis fœtibus eadem magnitudo obſervatur. De magnitudine autem fœtus inter alia Johannes Fernelius *de Homin. Procreat. Lib. VII. cap. 10. pag. m. 185.* ita ſcribit: ſæpe obſervavimus die quadrageſimo ejectum fœtum ſemidigiti aut formicæ majuſculæ magnitudine vere ac prorſus conformatum & cujus partes omnes excepto jecore albæ ac ſpermaticæ cernebantur. Caput par erat avellanæ & majus, quam pro reliqui corporis ratione: oculi ut cancris exerti: naſus, auriculæ, brachia, manus, crura, pedes, hisque ſecreti digiti, penis conſpicuus, ſub quo ſcrotum milii magnitudine, ſuperiora autem inferioribus majora, nullo oſſium robore, ſed flexibilia quocunque ducerentur. Omnia contecta cute tenuiſſima & pellucida, per quam interiora cernebantur; alba quidem omnia, fibroſa & ſeminis æmula, nullo carnis aut ſanguinis rubore perfuſa, unum tamen jecur rubrum erat, amplum, & recens concreto ſanguini perſimile &c. Secundum verba Franciſci Mauricæi *l. a. p. 64.* pour l'ordinaire les enfans de deux mois & demy ſont de la longueur du plus grand doigt de la main.

§. 18.

Quod ſi vero fœtus materno utero incluſus perpetua fruitur ſanitate, tunc per ſufficiens, dicto ſupra modo, a matre acceptum nutrimentum ad perfectionis, maturitatis juſtæque magnitudinis gradum ſucceſſive pervenit, demumque *Fœtus ſitus.*

mutato ſuo hactenus, in amnii liquore, ſolito ſitu, vel potius natatu, ad ſui excluſionem partumque ſe accingere dicitur: ſiquidem plerique anatomici ſub nomine poſituræ, certum atque pro egreſſu commodiorem, & quidem contractum, conglobatum & inflexum ſitum ipſi adſcribunt; circa quem tamen inter autores adhuc controvertitur. Inquit autem Conſtantius Varolius *Anatom. Lib. IV. cap. 5. p. m. 110.* primis diebus in medio aquæ commode & libere innatat, utpote amplum habens reſpectu ſuæ magnitudinis locum, progrediente auctu, ſpatium, quod erat excedens, anguſtum evadit; unde fœtus, ibi ut contineatur, curvatus & conglobatus augetur habens faciem ad pectus, genua ad oculos, calcanea ad nates, & manus ad aures. Secundum Joh. Fernel. *Phyſiolog. Lib. VII. cap. 11. p. m. 182.* utero geſtatus fœtus incurvus totus ac contractus, talos ad nates applicat, manibus genua apprehendit, in quæ caput ſic dimittit, ut oculi manuum pollicibus veluti affixi hæreant, naſus vero inter genua procumbit. Prior corporis pars in matris abdomen, poſterior in dorſum vergit, ſi mas geritur, nam feminæ adverſo ſitu collocantur. Vel juxta verba Roderici a Caſtro *de Nat. Mul. Lib. I. cap. 10. pag. 32.* Fœtus ſitus in utero fere talis eſt, incurvus totus ac contractus, talos ad nates applicat, ipſum vero caput in genua pronum decumbit, manibus inter genua & caput utrinque inſertis, vultus & os in genua ita obverſa inclinantur, ut naſus inter genua dependere, oculi autem uterque alteri genuum propemodum impreſſi videantur; itaque forma fere ſphæricus eſt, ſic enim melius retinetur, paulo tamen oblongior, ut in partu clauſtra anguſta melius penetrare poſſit; & ſic ad anteriora uteri aſpicit mas, femina ad poſteriora; quamvis & aliquando capite elato, aliquando transverſim jaceat, quæ tamen poſitiones, & multa alia, præter naturam, nec ſine periculo ſunt. Secundum Nicol. Venette *de la Generation pag. 477.* l'enfant dans le corps de la femme a tousjours la teſte enbas, afin d'eſtre

ſtre preſt à ſortir, quand il en ſera queſtjon; Son viſage eſt tourné vers le dos de ſa mere; ſon nez eſt entre ſes genoux &c. Juxta Cosmopol. *pag. 263.* eſt fœtus in utero poſitio, qualis eſt cacantis, & inclinato capite per crura ſua reſpicientis, quid excernat &c. Hippocrates *Lib. de Natur. Puer.* ſcribit, puerum in utero collocari, ut manus habeat ad genas, (non ad genua.) Galenus jacentis fœtus in utero ſitum ita deſcribit: caput in elatiore uteri parte continetur, brachiis ac tibiis contractis, genua cubitis ſunt proxima, manus manui ſuperpoſita, tibiaque alteri ſubjicitur, pedesque introrſum ita ſunt reflexi, ut plantis clunes attingant, quo fit, ut recens nati tibias introrſum flexas, pedesque maxime ad interiora curvatos habeant, quod deligatione propter partium mollitiem facile corrigitur. vid. Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. VI. cap. 10. fol. 401. ſeq.* quo loco adhuc aliorum autorum, v. g. Veſalii, Hieronymi Fabric. ab Aquapend. Plateri, Columbi, opiniones collegit. Secundum ipſius autem Riolani ſententiam fœtus non eſt conglobatus & in orbem convolutus, ut genibus faciem, talis vero nates attingat: quoniam hæc figura, cum ſit extrema omnium, eſt laborioſisſima. Videtur eam artuum figuram ſervare, quæ inter extremam flexionem & extenſionem media ſit, minime laborioſa. Ante partum fœtus incurvatus in utero ſedet, cubitos ad inguina applicat, capite ſive potius oculis pugnos genibus impoſitos tangit, ita quidem, ut naſus medium inter duos pugnos occupet locum, talos vero natibus applicat: partu autem appropinquante ſitum nuncce mutat ac caput inferiora petit, orificioque uteri opponitur, ita quidem ut facies verſus inteſtinum rectum vergat, juxta verba Georg. Phil. Nenteri *Phyſiol. cap. 11. membr. 3. pag. 344.* Secundum Gualther. Charleton. *Oeconom. animal. Exercit. 8. pag. m. 180.* fœtus ſedens, quantum fieri poteſt, incurvatus figuram rotundam ſervat, adductis ad abdomen genibus, flexis retrorſum cruribus, pedibus decuſſatis, manibusque ſurſum ad caput ſublatis,

latis, quarum alteram circa tempora, vel auriculas, alteram ad genam detinet; ſicque utplurimum infans in utero reperitur. Item Hieronymus Fabricius *de format. fœtus Part. II. cap. 9. fol. m. 96.* ait, fœtus poſitionem figuræ conglobatæ & inflexæ eſſe, ne fœtus extremitatibus atque eminentiis ſuis utero aut membranis continentibus noceret, tum etiam ut minore loco contineretur. In ejusmodi autem ſitu infantes, in partu naturali, ad inſtantem partus terminum permanent, quo inſtante in caput convertuntur ſtatimque ad exitum ſe accingunt, nonnunquam vero etiam per aliquot ante partum dies in tali ſtatu morantur. Idem confirmat Laurentius Heiſterus *Compend. anat.* §. *246. pag. 91.* inquiens: Situs fœtus in utero menſibus primis & mediis varius eſt & incertus; menſibus ultimis ſedens quaſi ordinario percipitur, capite & collo inclinato; genubus verſus genas & calcaneis ad nates retractis. Manus; ejus utplurimum ſunt demiſſæ, & pedes quaſi amplectuntur brevi ante partum plerumque ita ſe vertit, ut caput prolabatur deorſum ad os uteri; nates vero & pedes ſurſum erigat. Et Guilielmus Harvæus *de Part. pag. 496. ſeq.* arbitratur, fœtum non ſemper eandem membrorum poſitionem ſervare. Quippe in aqua natans ſeſeque movens modo huc modo illuc extenditur varieque inflectitur & volutatur, adeo ut proprio umbilici funiculo implexus mire interdum irretiatur. Certe animalia omnia, dum quieſcunt & dormiunt, membra ſua utplurimum adducunt & complicant, figuramque ovalem aut conglobatam quærunt. Ita pariter embryones, qui ætatem ſuam maxime ſomno tranſigunt, membra ſua poſitione ea, qua plasmantur (tanquam naturaliſſima ac maxime indolenti, quietique aptiſſima) componunt. Ideoque infans in utero utplurimum reperitur adductis ad abdomen genibus, flexis retrorſum cruribus, pedibus decuſſatis, manibusque ſurſum ad caput ſublatis, quarum alteram circa tempora vel auriculas, alteram ad genam detinet; ubi maculæ albæ, tanquam confrica-

fricationis veſtigia, in cute cernuntur; ſpina in orbem flectitur; caput ad genua, incurvato collo, propendet. Talem membrorum ſitum, qualem in ſomno per quietem quærimus, capite ſuperne, facieque utplurimum ad matris ſpinam verſa, embryo locatur. Paulo autem ante partum, capite deorſum inflexo, verſus matricis orificium (tanquam exitum quæſiturus) urinatur imumque petit. Ultima hæc verba etiam in Gualth. Charlet. *l. a.* leguntur, ubi addit, propterea partus is ſolus naturalis habetur, quo infans capite primum prodit. De fœtus ſitu & inverſione ita ſcribit Johannes Gothofredus Bergerus *Phyſiolog. Lib. II. cap. 3. pag. 492. ſeq.* Sedens fœtus in utero, quantum fieri poteſt, incurvatus, ac veluti totus in glomum collectus figuram rotundam, minus occupandi ſpatium gratia, naturaliter ſervat, quando capite ſuperiora occupat & dorſo lumborum vertebris oppoſito, cubitos ad inguina applicans, ita contrahitur, ut genibus, hisque impoſitis manibus, oculos tangat, naſo ambobus pugnis interjecto, & cruribus decuſſatis talos natibus proximos habeat. Is igitur ita velut conglobatus, cum indies invaleſcit & maturatur, ac tandem abſolutus in eam corporis molem aſſurrexit, quæ illam curvationem corporis & figuram coactam diutius non patitur, alius poſitionis fit cupidus, & ubi ſe volutare incipit, capite globoſo & gravi nutans, in præceps tandem volvitur, & facie prona os verſus uteri, cum eoque in cavum pelvis illabitur. De hac fœtus in caput converſione ita ſcribit Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. III. pag. 41.* Fœtum aliquot ante partum diebus, imo ſeptimanis (juxta alios ſeptimo etiam menſe) ſitum ſuum priſtinum mutare, i. e. convoluto corpore in caput præcipitari, & quidem præ hujus gravitate ſeu pondere multi autores dicunt, ſed perpetuæ obſervationis non eſt & pro ſubjectorum diverſitate variat: quatenus in quibusdam equidem feminis tale quid contingere obſtetricum exploratio & cadaverum ſectiones docent, ſecus tamen ſe res habet

bet in aliis, quæ non niſi aliquot ante partum horis ſingularem abdominis tenſionem ejusque figuræ mutationem obſervant, hinc de ejusmodi reflectione fœtus certæ evadunt. Multo minus capitis pondus auctum fœtum adeo intempeſtive præcipitem dabit, cum complexus uteri ſtrictior oneri capitis levando ac ſuſtinendo ſatis commodus exiſtat. Sæpiſſime tamen hunc fœtus ſitum ordinarium in præternaturalem & inemendabilem mutari, capite paulo poſt ſequenti de partu, demonſtrabimus.

§. 13.

De quæſtione, cur natura factum ſit, ut homines & aves in utero conglobati, quadrupedes vero extenſi maneant? vid. Hieronym. Mercurial. *Prælect. Piſan. de Homin. Generat. cap. 24. fol. 32.* De ſitu infantis per tactum explorando, ſive qua ratione ex tactu cognoſci poſſit, an infans ad excluſionem bene vel prave ſitus ſit, vid. Henr. a Deventer *Art. Obſtetric. cap. 19. pag. 64. ſeq.*

SECTIO IV.

De Fœtus excluſione ſeu partu.

CAPUT I.

De maturi & immaturi partus tempore.

§. 1.

Partus tempus POſtquam proinde fœtus in utero materno omnium partium atque membrorum perfectionem adeptus eſt, tunc certo tempore, & quidem ordinarie nono geſtationis menſe completo vel decimo incipiente, ex ergaſtulo ſuo excluditur, quamvis nonnulli autores, v. g. Ariſtoteles & Plinius homini nullum certum pariendi tempus adſcribant. Inquit enim Ariſtoteles *de Hiſtor. Animal. Libr. VII. cap. 4. fol. 435.* Omnibus ani-

animalibus unum pariendi tempus ſtatutum, homini uni multiplex datum eſt; nam & ſeptimo menſe & octavo, & nono parere poteſt &c. Item *de Generat. animal. Lib. IV. cap. 4. fol. m. 582.* tempus uteri ferendi enorme unum hoc animal (homo) ſortitum eſt, cæteris unum eſt tempus, homini vero plura ſunt; Et juxta C. Plin. *Hiſt. Nat. Lib. VII. cap. 5. fol. m. 168.* cæteris animantibus ſtatum & pariendi & partus gerendi tempus eſt: homo toto anno & incerto gignitur ſpatio. Alius ſeptimo menſe, alius octavo, & usque ad initia decimi undecimique. Alii horum autorum, tanquam infallibilium, ſententiæ cum multi, tam veterum, quam recentiorum, adhæreant, alii vero contradicant, jamdudum inter philoſophos & medicos variæ ventilatæ fuerunt quæſtiones, ſcilicet, quodnam ſit legitimum partus tempus? vel quando fœtus ſit perfectus ad partum? vel an homo certum pariendi tempus habeat? ſive an certum aliquod ſit dierum ſpatium, quo geſtare ſoleant feminæ, & quo exacto ſtatis etiam geſtationis diebus partus contingat, & utrum talis fœtum excludendi verus atque legitimus terminus circa noni ab impraegnatione menſis finem, vel decimi initium appareat? In quarum deciſione autores quidam homini nullum certum, uti brutis concedunt partus terminum, alii eundem expreſſe defendunt, alii cum limitatione vel latitudine affirmant, uti ex quorundam ſcriptorum mox adducendis verbis patebit.

§. 2.

Plurimi ſcilicet phyſiologi diverſos pariendi terminos ſtatuentes partum vel ſeptimo, vel nono, vel decimo & undecimo menſe accidere poſſe, ex variis cauſis judicant, interim tamen veriſſimum atque frequentiſſimum partus tempus circa noni menſis finem quærunt. Inquit enim Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. VI. cap. 11. fol. m. 403.* tertia partus conditio eſt, ut legitimo tempore prodeat, ſeptimo vel nono *diverſum.*

 men-

menſe, niſi enim ſeptimum menſem expectaverit, raro vitalis eſſe poteſt, nondum poſt conformationem ſufficienter auctis & roboratis partibus. Frequentiſſimum vero & ordinarium pariendi tempus eſt nonus menſis, ſi tamen in decimum aut undecimum protrahatur, nihilominus legitimus erit partus, quia Hippocrates ſtatuit decimum menſem, vel principium undecimi, terminum geſtationis longisſimum. At videmus aliquando naturales partus in duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim menſes usque ad biennium incidere &c. Hominem incerto gigni ſpatio, juxta Fortunat. Fidel. *de Relat. medic. Lib. III. Sect. VII. cap. 2. p. m. 452.* veriſſimum eſt, ac naturalem etiam habet cauſam, quæ in multiplici varietate poſita eſt; varia enim diverſaque feminis eſſe ſolet temperamenti ac corporis ſtructuræ ratio, ut paucas omnino invenias, eadem partium ac totius corporis temperie ſtructioneque exquiſite donatas. Sunt enim aliæ manifeſto diſcrimine frigidiores, ideoque ſegniores etiam ad pariendum: aliæ calidiores, atque ideo magis promptæ, ut fœtum perficiant. Hæ plurimo abundant ſanguine, & qui magno etiam fœtui diu ſatis ſuppetat: aliæ exiguum ſortitæ ſunt: & qui propterea fœtum ante tempus deſtituat, ut jam maturius calcitrando victum ſibi extra uterum quærat. Multis anguſtus eſt uterus; ideoque celerius fœtus pondere gravatur: capaciſſimus alius: & denique tam diverſæ ſunt partium diſpoſitiones, ut nihil mirum, ſi hac etiam de cauſa ſerius tardiusve partus proferatur. Præterea dum gravidæ ſunt mulieres, virum quocunque tempore appetunt: quamobrem ſæpe fit, ut os uteri, quod in prægnante ſæpe connivet, non leviter impetatur, atque idcirco maturius etiam, quam pro naturæ lege pateat & fœtum educat. In cæteris vero animalibus nihil tam varium invenies: nec tam equus ab equo, tam a leone leo: ut inter ſe diſtare feminas videas. De naſcendi tempore primo, medio & poſtremo, item cur bruta habeant unum determinatum naſcendi tempus, ſolus homo ea varia habeat, vid. Hie-

Hieron. Mercurial. *Prælect. Piſanar. de Homin. Generat. Cap. 29. ſeq. fol. m. 36. ſeq.* De incerto tempore partus epiſtolam ſcripſit Adrianus Spigelius ad inclytos Germanos LL. in gymnaſio Patavino ſtudioſos, vid. *ejusdem Tract. de Lumbric. lat. pag. m. 75. ſeq.* Juxta Gerardi Blaſii *Comment. in Joh. Vesling. Syntagm. anat. cap. 8. p. m. 107.* pariendi tempus homo obtinet multiplex. Experientia docet, & ſeptimo, & octavo, & nono, decimo & undecimo vitales fœtus natos eſſe. Aſt cur homini tam varium aſſignatum pariendi tempus, Kyperus in Anthropologia diverſas cauſas adducit, quarum prima regionum diverſitas, ſecunda tempeſtatum varietas, tertia ſeminis complexio, quarta uteri mulieris ſanguiniſque materni conditio, & quinta victus ratio varia. Omnes fœtus, qui proprio labore pariuntur, in vivis manere poſſunt, & hæc eſt ratio, quare quidam maturius & alii poſt nonum menſem edantur, nam alii ſeptimo & octavo menſe ſæpe robuſtiores ſunt, quam alii nono, juxta verba Stephani Blancardi *Inſtitut. cap. 25. Oper. Tom. I. p. 278.* Theodorus Craan *de Homin. Cap. 153. p. 758.* inquit: non negandum, octimeſtre & ſeptimeſtre ſpatium eſſe quoque vitale; imo experientiam habemus vitalis fœtus intra quinque menſes. Matris cauſa etiam tempus utplurimum variat, prout illa fuerit aut debilis, aut fortis, ſana vel ægra, ſic fœtus citius vel tardius ad plenam perfectionem perveniet. Naſcendi tempus, quare in homine adeo varium, in reliquis animalibus non item, v. Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Quæſt. 90. n. 9. p. 1166.* Ad quæſtionem, an hominibus, ut ceteris animantibus certum ſit pariendi tempus? negative reſpondet Johannes Matthæus *Quæſt. medic. XXIX. p. 110. ſeqq.* Quod homini non ſit certum naſcendi tempus, integrum tractatum ſcripſit Horatius Augenius *Francoſ. fol. 1597.* Quid de legitimo partus humani tempore ſit judicandum, vid. Joh. Uldar. Streitter. ſententia apud Greg. Horſt. *Oper. Tom. I. fol. 463.* Secundum Johannis Langii *Epi-*

ſtol. medic. Lib. II. Ep.39. pag. 669. philoſophi & poëtæ legitima humani partus tempora non ſaltem nonum ſtatuerunt menſem, ſed decimum & undecimum quoque &c. De Joannis Peyſſonel tractatu de Temporibus humani Partus juxta doctrinam Hippocratis ſequens judicium legitur dans le Journal des Sçavans *Tom. I. 1666. p. 455.* Hippocrate a parlé ſi diverſement du terme de l'accouchement des femmes, qu'il ſemble ſe contredire en pluſieurs endroits: Mais l'auteur de ce livre entreprend de concilier toutes ces contradictions apparentes, & de montrer, quel eſt le veritable ſentiment de ce grand homme ſur ce ſujet. Il pretend que le terme le plus court de l'accouchement naturel, ſuivant le ſentiment d' Hippocrate, eſt de 182. jours, ou de ſix mois entiers & complets; que le plus long eſt de 280. jours ou de neuf mois entiers & dix jours, & que les enfans, qui viennent devant ou aprés ce terme, ne vivent point, ou ne ſont pàs legitimes. Il ſemble que cette opinion ſoit contraire à la loy, qui declare, qu'un enfant peut naiſtre onze mois après la mort de ſon pere; mais cet auteur reſpond, que celle loy ſe doit entendre d'onze mois, en contant la fin du premier mois & le commencement de l'onciesme, & non pas d'onze mois entiers & accomplis. vid. etiam Frid. Nitzſch. *Ephem. an. 1669. pag. 466.* Et juxta Herm. Frid. Teichmeyer. *Inſtitut. medicin. legal. cap. 9. Quæſt. 7. p. 54.* negantes certum partus tempus regerunt, non adeo probabile hoc eſſe ob ſequentes potiſſimum rationes: 1) quoniam homini à Deo conceſſum ſit indeterminatum congreſſus tempus, unde concludere liceat, ei non eſſe partus tempus determinatum, 2) quia in hominibus mira quædam temperamentorum præ reliquis animantibus diverſitas deprehenditur; ideoque calida & ſanguinea temperamenta non plus tantum generant, ſed ſuo etiam modo plus nutriunt, adeoque fœtus ipſe citius paulo perficitur, 3) quoniam ſeminis ἐνέργεια, vel efficacia, mirifice in ſubjectis differt, pro diverſitate habitus corporis. Unde liquet,

ſemen

ſemen ſpirituoſius in ovulo humano motum inſtituere vehementiorem, adeoque & citiora fœtus incrementa poſſe efficere, 4) quoniam diverſitas ſtaturæ in ſexu femineo etiam obſervatur, ubi uterus ob anguſtiam, qua clauditur, naturalem, per decem menſes fœtui augeſcendo ſpatii præbere haud ſatis poteſt, 5) quoniam ſanitas etiam in ſubjectis, non in patre tantum, ſed in matre etiam, imo & in fœtu differt; ex quo liquet, fœtum vel citius, vel tardius interdum excludi poſſe. Atque hæ quidem rationes ſunt fundamentales dubitandi, abſolute nempe certum homini naſcendi tempus datum non eſſe. Quo loco dictus Teichmeyerus conſentientes autores allegat. Per qual coſa ſolo l'huomo trà tutti gli attri animali habbia il tempo indeterminato al naſcere? v. la Commare di Scipione Mercurii *Lib. I. Cap. 7. p. 49. ſeq.* Videatur inſuper Roder. a Caſtr. *de Natur. Mulier. Lib. IV. cap. 2. p. 176. ſeqq.* Georg. Hier. Velſch. *Conſil. medic. Cent. IV. Conſ. 29. p. 410. ſeq.* Cosm. Viardel *von der weibl. Geburt Lib. I. cap. 4. p. 11. ſeq. 16.* Paul. Ammann. *Medicin. Crit. Caſ. I. p. 1. ſeqq. 10. ſeqq. & Caſ. 7. p. 31. 37. ſeqq. item Caſ. 75. p. 484. ſeqq.* & ejusdem *Paræneſ. Lib. I. cap. 4. p. 29. ſeq.* item *Irenic. p. 64. ſeqq.* Bald. Tim. a *Güldenkl. Reſponſ. 36. p. 1066.* & Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. med. legal. Part. I. Sect. I. Caſ. 26. p. 88.* Paul. Zacch. *Quæſt. med. leg. Lib. I. Tit. 2. Quæſt. 1. fol. 39. ſeqq. Qu. 2. f. 49. ſeqq. Qu. 5. fol. 64. ſeq. Qu. 8. fol. 68. Qu. 9. fol. 80. ſeq.* Conr. Phil. Hoffmannus *de inſign. Part. Tempor. Cap. 2. §. 6. ſeq. p. 26. ſeq.* Coſmopolit. *Hiſt. nat. p. 214. ſeq.* Fort. Fidel. *de Relat. medic. Lib. III. Sect. 7. cap. 9. p. 480. ſeqq.* Alex. Bened. *de Re med. Lib. XXV. c. 25. fol. 475.*

§. 3.

Hæc tamen ſententia, qua brutis ſcilicet animalibus omnibus certum pariendi tempus conceditur, homini vero denegatur, juxta Georgii Phil. Nenteri *Phyſiolog. med. cap. 11. Membr.* *ordinarium.*

3. p. 342.

3. p. 342. falſitátis exinde potisſimum argui poteſt, primo quod omnium creaturarum viventium nobilisſima & perfectisſima ſit homo: Si ergo ignobilioribus creaturis certum atque definitum conſtitutum eſt tempus, cur homini creaturarum nobiliſſimæ certum pariendi tempus denegatur? Deinde hanc ſententiam quoque convellit, quod plerique hominum elapſis poſt conceptionem novem menſibus ſolaribus, aut decem lunaribus, ſive 280. diebus in utero perfectionem requirant & in lucem edantur. Et ſi qui ſunt, qui ante hocce tempus ordinarium & legitimum naſcuntur, plerumque imperfectionis ſigna ſenſibus offerunt; ut taceam partum hujusmodi præmaturum non a cauſis naturalibus, ſed plerumque a præternaturalibus, aut violentis ac a graviori terrore aliisque animi gravioribus commotionibus dependere, ita ut a tali præternaturali partu ad legitimum pariendi tempus nulla valeat conſequentia. Quam ob cauſam etiam a medicis introducta eſt diſtinctio inter fœtum vitalem & perfectum: ille eſt, qui quidem vivit, nondum tamen ita perfectus eſt, ut absque inſigni moleſtia aëris externi injurias perferre queat, qualis eſt fœtus ſeptimeſtris & octimeſtris: hic vero, qui & vivit, & omnia membra perfecta habet: quare etiam hujus reſpectu partus legitimus eſt fœtus maturi & perfecti excluſio. Certum itaque ratumque eſſe exiſtimat Nenterus, verum & legitimum ſemper finito nono menſe contingere. Franciſco Sylvio *Prax. Lib. III. cap. 7. §. 17. pag. edit. Amſtel. 540.* tempus humani partus maxime ordinarium & naturale eſt finis hebdomadis poſt imprægnationem nonæ ac trigeſimæ. De hoc partus tempore inquit Johannes Gothofredus Bergerus *Phyſiolog. med. Lib. II. cap. 3. p. 487.* qui cum Ariſtotele & Plinio animantibus brutis ſtatum eſſe pariendi tempus, unum autem hominem incerto naſci ſpatio, volunt, hi vel falſis, quibus fidunt, hypotheſibus, vel fallacibus conceptionis ſignis & errore calculi decipiuntur, ut falſi jure accuſen-

tur

tur a Paulo Zacchia, qui multis argumentis evincit, non minus homini, quam animantibus ceteris, certum naſcendi terminum a Deo præfinitum præſcriptumque eſſe, finem videlicet noni, vel principium decimi ab imprægnatione menſis ſolaris, quo ipſe Salvator noſter, ut in aſſumenda carne noſtra omnes naturæ humanæ leges impleret, naſci, ut hominum reliqui filii, voluit, ſe verum eſſe hominem, demonſtraturus. Qui vero partus ſupra vel infra hos limites contingunt, hi omnes præter naturæ ordinem fieri cenſendi ſunt, a vi quadam forinſecus illata, vel intus etiam ſuſcitata cauſa morbifica. Unde ſic nati vel debiles, nec ſatis maturi, vel morboſi prodeunt, ſed vivaces tamen eſſe poſſunt, quamvis per abortum excludantur. Idem ſentit Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiolog. Progymn. III. p. 34. ſeq.* tantiſper, inquiens, in utero conflatus hoſpitatur fœtus, quoad expleta ſunt commorationis hujus decreta curricula. Incerta, indiſcreta & confuſa hæc declamant præter Ariſtotelem & Plinium ſcriptores plerique, cæteris animantibus ſtatum magis pariendi tempus concedentes: aſt cum anticipantis in homine partus cauſæ (poſtponens forſan rariſſimus eſt) utplurimum externæ, aut, ſi internæ, morbificæ, exiſtant, nec bruta ſemper a contingentibus omnino immunia ſunt, adeoque intempeſtivos quoque interdum excludant partus, non video, cur Dædalam rerum naturam vel imprudentiæ, vel iniquitatis, arguere velimus, potiſſimum cum firmus & conſtans ſatis ab eadem fœtui quoque humano intra uterum commorandi ſit præfixus terminus. Elapſis ſiquidem ab imprægnatione novem menſibus ſolaribus, aut decem lunæ curriculis ſeu menſibus lunaribus civilibus latebras ac tenebras uterinas is relinquit ac auram liberiorem & lucidam petit: & quidem uno vel altero utplurimum illorum dierum, quibus alias fœta non fœtà menſtruum fluxum patitur &c. Et in tractatu *de Offic. Medic. duplic. Part. II. cap. 5. p. 626.* idem Bohnius de naturali partus tempore ita ſcribit: quoad famoſam illam & fre-

quentem ſatis penes legum prudentes pariter, ac adminiſtratores, de partu legitimo, controverſiam, in hac decidenda pro vero ſupponunt, quod dubium ac falſum, aſſumptum: quaſi ſoli homini præ cæteris animantibus certus naſcendi terminus haud ſit conſtitutus, ſed modo ſeptimo, modo octavo, nono, decimo ac undecimo menſe ille lucem hanc conſpiceret. Invaluit, neſcio, qua animi levitate, & per nimiam ſine dubio antiquitatis venerationem hoc dogma, cujus ſine dubio auctor primus extitit Ariſtoteles &c. Secundum Michael. Albert. *Introduct. in univerſ. Medicin. cap. 2. §. 109. p. 40.* aſſervatur fœtus in utero per novem completos menſes, quo tempore partus inſtat, qui etiam circa exitum noni aut initio decimi menſis occurrit.

§. 4.

confirmatur ab aliis. Sic Paulus Ammannus *Irenic. Num. Pompil. p. 62. ſeq.* ad quæſtionem, utrum homini certum tempus pariendi conceſſum a natura? ita concludit: per omnia falſus eſt Ariſtoteles, & utique ſtatum tempus pariendi habet homo, ſcilicet finem noni & principium decimi, alias deterioris eſſet conditionis præ reliquis animalibus; quod ipſum exemplo noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti oppido probatur, quippe qui, ut omnes minutias naturæ humanæ, in aſſumenda carne noſtra, obſervaret, naſci hoc termino voluit, ceu reliqui hominum filii, utque hac etiam ratione demonſtraret, ſe verum eſſe hominem. Si enim dierum intercapedinem notaveris, quæ a feſto Annunciationis, usque ad diem ſalutiferæ nativitatis, interveniunt, exacte novem conficit menſes. Et ibidem ad quæſtionem, unde tot differentiæ partus ab antiquitate in hunc usque diem obſervatæ vel ſubortæ fuerint? reſpondet, proveniſſe omnes ex fungoſo vetularum cerebro atque ecliptico medicorum veteranorum judicio, utpote qui aniculis plus fidei tribuerunt, quam par & æquum fuit. Et paulo poſt tales partuum differentias, cum modo ſeptimo, modo decimo & undecimo menſe perfe-

ctus

ctus fœtus naſci credatur, vel ab errore calculi vel ab anticipatione veneris a termino ſponſaliorum, vel a ſcortatione aut illicita venere derivat. Secundum Chriſtiani Joh. Langii *Phiſiolog. Theſ. 40. Oper. Part. I. fol. 248.* accidit fœtus excluſio ordinarie ad finem ſeptimi quadragenarii ſeu diem 280. aut clarius adhuc loquendo, poſt menſes novem & dies decem a conceptu, quod aſſertum confirmant experimenta infinita, e quibus tamen unum præ reliquis illuſtre adducere non piget. Novi feminam, pergit idem, quæ accuratiſſime ad diem, imo quandoque ad clepſydram, antea nominatam pariebat, adeo, ut licet octo filiarum & filiorum mater jam facta ſit, ne ſemel tamen vel unica die aberraverit in prædicendo termino hoc. Sed quænam præciſe cauſa ſit hujus certi termini, difficile omnino videtur determinatu, ſuum tamen de hac quæſtione judicium ibidem dictus autor annectit. Et *fol. 250. ſeq.* variis objectionibus reſpondet, & inter naſci & juſto tempore naſci diſtinguit. Non enim negat, quinto & ſexto excluſos magno labore matrum fuiſſe in vivis ſervatos, nec impugnat moroſe, ultra ordinarium tempus quandoque manere infantes in utero; utrumque tamen caſum non adverſari ait opinioni theſeos ſuæ, quæ legitimum & ſolenne partus tempus exprimit: Ipſe etiam Hippocrates *de Carnib. Oper. Sect. III. fol. m. 35.* inquit: puer ſeptimo menſe natus certa ratione in lucem prodit & vitalis eſt; novem autem menſium & decem dierum fœtus editur & vitalis eſt, numerumque ad hebdomadas exacte reſpondentem habet. Juxta Guil. Harv. *de Part. p. m. 506.* uſitatus uteri gerendi computus eum terminum ſervat, quem Chriſtum Salvatorem noſtrum, hominum perfectiſſimum, in utero matris ſuæ emenſum credimus: nempe a die Annunciationis angelicæ, menſe Martio, ad nativitatis illum beatum diem, quem Decembri menſe feſtum celebramus. Atque hanc normam matronæ prudentiores calculos ſuos ſubducentes (dum ſingulis menſibus ſolitum menſtrui fluxus diem in faſtos referunt) ſpe raro excidunt;

verum tranſactis decem lunæ curriculis, eodem die, quo (abſque prægnatione foret) menſtrua iis profluerent, partum experiuntur ventrisque fructum colligunt. Scribit etiam Dn. Gofey *de Generat. Fœt.* partus naturalis tempus, juſtum ac legitimum, in quo fœtus perfectus dici meretur, eſt illud ſpatium novem menſium præterlapſum, ſi enim ſeptimo vel octavo jam menſe lucem ſalutet fœtus, ſigna ac teſtimonia imperfectionis ac immaturitatis offeret. vid. Dan. Hoffmann. *Annot. de Generat. p. 104.* Et Theodorus Craan *de Exort. ſeu Generat. Hom. Quæſt. 28.* ad quæſtionem, quando ſit parturiendi tempus? ita reſpondet: Proſtat hiſtoria de infantibus ordinarium tempus anticipantibus, & quinto, ſexto, ſeptimo, octavo menſe natis & ſuperviventibus; ordinarium tamen tempus eſt novem menſium, quibus elapſis infans tanquam maturus fœtus excluditur. Sunt etiam exempla eorum, qui decimo, undecimo, duodecimo menſe in lucem ſunt editi, quod contingere aliquando poteſt, ſi mater ſit morboſa; unde etiam Juris conſulti adhuc maxime inter ſe litigant, an verus ſit hæres, qui poſt nonum menſem prodit, an vero ſpurius? Si meum igitur ferendum ſit judicium, abſolute non eſt negandum, eos veros eſſe hæredes, ſed quoniam multæ fallaciæ & fraudes ſimul irreperent, ſtatutum eſt, ut illi pro ſpuriis habeantur, qui poſt nonum menſem naſcuntur. vid. Theod. Craan. *Oecon. animal. p. 297. ſeq.* Partus naturalis tempus ab omnibus fere medicis ſtatuitur finis noni ab uteri geſtatione menſis, quod uſitatum tempus obſervatur ſemper, nec tantum fœtu exiſtente vivo, ſed etiam mortuo. Partus ergo naturalis contingit circa ducenteſimum & tertium ſeptuageſimum diem, vel nonum menſem ſolarem, inquit Joh. Dolæus *Encyclop. med. Lib. V. cap. 7. p. 935. ſeq.*

§. 5.

...nem. Ad quæſtionem, an homo, ut cætera animalia, certum aliquod naſcendi tempus habeat? reſpondet Hermannus Fridericus

dericus Teichmeyerus *Medic. legal. cap. 9. qu. 7. pag. 53.* qui affirmantem amplectuntur ſententiam, dicunt: integrum formationis fœtus negotium, in homine non minus, ac in brutis, abſolvi, juxta regulas proportionum, temporis atque menſuræ. Durante enim geſtatione omni temporis momento, certa quantitas materiæ fœtus corpuſculo, vi circulationis liquidorum affertur, & cum illo conjungitur ita, ut ſpatio 280. dierum ſumma totius incrementi & extenſionis perfectæ ad finem perducatur. Hinc theoria de incerto partus tempore tantummodo fluxit ex falſa calculatione & erronea computatione credularum muliercularum. Deus enim Deus ordinis eſt, qui in corpore humano ejusque incrementis haud ſecus, ac in reliquis creaturis ordinem, menſuram, numerum temporaque certa conſtituit.

§. 6.

Homini æque ac aliis animalibus certum pariendi terminum eſſe deſtinatum, ſequentibus verbis & argumentis defendit etiam Chriſtianus Vater *Phyſiolog. experiment. Sect. VII. Art. 2. cap. 7. Qu. 6. pag. 675. ſeq.* Ariſtoteles ejusdemque ſectatores omnibus quidem animantibus brutis certum ſtatumque, homini vero prorſus incertum pariendi terminum tribuunt, ſeducti e fallacibus conceptionis ſignis, falſisque muliercularum computationibus & relationibus. Nobis vero nullum dubium eſt, quod homini non minus ac reliquis animantibus certus naſcendi terminus a Deo definitus ſit, qui ſalva fœtus ſanitate nec anticipari, nec prolongari poſſit, isque finis menſis noni & principium decimi cum aliquot tantum dierum latitudine; Quod ex ſequentibus rationibus pateſcit, quoniam 1) reliquis animalibus omnibus certum naſcendi ſpatium a creatore datum, intra quod perfectionem ſuam acquirunt; & dehinc ob neceſſitatem reſpirationis fortius ſe movent, calcitrant, tandemque vinculis ruptis & adjuvantibus organis, exitum ſuum inveniunt: Ita cuniculi altero, canes & *ſententia Vateri.*

ſues quarto, capræ quinto, cervæ octavo, camelus duodecimo a conceptione menſe ſemper & infallibiliter pariunt. 2) Imo experientia omnium gentium, a tot ſeculis continuata, conſtat, homines quoque naturaliter & ordinarie tantum circa finem noni menſis naſci. Quod vero interdum etiam menſe ſexto, ſeptimo & octavo, vel etiam undecimo, vel ultra, infantes perfecti & ſani (de imperfectis enim nullum eſt dubium) naſci videantur, id ex ignorantia temporis conceptionis, & hinc errore calculi fit, aut tales ſolum finguntur. Hinc 3) ipſe Salvator noſter, dum homo naſci voluit, terminum iſtum obſervavit, & ſuo exemplo ſufficientiſſime confirmavit. 4) Formationis negotium in homine æque ac brutis mechanicis organorum legibus peragitur, quæ ſemper eodem modo ſe habent, niſi a cauſis extraordinariis impediantur; Si vero impediuntur & immutantur, tunc fœtus etiam morboſus, imperfectus vel corruptus prodit. Eſto etiam, quod, per optimam parentum conſtitutionem & ſanitatem, optimum quoque nutrimentum embryoni ſuppeditetur, exinde tamen ſtamina ejus, ſucceſſive ſolum extendenda & perficienda, non citius perficientur, imo potius deſtruentur. Quemadmodum a morboſa parentum conſtitutione fœtus quoque morboſus generatur, non tamen propterea terminus partus neceſſario immutatur, aut ſi mutatur, id cum fœtus damno fit. 5) Iniquus ex eo in genus humanum videri poterat conditor optimus, quod termino partus minus certo, neque medicus adjutor neſciret, utrum & quando conatus parturientis adjuvandi vel cohibendi forent. Inquit etiam Johannes Frid. Ortlob *Oecon. Homin. Diſſert. XXXVII. pag. 289.* homini, quemadmodum aliis quoque animalibus, ſtatum tempus partus a conditore eſſe conſtitutum, nemo ambigat. Mirandum hinc eo magis, quod tantus auctorum diſſenſus circa illud definiendum obſervetur. Cauſa potiſſima videtur, quod tetminus, a quo computus inſtitui debeat, minus certus & fidus haberi

poſſit.

poſſit. Sive enim ab initio conceptionis deſumi debeat, id ſæpe fallax & quam maxime incertum eſt; ſive a motu fœtus percepto fiat, id quoque variat &c. Et Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. IV.* §. *29. p. 71.* ſcribit, falli, quotquot prægnantiam mulierum nullo unquam tempore per certa, infallibilia, pathognomica ac vere demonſtrativa indicia cognoſci poſſe exiſtimant; atque adeo in meras tandem conjecturas atque probabilitates univerſum negotium reſolvunt. Cauſa incertitudinis prægnantiæ non latet in re ipſa, ſed tantummodo incuria & inadvertentia mulierum: alias enim ſequeretur, naturam femellas humanas præ illis brutorum in longe infeliciorem conditionem detruſiſſe, cum his imprægnationis tempus exactiſſime cognitum atque perſpectum ſit; Nam ex quo conceperunt, nullum amplius maſculum non tantum non admittunt, ſed & vi quadam a ſe depellunt. Sequeretur etiam, mulieres juvenculas noviter nuptas, in dijudicanda prægnantia doctiores eſſe illis, quæ jam aliquoties peperere, cum rariſſime, gravidas ſeſe judicando, fallantur.

§. 7.

Juxta Georg. Wolffg. Wedelii *Phyſiolog. Sect. III. cap. 31. pag. 222.* verum & genuinum humani partus tempus eſt poſt dies congreſſus 280. ſeu quadraginta hebdomadum: quæ menſes novem ſeu tertiam anni partem (vel potius tres anni partes) conſtituunt, cum aliquot dierum latitudine; id quod ex Hippocratis genuinis fontibus indubitatum eſt ex *L. de Natur. Puer.* ita ut, qui ante dictum tempus naſcentur, aliquid violenti perpeſſos eſſe aſſerendum ſit, ſive ab extrinſeco aliquo, ſive intrinſeco, e. g. loci anguſtia, alimenti defectu. Hunc terminum vero ſi aliqua mulier transgreſſa dicatur, eam in computatione erraſſe, vel circa conceptionem deceptam fuiſſe, ſtatuendum eſt. Cum vero natura a natura variet, poteſt quidem varietas quoque quædam concedi, ſed illa tamen jux- *Wedelii.*

ta

ta æquum & bonum, unde notavimus 266. diebus, ſeu una vel altera hebdomadè citius, trigeſima octavæ, trigeſima nona fœtum editum; cui rei & quandoque ipſius fœtus debilitas, nonnunquam maturitas aliudve circumſtantiarum genus aliquid confert. Et Dionis *Trait. des Acchouchem. Liv. III. chap. 1. p. 197.* inquit: tous les animaux ont leur terme fixé pour porter leurs petits, les uns plus long, les autres plus court; mais celui dela femme eſt reglé a neuf mois accomplis; ce terme eſt une loi ſi poſitive, qu'il n'y a pas une femme, qui en ſoit diſpenſée; celles qui nous diſent, qu'elle ont porte leurs enfans plus ou moins de temps, ont ſouvent leurs raiſons; il ne faut pas, que le chirurgien ſoit aſſez credule pour les en croire ſur leur parole, mais il ne faut pas auſſi qu'il entreprenne de leur prouver, que cela ne peut étre, car quelque fois leur honneur eſt intereſſé à ſoutenir ce qu'elles nous diſent.

§. 8.

cum latitudine. Videmus itaque, nonnullos equidem autores partus terminum expreſſe circa finem noni menſis a conceptione, cujus tamen certam notitiam præſupponunt, alios vero cum aliqua latitudine, & quidem modo anticipando, modo retardando ſtabilire, quibus adhuc Andreæ Ottomari Gœlicke ſententiam adnectere liceat; *Gœlicke.* Hic ſcilicet *Medicin. forenſ. Specim. I.* §. *16. pag. 29. ſeq.* inquiſiturus, quo tempore fœtus vere vitalis atque adeo legitimus in hunc mundum prodire queat, præmittit illam inter medicos toties ventilatam controverſiam de partus humani vitalis vero ac naturali termino, quem nonnulli incertum plane ac vagum, nonnulli vero certum eſſe ac fixum ſuſtinent. Ex priorum claſſe primum tanquam anteſignanum nominat Ariſtotelem, juxta ſuperius allegata; & horum numero Carolum Fridericum Lutherum quoque aſſociaſſe Michaelem Bernhardum Valentinum, ſed male, cum hic partus humani terminum nullibi vagum ac mutabilem pronunciarit, ſed anceps tantum ea in re hæſerit, ne matronis hone-

honeſtisſimis ullam ignominiæ maculam affricaret. Ex eorundem vero numero, qui partus humani terminum abſolute certum, fixum & immutabilem ſtatuunt, paucos admodum eſſe, ſcribit. Nihilominus hanc ſententiam tanto cum fervore propugnavit ſuo tempore Paulus Ammannus, profeſſor Lipſienſis, ut omnes alias partus differentias ab antiquitate in hunc usque diem obſervatas, non niſi ex fungoſo vetularum cerebro atque ecliptico veteranorum medicorum, utpote aniculis lippientibus plus ſæpius fidei, quam par eſt, tribuentium judicio provenisse magna cum fiducia aſſeruerit. Adeoque omnem illam pariendi in femellis incertitudinem ita in ſolidum negat, ut omnes hactenus ſubortæ partuum differentiæ naſcantur potius vel ab errore calculi mulierum, vel ab anticipatione nuptiarum a termino ſponſaliorum, vel alia quacunque venere illicita. Ac tandem, quaſi re optime geſta, ſibimetipſi applaudit, concludens, hanc ſuam epicriſin per omnia naturæ conformem eſſe atque conſonam: Quam tamen ſententiam Valentinus merito duriſſimam & inſontium matronarum famæ maxime injuriam vocat: Ut vero, pergit allegatus Gœlicke §. *17. pag. 31.* quid in tanto ſententiarum variantium diſcrimine ſentiendum ſit, liquido appareat, paucis examinabimus argumenta eorum, qui cum Ammanno terminum partus humani ita certum, fixum & immutabilem ſtatuunt, ut propterea omnes alias partuum differentias, tanquam veneris illicitæ fructus reſpiciant. Princeps, quantum mihi quidem videtur, eorum ratio eſt, quod nec ipſæ mulierculæ impregnationis ſuæ tempus certo ſciant, nec ipſis quoque medicis ſufficientia innotuerint ſigna, quorum adminiculo certo & indubitanter factam impregnationem cognoſcere poſſint. Quamvis autem, ſi de ſordidis proſtibulis, ex promiſcua venere quæſtum venantibus, ſermo ſit, facile conceſſerim, illis de facta impregnatione ita certo & infallibiliter conſtare non poſſe: attamen non citra rationem magna cum fiducia

Franciſcus de le Boe Sylvius aſſerere auſus eſt, mulieres honeſtas non tam voluptati, quam prolis conceptioni intentas, poſſe utique non ſolummodo impraegnationis diem, ſed & horam, imo momentum certo determinare. Neque negotium usque adeo difficile eſt & incertum ratione ipſorum medicorum; Quamvis enim ſigna ab Hippocrate *Sect. V. Aphor. 41. 52. & 54.* allata, omnino dubia ſint ac ſæpe mulierculis ipſis riſum moveant, quando ſcilicet vel aquam mulſam mulieri dormituræ propinandam jubet; Hinc enim ſi ventris tormina eam correptura ſint, indicium eſſe concludit, eam concepiſſe: Vel ſi orificium uteri connivens & duriuſculum deprehendatur, vel quicquid hujus eſſe poteſt. Attamen non usque adeo anceps hæret medicus, quin cuncta illa ſigna, menſtruorum, quæ rite hactenus fluxere, ſubſiſtentiam cum faſtidio ciborum & vomitu, quibus nonnunquam etiam pica aliaque inſolita phænomena ſeſe jungunt, debite invicem conjungendo, de facta impraegnatione, ſi non plane certum & indubitatum, attamen ſumme probabile ferre poſſit judicium: potisſimum ſi ex propria mulieris impraegnatæ confeſſione ulterius informetur, eam peracto congreſſu maritali ſatis ſenſibiliter animadvertiſſe, auram quandam frigidiuſculam corpus ſuum perreptaſſe; ipſaque ab hoc tempore incipiat colorem faciei floridum ac purpureum cum pallido, livido & abjecto permutare, ſi ſingularem atque inſuetam membrorum laſſitudinem percipiat in ſuo corpore, & quæ his ſimilia ſunt. Verum ſi quæ ulla in re medico opus eſt prudentia, certe in dijudicanda mulierum ingravidatione cautum ac circumſpectum eundem eſſe oportet.

§. 9.

Sem. Ex his concludit dictus autor §. *18. p. 33.* mulieribus utique certum pariendi terminum a natura conſtitutum eſſe, ſed eundem tamen ſemper cum aliqua veluti latitudine accipiendum

dum eſſe; nemo hodie cum ratione dubitat. Scilicet ordinarium & maxime naturale pariendi tempus, quotidiana experientia teſte, incidit utplurimum in finem menſis noni & initium decimi, a tempore impregnationis facta computatione, & intelligendo non tam menſes lunares, quam ſolares, quorum cuilibet communiter triginta dies tribuuntur. Ut adeo, calculo rite ſubducto, novem ejusmodi menſes ſolares continerent 270. dies, ſeu 38$\frac{4}{7}$. ſeptimanas. Huc ergo tandem redit præcipuum totius quæſtionis momentum, an ſcilicet terminus partus humani in finem noni & initium decimi menſis incidens, adeo certus, abſolutus, inevitabilis & infallibilis ſit, ut omnes alii partus hunc aut anticipantes aut poſtponentes neque naturales, neque vitales, neque legitimi vocari posſint? Ubi initio ſtatim animadvertendum eſt, naturale hic opponi præternaturali & ſupranaturali, ſive quod præter naturæ intentionem contingere ſolet. Per vitale intelligimus, quod non ſolum vita actu gaudet, ſed & eo partium robore pallet, ut vitam iſtam aliquamdiu tueri posſit. At per partum legitimum ſenſu medico intelligimus talem, qui ea partium organicarum perfectione gaudet, ut functionibus animalibus edendis par ſit. Quibus ita cognitis perſpicuum eſt, maxime injurios eſſe in pulchrum ſexum, ejusque honeſtati ac famæ indelebilem affricare maculam, qui terminum iſtum pariendi conſvetum, ſolennem & maxime ordinarium, neque adeo abſolutum, inevitabilem ac infallibilem ſtatuunt, ut ab eodem ne latum quidem unguem recedere integrum ſit atque permiſſum: Hæc enim tale abſolutum decretum, quod neceſſitatem quaſi plus, quam ſtoicam inducat, prorſus ignorat. Hanc ſuam hypotheſin denique per omne animantium brutorum genus eleganter confirmari addit; Obſervatio enim, inquit, vulgaris eſt & domeſtica, pullos gallinaceos non uno eodemque die omnes utut vitales, teſtas ſuas perrumpere, ſed & iis, quæ centrum occupaverunt, oculis, pullos longe citius exclu-

di, & reliquos ſæpius, qui ex ovulis, in circumferentia poſitis, tanti quippe caloris non capacibus prodierunt, per integrum triduum vel quatriduum anticipare. Quod ergo pariendi tempus in animalibus Ariſtoteles maxime certum & infallibile eſſe docuit, idem ſimiliter ac in homine cum aliqua veluti latitudine accipiendum eſſe, rectisſime notavit Zacchias, idemque obſervationes eorum, qui hiſtorias animalium conſignarunt, teſtantur. Et qui vel leviter tantum attendit ad ea, quæ ab hortorum vel agrorum cultoribus quotidie peraguntur, illi obſcurum eſſe nequit, ſemina uno eodemque tempore terræ mandata nunquam æqualiter progerminare, ſed pro diverſitate ſoli ſive benignioris ſive ſterilioris modo citius, modo tardius, germen ſeu plantulam, quam intra capſulas ſuas recondunt, protrudere, imo & fructus unius ejusdemque arboris non omnes æque ad maturitatem adſpirare, quotidie videmus. Quanto vero ſolemnius adhuc diſcrimen illud exſerere ſeſe debet in ipſis femellis humanis, ubi tanta eſt diverſitas victus & alimentorum, temperamentorum, animi pathematum aliorumque motuum violentorum, tam externorum, quam internorum, pro quarum cauſarum indole non debet non magna, ratione termini partus, diſcrepantia oriri, illeque nonnunquam anticipari, nonnunquam vero poſtponi: Quæ omnia tam clare & ubivis obvia ſunt, ut in medio ſole cœcutire dicendus foret, qui dictorum veritatem non comprehenderet. Hæc pace domini autoris huc inſerere liceat.

§. 10.

Autoritas. De tali partus latitudine inter alia Paulus Zacchias *Quæſt. med. leg. Lib. I. Tit. 2. Qu. 5. n. 1. fol. 64.* ita loquitur: Sufficienter in ſuperioribus quæſtionibus demonſtratum eſt, naturam debuiſſe cuilibet animali conſtituere quoddam certum naſcendi ſpatium, quod quadam latitudine ob temperamentorum inter ſe diſtantiam donaretur, neque tamen eam latitudinem tantam potuiſſe eſſe, ut quolibet tempore

naſci

naſci animal poſſet; nam neque debitam perfectionem, ſi multum præveniret, acquirere potuiſſet, & ſi multum eam exſuperaſſet, incaſſum in utero materno tanto tempore moram traxiſſet. Diximus etiam, hunc naſcendi terminum ad quandam certitudinem reſtrictum nonnulla animalia, hominemque præſertim, tanquam morbis præ ceteris obnoxium, per accidens, & a morbifica prævenire, nonnulla etiam exſuperare, in ſequentibus probabitur. Fœtus etiam variis de cauſis ante menſem nonum ad partum properare poteſt; nempe ſi puer aquarum evacuationem repentinam & inſperatam ſequatur, dum amnion vel ſolo deſidendi conatu dilacerari poſſit, vel ſi puer tenui palleſcente funiculo nexus nutrimento in utero deſtituatur, & marcore laboret, vel a lapſu, caſu, alliſione, contuſione, commotionibus animi, morbis &c. quibus in caſibus magis tempus a Deo conſtitutum, ſcilicet finis noni & principium decimi menſis attendendum eſt, juxta verba Johannis de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 93. Schol. pag. 227.* Quandoque etiam finem noni menſis ab aliis internis & occultis cauſis diu ſatis præveniri poſſe, mihi perſuadeo exemplo matronæ cujusdam, multorum liberorum adhuc viventium matris, quæ nullum unquam infantem ad dicti menſis noni finem in utero geſtavit, ſed omnes poſt trigeſimam ſextam hebdomadem ſanos & perfectos, licet non adeo longos, in lucem excluſit, quod fortaſſe, quia ipſa mater vix mediocris eſt ſtaturæ, ab uteri anguſtia deduci poſſet. *Obſervatio*

§. II.

Poſt varias rationes ita pergit Nicolaus Venette *de la Generat. de l' Homme Part. II. Art. 4. p. 133. ſeq.* Puisque l'experience nous monſtre, que la plus-part des enfans naiſſent depuis les dix derniers jours, du neuvieme mois, jusques au dix premiers ou dixieme, c'eſt à dire, dans l'eſpace de vingt jours, & qu'ils vivent presque tous: que ceux, qui naiſſent à 7. ou 8. mois, ſont toujours imparfaits ou valetudinaires, & que de 20. il n'en vit pas trois; n'advouera-t-on pas, que ces derniers

Nn 3 naiſ-

naiſſent dans un temps, que la nature n'a pas ordonné, & qu'ils ſortent plû toſt par quelque maladie des entrailles de leurs meres, que par les ordres ſecrets de cette admirable moderatrice de l'univers. Ceux qui ont fait de ſerieuſes reflexions ſur les mouvements de la nature dans les accouchemens des femmes, & qui ſe ſont long-temps appliquez à obſerver toutes les petites circonſtances & de la groſſeſſe, & des couches, decouvrent aiſément la difficulté de cette queſtion, ſi la nature a fixé un temps pour accoucher? Ils ont remarqué, comme j'ay fait, dans les hoſpitaux, & par tout ailleurs, que la nature conſerve toûjours un temps fixe & determiné pour les accouchemens, qui ſe font ſelon ſes ordres, & que les enfans les plus accomplis, & les plus temperés naiſſent toûjours dans les dix premiers jours du dixieme mois, & le plus ſouvent à la meſme heure du jour, qu'ils ont eſté fait; les autres naiſſent depuis le vingtieme jour du neuvieme mois, jusques au dixieme jour du dixieme mois; c'eſt à dire, depuis le deux cents cinquantes cinquiéme jour de leur conception, jusques au deux cents ſoixante & quinziéme, bienqu' il y en ait d'autres, qui naiſſent quelquefois plutoſt on plus tard, quand il y a quelque cauſe etrangere, qui en avance ou en retarde la naiſſance. Je pourrois prouver cette verité par beaucoup d'hiſtoires, que m'ont forni mes amis ſur ce ſujet, ſi je n'en avoit de domeſtiques; ſix enfans, que ma femme a faits, ont demeuré dans les flancs de leur mere, depuis le deux cens cinquante ſixieme jour, jusques au deux cens ſoixante & dixieme, c'eſt à dire, qu'ils ſont tous nez ſur la fin du neuvieme mois, ou au commencement du dixieme, ſi nous comptens les accouchemens par le mois de lune, comme le pretendent la pluspart de nos medecins. Mais la preuve inconteſtable de cette queſtion ne peut eſtre priſe d'ailleurs, que de la naiſſance de Jeſu Chriſt, qui a eſté le plus parfait de tous les hommes. St. Auguſtin nous apprend, qu'il demeura dans le ſein de la bienheureuſe Marie, pendant

deux

deux cens ſoixante & treize jours, qui eſt le temps que l'egliſe a obſervé depuis pour celebrer la memoire, c'eſt à dire qu'il naſquit dans le commencement du dixieme mois. Il eſt vray, qu'il y a quelques enfans, qui naiſſent vers le dixieme jour, du ſeptieme mois, ou le dixieme de l'onzieme mois; mais les uns & les autres ne vivent pas long temps; on eſtant nez contre les ordres de la nature, ainſi que nous l'avons dit, ils ſont ſujets à milles incommodités. Si les enfans naiſſent dans un eſpace de temps ſi vaſte, il n'en faut accuſer que la differente & mauvaiſe façon de vivre des femmes; les pais où elles demeurent; la ſaiſon, dans la quelle elles accouchent; l'oyſiveté, dont elles jouiſſent; la varieté de leur temperament; les plaiſirs dereglez, qu'elles prennent avec les hommes, pendant leur groſſeſſe; les paſſions & les maladies, dont elles ſont attaquées. Tout cela avance ou rétarde leurs couches & force la nature à ſuſpendre ou à rompre le cours ordinaire de ſes operations.

§. 12.

Quodſi proinde fœtus excluſio circa noni menſis finem, vel decimi principium incidit, vocatur ille partus ordinarius, naturalis atque legitimus; ſiquidem interdum etiam obſervantur partus præcoces & ſerotini, ſive anticipantes & poſtpopentes; licet anticipantes ex variis cauſis ſatis frequentes, poſtponentes autem rariſſimi ſint; & ſecundum Eliæ Camerarii *Medicin. conciliatric. pag. m. 121.* latius in jure nonnunquam partus terminus extendatur, quam in natura fieri ſolet. Fortaſſe ob hanc cauſam quoque Laurentius Heiſterus *Compend. anat. Tab. 247. pag 91.* partus tempus tantum dividit in legitimum, quod ſunt menſes novem ſolares aut decem lunares : ſive hebdomades quadraginta, in præmaturum, menſes ſeptem vel octo : quibus tamen fœtus vitalis ſive ſuperſtes eſſe poteſt, & in nimis præmaturum ſi fœtus ante ſeptimum menſem excluditur; qui partus abortus dicitur & vitalis eſſe non poteſt.

Partus ordinarius.

§. 13. Sin-

§. 13.

Partus nimis præmaturus: Singulis autem fere geſtationis menſibus ejusmodi immaturos fœtus, ſive abortus, rejici, præter quotidianam praxin docent autores, quapropter etiam hoc loco, ubi de legitimo partus tempore agimus, varia quoque de nimis præcocium & abortuum partu atque vitalitate ex ſcriptoribus annectenda erunt. *unius menſis,* Fœtum unius menſis, quem malum germen adhærens ſuffocaverat, anno Domini 1608. vidit Johannes Riolanus, qui eundem *Anthropograph. Lib. VI. Cap. ult. fol. m. 411.* ita deſcribit: in eo partes omnes externæ jam deſcriptæ & conformatæ erant, quæ tamen non apparebant, niſi merſo in aquam fœtu. Tum licebat intueri oculos duobus punctis nigris deſignatos, pro auribus duo apparebant foramina, ipſis oculis inferiora: Os jam patebat, tota manus perfecta erat, in digitos ſecta, pedes tamen erant imperfecti, breviores manu, nec in digitos fiſſi. Inter femina rimulam obſervabam, quæ locum vulvæ referebat. Anno ſequenti alterum fœtum Riolanus inſpexit bombycis magnitudine, eique figura plane ſimilem, exceptis artubus, qui velut filamenta candida, e trunco corporis explantata apparebant: Manus quidem in digitos diviſa erat, pedes autem integri. Suis tunicis involutus erat, aquæ flaveſcenti circiter ad uncias tres immerſus. Corporis vero ſuperficies muco velut albumine ovi obducta, quæ cultri cuſpide ſublata membranæ ſpeciem referebat. *bimeſtris,* Ibidem etiam dictus autor refert, ſe vidiſſe fœtum circiter bimeſtrem, cujus cranium erat membranoſum, cerebrum totum mucoſum, duo puncta oculos deſignabant, aures nullæ erant conſpicuæ, punctum oris locum notabat, manus extabant humeris affixa absque brachiis & cubito, pedes etiam oſſibus ilium adhærebant, ſine ullo veſtigio femorum & tibiarum. Jecur totius ventris capacitatem occupabat &c. Vidit etiam in bimeſtri partes genitales maſculas prominentes & formatas, anno 1633. vidit fœtum quadragin-

ta dierum, magnitudine muſcæ majoris, involutum membrana candida foris tomentoſa, intus ſesquiuncia aquæ continebatur &c.

§. 14.

De partu trimeſtri ſequentia ſcribit Henricus Salmuth *trimeſtris.* *Commentar. in Guidon. Panciroll. Rer. memor. ſiv. deperdit. Lib. II. Tit. 10. p. m. 198.* in Auguſtum certe vulgo jactatus fuit Græcus ille verſiculus:

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τριμῆνα παιδία.

Sunt divitibus etiam trimeſtres liberi.

Etſi enim pontifices ab Auguſto conſulti, an Livia Druſilla, (quam, ut Suetonius ſcribit, matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem abduxit Auguſtus, dilexitque & probavit unice ac perſeveranter) concepto nec dum edito partu rite poſſet nubere? reſponderant: utique poſſe, cum conſtaret, ex primo viro jam eſſe prægnantem; alioquin ſi id ipſum dubium eſſet, non poſſe: Veriſimile tamen erat, eum, qui adeo ſecundas Liviæ nuptias feſtinabat, vel vivente primo viro aliquid delibaſſe. Nec ignotum eſt iſtud, quod de cunarum emptore proverbiali ſententia paſſim circumfertur: qui cum uxorem accepiſſet, ſecundo vel tertio a nuptiis menſe bellum parientem infantulum, quinas vel ſenas coemit cunas, in proviſionem pro totidem infantibus annuam, ſi forte ſingulis vel bimeſtribus, vel trimeſtribus ita parere uxor pergeret. Fœtum trimeſtrem inſpexit etiam Johannes Riolanus *l. a. fol. 411.* in quo digiti pedum & manuum erant diſcreti, penis nota conſpicua erat, os patebat, nares erant occluſæ, itemque palpebræ & aures, quæ paulo infra oculos ſitæ ſunt, caput reliquo corpore gravius & ponderoſius deprehenſum. Quod ſpectat ad oſſa, quæ cranium conſtituunt, erant cuncta inter ſe diviſa, & circa verticem, ubi fontanella conſiſtit, magno hiatu membraneo interciſa, claviculæ, coſtæ, homoplatæ, oſſa humeri, cubiti, & reliqua

qua manuum notari poterant, quin etiam os iſchium, os femur, rotula, oſſa tibiæ, cum malleolis atque pterna, totaque trunci ſpina apparebant &c. In fœtibus pleraque oſſa v. g. os innominatum, coſtas, ſcapulas, in ſecundo menſe eſſe cartilaginoſa, tertio autem oſſeam ſubſtantiam incipere, Theodorus Kerckringius *in Oſteogn. Fœtuum cap. 13. ſeqq. p. 245. ſeqq.* demonſtrat; qui etiam *p. 261. Tab. 32.* fœtum duorum menſium & prima in eo oſſificationis principia, in figura, paulo, quam natura ipſum dat, majore expreſſa oſtendit. De vitalitatis tempore in embryone & abortu trimeſtri, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. medico-legal. Part. I. Caſ. 23. p. 82. ſeq.* An tertius, quartus, quintus & ſextus graviditatis menſis naturalis partus tempus eſſe poſſit? vid. Caſpari Poſneri *Geneanthropolog. Tabul. 28.* Juxta Theodor. Craanen *Diſſert. de Homin. cap. 153. p. 758.* tertius & quartus menſis abortum producit, non fœtum perfectum & vivum.

§. 15.

quadrimeſtris, Quarto graviditatis menſe fœtus mortuos, ſive abortus, ſæpiſſime rejici, res medicis & obſtetricibus quam notiſſima eſt, rariſſimæ contra obſervationis eſt, fœtus quarto menſe excluſus & ſupervivens, quale exemplum ex Peramato refert Caſparus a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Qu. 90. p. 1164.* impoſſibile, inquiens, judicatur, quinto menſe natos vitales aliquando evadere potuiſſe; quid ſi quarto menſe nati ac ſuperſtitis exemplum offeramus autoris certe minime fabuloſi? hoc prætermiſit Schenckius, aut ad illius manus non pervenerunt Petri de Peramato ſcripta, cum aliis doctiſſimorum merito conferenda. Hic igitur peritiſſimus ducis Metinæ medicus *Lib. de Homin. procreat. cap. 8.* ubi puellam aliam in oppido Guadalupe quinto menſe natam tradit, ſubjunxit mox hiſtoriam alteram, quæ omnem excedit admirationem, de puella quarto aut quinto die poſt quartum menſem exactum ex pudiciſſima & chri-

chriſtiana femina natam; hæc enim cum decimo nono Februarii concepiſſet, duodecimo Junii, animi recreandi cauſa, cum lectica veheretur, mulus furia percitus crebris ictibus calcitrando lecticam admodum concusſit, ac inde multum jactatus tantis incurſibus exagitavit, ut in ventre femina non leviter læderetur; ex qua animi perturbatione, poſt magnum lumborum dolorem uteri hæmorrhagia ſecuta eſt, quam abortus circa ſeptimam matutinam excepit, corporis cujusdam rotundi, figura plane ſphærica, & humani capitis magnitudinem æquans, quod linteo involutum ſub lecto cubiculari, tanquam quid inutile repoſuerunt; donec matri conſultum foret; quo peracto, membranam forcipe exſcindunt, quæ craſſa admodum extima, intima majus aliquid ſervare videbatur, curioſitate ad hoc ductis mulieribus potius, quam aliquid utile ſperantibus. Igitur ulterius inciſione facta apparet mox puella longitudine decem aut octo digitorum, tam gracilis & immaturo temporis exitu, a perfecta fœtus humani firmitudine adeo diſtans, ut in ſingula momenta ſpiritum trahere non poſſe videretur; quam tamen avorum & parentum ſumma ſedulitate ſervatam fuiſſe ait, nihil non miniſtrante charitate, atque imprimis duobus diebus lacte infundibulo immiſſo, tertio jam ſugere cœpit, ac tandem vitalis extitit. Mitto plurima, quæ de puellæ teneritudine, cutis tenuitate, raritate aliisque ſupervenientibus morbis ipſe ad extenſum narrat, qui nutricibus longum faſtidium attulerunt; quæ tamen omnia pius parentum amor & diligentia vicit, ut talem vitalis fœtus, tertio aut quarto die, poſt quartum a conceptu menſem editi admirationem ætas noſtra inter inaudita naturæ opera referre potuiſſet: parum quippe hæc diſtant ab illis, quæ circa finalem judicii diem ventura Esdras *Lib. IV. cap. 6. v. 21.* prædixit: anniculi infantes loquentur vocibus ſuis, & prægnantes immaturos parient, trium & quatuor menſium, & ſuſcitabuntur. Quæ forſan quinquemeſtrem vitalem eſſe poſſe indicant, ſed quarto menſe natum vi-

talem eveniſſe, præter Peramatum nullus autor vidit aut ſcripſit, cum adhuc ſeptimo natos vitales eſſe, magnum reputet Hippocrates *Lib. de Carnib.* in expertis præſertim, & qui naturæ vires non agnoſcunt; verum quinto, & adhuc quarto natos vitales eſſe, omnem ſuperat admirationem, & tamen negari non debet, nec autorum fides facile negligi, cum ex ipſa infantis parvitate, debilitate, matrum relatione, pudicarum præcipue, hoc verum eſſe comprobetur, quarum honeſtatem & virtutem conſtans opinio defendit ac protegit, quas temere inficiari aliquis tentaverit; aliter multo ac de Livia judicatum eſt. Hæc impudicitiæ nota ſatis cognita, cum jam gravida Auguſto nupſiſſet, intra tertium menſem peperit, unde proverbio dictum: Felicibus ſunt & trimeſtres liberi, aut, ut alii: Potentibus ſunt menſium & partus trium; hoc enim jure omnes impoſſibile credere debuerunt, quin & Liviæ fama morumque corruptio omnem dubitandi anſam ſuſtulit, quod nullo modo de feminis honeſtis ac integræ famæ dicere fas eſt.

§. 16.

quinquemeſtris. De partu quinquemeſtri ita judicat Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. I. p. 37.* partum trimeſtrem, quadrimeſtrem, imo & quinquemeſtrem incipientem vivum quidem, non tamen vitalem, nec proinde legitimum eſſe, quod eo tempore integram & perfectam organorum ſuorum conformationem, talem ſaltem nondum habeant, ut aura hac vitali & alimentis frui atque adeo in vivis permanere poſſint. Atque hac in re univerſalis quaſi medicorum tam veterum, quam modernorum eſt conſenſus, unanimiter affirmantium, partum trimeſtrem, quadrimeſtrem & quinquemeſtrem incipientem vivum quidem, non tamen vitalem nec legitimum eſſe. Aliter ſentiendum eſt de partu quinquemeſtri completo & magis adhuc de ſemeſtri. Qui tamen autor *l. a.* in poſteriori ſpecimine *Sect. priori §. 7. p. 9.* ſententiam ſuam de partus quinqueme-

ſtris

ſtris vitalitate mutavit. Quinquemeſtris partus meminit etiam Franciſcus Valleſius *Philoſoph. ſacr. cap. 18. p. m. 126.* noſtro ſeculo, inquiens, nata eſt femella, haud dubie quinquemeſtris, quæ adhuc vivit plusquam duodecim jam annos nata, cujus gracilitas ac tenuitas major, quam mulieribus eſſe conſuevit, indicat, certam eſſe de ejus ortu fidem. Et Hieronymus Montanus *Anaſcev. morbor. Tom. IV. cap. 41. p. m. 519.* inquit: Pincernam novi Chriſtianisſimi Henrici Regis, qui menſe quinto natus erat, qui etiamnum vivit in ætate conſiſtentiæ. Lipſiæ quoque accidit, quod vir quidam præcipuæ notæ brevi poſt quintum menſem, vivum in cunis amplexus fuerit infantem, ſecundum reſponſum Facultatis Medicæ in Paul. Ammann. *Medicin. critic. Caſ. 68. pag. m. 450.* Auguſtæ 1651. matrona nobilis quinto menſe fœtum, exiguum quidem, ſed vivum & omnibus numeris abſolutiſſimum, præcoci partu enixa eſt, qui tamen ſacris undis luſtratus paucis diebus poſt exſpiravit, referente Georgio Hieronymo Velſchio *Obſerv. med. Epiſagm. no. 74. pag. 46. ſeq.* quo loco dictus autor addit, hunc fœtum quinquemeſtrem altero tanto majorem exſtitiſſe quadrimeſtri illo, quem 1646. Patavii a Johanne Veslingio, ex utero matris, febris ardentis malignitate mortuæ, exſectum vidit. De partu 173. dierum vivo, qui legitimus in foro judiciali, poſtquam per integrum decennium de illo controverſia agitata, declaratus eſt, vid. Baldaſſ. Timæi a Güldenklee *Reſponſ. 23. Oper. pag. 1007. ſeqq.* Caſum & quæſtionem, utrum partus 177. dierum legitimus ſit dicendus? tradit Paulus Ammannus *Medicin. critic. Caſ. 1. pag. 1. ſeqq.* Plura vide in Paul. Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib. I. tit. 2. qu. 2. n. 6. fol. 49.* Adrian. Spigel. *Epiſt. de incert. tempor. part. pag. 69. ſeq.* Sic feminæ cuidam, viginti octo annos natæ, pluriumque liberorum matri, & jam denuo per quinque menſes gravidæ, poſt luctum & mœrorem accidit, ut die 15. Januarii anno 1682. humorem viſcoſum & albidum utero copioſe red-

deret, & poſtea diebus novem continuis. Octavo morbi die ſimul effluxit momentum ſanguinis citra dolorem. Quam evacuationem brevi ſecuta membrorum debilitas, abſuit tamen pariendi ſtimulus. Tandem die undecima nullo pariendi conatu ſponte edita eſt filiola in vita etiamnum ſuperſtes, & exinde per quadrantem horæ vitali aura tantisper uſa eſt, dum extinguebatur. Remanſit autem in utero placenta, eique tanquam immaturus fructus arbori ſuæ firmiter adhæſit, juxta obſervationem Johannis de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 100. pag. 230. ſeq.* Aliquot exempla de quinto menſe natis vitalibus ex Cardano & Ferdinando Mena recenſet Johannes Schenckius *Obſerv. medic. Lib. IV. fol. 378.* Mediolani ſcilicet uxor Petri Sormani Cardano oſtendit filiam, nomine Claram, quam diebus 165. poſt abortum maſculi fœtus quadrimeſtris Venetiis peperit: & in puerperio lac apparuit. Ipſa autem puella exilis, pallida & macilenta erat, annum agens decimum octavum. Sic virgo Deo dicata Eufragia, die centeſimo ſeptuageſimo nata fuit, morbo perpetuo natalium jacturam atteſtante &c. Inquit etiam Theodorus Craan *de Homin. cap. 153. pag. 758.* ſe experientiam habere vitalis fœtus intra quinque menſes, quamvis ſit rariſſimum exemplum. Juxta Henr. Salmuth. *Comment. in Guidon. Pancirol. Rer. deperdit. Lib. II. Tit. 10. pag. 197.* Renatus Choppinus, curiæ Pariſienſis advocatus, ſenatus conſulto Pariſienſi patrem pronunciatum dicit hæredem filii quinto menſe, matris exſecto ventre, editi ac ſpiraſſe viſi, *Lib. III. de Privileg. ruſticor. cap. 8.* Ad hæreditatem quippe capeſſendam ſatis fuit patri, eum, qui exſectus eſt, cum ſpiritu fuiſſe editum, atque ita vivum ad orbem totum proceſſiſſe, & vel momento matri ſuperſtitem fuiſſe filium, licet illico, poſtquam in terram cecidit, vel in manibus obſtetricis ille deceſſerit. Ut certum etiam aſſerit Franciſcus Torreblanca, comitiſſam de Pradas filiam peperiſſe quinto menſe vitalem & marchionam de Comares eodem menſe na-

tam

tam ex conſtantiſſima fama tradit, vid. Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Quæſt. 100. n. 5. pag. 1163.* quo loco plures autores allegat, demumque ita pergit: verum quidem eſt, quod aliquando matres in computatione errent & ob menſium defectum hallucinentur; ſed tamen plurimos ex prædictis fœtibus cum tam parva in utero mora in lucem veniſſe, ex illorum tenuitate & debilitate certiſſime cognoſci potuit, qui vix quidem vagitum edere poterant, nec lac ſugere, niſi inſtrumento aliquo pauliſper inſtillaretur; quos tandem, ut ſervarentur, & ab injuriis externis defenderentur, mollibus ex tenui lana aut goſſipio culcitris continere & ſumma diligentia cuſtodire opus fuit; ampliusque ex matrum pudicarum relatione, & a congreſſus tempore facta ſupputatione, non ultra quintum menſem in utero manſiſſe compertum eſt. Abortivum fœtum maſculum quinque vel ſex menſium, ſacro fonte ante obitum ablutum, ab uxore piſtoris, cui nomen Roviere, excluſum anno 1678. die 24. Auguſti ſe vidiſſe refert Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. XXI. Obſ. 16. Schol. fol. 1093.* Varia de quinquemeſtri fœtu vid. Franc. Torreblanc. *de Magia Lib. II. cap. 43. pag. 311. ſeq.*

§. 17.

Pueri, qui ſexto menſe natus bene vixit, ex Avicenna meminit Johannes Schenck. *Obſ. medic. Lib. IV. fol. m. 178.* quo loco etiam ex Cardano adducit exemplum pueri, ſexto menſe nati, qui ſupervixit; huic, cum primis diebus lac non ſugeret, infundibulo immittebatur; & tamen pervenit ad ætatem perfectam, cum nec digiti manuum, nec palpebræ eſſent ſeparatæ, dum natus eſt &c. Adrianus Spigelius *Epiſtol. de incert. Part. tempor. p. m. 70.* inquit: præter ſimiles hiſtorias, quas ex aliis autoribus, & viris atque mulieribus approbatæ fidei adferre poſſum, ſuccurrit mihi, me, cum eſſem adoleſcens, noviſſe tabellarium quendam, qui erat dimidius pumilio, qua- *ſextimeſtris.*

drą-

draginta annorum, magno capite, literasque ferebat ex Zelandia in Bataviam. Hic urbis Medioburgenſis teſtimonio publico omnibus commonſtrabat ſe ſexti menſis initio editum, corpore exiguum, & viribus ita debilem atque oſſibus infirmem, ut mater coacta fuerit goſſypio circumductum ad frigora fovere, donec robur acquiſiverit, quo poſſet faſciis circumligari. Novit etiam Isbrandus de Diemerbroec filiam ſextimeſtrem, cujus caput, cum naſceretur, magnum æquabat, totumque corpus adeo puſillum, ut vix contrectari poſſet a nutrice, nec faſciis aliisque conſuetis ſeu uſitatis involucris involvi, quæ poſtea tamen adolevit, & juſtam magnitudinem conſecuta eſt, poſteaque ultra annum ætatis circiter decimum octavum jam agens corpore & mente ſana vixit, uti ipſe Diemerbroec refert *Anatom. Lib. I. cap. 35. fol. m. 229. 232.* An partus antiſeptimeſtris dici poſſit legitimus? v. Conr. Phil. Hoffmann *de Puerper. dolorib. §. 19. pag. 42. ſeq.* Plura exempla vid. Paul. Zacch. *Quæſt. med. leg. Lib. I. Tit. 2. Qu. 2. fol. 53. in Annot. G. Franci.* Partum ſemeſtrem omnibus ſuis numeris abſolutum & perfectum, atque adeo vere vitalem & per conſequens legitimum eſſe, ait Andreas Ottomarus Gœlicke *medicin. forenſ. Specim. I. §. 22. pag. 37.* vid. etiam Franc. Torreblanc. *de Magia Lib. II. cap. 43. pag. 312.* Fœtum circiter ſemeſtrem ab obſtetrice oblatum anno 1603. diſſecuit Johann. Riolanus juxta *Anthropogr. Lib. VI. fol. 411.* omnibus ille externis partibus perfectus & abſolutus erat, jam os erat diſciſſum, patebant nares, aures foris deſcriptæ, ſed nondum perforatæ, palpebræ unitæ, ut in talpis; Latebant intra peritonæum teſticuli inguinibus proximi &c. Partum ſex menſium eſſe vitalem & legitimum, vid. Paul. Ammanni *Medicin. crit. Caſ. 1. pag. 10. 12.* Une femme avorta d'un petit enfant de ſix mois, par les efforts d'une violente toux, qui luy cauſa une perte du ſang: & ce tres-petit enfant ne vécuſt qu'un jour & demy, vid. Franc. Mauriceau *Obſ. 28. p. 18.*

§. 18.

§. 18.

Cum ordinarium partus tempus a pleriſque autoribus circa finem noni & initium decimi menſis ſtatuatur, partum ſeptimeſtrem nonnulli admittere nolunt, unde ſecundum Joh. Dolæi *Encyclop. med. Lib. V. cap. 7. pag. 936.* fœtum ſeptimo menſe tentare exitum ſtatuere falſum & ridiculum eſt, id enim nulla ratione ſolida nullaque experientia certa comprobari poteſt, quia gravidæ finito ſeptimo menſe non percipiunt partus dolores ac conatus. Econtra vero, juxta alios, inter illos partus, qui ordinarium tempus antevertunt, frequentiores ſunt ſeptimeſtres, qualia exempla varia recenſet Johannes Schenckius *Obſervat. medic. Lib. IV. fol. 578. ſeq.* & juxta C. Plin. *Hiſtor. nat. Lib. VII. cap. 5. fol. 108.* Veſtilia C. Herdicii, ac poſtea Pomponii Orfiti conjunx, & his quatuor partus enixa, Sempronium ſeptimo menſe genuit, Suillum Ruffum undecimo, Corbulonem ſeptimo, utrumque conſulem: poſtea Ceſoniam, Caji principis conjugem, octavo. Marcus Antonius Ulmus *Phyſiolog. Barbæ Sect. I. cap. 7. fol. m. 25.* ſcribit, ſe gemellos mares vidiſſe ſeptimeſtres, proceros, bene corporatos, optimorum viſcerum, adhuc ſexagenarios. Gemellos etiam, & primo quidem puellam, eamque hydropicam, & paulo poſt etiam puellum optime ſanum, poſt ſeptimum graviditatis menſem ſe ex femina quadam juvene extraxiſſe, refert obſtetrix Gallica Louyſe Bourgeois *de Art. Obſtetric. Part. I. cap. 43. Obſ. 6. p. m. 163.* De menſe ſeptimo obviæ paſſim ſunt hiſtoriæ, ſatis frequens eſt ejusmodi partus in Gallia aliisque nationibus, vidi varios, qui menſe ſeptimo nati dicebantur, eosque non infirmos, ſed alacres & robuſtos, ait Jacobus Primeroſius *de Vulg. Errorib. Lib. II. cap. 19. p. m. 167.* Partum ſeptimeſtrem obſervavit G. W. Wedelius in illuſtri perſona, cum mediis menſibus menſes erupiſſent, unde debilitatus ſeptimo edebatur menſe, & intra annum moriebatur. vid. We-

ſeptimeſtris.

del. *Phyſiolog. Sect. III. cap. 31. pag. 222.* De partu ſeptimeſtri, inquit Franciſcus Sylvius *Prax. med. Lib. III. cap. 7. §. 19. edit. Amſtelod. pag 540.* quotidiana conſtat experientia, non tantum ſubinde inter plures ſeptimeſtres unum prodire humanum fœtum ex eadem matre vivum, ſed vitalem quoque, verum integras eſſe familias, in quibus omnes liberi ſunt ſeptimeſtres; qualem familiam honeſtam & inter cives primariam novi in Germania; in qua hoc in tertio gradu obſervavi factum quoad ipſas feminas; aliquot enim notavi ſorores, quarum fœtus omnes erant ſeptimeſtres; quod idem evenerat ſemper ipſarum tum matri, tum aviæ maternæ. Inquit etiam Michael Bernhardus Valentini *Noſocom. Academ. Caſ. 12. pag. 639.* quod Cornelius van Solingen *Tract. von dem Amt und Pflicht der Hebammen cap. 3.* non Sylvii tantum, ſed & propria experientia ſuffultus integras afferat dari familias ſeptimo ordinario menſe liberos ſuos in lucem edentes. Ipſe autem Cornelius Solingen minime ad propriam experientiam provocat, ſed Sylvii tantum verba allegat, loco allegato juxta verſionem inquiens: *es ſind, wie Sylvius ſolches bekräfftiget, gantze Familien, welche bis in das dritte Glied, welches nemlich von den Frauens zu verſtehen iſt, alle den ſiebenden Monat Kinder zur Welt bringen. Auch ſind einige gewiſſe Schweſtern, ſo alleſamt den ſiebenden Monat gebähren.* Neque etiam in editione Belgica dictus Solingen propriæ experientiæ mentionem facit, cujus verba in tractatu *van 't Ambt en Plicht der Vroedvrouwen cap. 3. p. m. 9.* ſic ſonant: na't ſeggen van Sylvius zynder geheele Familien, die tot in 't derde lid wegen der Vrouwen, alle ſeven maenden Kindern voortbragten. Oeck van eenige Suſters die alle inſgelijcks ſeven maendige ter Werelt bragten. Item ſcribit etiam Johannes Dolæus *Encycloped. med. Lib. V. cap. 7. p. m. 936.* novi, inquiens, familiam honeſtam, & inter ſenatores fere primariam, in qua hoc obſervavi factum, uxor enim ejus filios ſex vel ſeptem ſeptimeſtres vitales progeneravit.

vit. Partum ſeptimeſtrem eſſe legitimum, defenditur. v. Paul. Ammann. *l. a. Caſ. VII. p. 54. & 58. Caſ. XX. p. 162.* item *Caſ. XLV. pag. 292. 295.* Annotationem ad partus ſeptimeſtres Danielis Ludovici, *vid. M. N. C. Dec. I. An. 8. pag. 117.* De partu ſeptimeſtri vid. Fortunat. Fidel. *de Relation. Medic. Lib. III. cap. 6. p. 468.* Joh. Nicol. Pfizer *von der Weiber Natur. pag. 286.* Daniel le Clerc *Hiſtoire de la Medecine Part. I. Lib. III. cap. 3. pag. 133.* De ſeptimeſtris partus notis ſequentem obſervationem narrat Petrus Borellus *Hiſtor. rar. Cent. I. Obſ. 71. p. 75.* inquiens: Cum in ſeptimeſtri partu cognoſcendo multi, imo fere omnes errent, & ſic impudicæ mulieres peccata ſua ſæpiſſime tegant, optime me facturum eſſe exiſtimavi, ſi hiſtoriam hanc publici juris facerem. D. Soultz puerum habuit, qui ſtatim ab ortu digitis pedum caruit, digiti vero manuum longi quidem, ſed graciles fuere; pro digitis autem pedum parva tubercula quinque cum unguiculis habebat, quæ naturæ miraculo paulatim oblongata ſponte ſua juſtam & ſolitam magnitudinem in noni menſis fine attigerunt, vixit tamen ſeptem & viginti annos. Aliam obſervationem mihi obſtetrix communicavit; nempe pueros ſeptimeſtres habere auriculas & labia quodammodo imperfecta, rubra enim ſunt valde & ſanguinea, imo & ſanguinem quandoque ſudaſſe certum eſſe aſſeveravit &c. De partu ſeptimeſtri, an nempe ſit perfectus, vegetus & per conſequens legidimus, tractatum editit Johannes Conradus Axtius. Multas etiam partus ſeptimeſtris obſervationes annotavit Franciſcus Mauriceau *Obſervat. ſur la Groſſeſſe v. g. Obſ. 55. p. m. 34.* inquit: Le 16. Mars 1672. j'ay accouché une femme groſſe de ſept mois, qui eſtoit en tres-grande perte de ſang; Cet enfant quoique foible, & petit comme un avorton, ne laiſſa pas de vivre encore vingt-quatre heures, & la mere ſe porta bien enſuite. *Obſ. 79. p. 48.* inquit: j'ay accouché une jeune femme, qui eſtoit groſſe de ſept mois de ſon premier enfant, s'eſtoit bleſſée en allant dans une caroſſe de voiture trop ru-

de. vid. inſuper *Obſ. 82. p. 49. Obſ. 252. pag. 147. &c.* & in Indice: Accouchemens au terme de ſept mois. Caſus ejusmodi, partus ſeptimeſtris, ſibi cognitus eſſe, candide profitetur Michael Bernhardus Valentini, atque matronas honeſtiſſimas famæque integerrimæ tempore puerperii denovo imprægnatas, ſeptimo menſe partum omnibus numeris abſolutum & ſucceſſive ad virilem conſiſtentiam evectum, in lucem edidiſſe, uti refert Andreas Ottomarus Gœlicke *Medic. Forenſ. Specim. I. §. 25. p. 39. & 40.* De quæſtione, an partus ſeptimeſtris ſit legitimus? prolixe agit Conradus Philippus Hermannus *de Puerper. Tempor. cap. 2. §. 7. ſeqq. p. 26. ſeqq.* Caſp. Posner. *Geneanthropolog. Tabul. 24.* Herm. Frid. Teichmeyer *Inſtitut. Medic. legal. cap. 9. pag. 56. ſeq.* Henr. Salmuth. *Comment. in Guidon. Panciroll. Part. II. Tit. 10. pag. 196.* Et Adrian. Spigelii *Epiſt. de incert. tempor. part. pag. 65. ſeq.*

§. 19.

Octimeſtris. An partus octimeſtris ſuperſtes ſit, multi tam medici quam jurisperiti olim dubitarunt, quibus tamen experientia contradicit. Inquit enim Johannes Dolæus *Encyclop. medic. Lib. V. cap. 7. pag. m. 936.* noſtra obſervatione partus octimeſtris vivus & vitalis eſſe poteſt, præter enim plures alios fœtus octimeſtres, non tantum vivos & vitales, quos notavi, filius meus primogenitus eſt fœtus octimeſtris, qui excurrit annum ſextum. Partum octimeſtrem, vivum, frigidum & rigidum obſervavit Johannes Andreas Uſenbenzius *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. IX. Obſ. 30. pag. 62. ſeq.* Peperit quippe in noſocomio Ulmenſi die 7. Octobr. 1718 gregarii cujusdam militis uxor circa finem octavi ab imprægnatione menſis partu ſatis moleſto filiam; quamprimum autem obſtetrix officio ſuo fungens eandem ſuſceperat, ſtiriam quaſi ſe ſuſcepiſſe ſtatim aſſeverabat. In Italia octavo menſe partus fuiſſe vitales, ait Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. XXV. fol. m. 475.* Partus octimeſtris monſtroſi meminit Theodorus Zwingerus *Ephem. Cent. VII. Obſ. 29. p. 72.*

In agro ſcilicet Baſilienſi mulier ruſtica, quadrageſimum ætatis annum ſupergreſſa, victui laboribusque duris pro vitæ conditione aſſueta, nonnullorum liberorum mater, menſe Majo anni 1707. de novo gravida redditur; in quo ſtatu etſi a violentis ſuis operibus non deſiſteret, variisque curis animi premeretur, nihilominus ad ſeptimum usque menſem imprægnationis bene valuit. Ineunte autem menſe octavo, videlicet Januario anni 1708. doloribus frequentibus lumborum & hypogaſtrii tenſivis afflicta, valetudinem ſuam quotidie magis debilitatam perſenſit; donec tandem die 21. Januarii, cum quatuor adhuc vel quinque hebdomadæ ad legitimum partus tempus deficerent, dolores ac niſus parturiendi ſatis vehementes ipſam invaderent, atque poſt cruciatus plurium horarum atroces filiolam mortuam in lucem proferre cogerent, monſtroſam plane &c. Coſmopolita *Hiſtor. natural.* vel Antonius Everhardus, *pag. 215.* inquit: de octimeſtri partu nihil habeo quod dicam quam plurimos mihi notos eſſe, ſanos ac vegetos (inter quos & ego ſum gemellus, annum agens triceſimum quartum) octavo menſe progenitos. Varia exempla ex aliis autoribus refert Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. I. cap. 35. fol. m. 230. ſeq.* ſcilicet Bonaventuram tres octavo menſe natos incolumes vidiſſe; Doctiſſimum Vincentium Pinellum, una cum ſorore gemella, ut & Cardinalem Sfondratum, ambosque ejus filios, octimeſtres primam lucem vediſſe. Ex Cardano quinque affert exempla magnatum, octavo menſe natorum, qui ſupervixere, ſcribitque in Ægypto generaliter octavo menſe natos vivere. Riolanus refert in Naxo inſula, partum octavo menſe feliciſſime procedere. In noſtro Belgio, pergit Diemerbroc, octimeſtres partus ſatis feliciter ſuccedit & vitalis eſt; idque adeo notum eſt, ut de eo minime dubitandum ſit. Sic etiam in Gallia, Anglia, Scotia & ſeptentrionalibus regionibus rem eodem modo ſe habere ex eo ſatis manifeſtum eſſe videtur, quod de nullo talis partus incommodo unquam ex iis locis quidquam auditum ſit. Plura exem-

pla octavo menſe natorum vitalium congeſſit etiam Johannes Schenckius *Obſervat. medic. Lib. IV. fol. m. 579. ſeq.* Ejusmodi obſervationes plurimas communicat Franciſcus Mauriceau, *Obſervat. 81. p. m. 49.* de l'accouchement d'une femme groſſe de huit mois, qui avoit les deux levres dela vulve & les cuiſſes extraordinairement enflées. *Obſ. 118. pag. 69.* de l'accouchement d'une femme qui n'eſt fuſt groſſe de huit mois & une ſemaine; mais l'enfant eſtoit un peu delicat pour eſtre ne trois ſemaine avant le temps ordinaire. *Obſ. 128. pag. 75.* d'une femme, qui accoucha aſſez heureuſement au terme de huit mois, de deux enfans vivans. *Obſ. 146. pag. 81.* inquit Mauriceau, le 6. Novembre 1675. j'ay accouché une femme au terme de huit mois de ſa groſſeſſe de trois enfans vivans aſſez gros, qui vinrent tous ttois dans la poſture naturelle. vid. etiam *Obſ 345. pag. 202. & Obſ. 651. pag. 373.* Reliqua exempla evolve juxta indicem ſub titulo: Accouchemens au terme de huit mois. De muliere gravida, quæ febre continua ſuperveniente, quarto die a febris principio octavo imprægnationis menſe puellum per unam atque alteram horam viventem peperit, vid. Diomed. Cornar. *Obſ. medicin. cap. 32. pag. 47. ſeq.* Juxta Forſ. Fidel. *Relat. medic. Lib. III. Sect. VII. cap. 1. pag. 450.* peperit mulier octavo menſe eodemque die, a primo unicoque concubitu: filius ſuperſtes fuit: ideoque ad alteram uxorem vir ſuſpicatus de divortio meditabatur.

§. 20.

Judicium de partu octimeſtri.

De quæſtione, quid de partu octimeſtri, ſeu qui poſt dies 210. usque ad dies 240. natus, judicandum ſit? vid. Conr. Philipp. Hoffmannus *l. a. §. 10. p. 30. ſeq.* Herm. Frid. Teichmeyer. *Medicin. legal. cap. 9. p. 57.* Cur partus octimeſtris non, & ſeptimeſtris ſit vitalis. vid. Nicol. Fontan. *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 1. p. 146.* Jacob. Sponii *Aphoriſm. nov. Sect. I. n. 38. p. 32. ſeq.* Franc. Sylv. *Prax. Lib. III. cap. 7. §. 23. ſeq. p. 540. ſeq.*

Henr.

Henr. Salmuth *Comment. in Guid. Panciroll. de Reb. deperdit Lib. II. Tit. 2. p. 198. ſeq.* Rod. a Caſtr. *de Nat. mul. Lib. IV. cap. 2. p. 179.* Th. Cornel. Conſent. *Progymn. V. p. 210.* Paul. Ammanni *Medicin. Crit. Caſ. VI. p. 34. 36. 45. 58.* An ex oculari inſpectione partus ſeptimeſtris ab octimeſtri diſcerni queat, v. idem autor *p. 180. ſeq.* Variorum autorum ſententias adducit Caſp. a Reies *Elyſ. Quæſt. Camp. Quæſt. 90. p. 1168. ſeqq.*

§. 21.

Fœtum octimeſtrem vitalem & legitimum eſſe, prolixe defendit Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. I. de Part. octimeſtr.* qui *p. 6.* per partum ſenſu medico intelligit non fœtum, arctiſſimo uteri materni ergaſtulo adhuc incluſum, ſed potius infantem, mutuis iſtis, & matris parturientis & maxime ipſius fœtus moliminibus ex utero excluſum, vel chirurgia per partum cæſareum ex eodem exſectum. Eundemque porro dicit octimeſtrem, ſeu octavo a conceptione menſe, ſive priori, ſive poſteriori modo excluſum vel extractum; & quidem vitalem, qui non ſolum vivus edatur, ſed & per aliquot ſaltem horarum, dierum, hebdomadum, menſium vel annorum intervallum in vivis permaneat. Et Stephanus Blancardus *Inſtit. medic. cap. 25. Oper. Tom. I. p. 278.* inquit: nemo ſanis ratiociniis probabit, quare veterum opinio eſſet amplectenda, nempe quod fœtus octavo menſe editus minus in vita permaneat, quam ſeptimo natus: ſi enim experientia & ratio ſint admittendæ, experimur ſeptimo menſe ſæpius mori, quam octavo; & ratio eſt, quod fœtus nimium debilis ſit, imo quam octavo debilior. Et ſi contingat, octimeſtrem partum mori, ex morbo fit, atque ſic in utero moritur, enititurque: verum ſeptimeſtres ob nimium motum ſolvuntur eo tempore, quo adhuc ſani ſunt, adeo ut nati ſæpe ſuperſtites maneant. Sic etiam Georgius Philippus Nenterus *Phyſiolog. med. Cap. 11. Membr. 3. p. 343.* merito explodit veterum ſententiam, *eſt legitimus.*

qui

qui præeunte Hippocrate octimeſtrem fœtum minus vitalem credebant: aſſerebant enim fœtum ſeptimo menſe exitum moliri, eoque non invento ob magna molimina laſſum menſe octavo quieſcere & dormire, donec nono in lucem edi queat: id quod tamen falſiſſimum eſſe, exinde patet, 1) quia quo magis perfectus eſt fœtus, eo magis eſt vitalis: ſana autem ratio & experientia dictitant, octimeſtrem perfectiorem eſſe ſeptimeſtri, hinc etiam extra omnem poſitum eſt controverſiam, eum eſſe magis vitalem, 2) quia prægnantes motum fœtus octavo menſe fortiorem, quam ſeptimo ſentiunt. Sic Joh. Gothofr. Bergerus *Phyſiol. med. Lib. II. cap. 3. p. 487.* inquit: cum ratione pariter & experientia conſtet, octavo menſe natos non minus vivos permanere, quam natos menſe ſeptimo, hosque ab illis robore, & perfectione ſuperari, mirari merito ſubeat animum, quod doctiſſimum moverit Hippocratem, ut partum octimeſtrem non ſolum pro non vitali, ſed etiam tanquam mortuum, ſeptimeſtrem vero vivacem habuerit. Quodſi enim, qui ſeptimo menſe nata ſunt, poſſunt eſſe vitales, quare non octavo menſe nati? immo vero quare non magis, cum ſint adultiores? In Hiſpania & Ægypto octimeſtres partus omnes vitales eſſe, refertur in Jul. Cæſaris Baricelli *Hortal. genial. p. m. 237.*

§. 22.

item. De hac partus ſeptimeſtris & octimeſtris differentia varios autores tam medicos, quam jurisconſultos allegat Johannes Bohnius *de Officio Medic. duplic. Part. II. cap. 5. p. 627. ſeqq.* partumque octimeſtrem non minus vitalem, quam ſeptimeſtrem eſſe defendit. vid. etiam Chriſtiani Joh. Langii *Oper. Med. Part. I. Phyſiol. Theſ. XL. fol. 249. ſeq.* Inquit etiam Henricus Salmuth *Comment. in Guid. Panciroll. pag. 198. ſeq.* quid de octavo menſe cenſebimus? quamvis pro vero receptum eſſe dicat Gellius, nunquam gigni hominem octavo menſe: idem tamen poſtea

ſub-

ſubdit, accurate atque ſolicite quæſitum fuiſſe Romæ, non parvæ tunc rei negotio poſtulante, an octavo menſe infans ex utero editus & ſtatim mortuus, jus trium liberorum ſuppleviſſet? Nam abortio quibusdam, non etiam partus videbatur menſis octavi intempeſtivitas &c. vid. Auli Gellii *Noct. Attic. Lib. III. Cap. 16. p. 138.* Fœtum autem octimeſtrem vitalem eſſe atque legitimum, prolixe variisque rationibus demonſtrat Andreas Ottomarus Gœlicke in peculiari ſpecimine *Medicin. Forenſ. a pag. 1. usque ad 52.* De quæſtione, an partus octimeſtris ante vel poſt partum vitalis eſſe poſſit? vid. Frid. Hoffmann. *Medicin. conſultat. Part. III. Dec. 2. Caſ. 2. p. 67.* Item quæſtionem phyſiologicam, an partus octimeſtris vitalis? ſub titulo, vivax octimeſtris, prolixe tractat Carolus Drelincurtius *Opuſculor. medic. Diatrib. de Part. octimeſtr. vivac. p. 77. 88. ſeqq.*

CAPUT II.

De partu ſerotino.

§. 1.

HActenus partuum præcocium, ſive ante nonum menſem, tanquam tempus ordinarium, editorum exempla adduximus. Cum autem ſupra ſerotinorum quoque, ſive ultra nonum menſem excluſorum partuum mentio facta ſit, aliquot etiam ejusmodi obſervationes ex autoribus ſunt recenſendæ. Infantes poſthumos decimo quoque menſe naſci poſſe, ex Hippocrate refert Johannes Langius *Epiſtol. medic. Lib. II. Epiſt. 39. p. 669.* Anna Stephani Pyrrhi uxor, quum exactæ conceptionis tempus obſervaret, poſt decem menſes & undecimi tres exactos dies, puerum optime peperit. Utero enim geſſit decem menſibus & undecimi tribus diebus, inquit Amatus Luſitanus *Curat. medic. Cent. I. Cur. 27. fol. m. 54.* ubi pergit: primogenitus quoque divi Herculis Ferrariæ illuſtrisſimi ducis decimeſtris eſt, ut omnes ibidem norunt, & Braſavola ſcribit.

Partus ſerotini.

decimeſtris.

Imo juxta Paul. Zacch. *Quæſt. med. leg. Lib. I. Tit. 2. Qu. 15. fol. 64.* nono & decimo menſe naſci partum perfectum dubio omni caret. Nam & omnes id fatentur, & frequens ac quotidiana fere experientia teſtatur, homines vulgo ac communisſime naſci nono ac decimo menſe. Et *fol. 65. n. 7.* ait idem autor: univerſa temporis naſcendi latitudo in homine, a noni principio eſt ad exactum usque decimum. Inquit etiam Salomon *Lib. Sap. cap. 7. verſ. 1. ſeq.* Sum & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & in ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine, ex ſemine hominis. Quid de partu decimeſtri ſtatuendum ſit? vid. Caſpar. Poſner. *Geneanthropolog. Tab. 30.* conf. etiam Joh. Lang. *Epiſtol. medicin. Lib. II. ep. 39. p. 669.* Partus decimeſtris exemplum refert Franciſcus Mauriceau *l. a. Obſ. 120. p. 70.* his verbis: Le 30. Novembre 1674. j'ay accouché une tres grande femme de ſon troiſiéme enfant, dont elle fut durant vingt-quatre heures en travail. Ses eaux s'ecoulerent d'abord ſans douleurs, & elle fut enſuite un jour entier avec de fauſſes douleurs, après quoy luy eſtant venu de bonnes, elle accoucha heureuſement au bout d'une heure d'un enfant masle extraordinairement gros & puiſſant. Cette femme croyoit auſſi que ſon mary, qu'elle eſtoit groſſe de prés de onze mois, en comptant du jour que l'évacuation de ſes menſtruës eſtoit finie la derniere fois, ou à tout le moins de dix mois, en comptant ſeulement du temps, que cette evacuation auroit du revenir, ſi elle n'avoit pas eſté groſſe. Un mois avant que je l'accouchaſſe elle avoit eu une fauſſe allarme, qui luy faiſant croire, qu'elle accoucheroit des ce temps, l'avoit obligée de faire venir une ſagefemme & de faire preparer toutes choſes pour ſon accouchement, qui fut encore retardé prés un mois entier. Il faut remarquer, que ces circonſtances, jointes à l'extraordinaire groſſeur de cet enfant, prouvent manifeſtement, qu'il y avoit lieu de croire, que cette femme eſtoit effectivement groſſe de dix mois entiers, ou environ. Et *Obſ.*

122. p.

122. p. 71. mentionem facit feminæ, quæ non ſolum decem integros menſes fœtum in utero geſtabat, ſed idem etiam de ſua matre ex ipſius ore affirmabat. vid. inſuper *Obſ. 298. p. 175. Obſ. 517. p. 303.* Adrianus Spigelius *Epiſt. de incert. Part. temp. p. 72.* inquit: ſemper fere partus cadit in nonum ac decimum menſem & præcipue in Belgio, ubi mulieres videntur multis aliis plurimarum regionum fœcunditate antecellere. Puella quædam nobilis ab amaſio ſuo deflorata & ingravidata per omnis generis remedia, ſibi a vetulis ſuppeditata, cathartica & venæſectionem profuſiſſimam abortum facere conabatur, menſe geſtationis fere quinto; donec tandem eo res devenerit, ut motus infantis non amplius perciperetur, & pubi moles incumberet iners, plumbei ponderis inſtar mammæ conciderent, lac diſpareret. Hinc femina ſuſpenſo jam atque anxio animo, & de fœtu, uti putabat, mortuo excludendo ſolicita conſilium auxiliumque medici expetebat, aperte ſcilicet atque ingenue confeſſa ſuos conatus, quibus uſa eſt ad fœtum enecandum. Juſſit itaque medicus, ut cibis euchymis & ſpirituoſis reficiatur, porro ut quieti indulgeat, & denique abſtineat ab omnibus catharticis & evacuantibus: quo facto infans denuo ſe movere cœpit, & decimo menſe feliciter in lucem prodiit, vid. Abrah. Cyprian. *Epiſtol. de fœt. ex Uter. Tub. exſect. p. m. 18.* Plures fœtus humanos, tum vivos, tum vitales ultra nonum menſem editos ſe notaſſe, ſcribit Johannes Dolæus *Encyclop. med. Lib. V. cap 7. p. 936.* Cur vero ultra decimum menſem ejusmodi partus vel puerperia differri poſſint, cauſam aliqui & apud gravidæ uterum & fœtum quærunt. In utero quidem, ſi vel ille capacior ſit, vel nutrimento abundet: In fœtu vero ſi vel frigidior ſit, vel in calcitrando ſegnior, juxta Thom. Bartholin. *de inſolit. Part. Viis cap. 2. pag. m. 13.*

§. 2.

De partu undecimeſtri ſequentia ſcribit Aulus Gellius *Noct.* *undecimeſtris.*

Noct. Attic. Lib III. cap. 16. pag. m. 136. De partu humano, præterquam quæ ſcripta in libris legi, hoc quoque veniſſe uſu Romæ comperi. Feminam bonis atque honeſtis moribus, non ambigua pudicitia, in undecimo menſe, poſt mariti mortem periſſe; factumque eſſe negotium propter rationem temporis, quaſi marito mortuo poſtea concepiſſet, quoniam decemviri in decem menſibus (in decimo menſe) gigni hominem, non in undecimo ſcripſiſſent: ſed divum Hadrianum, cauſa cognita, decreviſſe, in undecimo quoque menſe partum edi poſſe &c. Inquit etiam Daniel Sennertus *Pract. Lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. 1. p. m. 383.* ipſo, quo hæc ſcribo tempore, femina hic eſt, quæ undecim menſes fœtum geſtavit & poſtea peperit. An partus undecimeſtris legitimus ſit? vid. Conr. Philipp. Hoffmann. *l. a.* §. *16. p. 38. ſeq.* de partu undecimeſtri, duodecimeſtri & ulterioribus, v. Caſp. Posner. *Geneanthropol. Tab. 31.* Henricus Burbonius princeps de Conde, poſthumus, menſe Novembri 1588. & quidem undecimo a parentis ſui Henrici morte, menſe natus fuit, vid. Joh. Ludovic. Gottfridi *Chronic. Tabul. 31.* De fœtu Wittebergenſi undecimi menſis inducias ægre ferente, vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 1. p. 6.* Du laborieux accouchement d'une femme, dont l'enfant eſtoit mort en ſon ventre depuis onze jours, la quelle femme croyoit eſtre groſſe de plus d'onze mois entiers, vid. Franc. Mauric. *Obſerv. ſur la Groſſeſſ. Obſ. 339. p. 198.* Plura exempla vid. Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. IV. f. m. 580.* Attigerat paupercula femina Helena, Mauritii filia Eggelſtedi geſtationis ſuæ terminum, nempe hebdomadas quadraginta, accitaque obſtetrice Lucinam invocavit. Inter has autem curas & apparatus tumor ventris remiſit, nec ullum fœtus vitæ indicium dedit. Transactis dubia ſollicitudine hebdomadis novem a definito partus tempore infantem ſequioris ſexus peperit omnibus membris perfectam, ſed carne omne nudatam, vid. Th. Barthol. *l. a. Hiſt. 12. p. 21. ſeq.* Petrus Aponenſis, alias conciliator dictus, refert, ſeipſum unde-

undecimo menſe natum fuiſſe, uti ex Cardano refert Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 35. fol. m. 231.* quaſi vero ille ipſe tunc matris computationem, & ſuæ conceptionis initium exacte in utero matris cognoviſſet.

§. 3.

Quamvis autem partum, cujus terminus ultra decimum vel undecimum menſem extenditur, multi medici pro fabulis habeant, aliquot tamen ejusmodi exempla ex autoribus adducere vel allegare libet. Anno 1632. in oppido Wittebergenſi fuit femina, jam ultra undecimum menſem gravida, quæ ipſa, ut & maritus ejus, infantem aliquoties ante partum plorantem audiverunt, paulo poſt tamen feliciter peperit, teſte Daniele Sennerto *Prax. Lib. IV. Part. II. Sect. V. cap. 8. p. 374.* A graviſſimis viris accepit Pontanus, Nicolaum Picinium, clarisſimum ducem, duodecimo menſe editum fuiſſe, juxta Georg. Franc. in Paul. Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib. I. Tit. 2. Qu. 6. fol. 69.* Sequentem caſum de partu duodecimeſtri Facultati Medicæ Lipſienſi communicavit femina quædam: Maritus meus ante annum poſt feſtum Michaelis, poſtquam pridie mecum cœnaverat, præter ſpem mortuus. Equidem non putavi me ex eo gravidam, quamvis nonnullæ mulieres ex facie mea emaciata hoc conjicere voluerint: attamen quatuordecim dies ante Bacchanalia obſervatum, quod dimidium geſtationis tempus attigerim. Inito itaque calculo, quod circa feſtum S. Johannis Baptiſtæ fauſtam Lucinam expectare vellem, cujus rei ergo apparatum puerperii omnem adornari curabam, advocata etiam diverſis vicibus in adjutorium obſtetrice: eniti tamen fœtum non potui, ſed ſupra modum expanſum abdomen, ita ut ne paſſum quidem incedere potuerim, verum per integras undecim ſeptimanas lectulo affixa, usque dum Deus tandem mei miſertus; intra hoc temporis intervallum ſanguis continuo prodiit; partus (puella) robuſtus quidem ſatis,

duodecimeſtris.

tis, & quaſi ſemeſtre ſpatium extra uterum jam conſumſiſſet, quoad artus tamen debilis, & nata eſt poſt mortem mei mariti decima tertia die ultra annum, piloſa non apparente hiatu rhomboideo iſto, in concurſu ſagittalis ſuturæ ad coronalem, quod alias mulieres fontanellam (*das Blätlein*) nominant. Cui relationi dicta femina ſequentes annectit circumſtantias, quod 1) infans per totum puerperium alternis ſemper diebus morbo comitiali correptus fuerit, una cum inexplebili appetitu, 2) epilepſia adhuc duret, 3) motus fœtus tantus ſæpe fuerit, ut ſæpenumero vociferari coacta femina & putaverit ſe gemellos geſtare, 4) quod vaſa umbilicalia collo infantis ter fuerint involuta, dum naſceretur, 5) dolores parturientium per integrum menſem continuo duraverint, adeo ut ſæpe de vita ſua deſperarit &c. Quem partum dicta Facultas inter illos refert, qui rariſſime & præter naturam accidunt. vid. Paul. Amman. *Medicin. critic. Caſ. 44. p. 284. ſeqq.* Item Lipſiæ circa finem anni 1679. pro filio judicatus fuit, qui poſt duodecimum menſem natus erat: uti ex diſcurſu Johann. Alex. Chriſteni meminit Petrus Müllerus *Diſput. de Jur. Prægnant. cap. 7. Th. 18. pag. 91.* Alium partum duodecimo menſe natum ob notam matris pudicitiam legitimum pronunciatum fuiſſe, ex Sande Deciſion. adducit Conradus Philippus Hoffmannus *de inſign. Puerper. Tempor. cap. 2. §. 18. p. m. 41.* De partu duodecimeſtri caſum recenſet Michaël Bernh. Valentini *Novell. med. legal. Caſ. III. pag. 37. ſeq.* ſcilicet Titius nobilis & miles die 24. Julii anno 1672. relictis laribus domeſticis caſtra ſequitur, remanente in prædio ejus conjuge pariter nobili Juliana: Anno proxime elapſo, ſc. 1673. menſe Junio Julia Titium ſequitur, & penes eum paulo poſt, die ſcilicet 12. Julii filiolum enititur, cum tamen antea a Titio de graviditate interrogata hanc negaverit, poſtmodum vero, cum peperiſſet, perhibuerit, ſe, quum nihil vivi in abdomine ſenſerit, exiſtimaſſe, catarrhum quendam aut aliam obſtructionem adeſſe. Titius econ-

tra

tra conſiderando, quod per integrum annum cum octiduo Juliæ neutiquam cohabitaverit, infantem recens natum pro ſuo non agnoſcens, compatrem quendam ad baptizationem invitare noluit. Julia vero ægerrime hoc ferens non ſolum theologos & medicos, ſed etiam obſtetricem juratam, ad Titium ablegat, ut innocentiam ſuam ob oculos illi ponant inſimulque remonſtrent, partum, licet conſuetum pariendi tempus transgreſſus fuerit, legitimum tamen eſſe. Ipſe autem Titius a facultate juridica Ingolſtadienſi reſponſum expetit: an naturaliter fieri poſſit, ut mulier quædam ultra annum uterum gerat, hocque caſu rationes a Julia pro excuſatione ibidem allegatæ ſufficientes ſint ad eandem ab adulterio abſolvendam? Quæ tamen facultas juridica adductis primo variis contra legitimum partum plauſibilibus & ſtringentibus argumentis, in præſenti caſu ſupradictum duodecimeſtrem cum octiduo partum pro legitimo habendum & agnoſcendum eſſe aliis rationibus defendit. Alium caſum v. Valentin. *Pandect. Caſ. 37. pag. 144. ſeq.* Plura exempla reperies etiam, *Paul. Zacch. l. a.* De partu duodecimeſtri ita ſcribit Adrianus Spigelius *Epiſt. de incert. Part. Temp. p. m. 80.* quod præter naturam accidere quoque poſſit, ut fœtus prodeat maturus in lucem menſe duodecimo, etſi nullum adhuc habeam exemplum, non negabo, quia ultra duodecimum menſem decimo tertio, decimo quarto, decimo quinto prorogari aliquando partum, tum veteres, tum recentiores nobis narrarunt.

§. 4.

Ut itaque etiam tredecim menſium partus exemplum adducam, inquit C. Plinius *Nat. Hiſt. Lib. VII. cap. 5. fol. m. 108.* Maſſurius autor eſt, L. Papyrium prætorem ſecundo hærede lege agente, bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater partum ſe tredecim menſibus diceret tuliſſe, quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatutum videretur. Prin- *tredecimeſtris.*

cipem

cipem Condæum tredecim menſibus poſt obitum patris natum fuiſſe, ex Buiſſonio in vita Turennii refert Ulricus Huberus, vid. Conr. Phil. Hoffmann *l. a.* dictusque princeps de Conde ob tredecim menſes in utero matris abſolutos l'enfant de treize mois vocatus fuit, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. Caſ. III. p. 38.* Cardanus quoque patrem ſuum decimo tertio menſe natum ſcripſit, vid. Georg. Franc. *Annot. in Paul. Zacch. l. a. 69.* ubi varia adducit.

§. 5.

quatuordecimeſtris. De partu quatuordecimeſtri ſcribit Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. XXV. cap. 23. fol. m. 475.* accepimus, feminam gravidam quatuordecim menſibus partum tuliſſe, quibus animandi movendique ſpacia imbecillitas quædam diſtulerat. Menſe decimo quarto fœtum partu editum fuiſſe, ex Avicenna refert Isbrandus de Diemerbr. *l. a. fol. 231.* & Johannes Schenckius *Obſ. medic. Lib. IV. fol. m. 581.* ex Avicenna inquit: mulierem poſt decimum quartum menſem fœtum peperiſſe, cui dentes ſubnaſci cœperint, & bene vixerit. Apud Pariſienſes quoque arbitrio doctiſſimorum advocatorum viduam ad bonorum poſſesſionem admiſſam fuiſſe, quæ decimo quarto menſe peperiſſet, ex ea ratione, quod apud defuncti hæredes perpetuo vixiſſet, diligenter aſſervata & nunquam a latere diſcedens eorum uxorum, ipſisque præterea hæredibus nihil ejus honori ac pudicitiæ objicientibus, quinimo de ſolenni ac perpetuo ejus luctu ob mariti obitum teſtantibus, refert Conradus Philipp. Hoffmannus *l. a.* vid. etiam Adrian. Spigel. *Epiſt. de incert. temp. part. pag. 77.* Huc pertinet etiam, quod recenſet Petrus Gaſſendus *in Vit. Peireskii An. 1603. Lib. I. p. m. 86.* cum Johannes Dortomannus aliquando ægrotantem Peireskium inviſeret rogareturque, cur ea vice ſerius ſolito adventaret? reſpondit, ſe accedere ex conſultatione memorabili pro muliere Belliquadrenſi, quæ tum geſtaret utero menſem jam vigeſimum tertium. Ea nempe iterato nupta, cum ex

priore

priore conjugio partus aliquot novimeſtres edidiſſet, ex poſteriore tamen ediderat tres, unum menſium undecim, alterum quatuordecim, tertium vero octodecim: & quoniam ex periculis antecedentium puerperiorum conjiciebat, ſibi ex quarto impendere gravisſimum; medicos ideo conſuluiſſe, ſi qua ratione incolumis evadere ex illo posſit &c.

§. 6.

Venetiis mulierem ſexagenariam ex ſeptuagenario ſene concepiſſe, & decimo quinto menſe puellam peperiſſe, oculis tamen & manibus privatam & quinque tantum menſibus vitalem, teſtis eſt αὐτόπτης Nicolaus Maſſa Italus medicus, juxta Henr. Salmuth. *Comment. in Guidon. Panciroll. de Reb. memorab. Lib. II. Tit. 10. pag. 211.* De hac obſervatione ita judicat quidam medicus J. V. E. in tractatu Belgico *Venus Minſiecke Gaſthuis Part. II. cap. 3. Art. 6. p. m. 157.* 't gene ons Maſſa ſeit, is een ongelooflykke ſaek, dat een Man van 't ſeventig jaren by ſijne eigene Vrouw van ſeſtig jaren een Kind teelde, dat der Weereldt quam ſonder alle ſijne deelen volkomen te hebben, en geboren wierdt op te 15. maend na ſijn ontfankkenis. Comitiſſa quædam de Rappenſtein per quindecim menſes uterum geſſiſſe ſcribitur, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. legal. Caſ. III. pag. 38.* Inquit etiam Simon Majolus *Dier. canicular. Colloqu. III. fol. 42.* ventrem geri aliquando menſes quindecim, conſtat apud S. Bernhardum in vita S. Malachiæ. Inter miracula, quæ effeciſſe dicitur Malachias Hibernus, & hoc refertur, quod matronam, quæ menſibus quindecim & diebus viginti prægnans erat, oratione ſua ad puerperium momento adduxerit. vid. Paul. Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib. I. Tit. 2. Quæſt. 6. fol. 69.* *quindecimeſtris.*

§. 7.

Idem etiam l. c. nobilem quandam mulierem, jam ſexto decimo menſe prægnantem, ebibita aqua benedicta effeciſ- *ſedecimeſtris.*

ſe refert ut pareret, in regione Ulidiæ adſtantibus teſtibus idoneis. Non ita pridem, inquit Guilielmus Harvæus *de Part. p. m. 503.* profecto fuit apud nos mulier, quæ fœtum in utero ſedecim amplius menſibus geſſit eumque ultra decem menſes (pluribus ejus rei conſciis) huc illuc varie ſeſe commoventem ſenſit, tandemque vivum peperit, *de Embryone pag. 49.* De embryone decimo ſexto menſe nato hanc hiſtoriam refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. III. Hiſt. 51. pag. m. 101.* de ſtupro conquerebatur Lipſiæ juvencula, a juvene bene nummato illato, & in jus hominem vocavit. Amici juvenis ſeptendecim annorum meretriculæ parum fidentes, ob illatam injuriam, in carcerem ipſam conjiciunt. Illa indies tumidior ad partus terminum viſa eſt acceſſiſſe, nec tamen fœtum ullum enitebatur. Hinc molam ſuſpicatus medicus expellentia præſcripſit, & tumido ventri cataplasma ex Semine lini &c. applicuit, quibus aliquandiu uſa ſexto decimo menſe feliciter peperit fœtum, ſed debilem, nec ultra unum alterumve diem ſuperſtitem. Caput infantis nucem juglandem vix ſuperabat, tumor vero capiti ſuperna parte adnatus erat, univerſo capite major, qui quotiens manu contrectabatur, totiens infans convulſionibus corripiebatur. Mortuo infante caput aperuit Godefridus Welſch, invenitque in ipſo cranio exiguam cerebri portionem, quam pro cerebello habuit, in tumore vero ſubſtantiam cerebro valde ſimilem. Hinc diuturnam iſtam in utero materno moram ex vitioſa cerebri conſtitutione derivavit &c. Adrianus Spigelius *Epiſtol. de incert. Part. temp. p. m. 73.* inquit: Ego in manuſcripto codice, qui apud me extat, legi, Bellocatum hic Patavii excellentiſſimum medicum aliquoties in publicis lectionibus narraſſe diſcipulis ſuis, ſororem eruditiſſimi viri Buccellæ Patavini per ſexdecim menſes uterum tuliſſe, & cum omnes eam molam concepiſſe exiſtimarent, peperiſſe filium optime formatum.

§. 8. Par-

§. 8.

Partus etiam ſeptendecimeſtris mentio fit in Mich. Bernh. Valentin. *Pandect. med. legal. Part. I. Sect. I. Caſ. 37. p. m. 147.* quo loco facultas medica Giſſena in reſponſo, de partu duodecimeſtri inter alia hæc verba inſerit: nobis ex parte ſimile exemplum mulieris innotuit, quæ decimo ſeptimo menſe anno 1655. die 1. Aprilis puellam vitalem enixa eſt. De partu octodecim menſium inquit Johannes Bodinus *Univerſ. Natur. Theatr. Lib. III. p. m. 391.* Ingens præſes curiæ Rhotomagenſis, in acta publica conſcribi mandavit, mulierem, cum eniti conaretur nono menſe, nec potuiſſet, decimo & octavo menſe peperiſſe fœtum vitalem, obſtetricum ac medicorum fide conquiſita. Fœtum octodecimeſtrem a muliere Belliquadrenſi editum paulo ante circa partum quatuordecim menſium ex Gaſſendo de Peireskii vita p. 86. adduximus. Filiam Antoniam Girand menſes novendecim in utero manſiſſe refert Nicolaus Blegny *Zodiac. medic. Gallic. An. 1. menſ. Januar. p. 23.* Feminam nobiliſſimam Monſpelii, cum antea legitimo tempore peperiſſet, ultimos duos partus, alterum decimo octavo, alterum vigeſimo menſe edidiſſe, ex communicatione David. Fabri refert Daniel Sennertus *Pract. Lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. 1. pag. 383.* Mulierem utero menſem jam vigeſimum tertium geſtaſſe, eodem Gaſſendi loco vidimus. Et Renatus Thioneau miraculoſam fœtus in utero viginti tres menſes apud Turonenſes geſtati hiſtoriam edidit, v. Johann. Schenck. *Obſerv. medicin. Lib. IV. fol. m. 581.* Reſtant equidem adhuc alia magis ſerotinorum partuum vel per biennium, triennium, quadriennium & ultra in utero materno geſtatorum exempla, quorum jam plurima *in Syllepſilog. noſtr. Sect. V. cap. 6. pag. 480. ſeqq.* de graviditate diuturna adduximus.

ſeptendecimeſtris.

octodecimeſtris.

novendecimeſtris.

§. 9.

Varia equidem, tam de præcocis, quam ſerotini partus hacte-

Autorum judicia

hactenus recenſitis exemplis, autorum annectenda eſſent judicia: Quia vero partus anticipans ſive ante nonum menſem accidens, qui frequentior eſt, quam poſtponens, a plerisque ſcriptoribus ad abortum, de quo jam peculiaris Sectio ſequitur, referri ſolet, nos etiam in eadem de illorum ſententia agemus, hoc loco tantummodo quorundam autorum de partu ſerotino ſive nonum menſem transſcendente judicia annectentes. Nonnulli ſcilicet ſolo nono menſe naturalem, ante illum vero abortivos, & poſt illum monſtroſos fœtus naſci putant, cujus tamen opinionis falſitatem variis rationibus demonſtrat Henningus Arniſæus *de Part. human. legit. Termin. §. 12. ſeq. p. m. 16. ſeq.* quo loco partum decimeſtrem pro legitimo agnoſcit. Henrico etiam Coccejo nono & decimo menſe naſci partum perfectum dubio omni caret; nam & omnes id fatentur & frequens ac quotidiana fere experientia teſtatur, homines vulgo ac communiſſime naſci nono ac decimo menſe. vid. Coccej. *Not.* in Paul. Zacch. *Quæſt. med. leg. Lib. I. Tit. 2. Qu. 5. fol. m. 64.* ubi addit, ſi quis nono aut decimo a nuptiis menſe edatur, præſumitur legitimus, niſi extra nuptias eum natum eſſe probetur. Utrum aliquando mulier ſupra decimum menſem uterum ferre poſſit, vid. loc. all. *Quæſt. 6. fol. 68.* Partum decimeſtrem pro vitali & legitimo agnoſcit Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. I.* §. *31. pag. 49.* inquiens: quemadmodum conſuetum pariendi tempus, quod in finem noni & initium duodecimi menſis incidit, anticipare poteſt, ita nihil impedit, quo minus idem ille terminus quoque poſtponi, atque adeo partus decimeſtris, undecimeſtris ac duodecimeſtris, vitalis & legitimus in lucem hanc prodire queat. Item *Specim. II. §. 3. pag. 23.* inquit: quod partum decimeſtrem, qui eodem completo prodit, attinet, tanto minus dubitamus legitimum declarare eundem, quo propius terminum partus humani ordinarium attingit, &, quo certius eſt, eundem omnium organorum ac partium perfectiore conſtru-

de partu decimeſtri.

ctio-

ctione gaviſurum, ac proinde omnes actus vitales pariter ac animales eo alacrius atque conſtantius editurum. Gigni hominem ſæpe numero decimo menſe, eumque eſſe hominem gignendi ſummum finem, decem menſes non inceptos ſed exactos, ſcribit Aulus Gellius *N. A. Lib. III. cap. 16. pag. 134.* Inquit etiam Hippocrates *de Natur. Puer. Oper. Sect. III. fol. m. 26.* quamdiu fœtus in uteris manet, validior ſemper evadit, dum membranas decimo menſe perrumpat, quando matri partus inſtat. Et *fol. 27.* rationes addit, cur non longiore, quam decem menſium ſpatio, fœtum utero geſtari contingat. Ad quæſtionem, quid de partu decimeſtri ſtatuendum ſit? reſpondet Conradus Phil. Hoffmannus *de Puerper. Tempor. §. 14. pag. 36.* quod decemviri Romani legitimum pariendi tempus non ultra decem lunarium menſium ſpatium extendiderint. Tum enim temporis ſpatio decem menſium partus maturitas conſtituebatur, ex quo lugendi conjugis tempus fere eodem fuit ſpatio concluſum, ut ante decimum exactum menſem nubere alteri non licuerit. Hinc vulgaris illa de poſthumis inſtituendis apud veteres formula, qui poſt mortem meam in decem menſibus proximis natus erit, *l. Gallus. D. de Lib. & Poſth.* Et *in l. ult. C. de Poſth. hered.* ita legimus: ſi filius vel filia intta decem menſium ſpatium poſt mortem meam editi fuerint, heredes ſunto &c. vid. etiam Henr. Salmuth. *Comment. in Guid. Panciroll. Lib. II. Tit. 10. pag. 209.* Sic Johannes Muralt. *Colleg. anat. Lect. 12. p. m. 199.* inquit: *Die längſte Zeit der Geburt iſt von 10. Monaten: Welche Kinder nun nach dem Tod ihrer Vater nach dieſer Zeit gebohren, die ſoll man nicht für ehrlich gezeugete Kinder halten.* vid. inſuper Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. legal. Caſ. III. p. m. 41. ſeq.* De termino decimi menſis ejusque computatione ambigua vid. Coccejus in P. Zacch. *Quæſt. Lib. I. Tit. 2. Qu. 6. fol. 71. n. 6.*

§. 10.

de partu undecimeſtri. Partum undecimeſtrem nonnulli pro naturali & legitimo habent, v.g. C. Plinius *Hiſt. Nat. Lib. VII. cap. 5. fol. m. 108.* inquit: alius homo ſeptimo menſe, alius octavo & usque ad initia decimi undecimique. Sicque circa partum undecimeſtrem diſtinguunt inter menſem incipientem & completum, fœtum in dicti menſis principio natum pro legitimo judicantes, non item alterum. Ad quæſtionem enim, an partus undecimeſtris juſtus ſive legitimus? reſpondet Conradus Philippus Hoffmannus *de Puerper. tempor. cap. 2. §. 16. p. m. 38.* quod ſic, hac tamen addita limitatione: modo naſcatur ſub initium undecimi menſis forte primo vel ſecundo die, vel juxta alios paucis diebus menſis undecimi exactis. Ob diverſas enim naturæ qualitates aliquando citius, aliquando ſerius mater parere poteſt, modo certum ſit, defunctum ante mortem ad generandum prorſus inidoneum non fuiſſe; indeque V. Z. *in Introd. in Jus Saxon. Lib. I. Tit. 5. §. 2.* refert: Jure Saxonico liberos poſthumos menſe decimo & primo aut ſecundo die menſis undecimi natos pro legitimis haberi, ſic ut terminus a quo ponatur in die octavo ante mariti mortem Idem confirmat etiam. Paulus Zacchias *Quæſt. med. legal. Lib. I. Tit. 2. Qu. 6. n. 16. fol. 73.* poſſe humanum partum per paucos quosdam dies ſupra decimum menſem prorogari, acceptis etiam integris decem menſibus, quos tamen paucos dies ad certum numerum reſtringere debemus; nam ſupra decem dies vix unquam illud fieri poſſe crediderim, rariſſime etiam & intra eosdem decem dies. Per dies autem tres ſupra decimum menſem obſervarunt autores. vid. etiam ibidem Coccejus. Sic etiam inquit Johannes Huldaricus Streitterus in Gregor. Horſt. *Oper. Tom. I. fol. m. 463.* licet jureconſulti negent, partum poſt decem menſes mortis admitti ad legitimam hæreditatem debere, quod & autoritate Hippocratis probatur, qui decimum menſem terminum ſtatuit

geſta-

geſtationis longiſſimum, tamen ex dicto Hippocrate defendimus, quod & undecimo menſe legitimus fœtus naſcatur. Natura enim perpetuis legibus obligata non eſt, & quemadmodum interdum circa finem ſexti menſis perfectus & completus fœtus gigni poteſt, ita quoque circa principium undecimi legitimum natum eſſe, obſervationes autorum fide dignæ teſtantur. Vult etiam, juxta Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. leg. Caſ. III. p. 42.* Cujacius, natum ſub finem undecimi menſis juſtum non eſſe natum, ſub initium eſſe juſtum. Statuit etiam Conr. Ph. Hoffmannus *l. a. p. 39.* quod, ſi vidua primis undecimi menſis diebus partum edat, is omnino pro legitimo defuncti conjugis habendus fuerit, cum ordinarie hoc tempus in foris ſit receptum. Et Andreæ Ottomaro Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. Sect. I. ſpec. alter.* §. *4. p. 23.* dubium non eſt de undecimeſtri incipiente, quin legitimi ſint partus; quos quippe etiam Ammannus prorſus rejicere non eſt auſus; neque quicquam video obſtare, quo minus ejusdem argumentum, quo in Medicina Critica quondam uſus eſt, ſatis recte procedat: Nam ſi partus uno vel altero menſe, anticipare poteſt, nihil impedit, quo minus idem quoque partus uno vel altero menſe ultra conſtitutum terminum extendatur, atque ita partus ulteriores, nempe decimeſtres & undecimeſtres legitimi dentur. Juxta ipſum autem Paulum Ammannum *Medicin. Crit. Diſcurſ. 29. p. 217.* eſt undecimeſtris partus, non qui exacto menſe undecimo naſcitur, ſed qui undecimum tantum attingit. Quod vero idem Ammannus in Irenico cum Numa Pompilio deinde ſuam ſententiam immutaverit, priorem hanc ſolemniter revocando, omnesque poſthumos, terminum partus ordinarium poſtponentes, eidem errori calculi, ut citeriores obnoxios reddendo, vel fraudibus & circumventionibus mulierum eosdem promiſcue imputando, id ſufficienter ſe comprehendere non poſſe, ultro fatetur Andreas Ottom. Gœlicke *l. a. p. 24.* Partum etiam undecimeſtrem nonnunquam tempore intermedio pro

pro legitimo habendum eſſe, ſi nulla mala in vidua extet ſuſpicio, refert Benedictus Carpzovius *Lib. II. Conſiſt. D. 227.* Hinc fœtum undecim menſes geſtatum, quod in Gallia quondam accidit, ubi de legitimo hærede diſputabatur, medici legitimum judicarunt, vid. Theod. Craan *Diſſert. phyſ. med. de Homin. cap. 153. p. 756.* Wittebergæ quoque tempore Beuſtii, pro vidua honeſta, quæ undecimo menſe poſt mariti obitum filiolam pepererat, in conſiſtorio pronunciatum fuit. vid. Hoffmann. *l. a. p. 39. ſeq.* quo loco etiam ex Altwein ſequentia verba refert: *in Rechten iſt verordnet, daß ein Kind im Anfange des eilfften Monden, ſo wohl auch im ſiebenden Monat, es ſey im Anfange, Mittel, oder zu Ende, an ſeinen Ehren nicht mag geſcholten werden, ſondern vor des Mannes recht und ehrlich gebohren Kind zu achten. Derowegen iſt auch gemeldeter Ehemann, ſich des Kindes als ein Vater anzunehmen, und daſſelbe vor das ſeine zu erkennen und zu verſorgen, ſchuldig.* Cur fœtus interdum ultra decimum menſem prodire naturaliter poſſit, varias rationes adducit Fortunatus Fidelis *de Relat. Medic. Lib. III. Sect. VII. Cap. 9. p. 481. ſeqq.* Juxta Aul. Gellii *Noct. Attic. Lib. III. cap. 16. p. m. 135.* Varro undecimo menſe aliquando naſci poſſe hominem dicit, ejusque ſententiæ tam de octavo, quam de undecimo menſe, Ariſtotelem laudat auctorem.

§. II.

partum undecimeſtrem non eſſe legitimum.

Alii tamen partum undecimeſtrem naturalem eſſe, non immerito in dubium vocant, uti ex ipſius Hippocratis verbis *de Natur. Puer. Oper. Sect. III. fol. m. 26. ſeq.* elucet, ubi inquit: ſi quæ feminæ ultra decem menſes utero geſtare ſibi viſæ ſunt, eæ hoc modo fallunt (& falluntur) cum uteri a ventre flatum ſuppeditante ſpiritu diſtenduntur & intumeſcunt, tunc mulieres ſe concepiſſe exiſtimant. Aliæ etiam a menſtruatione ſuppreſſa indeque dependente tumore ſibi geſtare videntur. Deinde quoque menſes ſua ſponte erumpunt, aut flatus egreditur, ac

ac multis jam ſtatim poſt menſtruam purgationem uteri dehiſcunt, & ad pudendum convertuntur, atque eo tempore cum viris congreſſæ eodem ipſo die, vel paulo poſt concipiunt. Atque harum rationum ac rerum ignaræ eo tempore ſe concepiſſe reputant, quo menſes ſuppreſſi erant & uteri intumuerant. Quapropter etiam cum mulier quædam poſt viri mortem undecimo menſe peperiſſet, & defuncti viri hæreditatem filio tanquam legitimo dari peteret, Juſtinianus adverſus partum pronunciavit, quoniam indubitatum exiſtimaret & impoſſibile, undecim menſes uterum mulierem gerere. Quamobrem lata lege ſanxit, ut quæ hoc tempore pareret, eas ſubiret pœnas, quibus jure veteri afficiebatur, ſi qua intra annum luctus nupſiſſet. vid. Henr. Salmuth *Comment. in Guid. Panciroll. de Reb. memor. ſeu deperdit. Lib. II. Tit. 10. p. 209.* Partum undecimeſtrem & duodecimeſtrem valde ſuſpectum & multis dubiis circumſtantiis expoſitum eſſe, inquit Michael Alberti *Introd. in univ. Medicin. cap. 2. §. 101. p. 39.* Juxta Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. leg. Caſ. III. p. 41.* undecimo a morte mariti genitus non eſt legitimus. Hinc Ulpianus: poſt decem menſes mortis natus non admittatur ad legitimam hæreditatem *L. 3. pen. ff. de ſuis & leg. hæred.* Et Juſtin. *in Novell. 35. c. 2.* conſtituit, ejus mulieris, quæ undecimo menſe poſt mortem mariti parit, partum non eſſe legitimum, ſed potius naturalis concupiſcentiæ, cum veriſimile non ſit, tempus in tantum extenſum, ideoque ex ſerotino nimium hoc partu viduam ſcortatam videri & ex ſtupro partum concepiſſe. v. etiam Joh. Bohnius *de Offic. medic. dupl. Part. II. cap. 5. p. 627.* Sic etiam non ſolum Paulus Ammannus *Medic. Crit. Caſ. 29. Diſc. p. 217.* poſthumum partum undecimeſtrem non fuiſſe legitimum ait, ſed etiam Facultas Medica Lipſienſis ad quæſtionem, an defuncto marito die 29. Auguſti 1610. poſt obitum illius natus puer ſcilicet die 2. Julii 1611. pro legitimo ſit habendus, necne? ex ea ratione, quia Hippocrates longiſſimum partus, etiam decimeſtris terminum,

diem 280. perenni obſervantia & conſtanti uſu firmatum, conſtituet, in propoſito vero caſu intervallum illud, quod poſt obitum mariti intercesſit, a die 29. Aug. 1610. usque ad 2. Jul. 1611. excurrit usque ad dies 309. legitimum pariendi tempus, ab Hippocrate ante definitum, ſuperans 29. dierum ſpatio & amplius, haud dubitanter concludit, iſtam 309. dierum intercapedinem, a legitimi partus termino maxime diſtare, ac idcirco ad cenſum partuum legitimorum minime admittendum eſſe. Idem Ammannus etiam *Irenic. Numæ Pompil. pag. 70. ſeq.* tantas partuum differentias, cum fœtus modo nono, modo decimo, modo undecimo menſe naſci defendatur, vel ab errore calculi mulierum, vel ab anticipatione nuptiarum a termino ſponſaliorum, aut alia quavis venere illicita deducit. Huic ſententiæ etiam favere videntur, qui ſecundum *§. 3. p. 309. ſeq.* contra aliorum opiniones, homini æque ac brutis certum pariendi terminum adſcribunt; quanquam alii tam partum undecimeſtrem, quam qui ulterius retardantur, ob varias rationes mox adducendas pro naturalibus judicent.

§. 12.

de duodecimeſtri &c.

Quod autem hactenus de partu undecimeſtri diximus, idem etiam de reliquis locum habet: ſcilicet a quibusdam pro illegitimis haberi, ab aliis tamen taliter qualiter defendi: Præter eas enim rationes, quas ſupra circa principium hujus capitis adduximus, de partu decimeſtri, undecimeſtri & duodecimeſtri partu Hermannus Fridericus Teichmeyerus *Medicin. legal. Cap 9. Qu. 13. p. 62.* ita inquit: dantur etiam, præter terminum partus naturalem, ejusmodi caſus extraordinarii, ac revera natura ſuo modo terminum naturalem retardare poteſt. v. g. 1) ejusmodi partus retardatio fit ob energiam ſeminis deficientem, morboſam patris conſtitutionem debilemve, ut fieri in ſenectute ſolet. 2) Partus retardatur ob matris diſpoſitionem phthiſicam, hecticam, ubi fœtus ſufficienti alimento deſtituitur, 3) ob ſtatum etiam matris cachecticum, 4) ob fluxum men-

menſium tempore geſtationis contingentem, 5) ob diarrhœam aliumve fluxum & morbum, 6) hoc fit ob nimiam uteri amplitudinem; 7) ob affectum matris extraordinarium, triſtitiam, qua tota matris maſſa ſanguinea turbatur, adeoque & fœtus ipſius nutritio, 8) ob diætam matris extraordinariam, imo inediam, 9) ob fœtus debilitatem & diſpoſitionem morboſam, 10) quando plures fœtus in utero detinentur. Apud Paulum Ammannum *in Medicin. critic. Caſ. 44. p. 284. ſeq.* femina quædam, cujus maritus poſt feſtum Michaelis obierat, circa feſtum S. Johannis partum fruſtra expectans, ob nimis expanſum abdomen per undecim ſeptimanas cum continuo ſanguinis fluxu lecto fuit affixa, donec decima tertia die ultra annum poſt mariti mortem, puellam piloſam, abſque hiatu fontanellæ, ederet; ipſe etiam infans, juxta matris relationem, tam per totum puerperium & poſtea epilepſia laboravit, cum maximo motu, hinc etiam vaſa umbilicalia collo infantis ter fuerunt involuta, & dolores parturientium per integrum menſem continuo durarunt; Hinc etiam partum hunc duodecimeſtrem Facultas Medica Lipſienſis *l. a. p. 288.* pro legitimo agnoſcit, atque non immerito eum inter illos partus refert, qui rariſſime & præter naturam accidunt. De hoc tamen caſu & reſponſo ita judicat Ammannus ibidem *p. 287.* Rationes quinque allegatæ, ſi non fictæ ſunt, aliquid pro hac muliere evincere videntur. Forſan hæc reſponſio data eſt in favorem matrimonii &c. Rationem autem, cur partus undecimeſtris paulo ante ex Ammanni *Medic. crit. Caſ. 29. p. 218.* a nobis recenſitus, ab eadem Facultate pro illegitimo, econtra vero modo adductus partus duodecimeſtris pro legitimo judicatus fuerit, idem autor *Irenic. p. 78.* hanc reddit: Poſthumus undecim menſium non erat legitimus, quia fuit ἀνάργυρος, *es war ein armer Teuffel*; e contrario alius poſthumus duodecim menſium erat maxime legitimus, quoniam erat εὐάργυρος, vel πλούσιος. Provocat etiam Ammannus hac de re ad hiſto-

riam temporis hujus caſus. In ſpecie vide Acta Glaucoreorum! ne Juno quidem ipſa ſuſtineret, per integrum trimeſtre dolores parturientium, ſicuti Acta referunt de matre hujus poſthumi. Eſt glaucoma Mæoticum. Huc pertinet etiam quæſtio de partu duodecimeſtri, an ſcilicet puerulus a Johannis Ludovici Ganſii die 1. Decembris anno 1687. demortui uxore relicta die 25. Octobris anno 1688. natus pro legitimo, & quod a dicto Ganſio, tanquam naturali parente ortum trahat, haberi poſſit? & præſertim, quod Ganſius debilis & morboſus, vidua autem ſive mater in ſe frigidæ complexionis fuerit? Ad quam quæſtionem Facultas Medica Giſſena affirmative his verbis reſpondet: diverſi partus termini oriuntur partim a majore, vel minore roboris facultatis formatricis, perfectionem fœtus, nunc maturantis, nunc retardantis, partim a conatu tum matris, tum fœtus, exitum ſibi tardius vel citius molientis. Et quoniam dictus maritus tempore coitus debilis & propterea ſemen ſpiritibus genitalibus adeo forte turgidum non fuit: Mulieris vero complexio ad frigidam temperiem inclinat, facile hariolari licet, quod neque robur facultatis formatricis, nec conatus vel matris, vel fœtus in eo gradu fuerit, ut ſtato tempore excluſio fœtus fieri, ſed protractio ejusmodi contingere potuerit, eaque de cauſa puerulus ille a dicta vidua editus, ut allegato Ganſio, ceu naturali genitore, ortus & ita pro legitimo haberi poſſit. vid. Mich. Bernh. Valent. *Pandect. medico-legal. Part. I. Sect. I. Caſ. 37. p. 144. 147.* Utrum vero, ſecundum hoc reſponſum, a viro debili & morboſo, nullumque ſpiritibus genitalibus ſufficienter turgidum ſemen habente, tanta virilis haſtæ rigiditas, quanta ad prolificum congreſſum requiritur, ſit expectanda, ut conjugem, præſertim frigidæ complexionis imprægnare liberosque procreare valeat, absque dubio Paulus Ammannus, ſi adhuc in vivis eſſet, in dubium vocaret, dictumque caſum pro ſuſpecto atque reſponſum pro amica, pro more ſuo, mihi adhuc ſatis noto, judicaret.

§. 13.

§. 13.

Alium caſum de partu duodecimeſtri prolixe communicat idem M. B. Valentini *Novell. med. legal. Caſ. III. p. 37.* cum reſponſo Facultatis Juridicæ Ingolſtadienſis. Titius ſcilicet nobilis & miles die 24. Julii anno 1672. relictis laribus domeſticis caſtra ſequitur remanente in prædio ejus conjuge pariter nobili, Juliana. Anno ſequenti 1673. menſe Junio Julia Titium ſequitur, & penes eum paulo poſt, die ſcilicet 12. Julii filiolum enititur, cum tamen antea a Titio de graviditate interrogata hanc negaverit, poſtmodum vero, cum peperiſſet, perhibuerit, ſe, cum nihil vivi in abdomine ſenſerit, exiſtimaſſe, catarrhum quendam aut aliam obſtructionem adeſſe. Titius econtra conſiderando, quod per integrum annum cum octiduo Juliæ neutiquam cohabitaverit, eandem inviſere recuſat, infantem recens natum pro ſuo non agnoſcens, & licet baptizationem ejus non impediverit, in hunc tamen diem compatrem quendam invitare noluit. Julia vero ægerrime hoc ferens theologos æque ac medicos ad Titium ablegat, ut innocentiam ſuam ob oculos illi ponant inſimulque remonſtrent partum, licet conſuetum pariendi tempus transgreſſus fuerit, legitimum tamen eſſe; quod ut eo clarius demonſtret, obſtetricem juratam advocari jubet, quæ præſente Titio aliisque conſtanter atteſtata eſt, quod durante officio ſuo plura illic exempla his ſimilia obſervaverit, & viginti quinque infantes in lucem protraxerit, qui ultra annum in utero materno concluſi fuerint; quin & ſupra allegati theologi medicique exemplum cujusdam principis de Conde, quem ob tredecim menſes in utero matris abſolutos l'enfant de treiſe mois vocaverint, addentes aliud comitiſſæ de Rappenſtein exemplum, quæ per quindecim menſes uterum geſſit. Quamvis autem his & aliis argumentis non obſtantibus dicta Facultas Ingolſtadienſis *l. a. p. 43.* hunc duodecimeſtrem cum octiduo partum pro legitimo agnoſcat, ipſe tamen Michael Bernhardus Valentini *ibidem Introduct. p. 3.* de hoc

caſu ita judicat: Cum hic nobilis caſtra ſequeretur & per integrum anni curſum conjugi ſuæ cohabitare non potuerit, hæc tamen adeo perfrictæ frontis erat, ut puerulum menſe duodecimo poſt abitum mariti in lucem editum illi obtruderet: quem cum pro legitimo agnoſcere recuſaret, cauſam retardati partus in utero eſſe dixit, quod ſub equi freno ſe proripuerit, *ſie ſey dem Pferde unter dem Zaume hergekrochen.* Egregia ſane & equeſtribus perſonis digna ratio! Quæ an Facultatem medicam Ingolſtadienſem permoverit, ut partum hunc duodecimeſtrem pro legitimo judicaverit, e reſponſo dicto hauriri poteſt.

§. 14.

Partum duodecimeſtrem & ſequentibus menſibus natum ordinarie pro non naturali & illegitimo haberi, ait Conradus Philippus Hoffmannus *de Puerper. Tem. cap. 2. §. 18. pag. 40. ſeqq.* ibidemque duodecimeſtrem partum poſt obitum mariti natum Lipſienſes illegitimum declaraſſe, addit, quod referat Ge. Beat. hunc in modum: *Wenn ſolch ein Kind lebet oder nicht, ſo kan es doch vor eures Bruders Kind noch Erbe nicht gehalten werden.* vid. etiam Petr. Müller. *diſp. de Jure Prægnant. cap. 7. §. 17. pag. 90. ſeq.* Interim partum 311. vel 319. dierum pro legitimo habuit Baldaſſar Timæus a *Güldenklee Reſponſ. 36. Oper. p. m. 1066. ſeq.* non quidem ſimpliciter & modo communi ſeu conſueto, ſed ſingulari & raro, a philoſophis tamen & medicis obſervato. Sicuti Adrianus imperator requiſitis horum ſententiis undecimeſtrem decreto legitimum pronunciavit. Plura vid. Paul. Zacch. *Quæſt. med. leg. Lib. I. Tit. 2. Qu. 6. fol. 68. ſeq.* ubi varias duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, ſedecim, octodecim, novendecim, viginti trium menſium partus Georgius Francus recenſet & allegat. Evolvatur etiam Henr. Salmuth *in Pancirol. Animadverſ. Lib. II. Tit. 10. p. 211.* it. *Hiſtor. Fœt. Musſipont. p. 40.*

§. 15.

Cauſa retardationis.

Rationes autem, quibus tam ipſæ puerperæ, quam medici

dici partus ejusmodi ſerotinos atque rariſſimos, nonnunquam etiam fere incredibiles, adſcribere ſolent, varias equidem hactenus adduximus, quibus tamen aliorum quoque ſententias annectere liceat; v. g. in ſenibus & frigidis, tam ſeminis virilis virtuti debili, quam utero frigido adſcribitur. vid. Ant. Deuſing. *de Fœt. Musſipont. Sect. IV. §. 107. pag. m. 40.* Cum David Faber, archiater Saxonicus, Monſpelii medicinæ operam daret, collegium medicum eo loci conſultationem inſtituit de valetudine feminæ cujusdam nobiliſſimæ, quæ, cum antea legitimo tempore peperiſſet, ultimos duos partus, alterum decimo octavo, alterum vigeſimo menſe edidit; Variæ autem ea de re fuerunt medicorum ſententiæ. Nonnulli quidem in ea fuerunt opinione, feminæ hujus relationi fidem habendam non eſſe; alii, non eſſe certa homini pariendi tempora, tamen ut in aliis actionibus variæ mutationes variique errores accidunt, & hinc etiam criſes, quæ certa tempora habent, variæ fiunt, pro agentis & patientis varia diſpoſitione & conſtitutione, ita etiam in partu id fieri poſſe ob varia, quæ geſtationis tempore ipſi acciderunt, ſymptomata, dejectam appetentiam, frequentiſſimas lipothymias, ſuperfluum ſingulis menſibus ſanguinis fluxum, quibus alimentum fœtui ſubtractum fuit ejusque vires dejectæ, quibus deſtitutus egreſſum ex utero legitimo tempore conari non potuit &c. uti ex dicti Fabri communicatione refert Daniel Sennertus *Pract. med. Lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. 1. pag. 383.*

§. 16.

Plerique vero autores hanc cauſam in mœrore animi & corpore matris morboſo quærunt; Inquit enim Andreas Ottomarus Gœlicke *de Medicin. forenſ. Spec. I. de Part. octim. §. 32. pag. 50. ſeq.* quod cauſas attinet, a quibus ordinarium illud pariendi tempus poſtponi & retardari nonnunquam poteſt, adeo ut decimo, undecimo &c. menſe demum prodeant infantes *Juxta Gœlickium.*

tes

tes, illæ ſane medicis inter gynæcea verſantibus non poſſunt eſſe obſcuræ. Si enim gravida vel diuturno animi mœrore ob maritum vel aliud bonum, quod magni æſtimavit, amiſſum, confecta debitum fœtui ſuo alimentum ſubtrahat, cur miraremur, partum ad menſem decimum usque & ultra retardari poſſe? Vel ſi gravida laboraverit febre, ſive intermittente tertiana vel quartana, ſive acuta & continua, utpote quibus vires enormiter exhauriuntur ipſæque matres in periculum vitæ nonnunquam præcipitantur. Qualis autem conditio eſt ipſius matris, talis etiam ſit fœtus neceſſe eſt; quia hic vivit vitam cum matre communem. Nonnullis ſupervenit ciborum inappetentia & nauſea, aliæ vero enormes patiuntur uteri hæmorrhagias, aliæ aliis tam animi quam corporis pathematibus ſubjiciuntur. Quid ergo mirum, fœtum tandem neceſſario nutrimento defraudatum viribus ſufficientibus non pollere ad carceres, quibus includitur, effringendum & in lucem publicam prodeundum. Qua in re eo minus relinquitur dubii, quo frequentius obſervamus, nonnullos infantes feliciſſime proficere, & in ſtaturam proceram adoleſcere, alios econtra nodoſo & truncoſo frutici ſimiles in humum ſemper deflecti: Quod diverſos nutritionis ſive felicis, ſive infelicis effectus ſi videamus extra uterum, quare non eveniant iisdem in utero materno adhuc commorantibus? Et *Sect. I. Specim. 2. §. 2. pag. 22.* idem Gœlicke inquit, non quamlibet imaginariam retardati partus termini cauſam in cenſum venire poſſe: ſed reales omnium ulteriorum partuum rationes allegandas eſſe, uti ſunt diuturnus animi mœror atque luctus acerbus, quo gravida maritum defunctum proſequuta eſt: deinde febris tam chronica, quam acuta, vel quicunque alius morbus, quo vidua graviditatis tempore crudeliter divexata fuit, vel ſi graviſſima uteri hæmorrhagia eadem laboraſſet.

§. 17.

Juxta Cranium & alios.

Juxta Theod. Craan. *diſſert. de Homin. cap. 153. pag. 758.* matris

matris cauſa tempus partus utplurimum variat, prout illa fuerit aut debilis aut fortis, ſana vel ægra, ſic fœtus citius vel tardius ad plenam perfectionem perveniet. Vel ſecundum verba Bald. Timæi a *Güldenk. l. a. pag. 1067.* cauſa hujus varietatis eſt maturatio & perfectio fœtus, quæ fit in utero, incerto tempore, & variis interdum menſibus, ob facultates corpus fœtus gubernantes, vel debiliores, vel robuſtiores. Ut arborum fructus ex diuturniore frigore, ſic fœtum ex acerbiſſimo dolore mariti defuncti ſiſti ac ſuſtineri poſſe, inquit Henricus Salmuth *Comment. in Guid. Panciroll. de Reb. deperdit. Lib. II. Tit. 10. pag. 211.* Ita quærit etiam Fortunatus Fidelis *de Relat. medic. Lib. III. Sect. VI. cap 9. p. m. 483.* cur fieri non poteſt, ut frigidior uteri ac ſeminis natura fœtum etiam frigidiorem ac minus vigentem reddat? ut propterea tardiſſimus ſeſe fœtus movere ac membranas disrumpere valeat? Mihi quidem & hæc omnia factu poſſibilia videntur; & ſæpe etiam eveniſſe ſcio, ut mirum non ſit, ſi hæc mihi conceſſeris, poſſe fœtum & ultra decimum menſem & ad undecimum usque produci. Concedo equidem ſemina omnia cerealia in terram injecta certis temporibus intus latere, certis prodire, ac ſimiliter matureſcere; at nemo mihi abnegabit, aliqua ex his ſeminibus eſſe, quæ certis terris commiſſa tardius aut citius aliquando & prodeant, & germen emittant, quod ſimiliter de humano ſemine dicendum puto: atque eo etiam magis, quod humanus conceptus multiplici varietati expoſitus eſt, pluresque omnino mutationes, quam quævis alia ſemina ſubire ſolet. Atque hæc ſatis efficax cauſa ſemper mihi viſa eſt, cur fœtus interdum ultra decimum menſem prodire naturaliter poſſit.

§. 18.

Quandoque etiam feminæ hoc in paſſu falſas & ſuperſtitioſas, nonnunquam etiam ſuſpectas cauſas adducunt; ſummopere enim obteſtabatur uxor quædam, edito in abſentia ma- *Cauſa ſuſpecta.*

Embryologia. Tt riti

riti partu duodecimeſtri, ſe non alium præter maritum ſuum carnaliter agnoviſſe, offerendo ſe ad juramentum corporeum, coram eccleſiaſtico æque ac civili judice, allegando inſimul miſerias varias & moleſtias in abſentia mariti a ſe devoratas. Fieri etiam potuiſſe, ut locum, ubi equi ſe miſcuerint, pertranſierit: imo ſe aliquando in anguſtias redactam ſub fræno equi decurriſſe, unde, ut ipſi narratum fuerit, a gravidis fœtus tamdiu portandus ſit: quemadmodum & ipſe fœtus a ſe in lucem editus de moleſtiis exantlatis teſtari poſſet, cum marcidus fere & tabidus prodierit.

§. 19.

an feminis fidendum? An denique feminis talem partum ſerotinum ſe edidiſſe referentibus, earumque domeſticis & obſtetricibus, de ipſarum vita, moribus & caſtitate nonnunquam atteſtantibus, ſemper fides ſit habenda, res adhuc dubia valdeque ſuſpecta videtur; præſertim cum ejusmodi partus ſerotini plerumque a viduis, vel etiam uxoribus adhuc maritatis, a viris tamen per longum temporis ſpatium abſentibus, producantur; qui tamen tam a medicis quam jurisconſultis nonnunquam pro legitimis judicantur. Hinc eſt, quod ſecundum Henr. Salmuth. *l. a.* apud Pariſienſes arbitrio doctiſſimorum advocatorum ad bonorum poſſeſſionem admiſſa dicatur vidua, quæ decimo quarto menſe peperiſſet: eo quod apud hæredes defuncti vixiſſet perpetuo, diligenter aſſervata & nunquam a latere diſcedens eorum uxorum: ipſique præterea hæredibus nihil ejus honori ac pudicitiæ objicientibus, quinimo de ſolenni ac perpetuo ejus luctu, ob mariti mortem, teſtantibus. Quod cum ita foret, nequaquam tanti faciendam putarunt communis partus opinionem, ut matrona honeſtiſſima, cui nihil objiceretur, præter vulgarem conſuetudinem, pariens audienda non eſſet. Et paulo poſt adducto ex Johannis Bodini Theatro naturæ ſupra ano-

a nobis allegato partus octodecimeſtris exemplo idem Salmuth addit: quod hæc non facile ad exemplum tradi debeant, & certa aut ſuſpecta mulieris pudicitia, juncta communi fama & adhibito jurejurando multum adferat in his naturalibus rebus adjumenti. In caſu III. *Novellar. med. legal. Mich. Bernhard. Valent. pag. 38.* de partu duodecimeſtri puerpera Julia non ſine lamentatione petiit, ut, priusquam in oris peregrinis derelinqueretur, a Titio (marito) prius famuli domi relicti vicinique examinarentur, qua ratione in abſentia ejus ſe geſſerit; & ſi vel unicus vere aſſerere poſſet, quod ipſa Julia per ſemihorulam cum perſona quadam virili ſola alicubi fuerit, Titius pro lubitu tunc agere poſſet. Quæ omnia tandem eo commoverunt Titium, ut, donec in cauſa tam ardua fundamenta ſolidiora obtineret, Juliam ad interim recipere conſtituerit, a thoro ſaltem, usque ad cauſæ dijudicationem eandem ſeparaturus. Partum undecimeſtrem legitimum eſſe, tradiderunt equidem nonnulli, inquit Petrus Müllerus *Diſp. de Jure Prægnant. cap. 7. §. 17. pag. 90.* nos autem cum limitatione hoc accipiendum putamus, ſi ſcilicet naſcatur ſub initium undecimi menſis primo vel ſecundo die, ſi cætero ſpatio, ſpuriis accenſemus. Interim tamen vita & mores viduæ reſpiciendi, & ſi proba fuerit, potius dicendum, ſi ſerius enixa ſit, ipſam quidem a marito concepiſſe, ſed fœtum a natura propter triſtitiam tardius fuiſſe formatum.

§. 20.

Sæpe numero etiam per accuratam vitæ morumque ejusmodi feminarum explorationem ipſarum aſtutia fraudulenta atque ſuſpecta pudicitia detegitur. Novit enim Johannes Jacobus Franciſcus Vicarius quandam, quæ prolem enixa decimo tertio menſe ſuo marito jam defuncto adſcripſit; at tandem fraus Deo ſic ponente detecta eſt, cum ab alio familiariter cum ipſa, etiam vivo adhuc viro, agente imprægnata *Cautelæ.*

fuit, uti dictus auctor *Baſ. univerſ. Medicin. Lib. I. cap. 3. §. 8. pag. 49. ſeq.* recenſet addens, magna hic cautela opus eſſe medico, nec ſtatim, quod ſoli libri decernunt, ſtatuendum; oportet enim prius talium feminarum vitam & mores ac actiones exploratas habere. Præterea etiam circa ejusmodi partus, juxta Bald. Tim. a *Güldenkl. l. a. pag. 1067.* in alias circumſtantias diligenter eſt inquirendum, an femina ſit imbecillis an firmæ ſit conſtitutionis, an tempore geſtationis morbo aliquo fuerit affecta, an inediam, frequentes lipothymias, aut ſuperfluum ſingulis menſibus ſanguinis fluxum, quo fœtui alimentum ſubtractum viresque dejectæ, ita ut egreſſum ex utero legitimo tempore conari non potuerit, aut ſimile quid paſſa ſit. Ipſa etiam fœtus editi conſtitutio conſideranda, an nimirum debilis fuerit, an vegetus, robuſtus, & per omnia ſanus. Vix enim alia de cauſa protrahitur partus, quam ob caloris nativi viriumque imbecillitatem. Admonet etiam Conradus Philippus Hoffmannus *l. a.* caute in ejusmodi caſibus procedendum eſſe, cum fœtus vix ſupra decem dies menſis decimi in utero manere poſſit. Et Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. I. cap. 35. fol. m. 231.* de nimis ſerotinis partubus ſcribit: quantum ad illos, quos dicunt ſupra naturalem terminum naſci, certe bono jure hactenus a multis dubitatum fuit, an hoc unquam vere contingat, & mulier longe poſt iſtum terminum pariat. Interim tamen, ſtante iſta dubitatione, apud multos, tanquam firmiſſima regula, veroſimilibus quibusdam rationibus inveſtita magnorumque virorum auctoritatibus confirmata, adhuc hodie ſtatuitur, nonnullos fœtus undecimo, duodecimo, decimo tertio vel decimo quarto menſe naſci poſſe, & legitime natos fuiſſe, idque propter imbecillitatem fœtus vel matris, uteri frigiditatem, alimenti paucitatem, aliamve ſimilem ob cauſam, ob quam ſtatutum a natura partus terminum differri vel extendi poſſe, multi philoſophi ſibi ipſi & aliis perſuaſerunt. Verum inania ſunt hæc omnia nullis

fir-

firmis rationibus innitentia, nullis veris experimentis probata, ſed ex ſolis dicacularum muliercularum verbis deſcripta, quibus nonnulli nimis creduli docti viri aliquod tomentum adjecerunt, ut ſic quibusdam rationum veroſimilium fulcris hanc rem fulcirent. Nam ſicut certiſſimum duco, ad paucos dies ultra noviméſtrem terminum aliquibus de cauſis partum differri poſſe, ita prorſus incredibile exiſtimo, illud ad unum, multo minus ad plures menſes poſſe fieri, cum in quacunque mulieris conſtitutione incrementum caloris ſpatio novem menſium in fœtu tantum fiat, ut ventilatione per reſpirationem opus habeat, eamque ob cauſam illi neceſſario ex uteri anguſtiis demigrandum ſit. Atque ita manifeſto poteſt ex falſo muliercularum relatu nimis citam concluſionem inſtituiſſe iſtius opinionis graviſſimos defenſores. Nam re ipſa penitus conſiderata, hic latet anguis in herba, ſcilicet aut nequitia in muliere, aut ſimplex error in computatione. Nequitia, ſi mulier liberis carens, mortuo marito, ut ejus hæreditate & bonis frui poſſit, cum alio viro conſueſcat, ab eoque gravida fiat, & ſic undecimo, duodecimo, decimo tertio vel decimo quarto menſe poſt obitum mariti natum infantem defuncto marito adhuc adſcribat. Quæ nequitia tam frequens eſt, ut ubique terrarum per omnes curias judiciales perſtrepat; & hæc cauſa eſt, quod fere in ſolis hujusmodi viduis tales ſerotini partus contingant, rariſſime vero in iis mulieribus, quarum mariti cum ipſis vivunt & concumbunt. Simplex error etiam in computatione latere poteſt, quia mulieres utplurimum ingravidationis initium computant a prima menſtruorum ſuppreſſione: atqui fieri poteſt, ut menſtrua propter aliam aliquam cauſam duobus vel tribus menſibus ante conceptionem fuerint ſuppreſſa; tunc ſi mulier a primo ſuppreſſionis tempore computationem ſuæ imprægnationis incipiat, neceſſario errabit, & ſic per inſontem errorem putabitur infans naſci undecimo vel duodecimo menſe, qui tamen naſcitur more ſolito ad finem noni menſis. Quamvis etiam Andreas

Ottomarus Gœlicke in Medicina Forenſi hinc inde, contra Ammannum, ordinario partus termino latitudinem usque ultra undecimum menſem concedat, ipſe tamen *Specim. med. leg. Sect. I. Spec. II.* §. 2. *p.* 23. admonet, hanc talem qualemcunque partus latitudinem in poſthumis congruam eſſe oportere; quia alias metuendum ſit, ne vel mille fraudibus atque impoſturis viam pandamus, vel effreni impudicarum mulierum licentiæ fræna laxemus; quod tamen utrumque reipublicæ maxime pernicioſum foret. Et ibidem *de Part. octim.* §. 33. *p.* 51. ait: vigili ſemper ſtudio cavendum eſt, ne cum quibusdam terminum partus humani nimis arctis limitibus conſtringamus eumque in puncto conſiſtere putemus, vel cum aliis eundem juſto latius extendamus: Utroque enim modo vel matronarum honeſtarum famæ ac pudicitiæ vim faciemus, vel effræni mulierum impudicarum licentiæ fræna nimis laxabimus, quo tamen utroque vitio nullum in republica pernicioſius eſt. Quare omnes medicinæ practicos, poliatros inprimis, & medicos provinciales ſerio monemus & hortamur, ut, ſi vel de termino partus humani ſive citiore ſive tardiore, vel de ipſius vitalitate coram magiſtratu publice ipſis deponendum ſit, æqua judicii lance prudenter & circumſpecte omnes ponderent circumſtantias, nec quidquam contra propriam ſcientiam vel conſcientiam agant. Ab hiſce enim eorum judiciis pendent proximi honores, fama, bona, imo & ipſæ JCtorum deciſiones.

§. 21.

Menſis eſt duplex. Cum autem hactenus de menſibus partus egerimus, monendum adhuc, vocis menſis ſignificatum dupliciter ſumi, alius enim eſt ſolaris, alius lunaris; ſolaris dicitur, quo ſol triginta zodiaci gradus percurrit, eſtque perpetuo triginta dierum; Lunaris vero menſis apud Galenum eſt duplex, progreſſionis unus, alter apparitionis; progreſſionis appellatur ſpatium illud, quod ab uno lunæ coitu cum ſole usque ad alterum intercedit, eſt-

que

que viginti novem dierum cum dimidio. Menſis φάσεως ſeu apparitionis eſt tantum viginti ſeptem dierum, quia tres ſubtrahuntur dies, quibus quaſi abdita luna lumen ſuum non impertitur. Secundum alios finitur menſis lunaris ſpatio viginti ſeptem dierum, alii adhuc differunt; de quorum tamen computo, vid. Andr. Laurent. *Hiſt. anat. Lib. VIII. Qu. 30. fol. m. 331.* Joann. Fernel. *Conſil. medic. Conſil. 55. p. m. 133.* Roder. a Caſtr. *de Nat. Mul. Lib. IV. cap. 3. p. 179. ſeq.* Petr. Müller. *Diſput. de Jur. Prægnant. cap. 3. Theſ. 4. pag. 20.* Chriſt. Joh. Lang. *Phyſiol. Th. 40. Oper. Tom. I. fol. 251.* Mich. Bernh. Valent. *Pandect. medic. legal. Caſ. 24. pag. 84. ſeq.* Conr. Phil. Hoffmann. *de Part. Tempor. c. 2, §. 7. p. 27.* Franc. Valleſ. *de Philoſ. ſacr. cap. 83. p. m. 467.* Georg. Hier. Velſch. *Epiſagmat. Obſ. 74. p. 47.* Et Johannes Frid. Ortlob *Oeconom. Homin. Diſſert. 37. p. 289.* inquit: Communiſſimus, &, ſi experientiam conſulimus, verus etiam terminus partus videtur menſium præterpropter novem, ſi ſolares, dierum triginta, non vero lunares, dierum viginti octo concipiamus, ſic enim decem requirerentur. Ea propter etiam ſi hebdomadarum numero partus terminum deſcribere velis, vix ante trigeſimam octavam prodibit, & vix ultra quadrageſimam protrahetur partus, qui legitimus, & nec præpoſterus, nec juſto tardior habendus ſit.

§. 22.

Non autem ſolummodo uxores maritos ſuos, & viduæ defunctorum maritorum agnatos atque hæredes, ſed etiam quandoque meretrices rivales ſuos ſub prætextu partus ſerotini decipere ſtudent, ita ut ultimæ vel ipſum matrimonium, vel dotem, vel fœtus ad minimum ſuſtentationem judicialiter efflagitent; quale exemplum extat in Joh. Frid. Zittmann. *Medicin. Forenſ. Caſ. 58. p. 227.* de femina impudica, juvenem accuſante, quod eam anno 1667. die 10. Febr. imprægnaſſet, cum ipſa tamen anno demum ſequenti & die quidem primo Januarii, & *meretricum fraus.*

ita

ita poſt 325. dies, ſicque circa finem undecimi menſis a tempore congreſſus puellum pepererit. De quo caſu Facultatis medicæ Lipſienſis reſponſum *p. 229.* hoc eſt: *Als ihr uns eine Frage zugeſchickt und zu wiſſen begehret, ob auf Angeben S. E. B. mit welcher ihr euch* anno 1667. d. 10. Febr. *zwar fleiſchlich, iedoch* absque ejaculatione ſeminis *vermiſchet, ſie aber hernach mit andern zugehalten, und deren Liebe gepflogen, und erſt den* 1. Januarii 1668. *nemlich nach 325. Tagen, und alſo am Ende des eilfften Monats* a tempore veſtri concubitus (uti refertur) imperfecti, *eines Knæbleins geneſen, euch dieſer* partus naturali ratione *könne* adjudici*ret werden, und ihr vor des Kindes Vater zu halten ſeyd?* *alles nach Inhalt eines an uns abgelaſſenen Schreibens: So berichten wir, nach fleiſſiger und collegialiſcher darüber gehaltenen* Deliberation *hierauf, daß, wofern ihr alle angeführte Umſtænde gebührend* verificir*et, nemlich, daß ihr 1)* Semen revera *damahls nicht* emittir*et; auch 2) niemahls wieder mit dem Menſchen euch fleiſchlich vermiſchet, 3) daß ſie angeführter maſſen bald hierauf andern nachgelauffen und zugehalten; auch 4)* tempore geſtationis *der Vettel kein Unfall begegnet, um welches willen die Geburt længer im Mutterleibe hætte bleiben müſſen, auch bey ſolcher Bewandtniß dieſer* Partus, *als welcher am Ende des 11. Monats* (qui tamen pariendi terminus *bey uns gar* infrequens *und ungewöhnlich iſt, auch ſelten* pro legitimo *erkennet wird) gebohren,* naturali ratione *nicht könne* adjudicir*et werden, vielweniger ihr vor deſſen Vater zu halten ſeyd. Welches* &c.

§. 22.

brutorum partus. Cum circa præſentis ſectionis initium animalium quoque ſive brutorum partus termini mentio facta ſit, quod ſcilicet iisdem Ariſtoteles ac Plinius unicum, certum & ſtatum pariendi terminum tribuant, paucis adhuc aliorum ſententiam annectere liceat. Idem enim ſentit Jaſon a Pratis *de Uter. Lib. I. cap. 10. p. 147. ſeq.* inquiens, cætera animalia modo uniformi & ſimplici partus ſuos perficiunt. Unum enim pariendi tempus & idem

idem omnibus natura præſcribit, ita ut oves uterum ferant quinque menſibus, boves menſibus novem, canes ſexagenis diebus, equa menſes undecim, aſina duodecimo menſe parturiat, atque eadem ratio in cæteris. In homine certum tenorem non ſervat, modo properat, modo lenta eſt, modo præcurrit vota, modo demoratur. Et multiplex huic uni datum eſt pariendi tempus. Nam ſeptimo menſe, & octavo & nono eniti poteſt, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam in undecimum differunt. Secundum Georg. Frid. Rallium *de Generat. animal. Sect. VII. p. 365.* animalia grandiora diutius in utero latent, quam minora. Equas undecim menſibus, elephantes biennio uterum geſtare dicunt. Cuniculi vigeſimo nono vel trigeſimo die naſcuntur. Homines nono vel decimo menſe. Illud tamen partus tempus, non in hominibus ſolum, ſed in brutis quoque ſuam habet latitudinem, quanquam in illis majorem. Et ſi experientiam conſulamus, brutis etiam ſtatum pariendi tempus non eſſe, manifeſtum evadet. Ita elephantes decimo ſexto, etiam & decimo octavo menſe naſci, autores obſervarunt; ſic ex Ariſtotele conſtat, canem alias quarta, alias quinta, alias ſexta anni parte uterum geſtare, eosque, qui maturius in lucem prodierant, catellos pluribus diebus cœcos permanſiſſe, qui vero diutius in utero commorabantur, oculos poſt partum aperuiſſe. Johannes Matthæus *Quæſt. medic. XXIX. p. 110.* inquit: conſtat animalia certum & definitum pariendi fœtumque excludendi tempus habere. Sus enim poſt quartum a conceptione menſem, capra poſt quintum: cerva octo menſibus: camelus & mula duodecim: elephas biennio, teſte Ariſtotele, fœtum naturaliter utero gerunt. Juxta Joh. Huld. Streitterum, columbæ domeſticæ ſingulis menſibus novos educunt fœtus: Canis quarto parit menſe, equa nono &c. v. Greg. Horſt. *Oper. Tom. I. f. 463.* Plura de partus animalium, volucrium & piſcium tempore proponit Guilhel. Harvæus *de Part. p. 499. ſeqq.*

§. 24.

partus nonimeſtris quando ſuſpectus.

Juxta Conr. Phil. Hoffmann. *de Puerper. tempor. cap. 2. §. 13. p. 34.* ratione partus nonimeſtris quandoque quæſtio oritur: Si mulier poſt primi mariti obitum ſtatim alteri nupſerit, & menſe nono filium pepererit, utrum is cenſeatur a primo vel ſecundo marito conceptus? Et reſpondet: in decidenda hac quæſtione tot opiniones, quot capita inveniri, dum alii eum prioris mariti filium præſumi velint, alii contra pro ſecundo marito verba faciant; alii propter incertitudinem partum illum ad utriusque mariti hæreditatem admittendum eſſe, exiſtiment, alii ei alterius tantum hæreditatem concedendam putent, electione data ipſi, cujus eſſe velit; alii propter tantam dubietatem haſce hæreditates dividi, & utriusque dimidium huic dari cenſeant, alii denique neutrius eſſe filium exiſtiment & propter incertitudinem ab utriusque hæreditate excludi debere ſtatuant; quorum opiniones fuſius examinare Salmuthum atque Petrum Müllerum rationes in utramque partem adducere annectit Hoffmannus, ſeque breviſſimis expediens eum partum prioris mariti legitimum eſſe dijudicat, ex ea ratione, quod partus legitimus cenſeatur, licet poſt obitum patris die 240. 250. 260. vel 270. nono ſcilicet menſe vel ab initio, vel in ejusdem fine fuerit editus, diebus 270. pro novem menſibus computatis. De hac vero quæſtione allegatus Henricus Salmuth *Comment. in Guid. Panciroll. Lib. II. Tit. 10. p. 202. ſeq.* ſex opiniones autorum recenſens tandem concludit, quod inter hos autores merito referri debeat filiationis probatio, quæ & ipſa difficilis & pene impoſſibilis judicatur, ſive quia conjugalis cohabitatio & liberorum procreatio eſt aliquid de occultiſſimis, ſive quia etiam concubitu probato vel confeſſo, tamen generatio & conceptio inde probata non eſſet: cum vix ipſe pater unquam certus eſſe posſit de ſobole ſua &c. Deinde adducit etiam dictus Hoffmannus pro marito ſecundo conſilium facultatis theologicæ Roſtochienſis apud Georg. Dedekennum *Vol. III. Conſil.*

Lib.

Lib. IV. Sect. I. n. 17. fol. m. 439. ſeq. Ob der Partus *von 37. Wochen* legitimus *zu erkennen ſey?* ubi reſpondet: *daß dieſer* Partus, *der in der 37. Woche nach gehaltener Hochzeit gezeuget,* legitimus *ſey, halten wir, es könne ſolches von niemand geleugnet werden, es wäre dann, daß er aller* Medicorum *und* Phyſicorum ſententias, *auf welche ſich derer* Jurisconſultorum *Meynung gründet, umzuſtoſſen und nichtig zu machen ſich wolle unterſtehen.* Circa hunc tamen caſum, mea quidem ſententia, non adeo male factum eſſet, ſi quæſtio moveretur vel indagaretur, an talis femina in primo matrimonio liberos peperit? vel an perpetuo ſterilis permanſerit? Quodſi proinde per totum prioris matrimonii tempus cum marito in ſterilitate vixerit, ſtatim autem in ſecundi conjugii principio imprægnata poſtmodum trigeſima ſeptima a primo congreſſu ſeptimana infantem, & quidem omnibus partibus perfectum eniteretur, tunc ſane ejusmodi juſto maturior partus ſuſpectus mihi videretur.

SECTIO V.

De Abortu.

CAPUT I.

De abortus definitione & cauſis.

§. 1.

Cum ſecundum hactenus dicta fœtus excluſio vel ante, vel circa, vel poſt ordinarium pariendi tempus, quod ab omnibus, vel plerisque ſaltem medicis, noni geſtationis menſis finis, vel decimi initium ſtatuitur, fieri ſoleat, ille fœtus, qui ante tempus legitimum intempeſtive excluditur, medicis abortus appellatur, de quo hoc loco agendum nobis venit. *Abortus.*

§. 2.

Definitio. Duplici autem ſenſu vocabulum abortus medicis ſumitur, modo ſcilicet pro ipſo fœtu immature rejecto, modo etiam pro immaturi fœtus excluſione. Abortum enim definit Chriſtianus Marggravius *Prodrom. Medicin. practic. Sect. III. Tab. 33. p. 166.* quod ſit fœtus humanus, ante ſeptimum menſem excluſus, ſive vivus, ſive mortuus, nunquam tamen vitalis. Nonnulli informem, vel nondum adeo perfectum, uti & mortuum fœtum excluſum fœtum abortus nomine dignum cenſent; cui tamen ſententiæ alii non ſuffragantur, ſed fœtus humani nondum perfecti, ac modo mortui, modo vivi, ſed non adeo vitalis, ante legitimum partus tempus e gravidæ utero ejectionem pro abortu agnoſcunt; e. g. Joh. Gorræo *Definit. medic. fol. 21.* abortus Græce ἄμβλωσις eſt immatura & violenta fœtus excretio; juxta Joh. Beverov. *Quæſtion. epiſt. p. 219.* abortus eſt quaſi imperfecti & ante tempus maturationis fœtus prolapſus ſeu ante tempus & imperfecti fœtus excluſio. Et ſecundum Andr. Ottomar. Gœlick. *Medicin. Forenſ. Specim. med. leg. VI. p 99.* abortionis vocabulum denotat nobis præmaturam ſeu intempeſtivam fœtus humani, ſive vivi, ſive mortui, ex utero excluſionem vel ejectionem ante terminum partus ordinarium atque legitimum, quocunque graviditatis tempore a variis cauſis excitatam. Intempeſtivam dicimus iſtam fœtus excluſionem, partim ut illam partu naturali, quippe qui ſecundum conſuetum naturæ ordinem circa finem noni, vel initium decimi menſis ſolenniſſime obſervari ſolet, partim etiam a partu præmaturo diſtinguamus, cum partus ſeptimeſtris & octimeſtris ſit quidem præmaturus, non tamen ſtricto ſenſu abortivus dicendus; quia tales partus non vivi modo prodeunt, ſed & vitales ſunt, i. e. ſufficientem corporis organici conformationem acceperunt, ut, teſte experientia, in vivis quoque permanere queant: Cum econtra fœtus abortivus, quia primo conceptionis tempore ad ſexti menſis finem contingere poteſt, vivus quidem in lucem prodire, vitalis tamen permanere nunquam ſoleat. Notandum etiam venit,

quos-

quosdam autores illis quoque fœtibus abortus nomen tribuere, qui prioribus equidem graviditatis menſibus in utero materno obeunt, non autem ſtatim ex eodem excluduntur, ſed usque ad poſteriores menſes in eodem carcere permanent, vid. Gugliel. Fabric. Hildan. *Obſ. Chir. Cent. II. Obſ. 50. fol. m. 121.* Juxta Ariſtotelem *de Hiſtor. Animal. Lib. VII. cap. 3. fol. m. 434.* effluxiones vocantur, quæ intra ſeptimum diem corruptiones incidunt; abortiones autem, quæ intra quadrageſimum. Inquit etiam Joannes Riolanus *Anthropograph. Lib. VI. cap. 11. fol. m. 403.* ſi partus ordinarium terminum prævertat, abortus vel effluxus nominatur: Abortus, ſi fœtus dearticulatus appareat, effluxus ſi ſemen liquidum vel coagulatum intra ſeptimum diem excernatur. Et plures fieri in primo quadragenario abortus, quam in aliis omnibus, ait Franciſcus Valleſius *de ſacr. Philoſoph. cap. 18. pag. m. 132.* Quando fœtus ante congruum & conſuetum tempus dejicitur, qualecunque illud ſit, abortus nominatur, eſtque immaturi fœtus, minime vitalis, foras excluſio; uti ex Primeroſio refert Theophilus Bonetus *Polyalth. Tom. III. Lib. V. cap. 26. fol. 274.*

§. 3.

Quidam equidem ex medicis antiquis non adeo in laxo ſignificatu h. e. pro omni immaturi partus excluſione vocabulum abortus uſurpant, ſed tantum pro illa, quæ fœtui jam quoad omnes partes organizato, nempe circa ſextum vel ſeptimum geſtationis menſem accidit, illam vero, quæ primos duos menſes contingit, non abortum ſalutandum eſſe exiſtimant, ſed litem hanc circa vocabulum abortus Chriſtianus Johannes Langius *Prax. medic. cap. 24. Oper. Part. II. fol. 156.* non curat, cum hodie apud omnes omnino medicos illa generalis acceptio obtinuerit. De abortu primis graviditatis menſibus rejecto ita ſcribit Juſtus Veſti *Diſput. de Abort. §. 4.* a valore abortus alii excludunt anemium partum, ſeu conceptionis materiam rudem, inſtar veſiculæ, pilæ, molæ, ovi, aut alius hujus *quid propriè ſit?*

conditionis ſimilem maſſam, ſine nota evidenti fœtus excluſam & ad ἔκρυσιν, effluxionem magis referunt. Verum primis diebus, ſeptimanis aut menſibus excreta illa materia aut maſſa ſæpe primordia vel rudimenta fœtus continet, quæ accuratius contemplanti ſæpe microſcopii ope magis innoteſcunt, ideoque hæc etiam non omnino ex abortus claſſe expungi poſſunt. Modo itaque indicia fœtus appareant in maſſa, ab utero intempeſtivo tempore excluſa, ad abortum referenda eadem non male videtur. Ipſi autem Juſto Veſti *l. a.* hæc abortus definitio placet, quod ſit humani fœtus, nondum perfecti illiusque modo mortui, modo vivi, ſed non adeo vitalis, ante legitimum terminum ab utero gravidæ, p. m. commoto, ejectio: Multum autem, juxta Andr. Ottomar. Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. Sect. prior. pag. 5.* inter ſe mutuo differt vivum atque vitale. Vivus enim ſimul atque animatus eſt, & dici poteſt fœtus a primo ſtatim conceptionis momento, vitalis vero ab eo demum tempore cenſendus eſt, quo eam organorum corporeorum perfectionem adquiſivit, ut motibus animalibus æque ac vitalibus edendis habilis evadat. Unde conſequitur, vivum eſſe poſſe fœtum, utut non ſit vitalis, non tamen vice verſa. Item partus vitalis ab abortivo diſtinguendus eſt; ſiquidem abortus non ſolummodo intempeſtive excluditur, ſed & quoad plerarumque ſuarum partium & organorum conformationem imperfectus & immaturus eſt, adeo ut licet vivus eſſe videatur, ipſe tamen nec in libero aëre perdurare, nec nutrimento per os propter imperfectam & nondum plene abſolutam organorum alimentarium ſtructuram frui poſſit. Secundum Levini Lemn. *de Miracul. occult. Nat. Lib. I. c. 16. p. m. 93.* medici inter abortum effluxumque diſcrimen ſtatuunt. Effluxus ſiquidem fit, cum ſemina primum aliquot dies conglobata ob uteri lævorem ac ſubtilitatem præmature effluunt ac delabuntur, ſic ut informe quiddam profluat, ac rudimentum futuri fœtus, operisque inchoati adumbratio, quod ipſum deperit atque excutitur. Abortus vero membra

exacte

exacte plerumque conformata demonſtrat, qui ubi duos & quadraginta dies impleverit, animæ rationalis vitæque munere potitur. Juxta Michael. Ettmüller. *Colleg. pract. Oper. Part. II. fol. m. 1108.* Græci rectius rem diſtinguunt pro varietate temporis, dum ſcilicet ejectionem ovi ab abortu proprie ſic dicto & fœtu mortuo accurate diſtinguunt; Nam Græci habent ἐκπολὴν, (ἐκβολὴν) & ἔκτρωμα: ἐκπολὴ proprie eſt ovi excluſio ſeu rejectio conceptus ſeu fœtus non formati ſub forma ovi, quale exemplum in Hippocratis ſcriptis reperitur: ἔκτρωμα vero eſt abortus ſeu ejectio fœtus jam conſtituti; Ἐκπολὴ ſeu ovi hæc ejectio fit intra ſex primas a conceptione ſeptimanas: poſtmodum conceptus a formatione ad decimam ſextam ſeptimanam vel ad tempus motus, vocatur ἔκτρωμα: Nam poſt quartum menſem, ubi fœtus moveri incipit, a medio geſtationis tempore ad verum partus tempus, dicitur fœtus mortuus. Ergo abortus ordinarius eſt, qui venit ante tempus motus, prout quidem feminæ motum æſtimare ſolent; poſt motum vero perceptum in femina, dicitur fœtus mortuus, quæ ipſa tamen a Latinis ſub generali abortus nomine comprehendi ſolent. Notandum quoque eſt ſecundum Chriſtian. Joh. Lang. *Oper. Part. II. l. a. pag. 157.* abortus appellationem, ſi ſeptimo aut octavo menſe fœtus imperfectus quidem quoad quasdam partes, nihilominus tamen vitalis excludatur, non æque in uſu eſſe, ſed potius per partum præcocem, *frühzeitige Geburt*, exprimi a noſtratibus mulierculis. Partum ſeptimeſtrem non eſſe abortum ſcribit M. Antonius Ulmus *Phyſiolog. Barb. cap. 7. fol. 25.* Et Hermanno Frid. Teichmeyero *Inſtitut. med. legal. cap. 10. p. 65.* abortus vocabulum multis modis accipitur, 1) ſub abortu continetur effluxus, Græcis ἔκρυσις, & eſt conceptus ejectio, quæ intra ſeptimum diem fit, 2) ἐκτρωσμὸς, quæ intra quadrageſimos contingit. Diſtinguunt nonnulli, e. g. Nonius Marcellus, inter aborſum & abortum: aborſumque dicit eſſe, qui primis fit menſibus, ubi conceptui factum eſt exordium; Abortum vero,

ro, qui prope tempus pariendi obvenit. 3) Abortus dicitur fœtus præternaturalis excluſio, quæ ante diem ſibi a natura deſtinatum, non ſponte, ſed ex aliqua vi, contingit, qualem abortum promovent illæ, quæ ita infamiam ſuam, aut impudicitiam, impio conatu, tegere volunt.

§. 4.

Abortus veſicalis. Dari autem, uti in antecedenti paragrapho meminimus, abortus veſiculares, ſine fœtu, probat Georg. Hannæus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 114. pag. 221. ſeq.* de abortu bulliformi: Uxori, inquiens, piſtoris, tredecim antea liberorum matri, ſiſtebatur ſua ſponte lunare tributum, unde ſe gravidam ſuſpicata eſt, intumeſcente ſenſim, una cum mammis, ventre, per ſeptimanas octodecim, ipſa aliquot menſes lecto affixa tenebatur: Menſe autem quarto poſt prima hominis (ut ſuppicabatur) inchoati indicia, ſolvuntur occluſa muliebris profluvii repagula, continuata per duos dies, nec intermiſſa vacuatione. Advocata obſtetrix partui vicinam graviſſime afflictam offendit, & de atrociſſimis ventris lancinationibus immane quantum conquerentem; tandem fluere ſponte cœperunt aquæ, partus prænunciæ, cum novis doloribus, nec ita multo poſt uterus cum fœtore mephitico effundit magma oculeum (bullulis, quas conflant ex aqua & ſmegmate pueri, quam ſimillimum) & quidem in tanta copia, ut tres impleviſſet cantharos, atque eo amplius. Cum jam illuc perventum eſſet, ut exploraret obſtetrix, intusne latitaret ſecundina quædam, extraxit aliquam membranam, in qua inuſitatus hic habitaverat abortus, ceſſantibus brevi torminibus &c. De duobus abortibus humanis oviformibus intra annuum ſpatium ab eadem matrona editis, videatur Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 191. pag. 350.* quorum ovorum abortivorum unum anno 1701. die 26. Octobris infra, alterum 1702. d. 21. Junii ſupra ovi columbini magnitudinem erat, & ambo undiquaque villis obſita.

Ante

Ante viginti aliquot annos ſenatoris cujusdam Dreſdenſis uxor poſt dolores non adeo vehementes veſiculam pellucidam digitique longitudinem fere æquantem & aqua limpida repletam, cui embryo, extremum minimi digiti articulum magnitudine non ſuperans innatabat, a terrore perculſa per uterum rejiciebat.

§. 5.

Licet etiam abortus differat a mola ſeu rudi illa maſſa carnea, quæ utplurimum circa tertium geſtationis menſem rejici ſolet, nullumque embryonem continet, ſicque ad abortum non pertinet. Quod ſi vero in ejusmodi maſſa, licet etiam primis ſeptimanis vel menſibus fuerit expulſa, vel poſt inſignes dolores extracta, embryonis rudimenta atque initia obſerventur, non immerito tales maſſæ abortibus annumerari poſſunt, qualia exempla non ſemel in praxi obſervare mihi licuit, in quibus minutiſſimi embryones ad apis magnitudinem & ultra incluſi latitabant. De abortu cum mola ſubſequente obſervationem communicat Benedictus Gullmannus *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. VII. Obſ. 92. pag. 217. ſeq.* item Phil. Jac. Hartmann. *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 84. pag. 180. & An. 10. Obſ. 57. pag. 246.* De mola prægnante abortus cauſa diſputationem inauguralem habuit Joh. Gottlieb Vaterus *Witeb. 1729.*

in mola fœtus.

§. 6.

De abortu, in cujus placenta uterina embryo cum propria ſecundina incluſus erat, hanc obſervationem recenſet Johannes Daniel Geyerus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 133. p. 457.* honeſta femina Manhemii rediit ex thermis Wisbadenſibus, quibus ob ſingularem & inconſuetum ventris tumorem uſa erat, atque tunc demum ſe gravidam ſentiebat. Domum reverſa læta circa medium noctis ingentes patiebatur niſus & dolores, adeo ut nil juvantibus cordialibus, confortantibus aliisque, lochia ante partum profluerent, ipſa fœtu cum ſua placenta ſub-

in abortus placenta embryo.

ſequente, qui vivus perfectusque in omnibus erat primo, ſed, accepto prius ſacro fonte, exſpirabat. Quum vero penitius ſecundinam inſpicerem, quæ non uti fere plerumque oblonga, ſed plana & rotunda erat, inveni eam circumdatam tenaci membrana, inque hac incluſum alterum filiolum ad ſpithamæ longitudinem, cujus funiculus umbilicalis inſertus erat propriæ placentæ, quæ alteri fortiſſime connexa erat. Hic embryo in omnibus erat perfectus, niſi quod ungues deficerent; interne cerebrum & hepar erant putrida, cor vero inſtar cordis alaudæ, renes inſtar phaſeoli, funiculus umbilicalis inſtar pennæ inſertus hepati & veſicæ, pudenda, aures, oculi glauci, palbebræ, omnia ſalva. Hinc inter obſtetricem & mulieres adſtantes orta erat quæſtio, an uno eodemque tempore hæc conceptio facta fuerit, an contra? Dubio procul per ſuperfœtationem. vide etiam Nicol. Blegny *Zodiac. Medico-Gallic. An. 1. Januar. Obſervat. 8. pag. 8.*

§. 7.

Abortus cauſa. Abortus cauſa proxima, propter quam embryo vel fœtus in carcere uterino per ordinarium geſtationis tempus non retinetur, ſed ante legitimum partus terminum excluditur, latet in ipſo utero, quando nimirum ob præternaturalem ipſius coarctationem vel etiam nimiam laxationem fœtum diutius retinere non poteſt. Juxta Michaelis Alberti *Introduction, in univerſ. Medicin. cap. 2. §. 69. pag. 37.* in negotio generationis requiritur & obſervatur inter animam fœtus & animam matris accuratus conſenſus: diſſentiente enim anima matris neque conceptio contingit, neque fœtus continetur, ſed iterum per abortum ejicitur. Imprimis etiam plethora ſeu nimia ſanguinis quantitas & abundantia ejusque ad uterum affluxus inibique effluxus pro cauſa agnoſcitur; inquit enim Franciſcus Sylvius *Prax. medic. Lib. III. cap. 4. §. 60. pag. edit. Amſtelod. 531.* in abortu paucis poſt conceptionem hebdomadibus evenien-

niente cauſa ſatis frequens eſt ſanguinis plethora, propter quam vi expellitur fœtus laxius utero adhærens, nec ſanguinis copioſi egreſſum quærentis ac in utero invenientis impetum ſuſtinere valens.

§. 8.

Plurimæ cauſæ abortus remotiores vel occaſionales tam externæ, quam internæ, aliæ ad corpus, aliæ ad animum pertinentes, apud autores reperiuntur, de quibus vid. Roderic. a Caſtr. *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 4. p. 448. ſeq.* Franc. Sylv. *l. a. pag. 531. ſeqq.* Lazar. River. *Prax. med. Lib. XV. Tom. II. cap. 17. p. m. 399. ſeq.* Joh. Muralt. *Colleg. anat. Lect. 12. pag. 200.* Joh. Dolæi *Encyclop. medic. Lib. V. cap. 6. pag. 917. ſeqq.* Joann. Juncker. *Conſpect. Medicin. Tab. 112. pag. 702.* Juſti Veſti *Diſput. de Abort. pag. 8. ſeqq.* Chriſt. Joh. Lang. *Oper. med. Part. II. fol. 157. & Part. III. Diſp. 41. fol. 547. ſeq.* Chriſt. Marggrav. *Prodrom. Medicin. Practic. Tab. 33. pag. 166.* Andr. Ottomar. Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. med. legal. 6. §. 2. pag. 100.* Joh. a Muralt. *Hippocrat. Helvet. pag. 3. ſeqq.* Alexand. Benedict. *de Re med. Lib. XXV. fol. 479.* Nicol. Grimberg. *Obſerv. med. 112. pag. 198.* Scipion. Mercur. *della Commare Lib. II. cap. 17. pag. 210 ſq. & cap. 18. p. 215. ſeq. M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 100. Sch. p. 231. ſeq.* Sigism. Rupert. Sultzberger *Diſput. de Abort. cap. 5. & 6.* Fel. Plater. *Prax. Tom. III. fol. 474. ſeqq.* Thomas Burnet. *Theſaur. Medicin. pract. Lib. I. pag. 3.* Hier. Mercurial. *Lib. II. cap. 1. in Iſ. Spach. Gynæc. f. 226.* Joh. a Muralt. *Hippocr. Helv. p. 3. ſq.* Juſti Veſti *diſput. de Abort.* reſpondente Joh. Chriſt. Mezler. *pag. 8. ſeqq.* Franc. Torreblanca *de Magia Lib. II. cap. 43. pag. 310.* Dionis *des Accouchem. Liv. II. chap. 14. pag. 174. ſeq.* *variæ.*

§. 9.

Ut autem ejusmodi a variis autoribus adductas abortus cauſas exemplis probemus, ad animi affectus & quidem *Terror.*

ad

ad terrorem progredimur. De abortu ex terrore ſcribit Baldaſſar Timæus a *Güldenklee Reſponſ. 48. Oper. med. pract. fol. 1080.* femina quædam gravida iter faciens inopino terrore perculſa fœtum abortu excluſit. Cui obſervationi ſequentem annectit: refert Lalantius, mulierem quandam gravidam, probam alioqui & integræ pudicitiæ, ſolam domi oſtiis apertis, ante focum in humili ſella ſedentem, oſtio averſam attentius acum tractaſſe: quo tempore ſupervenit tacite ex familiaribus nonnemo, qui ſellam inopinato mulieri per jocum ſubtraxerit, quo factum, ut mulier ſella avulſa in terram procideret, & ſubitaneo terrore perculſa abortu fœtum ejiceret. De abortu per terrorem procurato reſponſum facultatis medicæ Giſſenſis communicat Michael Bernh. Valentini *Pandect. med. legal. Part. I. Sect. II. Caſ. 17. pag. 203.* Valentinus Melchior uxori gravidæ Juſti Dammii ſub crepuſculo veſpertino gravibus comminationibus de verberibus, ſcipione illi inferendis, acriter inſtitit, quo facto hæc mane inſequenti, appropinquante luce, infantem demortuum in lucem edidit; unde quæritur, à qua cauſa fœtus in utero ſit mortuus? & quæ cauſa ſit, cur fœtus intempeſtive & immaturo tempore in lucem ſit editus? Ad primam quæſtionem reſpondet dicta facultas, quod, ut alii affectus animi, ita quam maxime & præ aliis terror ſubitaneus metusve in corpus humanum ejusque ſanitatem vim quandam exercendi multum valeant, & occaſione tumoris ſubitanei & vehementis quidam perierint. Poſtquam ergo deponentibus teſtibus adhuc ante litem obortam & tumultum illum infans in utero materno ſe commoverat, & ita vita usque gaviſus fuerat, ob rixam autem commotam additasque minas mulier gravida in terrorem acta fuit, & quidem ita, ut tenebræ ob oculos verſari viderentur, præterea etiam ictus quidam cubito abdomini ejus inflictus acceſſerit. Mortuo autem infantulo mirum non fuit, naturam, quæ incommoda minus neceſſaria tolerare & perferre nequit, eundem, tanquam inutile pondus ejeciſſe

ciſſe, unde abortus provenit. *vid. etiam Caſ. 21. pag. 221.* De abortu a tonitru exaudito & horribili ſpectaculo viſo, v. Martin. Weinrich. de Monſtr. De fœtu lethali a terrore prægnantis ſequentem obſervationem recenſet Simon Scholtzius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 83. pag. 158.* Conjux mea prima chariſſima prægnans, & quidem circa initium noni menſis anno 1656. die 4. Novembris ſana & vegeta inter cœnam ad menſam ſedens cibumque ſumens, inopinato metu percellitur, audito ſigno campanæ incendium in urbe indicantis, ſcilicet in nova civitate, ubi conſulis domus tota conflagrata. Tum illa eo ipſo temporis momento male habere cœpit motumque infantis per triduum nullum ſenſit, ſequentibus vero diebus admodum debilem: obambulavit tamen & munia domeſtica pro viribus expediit, & licet variis fœtum & matrem roborantibus uſa eſſet, die tamen undecima menſis iſtius, mane ipſam dolores graviſſimi, partum præcedere ſoliti, adorti ſunt, qui tandem circa horam decimam antemeridianam ſucceſſit, & ſatis feliciter, filiolo quidem perfecto, ſed poſt S. Baptiſmum tantum bihorium vivente in lucem edito, cujus totum ſiniſtrum latus a capite usque ad calcem colore flammeo conſpiciendum erat. Mihi quoque duorum fœtuum abortus a terrore exortus notus eſt, quorum alter ſtatim epilepſia extinguebatur, alter vero per quatuordecim dies ſatis ſanus equidem vivebat, ſæpius autem poſtea inſultus epilepticos patiebatur. Ad ejusmodi animi pathemata facit etiam ſonus tormentorum, bombardarum & tonitru. Sic Schaumburgi novit Johannes Dolæus feminam, quæ, ſi fœtus æſtatis tempore non fuerit ſeptimeſtris, ab audito tonitru ſemper abortum paſſa eſt. vid. *ejusdem Encyclopæd. med. Lib. IV. cap. 6. p. 920.* Aliud exemplum feminæ poſt tertium ab impprægnatione menſem media nocte ex incendio terrore ingenti concuſſæ, & inter curſitandum ad terga delapſæ tertioque abhinc die cum prævio fluxu cruento puſilli fœtus ſtamina infauſto niſu excludentis,

 refert

refert Sylveſter Samuel Anhornius *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 133. p. 223.* De abortu ex territione, inquit Hermannus Fridericus Teichmeyerus *Inſtit. Medicin. legal. cap. 25. p. 249.* omnes medici recentiores ſtatim poſt impraegnationem animam fœtui accedere, ſtatuunt. Sequitur ideo, quod nec territio verbalis in gravidis locum inveniat. Nam terror omni tempore abortum promovere poteſt &c. Cum uxor quædam gravida vicini ſui infantulum ex alto quodam muro in terram corruere videret, ſupra modum perterrefacta fuit, nihil aliud ſibi perſuadens, quam infantulum iſtum omnia ſua confregiſſe membra: & aut in ipſo caſu, aut paulo poſt vitæ ſuæ finem facturum: cum tamen ne minimam quidem læſionem ex caſu iſto, quantumvis periculi pleno, receperit. Manſit vero gravida iſta in iſtis anguſtiis & animi perturbationibus per aliquot ſeptimanas. Tandem non abſque maxima difficultate fœtum edidit, ſed mortuum, habentem omnia ſua membra veluti confracta & mirum in modum contorta. vid. Guil. Fabric. Hildan. *Epiſt. ad Mich. Dœringium Oper. fol. 900.* ubi plura exempla.

§. 10.

mœror. A mœrore excitatum abortum in propria uxore annotavit Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 100. p. 230.* inquiens: Conjugi J. M. dilectiſſimæ, viginti octo annos natæ pluriumque liberorum matri & jam denuo per quinque menſes gravidæ, cum ob luctum & mœrorem animo vehementer varieque commoveretur, accidit, ut die 15. Januarii anno 1682. humorem viſcoſum & albidum utero copioſe redderet & poſtea diebus novem continuis. Octavo morbi die ſimul effluxit momentum ſanguinis citra dolorem. Quam evacuationem brevi ſecuta eſt membrorum debilitas & corporis ardor vagus ac per intervalla recurrens. Abfuit tamen pariendi ſtimulus & præcordiorum anguſtia, & facultatum naturalium languor.

Tan-

Tandem die undecima nullo pariendi conatu ſponte edita eſt filiola in vita etiamnum ſuperſtes, & exinde per quadrantem horæ vitali aura tantiſper uſa eſt, dum extingueretur. De abortu a triſtitia vid. Joh. Nicol. Binning. *Obſerv. Cent. IV. Obſ. 11. p. 387.*

§. 11.

Cum timor ſeu metus quandoque mortem cauſetur, non mirum, eundem etiam in mulieribus gravidis abortum excitare poſſe. Viduam autem primariam ſolo metu concepto fati neceſſitatem ſibi acceleraſſe, novit Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. IV. Hiſt 76. p. 386.* ubi ſequentia annectit: vetula domeſtica timidiuſcula viſum ſibi funus ex ædibus efferri narrabat, quo perterrita vidua ſtatim lectum petiit, & ad mortem devoto animo ſe compoſuit: Et Romæ mortuus me præſente, pergit Bartholinus, vir eminens, cui in thorace circa cor ſanguis concretus mortis cauſa credebatur, natus ex timore in mari concepto, cum iniquitate ventorum agitatus Genua ſolveret in Sardiniam trajecturus. De morte metu illata Johannes Rhodius *Obſ. med. Cent. I. Obſ. 45. p. 29.* non ſolum ex Dionyſio Fontanono quadraginta circiter militum ſine ullo vulnere ſolo timore peremtorum meminit, ſed etiam a viris fide dignis ſe accepiſſe addit, ruſticos Venetorum allectos militiæ adhuc tirones in bello Fori Julii edito prælii ſigno exanimatos. Juxta Thom. Campanell. *Medicinal. Lib. VI. Cap. 1. Art. 2. pag. 311.* quidam ſcholares ſeu ſtudioſi cuidam dixerunt, quod palleret facie & morbi præſentis indicia in eo eſſent; tunc profecto domum alii ſcholares dixerunt: Tu es pæne mortuus. Bone Deus, quomodo ambulas, tam mala ſigna mortis in aſpectu ferens? Qui perſuaſus vocibus multis decubuit, ægrotavit & mortuus eſt. *timor.*

§. 12.

Ab horrore abortum concitari poſſe, ſequentibus obſervationibus recenſet Chriſtianus Franciſcus Paullini *de Theriaca* *horror.*

cœleſti

cœleſti Sect. II. P. III. membr. 9. cap. 1. pag. 301. Mulier octodecim annorum aſſidens cum marito menſæ ex improviſo lapſu araneæ in poculum coram ea poſitum, adeo exhorruit, ut certo abortire videretur. Secta autem vena datisque remediis idoneis, ſtato quidem tempore peperit, ſed puellam valde languentem, undecimo die a partu morientem. Infelicior ſane fuit mater Johannis Antonides van der Linden, quæ cum gravida forte in promeridiana concione dormitaret, profundiuſcule, & ad excutiendam auditoribus ſomnolentiam, qui erat a concione magna vehementia percuſſo ſuggeſtu intonaret, illa velut tonitru excitata percellebatur tanto pavore, horrore, tremore, ut e veſtigio vincula lumborum ejus ſolverentur, genua inter ſe colliderent, uterus ſua clauſtra reſeraret, ac vix domum delata quadrimeſtrem fœtum abortiret, cum tanta ſanguinis profuſione, ut longo tempore vires reſumere non poſſet. Hinc utero oborta fuit imbecillitas tam magna, ut fœtui deinde continendo prorſus eſſet ineptus. Nam poſt illum diem novies abortiit, bis peperit, neutrum vitalem.

§. 13.

Ira. Quantum ira gravidis ipſarumque utero incluſis fœtibus noceat, inter alia docet abortus exinde excitatus. Siquidem juxta Joh. Muralt. ira & triſtitia abortus cauſæ habentur, illa inordinate ſpiritus & ſanguinem commovendo, hæc figendo &c. v. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 100. Schol. p. 232.* Meminit enim Johannes Georgius Segerus *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 112. p. 387.* mulieris cetera ſanæ & felices fœtus edere ſolitæ, quæ duas horas poſt effuſam iram fœtum quatuor menſium abortiebat cum inſigni ſanguinis profuſione. Vitus Riedlinus filius, *Obſerv. med. 87. p. 202. ſeq.* Stuttgardiæ 1686. feminæ cuidam gravidæ vir ebrius pugno frontem percusſit, unde valde excanduit, ipſoque in tumultu lumbos inſcia alliſit: Poſt horæ quadrantem ſupervenit larga hæmorrhagia uteri; ſequenti hora ſecunda

da pomeridiana abortiit, referente Johanne Jacobo Wepffero *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. CL. p. 307.* Abortum ex ira cum retenta ſecundina refert, vehementer, inquiens, irata fuerat ancillæ mulier quædam viginti octo annorum, qua de cauſa quoque quarto jam menſe gravida eodem adhuc die fœtum maſculum dejecit, omnibus tamen membranis fœtum alias circumvolventibus, aliisque annexis, in utero relictis, tam ingens ſanguinis fluxus ſubſecutus fuit, ut & lipothymiæ aliquoties acceſſerint &c. Iram feminis abortum ideo provocare, quia vis acrimoniæ bilis vaſa umbilicalia plus æquo afficiens ad ſolutionem nodi umbilicalis ſollicitet, ſcribit Honoratus Faber *de Homin. Lib. V. Propoſ. 47. p. 433.*

§. 14.

Abortum cauſantur etiam odores fortes, tam fœtidi, quam ſuaves ſeu grati; ad illos pertinet fœtor candelarum extinctarum, vel fumus carbonum extinctorum, de quo ex Mauriceau exemplum allegat Michael Ettmüllerus *Oper. Part. II. fol. 1103.* Secundum verba Juſti Veſti *Diſput. de Abort. Reſp. Mezlero* §. *21. p. 12.* fumo carbonum repletus aër ſuffocationi aliarum aque ac gravidarum perſonarum, uti & abortui adminiculum conferre valet. De fumo & fœtore extinctarum candelarum aliarumque rerum ſicuti nullum eſt dubium, juxta plurium opinionem, quod abortum cauſetur, ita mulieribus pluribus ac gravidis præſertim offenſus eſt graveolentium odor, unde pariter Lipothymiam contrahunt, & fœtui abortus imminet. Ad abortum cauſandum etiam fœtor candelarum quicquam confert, quem malitioſæ feminæ ſtudio ad abortum promovendum excitant, inquit Michael Alberti *Jurisprud. medic. cap. 6.* §. *7. p. 129.* Et juxta Sigism. Rupert. Sulzberger. *Diſp. de Abort. cap. 6.* aër quivis fœtidus & craſſus, præcipue vero is, qui ex cloacis & fœdis paludibus exhalat; imo aër ille fumoſus ab extinctis candelis miſerum fœtum ſuffocare poteſt. De urinoſi odoris vi in ovibus abortum cauſandi ſequentem obſervationem refert Joh. Da- *Odores.*

vid Marchardus *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. V. Obſ. 38. p. 59. ſeq.* inquiens: pernoctandum mihi erat aliquando apud amicum, cujus filia ægrotabat. Summo mane audio diſcurrentem familiam & anxie narrantem domino, hac nocte iterum duas oves interiiſſe, & tertiam in agone verſari. Venit paulo poſt in conclave, quo recubueram, dominus, theriacam quæſiturus; interrogatus de tumultu percepto mœſtus refert, quatuor jam oves intra triduum ex abortu mortuas; deſcendens cum ipſo in ovile obſervo illud duobus parietibus ſub terra latitare, tertio fimi acervo contectum & quarto plurimo ſtramine coopertum; ita enim putaverat paterfamilias ſe contra hyemale frigus optime ſuis ovibus conſulturum. Odor autem urinoſus in eo tantus erat, ut ne per momentum ibi ſine deliquio manere ſuſtinuiſſem; jubeo hinc protrahi oves, tam mortuas, quam agonizantem, & jamdum animam efflantem, video omnes abortum paſſas, ita ut ſimul ex corpore propenderet uterus, cum fœtu adhuc incluſo.

§. 15.

roſarum odor. A roſarum odore abortum annotavit Alphonſus Rhonius *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 80.* de muliere prægnante, fragranti roſarum odore hyſterica facta, quæ fœtum mortuum gelidum ante tempus excluſit, *p. 158.* Opificis ſcilicet cujusdam conjux, ultimis duobus menſibus gravida, una cum fœtu jugiter ſeſe movente, optime valens, ex curioſitate vicinum defunctum variis ornamentis & floribus involutum conſpiciens, inter alia fragrantiſſimo roſarum odore nares valde penetrante, hyſterica paſſione ſtatim fuit correpta, atque adeo attonita ſtetit, ut a domeſticis in domum propriam reportari neceſſe habuerit, tunc illico ſudor frigidus per univerſum corpus largiter erupit, dolores parturientibus affines ſeſe repræſentarunt, ipſe partus permaturus, ſed mortuus excluſus & quidem omnino gelidus.

§. 16. Ad

§. 16.

Ad varios affectus uterinos camphoram a medicis adhiberi ſatis notum eſt; & Johannes Daniel Horſtius aliquot virgines furore uterino correptas fidei & curæ ſuæ commiſſas habuit, quibus potiſſimum ſolatium fuit incenſa camphora in aqua aut cereviſia pro potu ordinario exſtincta. vid. Thom. Bartholin. *Epiſtol. medic. Cent. III. Epiſt. 39. p. 147.* Quandoque tamen etiam, imprimis mulieribus gravidis noxia deprehenditur, uti Petrus Borellus *Hiſtor. & Obſerv. med. Cent. II. Obſ. 98.* de miro abortu annotavit, mulier quædam, inquiens, cum ſæpe camphoræ pyxidi inſediſſet, abortum paſſa; camphora enim vim miram habet ad matricis quaſi vomitum (ſi ita loqui liceat) excitandum. *Camphora.*

§. 17.

De manna, abortus cauſa, hanc obſervationem communicat Gothofredus Schultzii *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 241. pag. 355.* Anno 1675. menſe Majo Vratislaviæ quædam femina ſeptimo menſe gravida ictero corripiebatur, cum appetitu proſtrato, ſiti ingenti & alvi obſtructione pertinaci. Ex conſilio obſtetricis aſſumit mannæ in juſculo carnium ſolutæ unciam unam, a qua alvus eo die aliquoties ſolvitur: ſub noctem vero frequentes dejectiones cum torminibus ingentibus eandem defatigant adeo, ut tandem ſub lucis exortum partus doloribus correpta paullo poſt puellum vivum, debilem quamvis ederet. Natus hic, vel ipſa teneritudine immaturitatem ſuam teſtatus, æque ac mater laborabat ictero & totus bile tinctus erat &c. *Manna.*

§. 15.

A dyſenteria abortum ſequenti obſervatione deſcribit Carolus Joſephus Müllerus *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 160. p. 324.* Juvencula femina gravida inde a tribus menſibus anno 1686. Octobri menſe ex eſu fructuum horariorum & uvarum dyſenteria corripitur tam atroci, ut ſingulis horis duodecies magno *Dyſenteria.*

Yy 2 cum

cum cruciatu diu noctuque dejiceret, & dejectionum numerus nycthemeri ſpatio ad trecentas excreſceret. Septiduum vero jam affligebat morbus, cum inopinanter ſanguis utero fluere incipit hora decima noctis, certiſſimo metu futuri abortus & paulo poſt ipſa puerulum mortuum enixa eſt. Abortum a dyſenteria annotavit etiam Franciſcus Mauriceau *Obſerv. 13. p. 9.* inquiens: Le 18. Novembre 1669. j'ay accouché une femme d' un enfant de ſix mois, qui eſtoit encore vivant, non obſtant, que la mere euſt eu depuis deux mois & demy un flux dyſenterique, qui aprés l'avoir fait ainſi accoucher prematurement, luy ayant encore continué aprés ſon accouchement, la fit mourir dix jour enſuite.

§. 19.

Hæmorrhagia per uterum.

Plethoram vel ſanguinis copiam abortum excitare, monſtrat Fridericus Hoffmannus *Medicin. rat. ſyſtem. Tom. prior. cap. 13. §. 11. p. 348. ſeq.* inquiens: Quando orificia vaſorum uteri, ex quibus ſuccus nutritius a villoſa placentæ ſubſtantia recipitur, ſanguinis copioſi impetu nimium diſtenduntur & aperiuntur & ſecundina divellitur, fit abortus, qui eſt contractio uteri convulſiva fœtum ejiciens. Abortui ſemper præcedere ſolet enormis uteri hæmorrhagia & plerumque circa menſem tertium vel quartum fit. Hæc vero ſine nimia diſtenſione & apertione vaſorum uteri contingere nequit, qua non modo ſuccus nutritius, cujus vehiculum ſanguis eſt, infanti detrahitur, ſed & ſecundina ab utero ſeparatur atque avellitur, quia ejus conjunctio cum tenuiſſimis vaſorum uteri orificiis amplius perſiſtere nequit. Quodcunque itaque impetum ſanguinis ad uteri vaſa urget, eumque ad ſpasmodicas contractiones diſponit, id abortum quam facile provocat. Quomodo menſtruorum fluxus abortum moveat, docet Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. XVI. p. 246. & 258.* Menſtruorum profluvium gravidis feminis quandoque abortum cauſari, teſtatur Guilhelmus

Fabri-

Fabricius Hildanus *Obſervat. chirurg. Cent. III. Obſ. 59. p. 243.* Honeſta, inquiens, matrona & uxor M. Ludovici Weberi, civis Moratenſis, cum anno 1608. utero geſtaret, continuo menſtruali fluxu vexabatur, tamen abſque cauſa manifeſta. Verum cum vix tertii menſis geſtationis finem attigiſſet, & 25. Junii noctu parturientium doloribus correpta eſſet, protinus & antequam matronæ accurrerent, fœtum cum multo ſanguine & humore feroſo enixa eſt. Hæmorrhagiam uterinam in uxore quadam triginta & quod excurrit annorum, aliquot liberorum matre, per quatuor circiter menſes cum dimidio rurſum gravida, cum fœtus immaturi excluſione obſervavit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſerv. 84. p. 318.* Ibidem etiam *p. 321.* admonet Harderus tyrones & chirurgos, comparente ſanguinis tali profluvio, ad enitendum feminas temere adigendas non eſſe, fœtu etiam maturo exiſtente, ſed expectandum pauliſper, ne ejus fluxum, concitato ſpirituum motu, magis promoveamus. Porro Johannis Theodorici de Schœna uxor tres abortus paſſa fuerat, cum Bernhardo Verzaſchæ referret, tres illos abortus copioſam uteri hæmorrhagiam per quinque dies anteceſſiſſe. vid. Verzaſch. *Obſ. 82. p. 195.* Cauſam, cur a menſium fluxu abortus oriatur, hanc reddunt plerique medici, quod tunc temporis ſanguis menſtruus non æque per vaſa vaginæ, quam cavitatis uteri evacuetur, atque embryonis ſeu fœtus placentam ab uteri ſubſtantia ſeparet atque divellat, cui ſententiæ Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. 16. p. 246.* alias etiam ſanguinis addit profuſiones, quæ fœtui nutrimentum hujusque impulſum ſubtrahit, ita ut, antequam guttula ſanguinis ad uteri ſinum effundatur, ille jamdum exſpirarit. Abortiens femina, circa finem tertii ingravidationis menſis crebriores per aliquot dies paſſa hæmorrhagias narium, nota fuit Chriſtiano Franciſco Paullini, uti refert *Tract. de Theriac. cœleſt. Sect. II. p. 299.* De abortu a plethora & fluxu ſanguinis in gravidis vid. *Hiſtor. Morbor. Vratislav. An. 1702. p. 73.* Et *Ephemerid. Nat. Curioſ. Cent. I.*

& II. Obſ. 146. p. 303. ſeqq. Mich. Albert. *Juriſpr. medic. Part. poſt. Caſ. 49. p. 505. 510.* Franc. Sylv. *Prax. Lib. III. cap. 4. §. 94. p. 534.* Paul. Zacch. *Quæſt. med. leg. Tom. III. Conſ. 47. fol. 85.* Sigism. Rupert. Sulzberger. *Diſput. de Abort. cap. 5.*

§. 20.

gravidarum morbi. Huc pertinent etiam varii morbi tam mulierum gravidarum, quam embryonum. Inquit ſcilicet Johannes Dolæus *Encyclopæd. med. Lib. V. cap. 6. pag. 919.* cauſæ abortus eſſe poſſunt, quando mater vel ob prægreſſum, vel præſentem morbum, febrem puta, hydropem, ſcirrhum uteri, eryſipelas, inflammationem, abſceſſum & cancrum, non parvam ſentit virium deperditionem, unde fœtum per conſenſum mire & perperam affici poſſe nullus dubito. Et Dionis *des Accouchem. Liv. II. ch. 14. pag. 175.* ait: Les groſſes maladies comme les fievres aigues, les fluxions de poitrine, les petites veroles font avorter presque toutes les femmes, qui en ſont ſurpriſes étant groſſes, on les peut compter pour mortes, car elles ont pour lors la maladie & l'avortement à combattre, aus quels il leur eſt impoſſible de réſiſter, quoique la medecine leur prête tous les ſecours, qu'elle eſt capable donner. Nobiliſſima quædam morbillis laborans, cum ſeptem menſes geſtaſſet fœtum edidit & ipſa obiit, teſte Chriſtophoro Rœslero *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 347. pag. 554.* Nobiliſſima item & formoſa femina, calidioris & humidi temperamenti ſexto menſe gravida, circa horam octavam matutinam die 22. Novembr. (febribus petechialibus graſſantibus) ætatis anno trigeſimo ſecundo, ſibi climacterico, nulla cæteroquin prævia cauſa externa, dolores crebros circa ventrem & lumbos verſus pubem & os ſacrum deſinentes magnumque ex utero egerendi conatum ſentiens, cum copioſæ aquæ & ſanguinis ex utero fluxu fœtum bene formatum, ſed mortuum totoque corporis habitu luteum & ictericum, enormique mola ſtipatum, cum ſecundina livida plane

ne inter animi deliquia minime ſimulata excluſit. vid. Joh. Michael. *Oper. Prax. Clinic. ſpec. caſ. 23. p. 557.* Alius fœtus abortivus & quidem adhuc vivus a matre ſeptimo menſe gravida & ictero laborante totus bile tinctus excludebatur, annotante Gothofredo Schultzio *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 241. pag. 355.* D'une femme, qui aborta d'un petit enfant de ſix mois, par les efforts d'une violente toux, qui luy cauſa une perte de ſang, vid. Franc. Mauric. *Obſ. 28. p. m. 18.*

§. 21.

De fœtu abortivo hydropico obſervationem annotavit Johannes Daniel Dorſtenius *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 153. pag. 298.* famula ſcilicet quædam paupercula, quindecim annorum Marpurgi ſtipem cogens ac hydropiſi cum vomitu frequenti ex nigra amurca correpta, poſtquam per bimeſtre ferme ſpatium miſerabiliter valde decubuiſſet præterque omnium, quod gravida eſſet, opinionem, partus doloribus in eam irruentibus, vixque obſtetrice propinquante, quatuor, juxta ſuam ipſius confeſſionem, menſium fœtum puerulum, jam mortuum, ulnam dimidiam minus pollicem latum, longum, partu immaturo enitebatur. Aliud embryonis maſculi immaturi per abortum quarto vel quinto menſe rejecti, hydropici, exemplum refert Felix Platerus *Obſervat. medic. Lib. III. pag. m. 748.* vid. etiam Marc. Aurel. Severinus *de recondit. abſceſſ. c. 36. p. 266. ſeq.* *hydrops.*

§. 22.

Fœtum circiter quadrimeſtrem ob alvi teneſmum abortu editum fuiſſe, refert Johannes Rodolphus Zwingerus *Actor. phyſico-medic. Volum. II. Obſ. 84. pag. 159.* Femina, inquiens, Baſilienſis annos nata viginti ſex, in honeſto conjugio vigens, a quatuor circiter menſibus imprægnata & hactenus integra valetudine fruens, die 11. Auguſti 1722. incertum an ex animi iracundia & bilis efferveſcentia, an ex validiore corporis motu, an victu inordinato aliaque culpa, ſibi contraxit moleſtum *teneſmus.*

leſtum alvi teneſmum, ita ut frequens adeſſet deſidendi cupiditas, non ſine dolorifica mucoſæ materiæ excretione. Acceſſerunt brevi dolores ac niſus uterini, velut in parturiente, quorum vi & efficacia prodiit ex uteri vagina, corpus mole pugnum ſuperans, in quo, ab obſtetrice extracto, fœtus erat circiter quadrimeſtris, ſuis adhuc membranis, chorio & amnio involutum, cum adnexa placentà, multo ſanguine grumoſo obducta. Sic mulier quædam Ferrarienſis, ſeptem & viginti annorum, uxor cujusdam fabri lignarii, duorum filiorum mater, gravida, jam quintum tangebat menſem tertiæ ſuæ prægnationis, cum aſſidua, crudeli, & præacerba deſidendi cupiditate eaque fruſtranea affecta eſt, quæ ſeptem dierum ſpatio perduravit, eique ſucceſſit abortus cum doloribus maximis, annotante Joſepho Lanzono *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 143. p. 230.*

§. 23.

alvi conſtipatio. De abortu propter conſtipationem abvi obſervationem ad Jacobum Hagenbachium perſcripſit Guilhelmus Fabricius Hildanus *Obſerv. chirurg. Cent. VI. Obſ. 62. fol. m. 576.* his verbis: Fluxum alvi ſæpiſſime abortum conſequi, in dyſenteria, aliisque fluxionibus alvi videmus. Fœtus enim cum nutrimento ſuo deſtituitur, langueſcit tandemque moritur. Ex conſtipatione quoque alvi abortum fieri poſſe, ſequens obſervatio fidem facit. Anno 1630. in ipſo menſis Julii fervore, matrona quædam ſingulari virtute & pietate prædita, domini Jacobi Schnellii uxor, alioquin ſana, optimoque corporis habitu prædita & in ſeptimum menſem gravida, cum conſtipatione alvi correpta fuiſſet, illamque in ſextum aut ſeptimum diem neglexiſſet, exorta eſt febris continua cum maximis tum ventris, tum renum & lumborum doloribus. Propter hæc & alia ſymptomata ægram brevi fœtum excluſurum prædixit Febriotus, idque propter maximam conſtipationem ventris, niſi protinus lubrica redderetur, ſine vitæ periculo vix fieri poſſe ſignificavit; ſuaſit itaque, ut ſcybala in inteſtino recto collecta

collecta beneficio ſuppoſitorii ex melle & ſale, extraherentur, deinde reliqua ex proximo inteſtino enemate lenitivo evacuarentur. Quid fit? immiſſo ſuppoſitorio natura inſurgit, & ſcybala & reliqua ſimul excrementa tam copioſe expellit, ut enemate opus non fuerit. Exonerato ventre ſymptomata multum imminuta fuerunt, altero tamen die fœtum excluſit vivum quidem, ſed intra paucas horas exſpiravit. De abortu pigrioris alvi conatus ſubſequente refert Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. medic. Cent. I. Obſ. 88. ſeq.* quod mercatoris cujusdam uxor tribus a ſecundo matrimonio menſibus, dierum ſex ſupergreſſus fæces exoneratura prægrediente niſu & conatu inſolito, pueruli, quoad omnes partes conformati fabæ magnitudinis abortum fecerit. Cumulata enim & indurata excrementa uterum compreſſerant &c. Ingolſtadii in urinæ ſuppreſſione nobili cuidam matronæ gravidæ & urinæ ſuppreſſione laboranti, clyſter erat injectus, quo applicito illico abortus ſubſequebatur; ex quo omnes mulieres Ingolſtadianæ formidine perculſæ præſertim gravidæ clyſteres qualescunque renuebant referente Philippo Jacobo Schenfelder. *Hiſtor. 25. Annot. pag. 92.*

§. 24.

Ex medicamento vomitorio abortum annotavit idem Schenfelder *l. a. Hiſtor. 4. p.* 16. Mulier ſcilicet Friſingæ ſumſit medicamentum ex pharmacopœa cholagogum & melanagogum dictum in certa quantitate, uti ibi moris erat, ſed absque fructu & operatione: altero poſtmodum die, neſcio ex quo conſilio ſibi afferri ex pharmacopolio curavit oxyſaccharum vomitivum ad drachmas tres: quo ſumpto ortæ ſunt vomitiones crudeles, laſſitudo membrorum inſolita & ad motum ſegnities lumborum coxarumque gravitas, accedentibus doloribus verſus pubem cum ſanguinis ſeroſi per muliebria evacuatione. Ad hæc & alia ſymptomata ab adſtantibus mulieribus narrata prædixi, hæc medicamenta prægreſſa certo cauſatura *Vomitorium.*

abortum, quod etiam altero die circa horam ſeptimam noctis factum, dictaque femina cum magno ſuæ vitæ diſcrimine abortum paſſa eſt.

§. 25.

Renum imbecillitas. Propter renum imbecillitatem multoties abortum in mulieribus ſe obſervaſſe ait Dominicus Panarolus *Obſervat. medicinal. Pentecoſt. III. Obſ. 18. pag. 77.* De abortu frequenti *Calculus.* ob calculum in rene dextro obſervato ſequentem obſervationem refert Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. XXXVIII. fol. 1371.* Nobilis matrona multis annis graviſſimis renum doloribus, ſiniſtro præſertim in latere ab initio divexabatur, & quatuordecies uterum geſtans, toties octavo vel nono ſemper menſe abortivit. Eam mortuam cum ſecarem, pergit Bonetus, renem ſiniſtrum penitus conſumptum deprehendi. Dextrum vero tumidum in immenſum excreviſſe, in quo per medium diſſecto calculus juſtæ magnitudinis excreverat. Et de abortu ex percuſſione ſuper renes mulieris gravidæ agit Paulus Zacchias *Quæſtion. med. legal. Tom. III. Conſil. 47. n. 1. pag. 85.* inquiens, quod ex gravi percuſſione ſuper renes accepta mulier in utero habens abortiverit, novum non eſt, ſed ipſis etiam mulieribus compertiſſimum: ibidemque ſequentem caſum refert: Mulier ætatem agens triginta quinque annorum, cum utero gereret, percuſſa eſt a clerico quodam ſuper dorſum quodam baculo ſatis graviter. Inde renum dolore per iteratas vices prehenſa, poſt tres menſes decurſos, a tempore, quo vapulaverat, narium hæmorrhagia tam copioſa & impetuoſa apprehenſa eſt, ut cohiberi non potuerit, ex quo illa abortivit, & ſeptima interiit. Fiſcus clericum in carcerem conjecit, tanquam homicidii reum: quæſitum ergo eſt, an percuſſio illa ſuper renes fuerit vera cauſa abortus, hæmorrhagiæ & mortis. Ad hanc tamen quæſtionem ibidem loci fol. 86. negative reſpondetur.

§. 26.

§. 16.

A prægnantis contuſione abortus metum & periculoſos affectus obſervavit Johannes Nicolaus Binningerus *Cent. III. Obſ. 31. pag. 284.* honeſta nimirum coriarii Montbelgardenſis uxor, annorum circiter viginti trium, a tribus menſibus (ut putabat) utero gerens, ab aſſidentibus d. 1. Jan. 1662. in eccleſia mulieribus utroque latere violentius compreſſa, male habere cœpit, ita ut die 10. ſequenti mihi quereretur, ſtatim a compulſione iſta inſignes cruciatus, circa pubem, ilia & dorſum ſibi contigiſſe, cum tumore abdominis renitente & difficultate urinæ, quæ ſumme rubra, crocea & craſſa erat, cum enæoremate concolore, febre continua, inappetentia, linguæ amarore. Ab injecto enemate & ſacculis ex emollientibus & hyſtericis vino albo incoctis, & abdomini frequenter admotis, & aliis medicamentis dicta femina, quæ fœtum omni momento amiſſura cenſebatur, illum paulo poſt moveri ſentiret, & completo geſtationis tempore incolumem filiam pareret. De abortu ex gravi ventris ad currum alliſione cauſato, v. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 105. pag. 253.* *Compresſio*

§. 27.

De contuſione abdominis in gravida abortum cauſante ſequentem caſus refert Michael Bernhardus Valentini *Pandect. med. legal. Caſ. 18. pag. 205.* Anno ſcilicet 1668. die 6. Octobris paſtor quidam eccleſiæ cum ludimoderatore rixam ſcandaloſam aluit, ſub qua mox a verbis ad verbera deventum eſt. Paſtore ergo ac ludimoderatore in terra ſibi mutuo incumbentibus, uxor ludimoderatoris, uterum gerens ſupervenit, ſperans, ſe maritum ſuum benignis verbis a paſtore abſtracturam, quæ vero e paſtore duriter in ſiniſtrum latus conculcata fuit, de quo poſtmodum per totum, quod adhuc reſtabat, graviditatis tempus inſigniter conqueſta fuit. Elapſis qua- *Concuſſio*

 tuor-

tuordecim a diverberatione ſeptimanis, die ſcilicet 15. Januarii uxor ludimoderatoris dolores parturientium ſentit, & circa veſperam puerulum ſanum enititur, & inſequente die viginti quatuor horarum intervallo poſt partum primo editum, puerulum emortuum, penitus inverſum, ore hiante & aperto oculo dextro peperit &c. Ibidem etiam *pag. 207.* atteſtatum medici, & *pag. 209.* & reſponſum facultatis medicæ Lipſienſis de fœtus hujus in utero per contuſionem læſione extant. vid. etiam Paul. Ammann. *Prax. Vuln. lethal. Decad. I. Hiſt. 9. pag. 124. ſeqq.* item Johann. Frid. Zittman. *medicin. Forenſ. Cent. I. Caſ. 54. pag.* 213. *ſeq.* Duos fœtus, primum mortuum atque ſemiputridum, alterum vero vivum adhuc & ſanum ex feminæ ſeptem menſes & octo dies gravidæ utero ſe extraxiſſe refert Louyſe Bourgeois *Art. Obſtetr. Part. I. cap.* 41. *pag.* 160. *ſeq.* Hoc autem infortunium a compreſſione vel contuſione ſibi obveniſſe, firmiter dicta puerpera credebat.

§. 28.

Calcitratio. Aliud abortus exemplum a mariti verberibus & conculcationibus Johannes Petrus Weicker annotavit: Scilicet Philippi Jackelil conjux per annum & duos circiter menſes in conjugio vixit, nunquam non integra ſanitate prædita, & ab aliquot ſeptimanis ſe gravidam eſſe ipſiusque fœtus vitalitatem ſenſit, nullis accidentibus, a quibus abortus induci poſſit, obnoxia, niſi quod ante tres ſeptimanas maritus ejus eandem conculcationibus in abdomen, vellicationibus & diſtractionibus capillorum, durisſimis plagis capiti inflictis, brachii ſiniſtri cum digitis, pedisque ſiniſtri contuſionibus miſere tractaverit, ut colore atro-cœruleo quoque deturparetur; quo facto tribus abhinc ſeptimanis in animi deliquia & die inſequenti in immodicum ſanguinis fluxum incidiſſe & ab eo tempore ſummos abdominis dolores ſe perpeſſam eſſe retulit. Poſtquam vero poſt aliquot deinde dies, cum vires quodammodo

do recollegiſſet, ad ſororem ſuam Haynam Triquernorum ſe contulerat; præterlapſo Veneris die dolores partus ſenſit, ubi ſoror in conglomeratione quadam ſanguinis copioſi abortum demortuum ſexus feminei, palmæ longitudine reperit, quoad fœtus formationem naturaliter conſtitutum. Sub cujus inſpectione abortus in occipite, circa ſuturam lambdoideam dictam, caput cœruleum & multo ſanguine coagulato conſpurcatum, ſiniſtrum brachium, collum totumque corpus cœruleum, digiti ſiniſtræ manus omnino incurvati, pes ſiniſter cum digitis ejus conculcando quaſi compreſſi comparuerunt &c. v. Mich. Bernh. Valentin. *l. a. Caſ. 20. pag. 214. ſeqq.* Et *Caſ. 21. pag. 221. ſeq.* mentionem facit gravidæ uxoris, quæ anno 1675. die 26. Auguſti a viro quodam cruentum in modum, & primo quidem pugno in ipſo capite, abhinc ſegmento ligni in latere dextro, poſtmodum robuſta & oblonga ſude lignea in lumbis & in ſiniſtro brachio ac manu verberata fuit & die 10. Novemb. dicta uterum gerens femina infantulum demortuum enixa eſt &c. Item procurati abortus cum internecione matris exemplum dictus autor *Caſ. 23. p. 224. ſeqq.* recenſet.

§. 29.

An ab ictu in clunes gravidæ mulieris facto ea abortiverit vel fœtus extinctus fuerit? dubium judicium exhibet Felix Platerus *Obſervat. Lib. III. pag. m. 749.* inquiens: Mulier quædam gravida anno 1604. cum non procul a tempore partus abeſſet, ſtans in hoſpitio, a ruſtico pede in nates percuſſa male ſtatim ſe habere cœpit, & biduo poſtea infantem vivum peperit, qui poſt horæ ſpatium exſpiravit. Cumque ruſticus accuſaretur apud magiſtratum, quod cauſam mortis infanti ictu, quo matrem percuſſerat, præbuerit, egoque, ut de hac re judicium meum ferrem, a magiſtratu fuiſſem admonitus, prius cognitis omnibus circumſtantiis, ex relatione illorum, qui præſentes huic negotio interfuerunt, & inprimis obſtetricis, jura- *Ictus in clunes.*

mento adſtrictorum in hunc modum reſpondi: Cum pes non in ventrem aut lumbos, ſed clunes ſaltem adactus fuerit, veriſimile videri, non infantem ex eo ictu adeo læſum fuiſſe, ut morti illius anſam præbuerit, præſertim cum vivus, integer in lucem prodierit, nec veſtigium læſionis aliquod in illo apparuerit. Verum quod mulier ob hanc percuſſionem citius, quam par erat, pepererit, arguere dixi, cum dolorem, quem mox inde ſenſit, tum etiam terrorem, quo admodum perculſa, partus ſic promoveri potuerit. Cæterum nec hunc celeriorem partum abortum fuiſſe, aut caufam mortis infantis hæc rurſum teſtari, quod mulier alioquin partui vicina fuerit, facileque pepererit, nec prægreſſa ſint gravia accidentia, & quod infans abſolutus & vivus natus ſit. Quibus omnibus conſideratis concluſimus, niſi forte interius aliquid, quod ex ſignis apertis cognoſcere minime licuit, latuerit vitii, tunc ictum temere & imprudenter a ruſtico factum mortem infanti conciliare minime potuiſſe. Quin tamen in ejusmodi caſu vehemens ruſtici ictus in nates mulieris ad abortum multum contribuerit, non dubito, & primo quidem ob ipſam contuſionem & inde ortam placentæ uterinæ ſeparationem, deinde ob improviſum terrorem, a quo ſæpius abortum oriri paulo ante vidimus.

§. 30.

Alapa. Huc pertinet etiam abortus ex alapa, cujus meminit Chriſtianus Franciſcus Paullini *Obſerv. med. phyſ. Cent. II. Obſ. 97. p. 283.* ubi inquit: Ruſtica mulier gravida juſſa a nobile ſuo tabacum ex urbe ſibi afferre: contrarium vero mandarat uxor ejus. Illa imperium hujus ſequens omnia fideliter expedit, & ſingula affert, præter tabacum. Excandeſcens ebrius nobilis inſurgit, feminæ duas alapas impingens. Quæ maxime territa & mœſta in caſam ſuam abiit, & quinto poſtea die abortum paſſa eſt. Similem fere caſum conſignavit *Carpzovius Prax. crimin.*

P. I.

P. I. Qu. 27. n. 34. ubi adoleſcens femellas geſtantem percuſſit pugno, unde iſta perterrita ſeptimo die febrem ardentem paſſa, nono vero duas filiolas, alteram mortuam, alteram paulo poſt extinctam, quas mater ipſa ſequebatur, enixa eſt. Cauſam retuleris in iracundiam, conſternationem, mœrorem &c. vid. etiam Georg. Franc. de Francken. *Diſſert. de Alap. §. 23. Satyr. med. p. 522. ſeq.* ubi ex alapa mortem accidere poſſe, ex aliis autoribus & inter hos ex Joh. Chriſtoph. Tropaneggeri Relatione defendit. Evolvi autem poſſunt Anton. Beniven. *de abdit. morb. cauſ. cap. 110. p. 285.* Thom. Bartholin. *Act. Hafn. An. I. Obſ. 48 p. 86.* Guil. Fabric. Hild. *Obſerv. chir. Cent. VI. Obſ. 11. fol. m. 507.* Henr. ab Heer *Obſerv. medic. 12. p. m. 119.*

§. 31.

Abortus cauſis annumerat etiam Franciſcus Sylvius *Prax. Med. Lib. III. cap. 5. §. 38. p. m. 522.* motum corporis vehementiorem, qualis eſt curſus, & imprimis ſaltatio, equitatio, vectio per curſum ac præſertim ſupra lapides; tali namque motu concutiuntur corporis partes omnes, adeo ut facile excutiantur, quæcunque utero concluduntur. Sic juxta Daniel. Sennert. *Practic. Medic. Lib. IV. Part. II. Sect. VIII. cap. 2. p. m. 395.* motus corporis quicunque nimius & violentus fœtum excutere poteſt, ut ſaltus, quo modo pſaltria apud Hippocratem conceptum excuſſit, geſtatio aut elevatio gravis ponderis, lapſus, curſus, in equo aut curru ſuccutiente vectio, percuſſio ventris & dorſi, abdominis compreſſio, tuſſis magna, vomitus, ſternutatio, convulſiones, veneris uſus immoderatus &c. v. etiam Juſt. Veſti *Diſput. de Abort. §. 19. p. 14.* Mich. Ettmüller. *Oper. Tom. II. fol. m. 1103.* De abortu a tusſi vid. Mich. Bernh. Valentini *Novell. medic. legal. Caſ. 28. p. 575.* *vehemens corporis motus.*

§. 32.

Ex bombardæ ictu in coxam accepto gravidam abortum feciſſe, refert Guilhelmus Fabricius Hildanus *Epiſt. ad Mich. Dœring. de Part. cæſar. Oper. fol. m. 900.* ſcilicet in oppido Eſſen matrona *Bombardæ ictus.*

trona gravida cum caſu ictum bombardæ in coxam dextram, non quidem globo, ſed charta madefacta & dentibus maſticata, reciperet, protinus doloribus partus correpta fuit, & aqua, quæ fœtum comitari ſolet, paulo poſt effluxit. Sequenti die fœtum non tantum mortuum, verum etiam nigrum, quaſi vulnere tormentario infectus fuiſſet, edidit. Plura de hac læſione ejusque cura refert idem autor *Obſ. chirurg. Cent. IV. Obſerv. 59. fol. 334.*

§. 33.

oneris elevatio. Ab elevatione onerum abortum annotavit Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. med. Cent. I. Obſ. 52. p. 58.* inquiens: Uxor mea poſt ſextam a matrimonio noſtro ſeptimanam, ex inferiori domus culina canterium focalem in ſupremum latura, terra erigit & dextris ilibus apponit. Ita onerata incurvato in ſiniſtram partem corpore, ſcalas conſcendens, ſentit quaſi rumpi & divelli aliquid in hypogaſtrio, & inde unam aut alteram puri ſanguinis guttam per inferiora ſtillare. Quum mœſta ſubito id mihi indicatum veniſſet, dixi, ſe non longe poſt abortum facturam, quod & accidit. Nam elapſis tribus ſeptimanis ſucceſſit inſignis hæmorrhagia, & poſt leviculos dolores & lipothymias, puer longitudine dimidii digiti, omnibus ſuis partibus diſtinctus prodiit &c. A ſublatione enim ponderis gravioris, propter retentionem halitus & depreſſionem diaphragmatis verſus inferiora uterus premitur & deorſum movetur ſicque abortum promovet. v. Mich. Ettmüller. *Oper. Part. II. f.* 1103.

§. 34.

ſingultus. Singultum pro cauſa abortus adducit Matthias Tilingius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 62. p. 124.* Typographi ſcilicet cujusdam uxor in febriim malignam incidebat, cui ſtatim ab initio aderant varia ſymptomata, ut membrorum omnium laſſitudo, virium imbecillitas, inappetentia, ſingultus, ingens oris amaritudo, ſitis inexhauſta & linguæ ſcabrities. Singultus

autem

autem erat perpetuus, & tantus, ut abortum quoque concitaret &c. Quo loco varia de febre maligna ſingultuoſa referuntur.

§. 35.

Molam abortionis neceſſitatem in muliere quadam Hafnienſi produxiſſe, videre licet apud Thom. Bartholinum *Hiſtor. anatom. Cent. III. Hiſt. 1. p. 1. ſeq.* Febre enim continua, mox in intermittentem tertianam degenerante, correpta mulier, poſt tertium graviditatis menſem, exortis uteri doloribus, facili partu abortum edidit, bene conformatum, maſculi ſexus. Exinde febris ſtatim videbatur extincta, quaſi venæſectione per lochia procurata. Tertio poſt abortum die alvus ſuppreſſa a ſuppoſitorio ſolvebatur, eodemque conatu ſine ullo dolore fruſtulum carnis ſolidæ per uterum excrevit, quod molam eſſe deprehendi, quæ fœtui magnam nutrimenti partem ſubtraxerat, unde accedente febrili calore debilitatus ante præfinitum tempus excluſus fuit. Abortum ſeu fœtum ſextimeſtrem maſculinum mortuum femina triginta annorum, octo jam liberorum mater peperit, cujus ſecundinæ poſt quartum diem poſt obortos ventris dolores una cum mola carnoſa, pugni magnitudinem excedente, & inſequente vehementi lochiorum fluxu prodierunt, annotante Benedicto Gullmanno *Ephemerid. A. N. C. Cent. VII. Obſ. 92. p. 217. ſeq.* Abortum ſeptem hebdomadum cum gemina mola pingui a nobiliſſima quadam femina annos circiter viginti quatuor nata rejectum obſervavit Georgius Francus *M. N. C. Dec. II. An. 6. p. 170.* *Mola.*

§. 36.

Abſque pariendi doloribus abortum a frigore communicat Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 116. p. 292.* Uxor, inquiens, cujusdam hoſpitis, trigeſimum ætatis annum agens, ſeptimo graviditatis ſuæ menſe domeſticis curis multis moleſtata fortuito in cubiculo, lateribus ſtrato, frigori ſe exponens, ex improviſo fœtum vivum ſola ſine magno conatu enixa eſt *Frigus.*

xa eſt, qui in pavimentum frigidum expoſitus brevi poſt refrigerato corpuſculo obiit. Sic etiam anno 1717. vernale tempus infenſum maxime fuit feminis utero geſtantibus, quibus frequentes evenerunt abortus. Et inter alias uxor prædicatoris cujusdam pago degens ſub exitum Januarii abortum patiebatur, partim ex refrigeratione ob nimiam rei familiaris curam, partim ob motum corporis violentiorem ipſi minus competentem. v. Act. Medicor. Berolinenſ. *Volum. II. p. 12.*

§. 37.

funiculi umbilicalis brevitas.

A funiculi umbilicalis brevitate abortum dependentem adducit Guilhelmus Fabricius Hild. *Obſerv. chirurg. Cent. II. Obſ. 50. fol. 121.* & primo quidem de matrona honeſta & robuſta, quæ ad quinti menſis finem fere, ſignis omnibus fere fœtus vivi apparentibus, gravida fuit. Circa finem vero quinti menſis fœtus primo imbecilliter ac languide movebatur, ita ut vix perſentiri potuerit. Deinde paulatim & intra paucos dies omnino ceſſabat moveri. Mammæ quoque, quæ antea lacte turgebant, nunc ſubſidebant, flacceſcebant & exſiccabantur, aliave ſigna aderant, ex quibus fœtum in utero mortuum eſſe facillime conjicere licuit. Tandem circa finem octavi menſis, parturientium doloribus correpta, enixa eſt maſculum, quem per tres fere menſes mortuum geſtaverat. Hujus autem abortus cauſam nullam aliam invenire potuit dictus Fabricius, quam malam ac ineptam conformationem vaſorum umbilicalium. Chorda enim, ut vocant, umbilicalis, quæ communiter & in omnibus ulnarum aliquot longitudine eſſe ſolet, in hoc abortu vix ſpithamæ erat longitudinis. Hinc perſpicuum fit, creſcentem fœtum in utero materno paulatim placentam ab acetabulis ſive cotyledonibus abſtraxiſſe & ſeparaſſe. Abſtracto autem hepate uterino neceſſario moritur fœtus. Ibidem etiam alius adhuc exempli abortus circa quinti menſis finem excluſi mentionem facit, cujus mater ad minimum jam octies abortum

edi-

ediderat, & in quo abortu chorda umbilicalis ultra ſesquiſpithamam longior non erat.

§. 38.

Ob vaſa umbilicalia aliquando disrupta, ubi mater brachiis ſurſum elevatis nimium ſe extendit, abortum fieri, notavit Caſparus Bauhinus, uti ex ipſius epiſtola refert modo citatus Guilhelmus Fabricius *l. a. fol. 121.* *Vaſorum umbilicalium ruptura.*

§. 39.

An viri cum femina coitus averſus ad abortum faciat, diſferenter ſentiunt autores: Scribit enim Carolus Muſitanus *Trutin. chirurg. med. Tom. II. cap. 9. p. 31. ſeq.* virum coitu averſo cum uxore, utero gerente, concumbere, ut absque abortus ſuſpicione immoderatum veneris uſum exercere poſſit, alias facie ad faciem, præcipue ſi vir concumbens in ſeminis emiſſione moretur vel fortis ſit, abdominis muſculos comprimit, vel ligamenta, quibus fœtus utero annectitur, rumpit, uterum agitando vel vaſa umbilicalia rumpendo, & fœtum agitando, abortus cauſa eſſe posſit. Et nos multos viros novimus, qui cum prægnantibus uxoribus, facie ad faciem coëuntes, præter abortum, earum fuerunt cauſa necis. Hanc tamen Muſitani, monachi & ſacerdotis ſententiam commentum & mendacium exiſtimat Roſinus Lentilius *Iatromnemat. Part. alter. cap. 23. p. 522.* inquiens: Primis menſibus nil tale metuendum, ultimis vero caſtæ conjuges ab hoc exercitio ſibi temperabunt, aut ſi celebrent, omnes, qui ſunt ſanæ mentis, interrogamus, utrum in eo ſtatu ſitus pronus non ſit ſupino longe incommodior, & utrum mulier abdomine ſic turgente virum decubitu ſupino non minore cum moleſtia patiatur? utrum in decubitu prono non æque abdomen, imo vehementius comprimatur? In his certe regionibus nunquam auditum exemplum, quod mariti tali more congredientes uxorum neces promoverint. *Coitus averſus.*

§. 40.

Ebrietas.

Ebrietatem etiam gravidis mulieribus eſſe vitandam, admonet Conradus Bartholdus Behrens *Select. Diætetic. Sect. III. cap. 1. p. 307.* mulieres, inquiens, ebrioſæ utplurimum ante tempus pariunt, vel fœtus edunt imbecilles, qui vix ſupervivant. Tale exemplum ſe noviſſe ſcribit Vitus Riedlin. *Lin. med. An. IV. menſ. Jul. Obſ. 23. p. 603.* quod ſcilicet feminæ ex ſeptem, quos edidit fœtus, nec unicus quidem ſuperſtes manſerit. Abſtineant itaque, pergit idem, vel hac de cauſa ab hoc vitio mulieres, quas per ſe magis quam viros dedecet, licetque & hac in parte non plane nil noxæ inferat viris, majus tamen longe damnum eſt, quod fœtus illarum inde imprimis ſentiunt, quos tam dilutum alimentum, ſi non in principio ſtatim ſuffocat, non poteſt non imbecilles reddere.

§. 41.

Veſicæ circa aſperam arteriam.

De abortu ex veſica aquæ plena fœtus aſperæ arteriæ adhærente obſervationem communicat Dominicus Panarolus *Pentecoſt. I. Obſ. 5. p. 3.* his verbis: mulierem ſatis laudatæ ſanitatis quinto menſe abortientem, cumque fœtus nullam fere in morte mutationem perſenſiſſet, ipſum ſecui deſiderio impulſus, an aliqua necis cauſa in tam robuſto fœtu innoteſceret, cum ipſius mater valida hujusmodi abortus nullam ferret cauſam. Secto corpore in cavitate thoracis ſub jugulo dextero lucidam veſicam aqua plenam arteriæ aſperæ adhærentem inveni, quæ copioſa humoris inundatione, quam recipiebat a capite, in pueris valde humido, eventilationem cordis prohibuerat ipſum ſuffocando.

§. 42.

Cacochymia.

Matrona quædam honeſta, ſed cacochymica circa quintum menſem imprægnationis, parturientium doloribus correpta, poſt maximos ac diuturnos conatus, gemellos cum multa aqua enixa eſt, femellam ſcilicet ac maſculum, referente Guilhel-

Guilhelmo Fabricio, Hildano *Obſerv. chirurg. Cent, II. Obſ. 59. Oper. fol. 135.*

§. 43.

Quandoque etiam per vegetabilia tam caſu, quam ſtudio fœtus immaturi rejiciuntur, uti de oleo lini refert Ehrenfridus Hagendornius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 216. p. 398.* quod illuſtris quædam perſona prognoſtico relicta a tumore ventris chronico per continuatum olei lini deſtillati uſum pleniſſime fuit liberata. Cura hæcce tum temporis literato cuidam diu ex hydrope decumbenti innoteſcit, qui longiores expetens annos, eidem ſe ſubjecit. Venter inde detumeſcit, rejecto per alvum coagulato eoque copioſo cruore. Sentit levamen. In gratiam mariti, in actu curationis verſantis, uxor ipſius ſemel iterumque guttulis aliquot prædicti utitur olei. Hinc ſuborto fragore in abdomine excretoque per muliebria cruore etiam coagulato, infeliciſſima ſe vidit abortum pati. *oleum lini.*

§. 44.

De ſelagine tertia thalii ſeu muſci terreſtris recti figura & virtute ſcribit Jacobus Breynius *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 149. p. 192.* quod amet montoſas Caſſubiæ ſilvas, ubi lycopodium æmulatur. Ramos habet crasſiores, qui in diviſione bifurcatum ordinem plerumque obſervant, & velut erecti apparent digiti, longioribus lycopodii ac latioribus, ſurſum tendentibus, viridibus foliolis denſe ſtipatos. Quorum inter ſupremorum pene foliolorum alas granula lutea quædam exigua menſe Majo protruduntur, quæ flores ac fructus, claviculatorum loco, quibus caret. Vis ei ad fœtus depellendos efficacisſima, meretricibus, infanticidium ſæpius eadem committentibus, plus ſatis nota, ineſt. Hinc in officinis noſtris, quæ *Maſchlaber* ei nomen tribuunt, ut alia noxia, non promiſcue omnibus venditur. Ex ſemine aconiti feminas quandoque poculum abortivum parare ſcribit Johannes Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 74. p. 179.* *Selago.* *ſemen aconiti.*

§. 45.

Lapis porcinus. Juxta verba expertisſimi Bontii lapis porcinus in vino maceratus ab Indis adhiberi ſolet contra choleram, morbum incolis inſulæ Javæ non minus, nec minori de cauſa formidabilem, quam peſtis vulgo Belgis habetur; prægnantibus tamen hic lapis non bene datur; nam abortum provocare adeo certum eſt, ut feminæ Malaicæ mihi retulerint, ut ſi quando menſtrua earum purgatio non bene procedat, ſi ſaltem hunc lapidem manu geſtent, juvamentum inde ſentiant. vid. Robert. Boyle *d. Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. V. cap. 10. §. 2. pag. 273. ſeq.*

§. 46.

Venenum. Ex veneno aſſumto abortum paſſa eſt ruſtica quædam puella ex pago Zeetendorff, Anna Schniebin, quæ alicui pectinatori lanæ, Berolini ante portam regiam degenti, a ſervitiis fuit, gravida exiſtens, drachmam fere arſenici albi aſſumſerat, ex qua enormis vomitio, & altero die poſt abortus quinque menſium conſecutus, & ipſa tertio die mane hora quinta inter præcordiales anguſtias & convulſiones extincta eſt. vid. Act. Medic. Berolinenſ. *Volum. II. n. 4. §. 8. pag. 116.*

§. 47.

Artemiſia. De abortu ab artemiſia caſum communicat Paulus Ammannus *Medic. Crit. Caſ. 6. p. 25.* Vidua ſcilicet quædam in viduatu ingravidata fuit & artemiſia rubra in cereviſia cocta calideque epota fœtum tertia ſeptimana poſt dimidium geſtationis tempus, una cum ſanguine copioſo, dimiſit; unde ex ſententia ſcabinorum pronuntiatum fuit, quod, niſi ipſa ſponte fateretur, utrum de artemiſia rubra non ea intentione biberit, ut fœtum in utero perderet & extingueret, torturæ ſubjici debeat; pariter tamen a collegio quodam medico ſciſcitandum eſſe, an artemiſia rubra hujus ſit potentiæ atque virtutis, ut ſanguinem ciere atque ſimul fœtum promovere posſit? Ad quam quæſtionem facul-

facultatis medicæ Lipſienſis reſponſum *l. a. pag. 30.* cum conditione ita ſonat: Perlegimus acta inquiſitionalia contra Mariam N. & ponderatis rationibus ac quæſtionibus in pleno concilio facultatis ita reſpondemus, quod quidem artemiſia rubra omnino tantæ ſit efficaciæ, ut ſanguinem menſtruum movere poſſit, adeo, ut & reliqua ex artemiſia præparata ad partum facilitandum, ad ſecundinarum expulſionem & lochiorum eductonem adhiberi ſoleant; quoniam vero quantitas artemiſiæ non fuit ſpecificata, cogimur hac vice judicium noſtrum categoricum ſuſpendere &c.

§. 48.

Femina Norimbergenſis, non e fece plebis, annorum circiter triginta quinque, in ſecundo, quod poſt undecim exactos viduitatis annos feliciter ingreſſa fuit, connubio, ter abortivit; cujus cauſas apertas & occultas ſtudioſe perveſtigans Johannes Georgius Volckamerus deprehendit, uterum intrinſecus eſſe læſum. Hæc tamen poſt curam quinque liberos perfectos juſtæ magnitudinis enixa fuit. v. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 62. p. 155. ſeq.* *utero læſio.*

§. 49.

A pica multorum abſurdorum ter feminæ abortum contigiſſe, refert Joh. de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 222. pag. 420. ſeq.* a pica panis recenter e furno extracti. vid. Mich. Ettmüller. *Oper. Vol. I. fol. 83.* Chylolog. meæ *cap. 2.* §. *19. pag. 55.* a pica mordendi ſeu edendi carnem humanam, ibidem §. *69. pag. 86. ſeq.* item *Sialolog. noſt. cap. 5.* §. *46. pag. 246. ſeq.* Quod ſi mulier aliquando ab ebrio concepit, vel abortum facit, vel femellam eamque debilem & non diu vitalem parit, juxta opinionem Johannis Bened. Sinibaldi *Geneanthrop. Lib. III. Tract. 3. pag. 335.* *Pica.*

§. 50.

A conſtitutione epidemica quandoque oriri abortus, teſtan- *conſtitutio epidemica.*

teſtantur autores, refert enim Johannes Adamus Genſelius, circa finem menſis Januarii anni 1712. intenſum frigus gravidis imprimis valde perniciosum fuiſſe, atque abortum epidemicum plurimis lethalem graſſatum fuiſſe. vid. *Ephemerid. Nat. Cur. Cent. VII. & VIII. Append. pag. 2. ſeq.* Scribit etiam Georgius Hannæus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 114. pag. 221.* periculoſus apud nos fuit puerperis hic annus, neque enim meminimus, per annos bene multos, vel plures pueras, aut triſtius laboraſſe in partu, vel plures obſtetricum auditas querelas, de male diſpoſitis ad partum infantulis, quam hoc ipſo anno 1685. ſive id factum fuerit occulta numinis lege, ſive ira Olympi. Hinc non ſolum multa audivimus gynæcea miſerandis perſonuiſſe parturientium gemitibus; ſed etiam varia, proh dolor! ſuas dominas, vel non pares partui, vel a partu recentes, vel abortantes, modo ſerius, modo ocyus remiſiſſe ad umbras. vid. etiam Conr. Berthold. Behrens *Epiſt. ad Luc. Schrœck. de Conſtitut. An. 1695. M. N. C. Dec. II. An. 6. Append. pag. 128.* Act. Medic. Berolin. *Vol. II. pag. 12.* Marci Gerbezii *Chronolog. med. pr. An. 5. §. 39. pag. 362. ſeq.*

CAPUT II.

De abortu nefando.

§. 1.

per cantharides. Quandoque etiam abortus nefarie atque ex malitia, adhuc variis modis concitantur, ſiquidem per cantharidum uſum internum, qui alias rariſſimus & maxime noxius eſt, improba ſcorta iisdem fœtum tenellum perimunt & extinguunt, vid. Johann. Schrœder. *Theſaur. Pharmacolog. Lib. V. Claſſ. 4. pag. m. 884.* Item faſcinum abortus, ut feminæ juſto citius pariant legitimumque pariendi tempus anticipent, cauſarum & internarum & externarum ope dæmonem poſſe inferre, inquit Johannes Chriſtianus Frommannus *Tractat. de Faſcinat. Lib. III.* *per faſcinum*

Part.

Part. VI. cap. 19. pag. 866. & quidem propter ejusdem in humores & ſpiritus, cum permiſſionem à Deo habet, dominium &c. Juxta Franc. Torreblanc. *de Magia Lib. II. cap. 43. pag. 310.* cauſæ abortus maleficio patrati ſunt vel intrinſecæ & fiunt per eſum, vel extrinſecæ per malum carmen vel ſerpentis alicujus defeſſionem, vel per tactum & afflatum.

§. 2.

De abortu per faſcinum recenſet Jacobus Sprenger *Mall. Maleſic. Part. II. cap. 6. Qu. 1. pag. 193.* in territorio Lauſanenſi necromanticum quendam, nomine Stadlin, captum fuiſſe, qui confitebatur, quod in certa domo, ubi vir & uxor ſimul permanebant, per ſua maleficia ſucceſſive in utero hujus uxoris, ſeptem infantes occidiſſet, ita ut ſemper abortum feciſſet femina annis multis. Simile fecerat in eadem domo omnibus pecoribus & jumentis fœtoſis, quorum nullum vivum partum edidit iſtis annis. At cum hic maleficus quæſtionaretur, qualiter talia procuraſſet, aut quomodo reus eſſe poſſit, facinus aperuit dicens: ſubter limen oſtii domus ſerpentem poſui, qui ſi amovebitur, fœcunditas inhabitantibus reſtituetur; & ſicut prædixit, ita evenit. Nam licet ſerpens per tactum non fuiſſet inventus, quia in pulverem redactus erat, terra tamen omnino deportabatur, & eodem anno uxori & omnibus jumentis fœcunditas reſtituta fuit. Aliud factum in Rychshofen idem Sprenger l. c. contigiſſe meminit: famoſiſſima quædam malefica erat, utpote quæ ſolo tactu, & omni hora maleficiare & abortum procurare ſciebat. In quo dum uxor cujusdam potentis imprægnata eſſet, & ob ſui cuſtodiam quandam obſtetricem ad ſe recepiſſet monitaque ab eadem obſtetrice fuiſſet, ne caſtrum exiret, & quod præcipue a colloquio & converſatione illius mateficæ ſupra dictæ ſe caveret. Poſt aliquot ſeptimanas immemor illius monitionis caſtrum exiens quasdam mulieres conjugatas in quodam convivio vi- *per ſerpentem.*

ſitandi gratia acceſſit, ubi cum paululum reſediſſet, malefica ſupervenit, & ipſam dominam, quaſi ſalutationis cauſa, ſuper ventrem ambabus manibus tetigit, & ſubito puerum ſe doloroſe moventem perſenſit. Unde territa, ubi ad propria rediiſſet & rem geſtam obſtetrici narraſſet, heu, inquiens illa, puerum perdidiſti, exclamavit, &, ut prædixit, in partu contigit. Nam, nec abortum integrum, ſed paulatim fruſta jam capitis, jamque pedum & manuum peperit. vid. Joh. Georg. Simon. *de Impotent. conjugal. Cap. 1. Theſ. 1. §. 10. pag. 3.* Fœtum in utero gravidæ cujusdam feminæ nobilis, ipſius ventrem blande contrectando veneficam enecaſſe, quem in fruſta comminutum mater poſtmodum rejecerit, ex Johanne Baptiſta Codroncho *de Morb. Veneſ. cap. 3.* refert Chriſtianus Frid. Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. I. Tit. 3. §. 46. pag. 130.* Idem Codronchus alterius etiam vetulæ veneficæ mentionem facit, quæ cum manu ventrem puerperæ tetigiſſet, puerpera ſex menſibus peractis graviſſimos cruciatus circa ventrem inferiorem ſentire cœpit, tandemque, cum alvum excernere vellet, ſpinas, oſſa, ligni fruſtula, & multa alia, per ventrem inferiorem rejecit, & a torminibus liberata eſt, uti refert Antonius Deuſingius *Faſcicul. Diſſert. I. de ſuperſtitioſ. Morbor. Origin. & curat. pag. 53.* Sic ſaga quædam, Catharina Metenſis, juſſa a dæmone in mulieris cujusdam, Lollæ Geleæ, os halitum ſuum impurum inflavit; ex quo hæc prægnans in vehementiſſimos partus dolores incidit, vixque mature ſatis pervenire potuit, juxta Nicolai Remigii *Dæmonolatr. Lib. II. cap. 7. pag. 243.* vid. Frommann. *l. a. Part. IV. cap. 10. pag. 619. ſeq.*

§. 3.

per ſtylum. Abortum, ab inſerto in uterum acuto ſtylo eoque in embryonem trajecto, productum refert Adamus Brendelius *Ephemer. N. C. Cent. III. & IV. Obſervat. 167. pag. 377.* Ancilla, inquiens, quædam ex compreſſu gravida facta, ne pœna & ignominia

minia meretricibus ex ſanctione publica conſtituta afficiatur, nefando auſu ſtylum acutum per vaginam & cervicem uteri aliquoties immittit, eoque cum ſecundinas, tum in iſtis concluſum embryonem trajicit. Poſt non ita multo profuſiſſima hæmorrhagia, qua fœtus ejicitur, ut & vehementiſſima inflammatio cum febri intenſa, oritur, quæ tamdiu, quamdiu poteſt, reticet atque cuncta celat, quousque demum viribus privata, decumbere cogitur. Hoc rerum ſtatu cum ſpe evadendi ex morbo præſenti excideret & mortem appropinquare perſentiſceret, quid geſtum ſit edicit, & brevi poſt, quia vis morbi ex mora invaluerat, atque remediis propinatis prævalebat, deliriis correpta extinguitur &c. vid. etiam Adami Brendel. *Obſervat. medic. Decad. II. Obſ. 7. pag. 23.* De ejusmodi feroci inſtrumento prolixe agit etiam Chriſtianus Henricus Erndelius *de Itiner. ſuo Anglic. & Batav. pag. 83. 92. ſeq.* cujus relationem & pœnam ſuſpendii paulo infra *cap. 4. §. 19.* recenſebimus. De veritate autem facti, quod ſcilicet Patini tempore in Galliis & antea Romæ abortum violentum ſibi, perforato per ſtylum ferreum utero concitaverint deſperabundæ, nullum reſtat dubium; hoc autem, pergit idem *p. 94.* concipere ſatis commode nequeo, qua ratione vulnerari tam crudeliter uterus, maxime ſenſibile viſcus, queat, ſalva & ſuperſtite matre. Salvam autem vel aliquando ex truculento hoc puerperio emerſiſſe ac reſtitiſſe matrem, ex reiterato ſæpius tam antiquis, quam noſtris temporibus nefando hoc facinore, colligendum eſt. Niſi enim aliquando, & vel ſemel ſaltem ſuccesſiſſet negotium, nulla vel perditisſima feminarum id ipſum imitata fuiſſet unquam &c.

§. 4.

Per nimiam etiam abdominis conſtrictionem ſeu ſtrictiores ejusdem ligaturas meretrices fœtum expellere poſſe, teſtatur exemplum cujusdam virginis (ſit venia verbo) viginti annorum, ex concubitu furtivo, ſine omni graviditatis ſuſpicione, puel- *per ligaturas.*

 lum

lum mortuum parientis; in cujus ſectione inventus fuit infans capite varie diſtorto, quaſi manibus intorto, cranium in partes diviſum hinc inde cacumina faciebat; Integumenta cranii erant ſugillata & gangrænoſa, ut & abdomen, coloris fuſci, ſubnigri, gangrænoſum. Funiculus umbilicalis fere erat computridus, nec ſuo loco adhærens. Cum autem mater nihil confiteri vellet, num medicamenta ad abortum promovendum vel fœtum necandum uſurpaverit, viſitabat medicus cum chirurgo certitudinis cauſa matris abdomen , num externe in illo deprehendi poſſent ſigna , ex quibus conſtaret, violentam adhibitam eſſe manum, adhibitam eſſe manum, ad necandum infantem; ubi præter vibices introrſum in cute ſpectabiles impreſſas atque ſugillatas, nil deprehenderunt, quæ tamen ſine dubio a faſciis & ligaturis, quibus nimis arcte ſe conſtrinxerat (ne graviditatis ſuſpecta fieret) duxerant, quæ haud abs re cauſa aliqua mortis in infante eſſe potuerunt. Valde etiam dubitat dictus medicus, matrem legitimum abſolviſſe terminum, ob ligaturam matricis gravidæ, nimis ſtricte fœtum geſtantis, cum per hanc fœtui nutritionem non ſaltem detraxerit, ut terminum vix attingere potuerit, ſed & ſtagnationes ac ſtaſes humorum, conſequenter gravem quandam inflammationem fœtui induxerit, ut ante tempus neceſſario emori & demum expelli debuerit. vid. Act. Medic. Berolinenſ. *Vol. IV. pag. 95. ſeq.* Ibidem etiam *pag. 99. ſeq.* mentio fit ſimilis caſus, qui Halæ Saxonum contigit, ubi aliquis ſtudioſus venuſtam aliquam puellam ſub ſpecie & indumentis famuli eousque deperiit, ut propriam famam duplicemque vitam alienam per nimis ſtricte injunctam imprægnati abdominis ligaturam, culpa indelebili, in petulantiſſimum ſuaſorem redundante extinxerit.

§. 5.

per aſſulas. Pro hoc ſcopo inſervire quoque dicuntur veſtium coarctationes ab aſſulis illis ligneis, eburneis aut balænaceis, quas mu-

mulieres veſtibus ad ſternum ſubjiciunt ad corporis venuſtatem, uti de abortus cauſis ſcribit Thomas Burnet *Theſaur. Medicin. pract. Lib. I. Sect. V. pag. 3.* Juxta Roder. a Caſtro *de Morb. Mul. Lib. IV. cap. 4. pag. 449.* abortum provocat arcta alligatio, qua feminæ plerumque utuntur, ut corpori venuſtatem concilient, in quem etiam uſum aſſulas ligneas, ſeu eburneas, ac etiam ferreas Venetæ, Anglicæ & Antwerpienſes ad ſternum & pubem haud ſine fœtus detrimento, ſubjiciunt. Quo inſtrumento fortaſſe etiam uſæ ſunt feminæ Romanæ, de quibus inquit Marcus Antonius Ulmus *de Phyſiolog. Barb. human. Sect. III. fol. 236.* Mulieres compreſſæ ab eunuchis non coguntur ſatagere in medicamentis reperiendis propter abortum conciliandum & faciendum: ſiquidem illæ Romanæ matronæ, quotiescunque ſe concepiſſe intellexerant, vel conjectura ductæ id ſuſpicabantur, nullum non adhibebant ingenium ad ejiciendum conceptum ſemen & abortum provocandum. Inquit etiam Johannes Dolæus *Encyclop. Medic. Lib. IV. cap. 6. p. m. 920.* culpanda venit in gravidis omnis compreſſio & conſtrictio abdominis vel thoracis. Hinc male conſulunt ſuæ ſanitati delicatulæ femellæ, quæ neſcio qualem corporum gracilitatem & rectitudinem quærunt, dum lumbos formant ad os usque coxendicis, &, quod adhuc magis eſt reprehenſione dignum, pectora laminis ferreis, orichalceis, item ligneis ſæpe ſuffulta gerunt; quibus accedit illa Planchette dicta, quæ ad majorem venuſtatem ad usque pudenda geſtare non verentur, quibus corpus ita conſtringunt, ut vix reſpirare poſſint. Hinc optime notat Hieronymus Mercurialis, plures a ſola veſtium arcta conſtrictione abortus pati. Itaque gravidæ ab ejusmodi veſtimentorum genere quam maxime abhorreant, inducentes econtra veſtes magis accommodatas, & ſibi & fœtui minus noxias. Et ſecundum verba Johannis Chriſtophori Metzleri *Diſputat. Inaug. de Abort. Præſide Juſto Veſti Erfurt. 1693. habit.* §. 20. Animi deliquium & abortus eo citius metuendus eſt, ſi gra-

ſi gravidæ, præſertim iis in locis, & interdum cibo potuque repletæ ſimul veſtibus arctis indutæ ſint, & ſi pro gracili vel procera corporis figura aſſerculas (Planchette dictas) pectori habeant impoſitas, de quarum damno & cauſa pro abortu inferendo efficaci videantur alii quoque autores, inprimis Georg. Franck de Francken. *in Satyr. medic. 12.* de Gallico Planchette §. *7. p. 216.* ubi prolixe de hoc inſtrumento agit.

§. 6.

per modum crudelem.

Crudeli etiam modo & violenta compreſſione feminas Japanenſes in inſula Formoſa fœtus ſuos ex utero protrudi curant, uti refert Arnoldus Montanus *in der Japoniſchen Geſandſchafft fol. 35.* his verbis: *Die Weiber, ſo vor dem ſieben und dreyſſigſten Jahre ſchwanger werden, tödten ihre Leibesfrucht auf eine abſcheuliche Weiſe. Sie legen ſich auf ihre Schlaffſtätte nieder, und die herzugeruffene Prieſterinnen drücken und treten ſo lange auf ihren befruchteten Leib, bis die Frucht, nicht ohne erſchreckliche Schmerzen, abgehet. George* Camdius, *Evangeliſcher Prediger um das 1628. Jahr auf* Formoſe, *erzehlet, daß er eine Frau gekannt hätte, welche ſechzehen Kinder, auf gemeldte greuliche Weiſe, los geworden, und nun mit dem ſiebenzehenden ſchwanger gegangen: welches ſie zur Geburt kommen laſſen, weil ſie die Jahre erreichet, da ſie ohne Schande gebähren mögen.* Et fol. 276. ita ſcribit: *Die Japoniſchen ſchwangere Frauen bringen entweder durch Gifft, oder anders, ihre Frucht um das Leben, wenn ſie nicht viel Mittel haben, die Kinder zu erziehen; ſonderlich, weil ihre Pfaffen ſolche Mordthat vor keine Sünde halten.*

§. 7.

Abortus in brutis.

In brutis etiam, & quidem ab antipathia abortum accidere, ſcribit Philippus Camerarius *Oper. Horar. ſubciſiv. Centur. I. cap. 23. p. 120.* Ferunt, inquiens, equam non ſolum, ſi lupum calcarit, abortum facere, ſed etiam, ſi lupi calcarit veſtigium, eam protinus

tinus abortire. Ob hanc rem Ægyptii in ſuis hieroglyphicis equa, quæ lupum conculcat, mulierem abortientem deſignare voluerunt. Id confirmat etiam Joannes Pierius Val. *Hieroglyph. Lib. XI. cap. 9. p. m. 128.* his verbis: Sacerdotes Ægyptii ſi mulierem abortientem indicare vellent, picturam eam inſtituerant, qua lupus ab equa calcibus impeteretur, vel aliquo modo calcaretur: propterea quod perſuaſum habebatur, ita ea inter ſe natura diſſidere animalia, ut prægnans equa, ſi lupum tetigiſſet, ſtatim abortum faceret, neque hoc effici de tactu ſolum, verum etiam ſi veſtigium tantum illius preſſiſſet, tantam ineſſe lupo veneficii vim, ut omnino abortiret. Idem Pierius etiam *Lib. XIV. cap. 22. p. 174.* de abortu a vipera hæc recenſet: Sunt e junioribus, qui abortivum incommodum per viperam mulieris pedi ſuppoſitam ſignificare commenti ſunt, quod apud veteres nusquam memini me legere, figmenti tamen hujus cauſam minus explodendam, apud Plinium olfeciſſe videor; ſiquidem is traditum ait a veteribus, mulierem prægnantem, ſi viperam ſive ſtudio, ſive incuria tranſcenderit, abortum facere, usque adeo viperæ venenum vel afflatu ſolo, in humani generis perniciem graſſatur, fitque ita ſerpens ea humanorum partuum faſcinatrix, quod illi rite parere non liceit; ut minus jam miremur venenum illud, quo Scythæ ſagittas ſuas inficere conſueverunt, irremediabili ſcelere, non aliis libentius rebus confici ſolitum, quam viperina ſanie & humano admixto ſanguine.

CAPUT III.

De

Abortu frequenti ejusque Præſervatione.

§. 1.

Nonnullæ etiam mulieres non ſemel ſeu una vice, ſed frequentius abortum patiuntur; Trium enim abortuum a Johannis Theodorici de Schœnau uxore rejectorum meminit *Abortus frequens.*

nit Bernhardus Verzaſcha *Obſ.82.p.195.* De femina quinque partus abortivos ab anno 1718. ad 1722. edente vid. Frider. Hoffmann. *Medicin. Conſultat. Part. III. Decad.3. Caſ. 8. p. 150.* Secundum Daniel. Sennert. *Medic. practic. Lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. 2. p. m. 396.* femina quædam honeſta, temperamento ſanguineo & corpore εὐσάρκῳ, primum filium grandiuſculum laborioſe enixa eſt, poſtea vero ſepties abortiit, & quod mirum, etſi diverſis temporibus, & nunc breviore, nunc longiore a conceptu temporis ſpatio, nimirum nunc menſe primo, nunc ſecundo, nunc tertio, imo etiam quarto & quinto abortiret, tamen omnes abortivi ejusdem magnitudinis fuerunt, pollicis fere articulum æquantes, membrorum tamen delineationem exhibentes, & vaſa umbilicalia inſtar fili ſubtilis albi &c. Joanna, conjux magiſtri Joannis Cornu Paterniacenſis, dum in matrimonio vixit, ad minimum octies abortum edidit, & poſtremum quidem anno 1606. menſe Januario, cum ad quinti menſis finem utero geſtaſſet, referente Guilhelmo Fabricio, Hildano *Obſervat. Chirurg. Cent. II. Obſ. 50. fol. m. 121.* Galla quædam mulier, rubicunda, fuſca, octies vel novies abortivit, teſte Felice Platero *Obſervat. medicin. Lib. III. p. 746.* Matrona quædam complexionis alias laudabilis, bonoque corporis habitu prædita, ac regulas diætæ ſumme obſervans, intra ſpatium ſex annorum, abortum circa finem tertii menſis & ſtato tempore, imo ſeptimana, octies paſſa eſt, uti refert Fridericus Wilhelmus Clauderus *M. N. C. Dec. III. An. 7. Obſ. 184. pag. 348. ſeq.*

§. 2.

Obſervatio. Undecies in una ſerie abortum paſſa erat pharmacopœi noſtratis Dn. Jod. M. uxor, adhuc vivens, quæ tamen poſt trinam venæſectionem tempore legitimo felix puerpera ſalutabatur, uti paulo poſt de abortus per venæſectionem præſervatione videbimus. Sic nobilis quædam matrona multis annis graviſſimis renum doloribus, ſiniſtro præſertim in latere ab initio divexa-

vexabatur, & quatuordecies uterum geſtans, toties octavo vel nono ſemper menſe abortivit, annotante Felice Platero *Obſervat. medic. Lib II. pag. 467. ſeq.* Et *Lib. III p. 743 ſeq.* generoſæ dominæ idem meminit, quæ primo nuptiarum anno concepit, ſed citius peperit. Deinde ab annis pene decem, quoties ſe concepiſſe ſuſpicabatur, menſibus aliquot poſtea elapſis, abortivit, in quo abortu fœtus nonnunquam manifeſta apparebant indicia. Johannis Antonid. van der Linden matrem poſt abortum a terrore adhuc novies abortiiſſe, paulo ſupra ex Paullini *Tract. de Theriac. cœleſt. p. 302.* vidimus. De femina, quæ decem abortus maſculos perpeſſa erat & denuo ex undecimo fœtu gravida conſilium medicum anxie quærebat, vid. Joh. Beverov. *Quæſtion epiſtol. p. 220.* A crebris & laborioſiſſimis abortibus vaginam uteri monſtroſam annotatam, vide Thom. Bartholin. *Epiſt. 91. Cent. II. p. 701.*

§. 3.

Conſideratu etiam dignum eſt illud, quod abortus talis ſubinde recrudeſcens tanto exquiſitius abhinc ſervare ſoleat tempus illud, quo prima vice emicuit; & hoc iterum tanto certius, quo magis prima vice menſtruo alicui tempori preſſius ſeſe accommodavit. Ita enim inter alios caſus obſervavit Georgius Erneſtus Stahl in illuſtri quadam domina, quæ quinquies abortum paſſa eſt, quod ſingulis hisce mali hujus recrudeſcentis vicibus, abortus ſtato quodam ordine non ſolum inciderit in tertii menſis ultimam ſeptimanam; ſed perpetuo velut ordine initium fecerit a tacita prorſus atque mitisſima ſanguinis eruptione, menſium conſuetæ evacuationi examusſim reſpondente, quæ poſtquam per ſex dies ita plane tranquillime atque moderatisſime continuavit, coorta eſt ſeptimo die vehemens omnino ſanguinis effuſio, cum maxima debilitatione; & animi prius, quam virium dejectione, ſuccedentibus ultimo, imprimis penultima & ultima vice, ſyncopticis deliquiis & vitæ *tempore ordinario.*

periculis: Quæ ſymptomata per tres & quatuor horas ita continuata tandem eliſo abortu omnia pacatiora fiebant. v. Stahlii *Diſput. de Abort. Reſpond. Johanne Kanold cap. 1. p. 7.*

§. 4.

Abortus præſervatio.

Ad impediendum autem crebriorem abortum ſolliciti medici pro cauſarum diverſitate varia adhibent medicamenta, de qua cura præſervatoria evolvantur practici v. g. Joh. Michael. *Prax. Clinic. ſpecial. Caſ. 23. Oper. p. m. 561. ſeq.* Theod. Zwinger. *Theatr. Prax. med. pag. 13. ſeq.* Theod. de Mayern. *Prax. med. App. Sect. II. p. 5.* Joh. Pechey *Promptuar. Prax. med. cap. 1. p. 1. ſeq.* Joh. de Muralt. *Hippocr. Helvet. pag. 14. ſeq.* & *M. N. C. Decur. II. An. 1. Obſ. 110. p. 271. ſeq.* & *An. 7. Obſ. 107. p. 171.* Joh. Dolæi *Encyclop. med. Lib. IV. cap. 6. p. 923. ſeqq.* Mich. Ettmüller. *Oper. Tom. II. fol. 1105. ſeq.* Chriſt. Joh. Lang. *Oper. med. Part. II. fol. 157. & Part. III. Diſp. 41. fol. 554.* Joh: Beverovic. *Quæſtion. epiſtol. p. 224.* Hieron. Reusneri *Obſ. 108. 109. p. 59.*

§. 5.

per venæſectionem.

Præſertim vero pro abortus præſervatione venæſectio ſuadetur, quæ tamen non niſi in plethoricis, & obſervatis ſimul aliis circumſtantiis, eſt exercenda. Scribit enim Felix Platerus *Prax. Medic. Tom. III. fol. m. 481.* Sanguinis miſſio locum habebit interdum, ſi ex ſanguinis circa uterum retenti majore copia abortum, quem prius paſſa fuerit, proveniſſe, ex plethora, vel, quod menſes ante abortum, dum adhuc prægnans erat, fluxerint, certis indiciis cognoſcamus, tuncque ſi ex eo, quod iterum influere incipiant, idem ſuſpicemur, ſanguinem per venam brachii, non pedis, cum menſes facile commoveat, ſectam detrahere convenienter & citra detrimentum poſſumus; nec adeo, uti veteres fecerunt, in gravidis plethoricis phlebotomia metuenda, cum ex illius uſu aliquas abortiviſſe mihi non conſtet, etiamſi eam bis terve repetierint: videamusque multas, etſi vulneratæ aliterve læſæ, plurimum ſanguinis profuderint,

rint, tamen fœtui minime nocuiſſe. Quod etſi ita ſe habeat, non tamen temere & inconſiderate mulieribus hunc illius nimis conſuetum abuſum concedemus: neque tamen, ſi phlebotomiam illis utilem eſſe cenſeamus, illis eam denegabimus, ſed ut parum pro una vice ſanguinis detrahant, & potius poſt menſem repetant, vel etiam tertio, ſi neceſſitas exigit, imperabimus. Juxta Nicolaum Blegny *Zodiac. medic. Gallic. An. V. menſ. Mart. cap. 10. p. 69.* in abortu potius expedit, majoris revulſionis gratia, paucum ſanguinis educere, ſed repetitis vicibus. Inquit etiam Marcellus Donatus *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 16. p. 391.* nonnullas novimus nos, quibus ſecta vena ab aborſu præſervabantur, cum eadem omiſſa aborſum pati, ob ſanguinis copiam & caliditatem antea conſueviſſent. Secundum Gulielmi Rondeletii *Method. curand. morb. cap. 63. p. m. 294.* quæ feminæ nimio ſanguine abundant, abortum patiuntur, quia natura gravata quantitate, aperit orificia venarum & multum ſanguinis ejicit. Deinde fœtus ob penuriam alimenti vel moritur, vel rejicitur. His ergo, quæ propter hanc cauſam ſolent abortire, utiliſſimum eſt ſanguinem trahere ex vena cubiti interna. Sanguinis etiam miſſio in ejus fervore & acrimonia fieri poteſt, ſed minori quantitate pro ratione habitudinis & ſanguinis. Si mulier multum ſanguinis rejicere conſueverit tempore menſium; plus ſanguinis trahere oportet. Quod ſi multus ſanguis trahendus ſit, id una vice non eſt faciendum, ſed interpoſitis decem aut quindecim diebus, aut menſe uno vel duobus. Et id facere oportet potisſimum quarto, quinto, ſexto & ſeptimo menſe. Neque etiam formidandum, quod inquit Hippocrates, mulierem abortire ob ſanguinis misſionem; quod eſt intelligendum de mulieribus habentibus parum ſanguinis aut imbecillioribus. Nam experientia conſtat, mulieres, quæ ſunt frequenter paſſæ abortum, hoc remedio retinuiſſe fœtum &c. Inquit etiam Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 103. Schol. p. 244.* in noſtra Helvetia feminæ ſi conce-

perint, & ſanæ ac plethoricæ fuerint, toto geſtationis tempore bis terve ſanguinem utiliter mittunt, ita enim primis menſibus præcavetur abortus, proles a conſtitutione capitis humida defenditur, tandemque partus fit facilior. Imprimis autem venæſectio celebretur, ſi jam ante mulier aſſueverit. Venæſectio igitur inſtituitur abortus præcavendi cauſa, alias enim ſanguinis nimia quantitas fœtum inundat. Juxta Joh. Sam. Carl *Prax. Medic. pag. 93.* occupat motus uterinos ſpaſticos abortum minantes venæſectio largior initio & medio geſtationis tempore adminiſtrata; & *pag. 94.* pergit: hæmorrhagiam uterinam præſervat venæſectio ſtatim poſt conceptionem adhibita.

§. 6.

Ex mente Johannis Juncker. *Conſpect. medic. Tabul. XL.* ad præcavendum abortum venæſectio in brachio circa medium geſtationis tempus, vel quo antea abortus fuit excluſus, adminiſtranda, vel etiam circa inſtantem partum repetenda eſt. Dicit etiam Petrus Salius Diverſus *de Affect. particul. cap. 22. pag. 398.* ad præſervandas mulieres ab abortu, quæ in hunc incurrunt ob multitudinem & copiam (quæ in multis generari & abundare, & per plures dies, dum non concipiunt, copioſe menſtruis purgationibus expurgari ſolet) ſanguinis, fœtum ſuffocantis & occidentis, nullum validius remedium excogitari poteſt venæſectione, qua teſtor ego, me plurimas ab abortu, in quam frequenter inciderant, ex ſola ſanguinis miſſione, primis menſibus facta, præſervaſſe. Et Thomas Bartholinus *Hiſtor. medic. Cent. III. Hiſtor. 13. p. m. 33.* ait: in plethoricis tantum ſupereſt ſanguinis, ut niſi vel venæſectione extrahatur, vel menſibus erumpentibus imminuatur, abortus immineat periculum, vel gravidæ exitium. Gravidis venæſectionem non eſſe noxiam defendit Jacobus Primeroſius *de Vulg. Errorib. in Medicin. Lib. IV. cap. 27. p. m. 414. ſeq.* Contra abortum a ſanguinis copia Thomas Mermannus *Conſult. med. Lib.*

VI.

VI. Conſult. 12. fol. 453. ſeq. ſingulis menſibus repetitam venæſectionem commendat. Ita etiam ſentit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſerv. medic. Schol. in Obſerv. 84. pag. 320.* hæmorrhagiæ uterinæ gravidis ſupervenientes plerumque abortum minitantur, cujusmodi frequenter accidere ſolent, vaſis ſanguiferis, quæ fundi uterini penitiora ſubeunt, admodum repletis; in qua vaſorum turgeſcentia convenientiſſimum remedium venæſectio eſſe ſolet, qua ſanguinis copia minuitur &c. Plura circa gravidarum, pro abortus præcautione inſtituendam venæſectionem reperimus in Michael. Albert. *Syſtemat. Jurisprud. med. Part. poſter. Caſ. 50. in Reſponſ. Facult. med. Hallenſ. pag. 511. 513 ſeq. & Epicriſ. Alberti pag. 517. ſeq.*

§. 7.

Alia non innoxie in gravidis contra abortum inſtitutæ venæſectionis exempla adducere libet. De abortu bis venæſectione impedito Carolus Raygerus obſervationem recenſet *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. pag. 301.* Aliquoties conſulis Gedanenſis conjux juvencula abortierat, ita ut abortuum numerus pene ſeptenarium vel octonarium excederet. Hæc cum graviditatem ſuam novam Johanni Schmidio, iſtius loci phyſico ſignificaſſet, ipſe diætam optimam præſcribebat, curru eam velociter vehi prohibebat, ut a caſu ſibi caveret, rogabat, ne pondera alterutra manu geſtaret, vetabat &c. circa initium quarti menſis venam ad uncias ſanguinis ſeptem vel octo incidi jubebat, nec irrito ſucceſſu, ſic enim fœtum conſervabat in utero. Circa ſeptimum menſem repetebatur venæſectio, & partus legitimus optime diſpoſitus juſto tempore luci exponebatur. Et cum poſtmodum eadem methodo ſemper ingravidationis tempore tractaretur, nunquam amplius abortiit, ſed vivum ſemper enixa eſt infantem, quod pluribus poſtmodum fiebat vicibus. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 49. pag. 124.* Ejusmodi obſervationes refert etiam Henricus ab Heer *Obſerv.* *exempla.*

med. 14. pag. 131, vivunt, inquiens, Leodii mulieres duæ, quæ cum quotannis abortirent ter toto geſtationis tempore, vena ſecta, vitales fœtus ediderunt. Primum menſe tertio, quo fœtus pauco eget alimento, ut qui mediocris pyri magnitudinem vix æquet, tres vel quatuor educebantur unciæ; Dein poſt medium quarti menſis, motante ſe jam embryone, aliæ quinque vel ſex extractæ. Demum ſub finem ſeptimi tres emiſſæ, mirantibus praxin illam, dicebam, ut exigui in lampade lychnii nimio affuſo oleo extinguuntur, ita pueriles animæ in ſanguineis matribus nimio alimento ſuffocantur. Porro mulier a quadrimeſtri gravida, timore inſigni perculſa ob caſum leviri ſui, ex quo ea præſente tibia effracta ipſi fuerat, non diu poſt inſignes dolores in regione renum imoque ventre perpeſſa eſt, ſeptem aut octo diebus urgentes. Præcavendi ergo abortus ſanguinis miſſio facta, imperata ad aliquot dies quies, quibus exactis ad exercitia ſolita rediit, nihilque ſiniſtri interim contigit; uterus ſolummodo ad inferiora devolvi videbatur, ſuſcitatis inde ex intervallis vaporibus putridis ad exitum usque noni menſis moleſtis, quo tempore puellam enixa eſt vivam beneque habitam. Primaria quædam femina aliquoties abortum experta iterum ingravidata metum concepit non vulgarem ulterioris abortus. Igitur ſuaſu Ehrenfridi Hagendornii per aliquot menſes ad finem usque geſtationis quotidie uſurpavit tincturam Catechu ad guttas viginti ex vehiculo idoneo; ſic feliciſſima reddita fuit puerpera. Idem beneficium etiam experta eſt mechanici cujusdam uxor plethorica, aliquot abortivos fœtus excludens; quæ iterum gravidam ſe ſentiens prævia venæſectione modo dictam tincturam feliciter quoque adhibuit, ſuccedente dehinc prole multiplici, uti refert Hagendornius *Tract. de Catech. Sect. IV. cap. 2. §. 14. pag. 71.* Sequentem obſervationem refert Franciſcus Oswaldus Grembs *Arbor. integr. & ruinoſ. Homin. Lib. II. cap. 1. §. 12. pag. 234.* Cuidam feminæ, cum ter abortum pateretur, præmiſſis præmittendis balneum

um herbaceum præſcripſi, poſt hujus uſum cum paulo poſt ingravidaretur, primo ſtatim menſe ei venam ſecavi & ad uncias quinque ſanguinis extraxi, cum autem cruor difflueret, muſcio viſcido obductus, repetii venæſectionem ad tria vaſcula, ex qua optime ſe habuit: circa quintum menſem iterum venam ſalvatellæ curavi ſecari, poſtea feliciter femellam peperit. Ipſiſſima hæc mulier cum in ſecunda gravidatione meo non obtemperaret conſilio, & venam non ſecaret, iterum abortum, & poſt hunc ingens profluvium muliebre paſſa eſt; Poſt adhibita remedia cum tertia vice prægnans evaderet, adhibita & repetita venæſectione feliciter peperit. Venæſectione in brachio dextro inſtituta in ephippiarii Tigurini uxore viginti ſex annorum abortum præcavit Johannes de Muralto. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 105. pag. 232.* Sequentem obſervationem recenſet Amatus Luſitanus *Curat. medic. Cent. II. Obſ. 89. fol. m. 207.* uxor Julii Folchi quum uterum gereret, tertio menſe fœtationis ſemper abortiebat & in vitæ diſcrimen veniebat. Cujus cauſa erat multus ſanguis bilioſus. Hoc malum præcavere volentes juſſimus, quum uterum gereret, & perturbari & angi cœpiſſet, ut illico cubiti mediam venam ſecare, ſanguinem ad ſemilibram extrahere curaret. Quæ femina poſtea ſic caute & provide, debito tempore ſanguinem demeret, illi partus felix & proſper ſemper ſubſequebatur.

§. 8.

De hac venæſectione ita ſcribit Georgius Dethardingius *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. I. App. pag. 192.* venæſectio in gravidis adhibenda quondam inter res prohibitas locum obtinebat, & augebat catalogum rerum fœtum expellentium; aſt hodienum maximo cum commodo utero gerentium adminiſtratur, imo intermiſſa & fœtum & medici conſcientiam gravat & onerat. Gratiam ex ejus ſuaſu non levem obtinui, & vivit adhucdum femina, quæ ter abortum medio geſtatio- *Venæſectio neceſſaria.*

nis

nis tempore paſſa, quartum gravida, venæſectione inſtituta feliciter mater ſalutata eſt. Nobiliſſima etiam matrona tres abortus paſſa fuerat, cum Bernhardo Verzaſchæ retuliſſet, tres iſtos abortus copioſam uteri hæmorrhagiam per quinque dies anteceſſiſſe, quam nullis remediis inhibendam ſine virium jactura toleraverit, inde collegit dictus Verzaſcha, ſanguinem nimia copia turgidum in utero fœtus obruiſſe, illosque vaſis umbilicalibus diſruptis foras propulſiſſe. Cum igitur in iſta domina, ab octo ſeptimanis gravida inſignioris plethoræ indicia obſervaſſet, intrepide illam adhortatus eſt, ut ſingulis menſibus venam in alterutro brachio, vel in manu ſalvatellam usque ad ultimum geſtationis menſem aperiret, & quinque uncias ſanguinis circiter educi permitteret, ſimulque ad fœtum roborandum & hæmorrhagiam uteri inhibendam certos morſulos uſurparet. A repetitis iſtis venæſectionibus & diligenti horum remediorum uſu filium elegantem in lucem protulit. vid. Bernh. Verzaſch. *Obſerv. med. 82. pag. 195. ſeq.* Alia conjux juvenis Baſileenſis, plethorica, binos antea abortus ſex vel ſeptem menſium fecerat, nec vivam prolem eniti potuerat. Die 2. Auguſti anno 1659. apud medicum Johann. Nicolaum Binningerum, juxta ipſius *Obſerv. medicin. Cent. II. Obſ. 48. pag. 181.* querebatur, ſe ab initio imprægnationis ſuæ tunc quinto cum dimidio menſium, ut putabat, quotidianis torminibus afflictam eſſe, aliis ſymptomatibus laborare, unde metueret, ut infelix denuo fiat partus. Ideo præſcripſit venæſectionem proportionatam, & alia fœtum roborantia; hocque conſilio uſa puerum feliciter enixa eſt, & inde ſequentem prolem vivam peperit. Refert etiam Theodorus Zwingnerus *Theat. Prax. Medic. pag. 13.* ſe noviſſe, quæ ſingulis menſibus ingravidationis ad abortum præcavendum venæſectione opus habuerit. Uxor Johannis Vieules, civis Monſpelienſis tres aborſus conſequentes paſſa fuerat variis temporibus geſtationis: dum quarto gravida eſſet, circa finem menſis ſecundi correpta eſt iisdem ventris

& lum-

& lumborum doloribus, qui aliorum aborſuum prodromi eſſe conſueverant. Vocatus ad eam Lazarus Riverius, & advertens mulierem ſanguineo temperamento præditam & plethoricam, ſtatim ſanguinem mitti jubet ad uncias quatuor, & intra dimidiam horam prædicti dolores omnino quieverunt. Illa autem ſymptomata apparuerant eo prorſus tempore, quo ipſa extra graviditatem menſtruas purgationes pati conſueverat. Tertio demum graviditatis menſe, eadem periodo, ſimilia redeunt ſymptomata, & pari prorſus eventu ejus deſiderio ſanguis mittitur. Quarto itidem menſe, quinto, ſexto, ſeptimo & octavo, iisdem ſymptomatis periodice recurrentibus iterata fuit phlebotomia, & mulier ſtatim liberabatur. Ultima phlebotomia celebrata fuit octo diebus ante principium noni menſis cum eodem fructu, & circa finem noni menſis dicta mulier filium vitalem & bene habitum peperit, uti dictus Riverius *Prax. med. Lib. XV. cap. 16. p. m. 395. & Obſervat. medic. Cent. I. Obſ. 53. p. m. 58.* recenſet. Ruſtica mulier unius & triginta annorum bis abortum paſſa erat, quæ gravida venam ſibi tundi nunquam curaverat, tametſi plethorica eſſet; poſt ſectam autem dextri brachii baſilicam melius habuit. Quem a neglecta venæſectione ortum abortum annotavit Roſinus Lentilius *Miſcellan. med. pract. Part. I. p. 77.*

§. 9.

De muliere quinto menſe ſemper abortivum faciente phlebotomia præſervata hanc obſervationem refert Dominicus Panarolus *Obſerv. medicinal. Pentec. I. Obſervat. 10. pag. 6.* Cum prægnantem mulierem quinto menſe vidiſſem abortui proximam, quæ quinquies prægnans abortum ſemper paſſa fuerat, conſiderando primo, quod nihil juvarent remedia aſtringentia, tum interna, tum topica, alias ab aliis medicis adminiſtrata: ſecundo, quod ſanguis maxime redundaret, ſecta fuit vena cubiti, non ſaphena, ne fieret abortus, & tuto *Item.*

nono menſe peperit filium vivum & vitalem. Mulieri etiam uno eodemque fœtu gravidæ quadragies ac novies venam fuiſſe ſciſſam, ſequenti obſervatione annotavit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rarior. Cent. I. Obſerv. 65. pag. 275.* Memini, inquiens, matronam quandam anno 1653. Harlemi habitantem, ſana gaudentem temperie, ſanguinisque divitem, atque optimo ætatis vigentem robore, ſæpius quam citiſſime adeo oppreſſam fuiſſe, ut vix reſpirare poſſet: quare ex ejus brachii vena, ſæpius jam aperta, aliquot unciæ ſanguinis depromebantur, poſt quam exonerationem illa denuo ad ſe rediit. Ipſe etiam cum forte Harlemi eſſem, decimo quarto ante ejus partum die adfui, cum dictæ matronæ ante bene ſe habenti ac lætæ, iſte angor reſpirationisque difficultas cito admodum ſuperveniret, ita ut chirurgum continuo accerſi juberet. Illa autem, poſtquam me præſente ſeptem octove ſanguinis unciæ eſſent detractæ, tanquam nihil ei obeſſet, iterum cum aliis menſæ accumbere cœpit, nec edere, nec animo eſſe læto deſtitit. Hæc autem, cum primum fœtum ferret, repetita quinquies venæſectione, nihilominus filiam viventem edidit. Cum vero ſecundo uterum ferret, toties dicta anxietate infeſtata fuit, ut brevi tempore trigeſies ac ſexies venam ſibi ſecari præceperit. Illius autem neceſſarii, non parum hac de re ſolliciti, medicum G. Stratenum ac me de malo iſto conſuluerunt. Perpenſis autem omnibus, nec inventis aliis remediis, quæ ipſam tantis eximerent anguſtiis, non omnino rejiciendam, urgente neceſſitate, ſtatuimus phlebotomiam; fuitque illi poſtea ter ac decies aperta vena (ita ut quadragies ac novies hoc modo, dum ultimo intumeſceret fœtu, ſanguinem emiſerit) nec minus recte illa usque ad graviditatis finem valuit &c.

§. 10.

Obſervatio. Ex propriis etiam obſervationibus unicum adhuc per venæſectionem repetitam impediti abortus exemplum annectere

ctere libet. Ante triginta ſcilicet aliquot annos pharmacopœi noſtratis J. M. uxor euſarca, quæ adhuc, dum hæc ſcribo, in vivis eſt, undecies in una ſerie abortum paſſa erat, cum denuo gravida conſilium meum expeteret, hocque ſibi infortunium ſemper in octava vel undecima graviditatis ſeptimana obveniſſe, mihi referret; Cum vero iterum octava a conceptione ſeptimana inſtaret ipſaque dolores ac tormina in abdomine, tanquam ordinarios ſibique conſuetos abortus prodromos, ſentiret, poſt medicamentum a me præſcriptum equidem eodem die ab abortus metu liberabatur, tertio tamen die iterum & quidem vehementius iisdem doloribus cruciabatur, quapropter ſtatim venæſectionem in brachio ſuadebam, hacque feliciter exercita dicta ſymptomata remittebant, undecima vero ſeptimana redibant, hinc absque medicamenti alicujus ordinatione iterum venam in eodem brachio incidi curabam; qua ſectione facta & effluente adhuc ſanguine, dolores cum ſummo gravidæ feminæ gaudio ceſſabant, ipſaque ab omni periculo ſecuram ſe credebat; Quod tamen gaudium poſt tertiam ſeptimanam evaneſcebat, ſiquidem decima quarta graviditatis hebdomade priores paſſiones iterum apparebant, quibus nullum aliud remedium, quam venæſectionem tertia vice inſtituendam opponebam, & tali quidem cum effectu, ut per Dei gratiam memorata femina poſthæc per totum geſtationis curſum ſalva & incolumis permanens tandem legitimo tempore filium ſanum, & hoc anno 1731. defunctum enitebatur; quem ſequenti anno etiam ſoror, adhuc vivens ſatisque prolifera, ſequebatur.

§. II.

Eſt autem hic caſus, quo intra ſex hebdomadum ſpatium; ob abortus metum, ter venam ſecare mihi incumbebat, ſecundum facultatis medicæ Hallenſis reſponſum, inter caſus rariſſimos referendus, ſiquidem in Friderici Hoffmanni *Medicin.* *Caſus rariſſimus.*

dicin. Conſultat. Part. III. Dec. II. Caſ. 1. pag. 62. quibusdam gravidis plethoricis interdum unica tantum venæſectio utilis ac neceſſaria; in majori etiam plethoræ gradu ſecunda inciſio exercenda judicatur; rariſſime vero ejusmodi dari caſus, in quibus tertia phlebotomia neceſſaria ſit, defenditur. v. etiam Michael. Albert. *Jurisprud. medic. Part. poſter. Caſ. 50. pag. 516.* in cujus epicriſi varia ad gravidarum venæſectionem, tam ratione perſonarum quam temporis & loci, ſcitu digna repeiuntur.

§. 12.

Venæſectionis locus.

Ad quæſtionem autem, an gravidis venæſectio in brachio magis, quam in pede conducat, idem autor *pag. 518.* ita reſpondet: Feminis, quæ in abortum faciles ſunt, venæſectio in brachio magis convenit, reliquis venæſectio in pede non modo nihil nocet, ſed magis conducit: qui etiam prudenter cum venæſectionis in pedibus ordinatione procedere poſſunt, illi etiam aliquoties cum emolumento illam ſine præjudicio commendare ſciunt. Ejus venæſectionis in talo gravidæ ſine noxa exercitæ exemplum refert Zacutus Luſitanus *Prax. Medic. admir. Lib. I. Obſerv. 27. fol. m. 7.* Matrona, inquiens, nobilis cum in ſeptimo menſe utero gereret, optimo habitu prædita, denſæ contexturæ, venas latas habens plurimo beneque cocto ſanguine refertas, epilepſia concutitur vehementi; quæ cum in acceſſione faciem haberet rubicundam, & oculos ſanguine plenos, ob morbi periculum, medentibus ſanguinis miſſio habita eſt ſaluberrima, ſed ex qua parte eſſet celebranda, prorſus ignorant; nam ſi ab utero eſt epilepſia, nullum juvamentum e brachio eſt, cum ad originem & originis principium ſit deveniendum: ſi in talo ſeces, præcipitas fœtum ipſumque attracta copia in corpore pleno ad uterum, ſuffocas: His rationibus hæſere in vado. Me vocant. Intrepide ter ex ſaphena cruorem exhaurio. Hoc celebrato præſidio perfectam

fectam conſequuta ſanitatem, & ſuo tempore fœtum edidit in lucem. Et *Lib. II. Obſ. 139. fol. 76.* idem Zacutus ſanguinis in talo miſſionem in bubone venereo, & peſtifero, quam in gravidis partui propinquis ſalutarem ſe vidiſſe ſcribit.

§. 13.

Præter hæc autem de præcavendo frequenti abortu ſolliciti medici alio modo ejusmodi feminis opem ferre allaborant e. g. fonticulis & amuletis. A frequenti enim abortu feminas fontanella celebrata præſervari teſtatur Zacutus Luſitanus *de Medic. princip. Hiſtor. Lib. I. Obſ. 19. Oper. Tom. I. fol. 35.* Feliciſſimo, inquiens, experimento adinveni, frequentem abortum ex vitioſis humoribus ad uterum a toto demandatis, ſuaque prava facultate aut copia, fœtum enecantibus, hoc ſolo præſentaneo auxilio impediri. Feminæ plures pluries hac ipſa de cauſa frequenter abortiebant; ex iis quædam fœtum ſeptimeſtrem, quadrimeſtremve, lacerum tamen, & omni putrilagine infectum, ſæpius enixæ, non niſi hoc præſidio, tam in brachiis, quam cruribus, ſemper tamen ad originem fluxionis celebrato a tantis malis levari potuerunt: quo facto debito & conſtituto tempore fœtus ſanos, labeque nulla fœdatos in lucem edidere. *vid. etiam ejusdem Prax. medic. admirand. Lib. II. Obſ. 159. fol. 81.* *per fontanellam.*

§. 14.

Contra abortum varia quoque a mulieribus adhibentur amuleta, verbi gratia lapis ætites, qui, juxta Dioſcoridem *Lib. V. cap. 118. in Matthiol. fol. 964.* eſt veluti prægnans, cum quatitur, alio in utero ſonante; gravidis continet partus, cum lubricæ ſunt vulvæ, & parum tenaces. Secundum Johann. Zwelfferi *Animadv. in Pharmacop. Auguſt. fol. 420.* lapis ætites, periapti inſtar, corpori prægnantis aut parturientis alligatus ſupra renes, ſi fœtum diutius in utero materno continere abortumque prohibere debeat, infra renes autem & cruribus, ſi par- *per amuleta.*

tum promovendi animus ſit, multa præſtat. Inquit etiam Olaus Wormius *Hiſtor. Muſæi Lib. I. Sect. II cap. 12. fol. m. 78.* Ætitem parturientibus peculiariter dicatum teſtatur Plinius & Galenus, non refragante experientia. Siniſtro namque brachio alligatus fœtum in iis retinet, quæ ad abortum ſunt proclives ob uteri lubricitatem. Tempore partus ſiniſtro femori alligatus, dolores minuit & partum accelerat; cujus experientiam ſæpius in hac urbe feci. De lapidis ætitis virtute contra abortum ſequentem obſervationem communicat Johannes Petrus Albrechtus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 80. p. 136.* Uxor præfecti cujusdam cum aliquot vicibus abortum, non obſtantibus contra hunc datis remediis, perpeſſa fuiſſet, de novo imprægnata, ac valde metuens, ne ante conſuetum & lege naturæ confirmatum tempus fœtum iterum abjiceret, remedia idonea ex me quærebat, quibus auxiliantibus longius ſpatium omnimodamque ſui in utero maturationem expectare ille poſſet. Prompte ipſi adfui venæſectione aliisque efficacibus remediis intempeſtivi fœtus excluſionem maſcule alias declinantibus ejusdem conſervationem tentans: Aſt infelix matrona quarto geſtationis menſe fœtum e gremio ſuo elabi mœſta iterum videret. Septima igitur vice, cum ſe rurſus gravidam ſentiret, loco aliorum medicaminum lapidem ætitem ſindoni rubræ incluſum meo juſſu de collo ſuſpendit, ſic, ut nudam pectoris partem inter mammillas attingeret. Geſtavit hunc in nonum usque ingravidationis menſem, de omni abortionis periculo ſecura. Sed quid fit? abſoluto ordinario partus naturalis termino, ingruentibusque doloribus fœtus in lucem emiſſionem præcedentibus, per aliquot dies omnis labor omnisque pariendi conatus erat fruſtraneus, ſic ut miſera in vitæ diſcrimine poſita meum iterum imploraret auxilium. Cito igitur adveniens alligatum adhuc amuleti ratione lapidem ætitem deque collo ſuſpenſum deprehendi, hinc juſſi, ut obſtetrix eundem extemplo, ſoluto ejus filo cruri parturientis in alterutro latere alligaret; unde

factum

factum, ut finito vix unius horæ ſpatio mater laborioſi nixus puerperio admodum enervata fœtum maſculum optima ſanitate fruentem ederet in lucem. Plura de hac ætitis fœtum in utero retinendi virtute vid. Joh. Laurent. Bauſch. *Schediaſm. de Lapid. Ætit. cap. 5. p. 41. ſeq.* Paul. Amman. *Manuduct. ad mater. medic. cap. 3. p. 17. ſeq.* Jacob. *Wolffs Scrutin. Amuletor. Cap. 2. Sect. I. p. 30. ſeqq.* quo loco non ſolum de hoc, ſed aliis quoque lapidibus, oſſibus, radicibus, lignis, plantis &c. pro hoc ſcopo uſurpandis plurima allegat. In partu difficili etiam lapidem ætitem ſiniſtræ coxæ alligari juſſit Franciſcus Valleriola, & poſt paululum moræ prodiit maxima cum anguſtia membrana quædam monſtroſa. Sed mox illa ejecta lapidem amoveri juſſit; ſi namque diutius perſtaret, vi potente ſua matricem attraheret, uti in certi cujusdam prætoris uxore ſe perſpexiſſe refert: huic enim feminæ difficili partu laboranti, quum mulierculæ lapidem ætiten magnum cruri adligaſſent, & edito partu, per imprudentiam & oblivionem, lapide a crure non amoviſſent, poſt paucas horas foras prodeunte matrice mortem miſeræ laboranti attulit. vid. Valleriol. *Obſ. medic. Lib. I. Obſ. 10. p. m. 123.*

CAPUT IV.

De ſignis abortus.

§. 1.

Cum autem hactenus de abortus cura ſive præſervatione mentionem fecerimus, non immerito etiam ejusdem tam inſtantis, quam proxime antecedentis, ſigna erunt adducenda, quo eo melius hoc malum in tempore a medico impediri queat. Imminentis autem abortus ſigna imprimis ſequentia notantur, v. g. inſolita quædam circa coxas & lumbos gravitas, ſegnities quædam ad motum, ſenſus inſolitus ponderis ſinui pudoris incumbentis vulvamque prementis; cum econtra aliæ mulieres gravidæ ſint agiles, & nunquam tale pondus percipiant, niſi ultimis *Signa abortus.*

timis ſeptimanis, quando ſubſidet uterus & partus imminet. Secundum Jodoci Lommii *Obſerv. medicin. Lib. II. p. 282.* futuri abortus hæc ſigna traduntur : Mammæ ſponte extenuantur, aut ex his lac aquoſum fertur : latera ſuperusque venter arctantur : lumbi coxæque gravitatem inſolitam habent & pigre moventur : fœtus, ſi vitam habet, vix movetur : poſtremo aqua profluit ſanioſa, tenuis, dein ſanguinea, poſtquam ipſe ſanguis, hinc grumus atque tum protinus fœtus excluditur. Quodſi præterea accedant vagi dolores lancinantes, crebrius recurrentes in abdomine & circa umbilicum, & ad ſinum pudoris usque deorſum ſeſe extendentes, juxta Mich. Ettmüller. *Oper. Part. II. fol. m. 1104.* periculoſum admodum eſt ſignum, ne ſubſequatur abortus, imprimis ſi ſimul adſit quidam involuntarius conatus quaſi egerendi ex utero. Certe hæc duo ſola ſigna, nempe gravitas inſolita a regione lumbari deorſum tendens, & ſupervenientes vagi dolores deorſum ad ſinum pudoris protenſi, ſæpe ſoli ſunt certum ſignum imminentis abortus, cujus aliquot exempla vidit Ettmüllerus. vide etiam Dan. Sennert. *Pract. Lib. IV. p. 397.* Rod. a Caſtr. *de Morb. mul. Lib. IV. cap. 4. p. 449.*

§. 2.

juxta Lentilium. Ex ſequentibus ſignis Roſinus Lentilius *Eteodrom. Medico-pract. Januar. p. 3. ſeq.* abortus metum indicat, ſcilicet ex tusſi epidemica, aſthmate, phlogoſibus, dolore lumborum, torminibus, motu infantis jam a triduo imperceptibili, viribus valde diminutis, animi deliquio, horripilationibus levibus cum æſtu ſequente. Porro feminæ in lecto ad latus decumbentis pondus ventris eo verſus ſimul labebatur, tormina, dolores lancinantes non deſinebant, caput quoque dolebat. Mammæ erant flaccidiores, dolores in eis punctorii ſentiebantur. Quæ ſigna erant imminentis quidem abortus, ſed non ſufficientia ad demonſtrandam infantis mortem. Nam in his caſibus quam cautiſ-

cautisſimum ſe medicus præſtare debet, ne, fœtum vivum pro mortuo habens, pellentibus eum exturbet.

§. 3.

De ſignis abortus ita ſcribit Chriſtianus Johannes Langius *Oper. medic. Part. II. cap. 24. fol. 157.* Cognoſcitur abortus, qui jam factus eſt, facillime, ſed hujus ad curationem medici nunquam vocantur, bene tamen ad imminentis & qui in fieri demum eſt, cujus etiam propterea ſigna medico omnino debent eſſe perſpecta, quo tempeſtive remediis aptis illum posſit præcavere. Signa igitur talia hauriet partim ex prodromo abortus immediato, dolore puta convulſivo uteri, partim vero ex ſymptomatibus longius adhuc illum antecedentibus, v. g. gracileſcentia mammarum, hæmorrhagia uteri, morbo acuto utero gerentium, terrore, ira, caſu ab alto, contuſione &c. Ipſe Hippocrates *Lib. V. Aph. 37.* inquit: Mulieri ingravidatæ ſi mammæ repente extenuentur, abortit; & *Aph. 38.* ait: mulieri gravidæ ſi altera mamma extenuetur ac gemellos gerat, alterum abortit. Ac ſi dextra quidem extenuetur, marem abortit: ſi autem ſiniſtra, feminam. Signa abortus imminentis ſunt varia, ſæpe vero incerta, quia feminis inexpectato & ex improviſo accidit. Probabiliter vero, juxta Joh. Dolæi *Encyclop. med. Lib. V. cap. 6. p. m. 915.* cognoſces primo ex cauſis, quæ abortum producere poſſunt, item ex corporis horrore & rigore ſubitaneis, ſubſequente leviculo quodam calore, ex nauſea, inappetentia, ſiti majore, dolore lateris, lumborum, totius corporis laſſitudine, animi deliquio, palpitatione cordis, odore halitus fœtido, terrore, mœrore aliisque; uteri vero ut dolore gravativo ſupra pubem, ſenſatione ponderis, minore Veneris appetitu, frigore partium genitalium &c. Sic & excretis patet, ut ſi ſubito gravidæ menſtrua fluere incipiunt, aut fluxus augeatur albus, aut ichor ab utero emanet, & ex colore mutato, tum totius corporis, tum imprimis faciei. Sunt etiam nonnulli, qui ex ſola coloris in facie mutatione abortum ſæpe prædicere vo-

juxta alios autores.

juxta Langium.

juxta Dolæum.

ſunt. Accedunt & ultimo ſigna quædam particularia, ut ſubita mammarum detumeſcentia, aut copioſi lactis ex iisdem profluxus, quibus adde frequentem abortiendi conſuetudinem, nam multæ, quæ conſuetæ ſunt abortire, vel a leviſſima cauſa abortire ſolent.

§. 4.

item Interdum etiam ex fœtus motu indies decreſcente demumque penitus ceſſante inſtantis abortus ſignum peti poteſt, *juxta Hildanum.* quale exemplum annotavit Guilhelmus Fabricius Hild. *Obſerv. chirurg. Cent. II. Obſ. 50. fol. 121.* de puerpera Torintina Mayer, matrona honeſta & robuſta, quæ ad quinti menſis finem fere ſignis omnibus fœtus vivi apparentibus gravida fuit. Circa finem vero quinti menſis fœtus primo imbecilliter ac languide movebatur, ita ut vix perſentiri potuerit. Deinde paulatim & intra paucos dies omnino ceſſabat moveri. Mammæ quoque, quæ antea lacte turgebant, nunc ſubſidebant, flacceſcebant & exſiccabantur aliaque ſigna aderant, ex quibus fœtum in utero mortuum eſſe facillime conjicere licuit. Tandem circa finem octavi menſis parturientium doloribus correpta, enixa eſt maſculum, quem per tres fere menſes mortuum geſtaverat. Huc pertinent etiam alia in utero mortui fœtus ſigna.

§. 5.

pediculi. Mirabile ſane abortus ſignum atque prodigio ferme ſimile eſt illud, quod in præfecti Schladenſis uxore ſe obſervaſſe refert Johannes Petrus Albrecht *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 88. p. 151.* Hæc, inquiens, aliquot liberorum mater quidem facta feliciter, aliquoties tamen & quidem ter abortum perpeſſa eſt. Nona, ni fallor, jam vice uterum gerens, erga me triſtis conquerebatur de inſtante abortu, dicens, ſe quidem certo ſcire, hunc fore inevitabilem, ut tamen nihil ad conſervandum fœtum neglexiſſe videatur, meo ſe relinquere arbitrio, ſi medicinam illi factitare velim. Ego nullum ſignum deprehendens, quibus alias abortum imminere probabiliter concluditur, quæſivi

ſivi tandem ex illa, quidnam eſſet illud, quo tam certum de immaturi fœtus excluſione formare poſſet augurium ? Prophetas, regerebat, tibi ſiſto pediculos: ſcias enim, nunquam me in ulla corporis parte illa animalia deprehendiſſe, quoties gravida ad naturalem partus terminum fœtum utero geſtavi; quæ tamen numeroſa caput occupare ſolent, cum fœtus intempeſtive edendus eſt. Fruſtra autem ut hoc dixiſſe non videretur, iteratis juramentis non tantum rem haud aliter ſe habere, verum etiam vaticinium a pediculorum præſentia deſumtum, tertia jam vice ſe ipſam approbaſſe affirmabat, vix dubitans, cum iterum ingratos illos hoſpites in capite alat, quarta jam vice ſe ſimile fatum experturam eſſe. Erexi ejus animum, quantum potui, pluribus oſtendens, nihil periculi in tali caſu pediculos portendere poſſe: Quibus omnibus vero, cum conceptam ſemel de iis opinionem ipſi excutere non poſſem, nonnullisque medicamentis ejus deſiderio ex parte ſatisfeciſſem, inter ſpem & metum conſtitutam dimiſi etiam atque etiam petens, ut de eventu me certiorem faciat, de quo forſan ſequenti anno communicandi dabitur occaſio.

§. 6.

Cum etiam a plethora ſeu nimia gravidarum ſanguinis abundantia utplurimum abortus excitari obſervetur, quid mirum, quod etiam inſtantis ejusdem ſigna ab hæmorrhagiis deſumi queant? quale exemplum refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *de Theriac. cœleſt. Sect. II. Part. III. Membr. 9. cap. 1. p. 299.* de femina ſibi nota, quæ circa finem tertii ingravidationis menſis crebriores per aliquot dies paſſa erat narium hæmorrhagias; quod inter abortus ſigna dictus autor poſuit. Et nobiliſſima quædam matrona acerbiſſimo familiæ cum luctu tres abortus paſſa fuerat, quam ut a calamitoſo hoc malo liberaret dominus maritus, medicos clariſſimos in conſilium vocavit, & inter hos Bernhardum Verzaſcham humaniter rogavit, ut de funeſta *hæmorrhagia.*

ſta hac calamitate ipſi mentem ſuam candide explicaret. Poſteaquam vero in examine habito illa retuliſſet, tres illos abortus copioſam uteri hæmorrhagiam per quinque dies anteceſſiſſe, quam nullis remediis inhibendam ſine virium jactura toleraverit, inde collegit Verzaſcha, ſanguinem nimia copia turgidum in utero fœtus obruiſſe, illosque vaſis umbilicalibus disruptis propuliſſe & inſtantis abortus ſignum edidiſſe.

§. 7.

Signa abortus prægreſſi. Hactenus de inſtantis abortus ſignis egimus, reſtant adhuc prægreſſi abortus indicia, quæ quidem non tam ad fœtum utero adhuc incluſum, quam jam excluſum ſeu editum pertinent; quia tamen hoc loco de abortu in genere ſermo eſt, ſequentia etiam annectere libet. Ejusmodi vero ſigna admodum ſunt incerta, unde ſcribit Johannes Bohnius *de Offic. Medic. duplic. Part. II. cap. 6. p. 674.* Abortum concitatum fuiſſe ac contigiſſe, in quibusdam individuis aliquando difficulter cognoſcitur: id eſt, quamvis hoc commode ſatis fiat, ſi fœtus abactus major & perfectior extiterit, minoris tamen ac immaturioris, ſeu qui ſecundum, tertium &c. geſtationis menſem nondum attigit, ſigna vix æque manifeſta ſeu certa ſunt, & fruſtra indagantur. Cum ejusmodi præmatura conceptus ſeu embryonis exilioris excluſio aliquando parturientibus ipſis vix ſenſibilis ſeu evidens ſit, ut illius interdum non plus, quam eruptionis menſium hactenus ſuppreſſorum rationem habeant; niſi forſan ex geſtationis præcedaneæ ſignis & mammarum notabili a lacte turgeſcentia abortum recentem admodum augurari liceat. Et quod enarratis conjecturis addit Zacchias, quaſi abortum technis concitatum febris ac inflammatio genitalium ſimiliaque ſymptomata ſemper & neceſſario excipiant, fallit quatenus nec perpetua, ſed rariora, hæc ſunt, nec ſi exiſtant, de illo infallibiliter teſtantur.

§. 8. Ex

§. 8.

Ex mente Michaelis Alberti *Syſtem. Juriſpr. med. cap. 6. §. 6. p. 128.* in abortus inquiſitione perluſtrandum erit, an certa ſigna prægreſſi abortus conſtent? in qua ſignorum evolutione differentia omnino inter majorem & minorem embryonem agnoſcenda eſt; ex hiſce indiciis vero ſequentia, tum ſingulatim, tum collective bene penſitanda, & poſt conciliationem prudentem debite decidendæ erunt. Teſtantur itaque prægreſſum abortum 1) inſolita laxitas & rugoſitas abdominis, 2) largior ſanguinis profuſio ex utero, 3) quæ etiam diutius, quam menſium aut lochiorum ordinarius fluxus durat, 4) conjuncta fœtida exſpiratio ex utero, qualis puerperio familiaris eſt, 5) pudendorum ſuſpecta intumeſcentia, 6) color faciei valde mutatus & morboſus, 7) dolor eximius in abdomine, 8) diſtincta virium labefactatio, 9) inſignis amplitudo & extenſio vaginæ uteri, 10) ſi fœtus junior fuerit, mammæ redduntur pendulæ & laxæ, 11) ſi grandior vero, lac in mammis aut intumeſcentia mammarum eminentior reperitur, 12) accedit inopinata detumeſcentia abdominis poſt ſuſpectam præviam inflationem, ubi æque provida inſpectio ſuſpectarum feminarum requiritur, licet clanculum pepererint, ac ſi feminæ perfectum partum ediderint: & cum abortus magis moleſtet, quam partus, ita etiam ſolicite hæc circumſtantia penſitanda erit. *juxta Alberti.*

§. 9.

An ex linteaminibus ſanguine & ſanie commaculatis certum judicium de abortu ferri poſſit? nonnunquam a medicis vel facultatibus quæri ſolet, quale exemplum cum judicio refert Johannes Bohnius *de Offic. med. duplic. Part. II. cap. 1. pag. 537.* Anno, inquiens, 1692. menſe Julio judicium noſtrum petebatur ſuper juvencularum duarum, de abortu aut partu ſuſpectarum, linteamina, cruore & ſanie, lochiis ſimili, maculata, a duabus obſtetricibus demum arida & exſiccata in- *ex ſanguine.*

ſpecta, ac ab his, ſi non partus perfectioris, certe abortus, ſigna declarata: qualia nihilominus duobus illis medicis, quorum conſpectui veſtimenta hæc fuerant expoſita, nec nobis, (facultatis medicæ Lipſienſis aſſeſſoribus) videri poterant, per dubitandi rationes diverſas. Integer autem hic caſus & quæſtio: an ex linteaminibus maculatis abortus præteritus ſuſpicari poſſit? reperitur in Joh. Frid. Zittmann. *Medicin. forenſ. Cent. V. Caſ. 51. pag. 1228. ſeq.* cujus reſponſum *pag. 1232.* ſic ſonat: *Als uns derſelbe ein Schreiben wegen einiges mit Blut und Eyter maculirten leinenen Weiber-Geräthes, nebſt zwey geſchwohrner Weh-Mütter, des Stadt-Phyſici und eines andern Medici hierüber gehaltenen Gutachten zugeſchicket, und über 4. beſondere Fragen unſer Judicium gebeten; Demnach ſo geben, nach fleiſſiger Erwegung derer in denen Beylagen enthaltenen Umſtände, wir ihm zur Antwort, daß 1) hieraus, nehmlich weder* ex quantitate, *noch* ex qualitate, *der angegeben Maculation derer producirten* Linteaminum *ein* Partus *oder* Abortus præteritus *nothwendig zu ſchlieſſen ſey, und dannenhero 2) derer Kinder-Mütter Auſſage* (quæ *l. a. pag. 1229.* videatur) *auch auf keinen mediciniſchen* Fundamentis *beſtehe, oder zu billigen, 3) des Herrn Stadt-Phyſici Meynung in ſo weit beſtändig zu achten, ſo ferne er die angegebenen Flecken in ermeldetem Geräthe an und vor ſich ſelbſt für kein gewiß und unfehlbares Zeichen deſſen hält, und alſo der Kinder-Mütter Auſſage verwirfft. Ob aber derſelbe gnugſame Urſache habe, ſo ihm deſſfals einigen Verdacht machen könte, können wir aus denen (l. a. pag. 1230.) angegebenen* Circumſtantiis *ſo genau nicht determiniren, maſſen uns biß dato unwiſſend, ob ermeldtes beſudeltes Geräthe von einem* Subjecto *oder mehrern zu einer Zeit, und bey welcherley Conſtitution und Beſchaffenheit maculiret worden; Aus derer inhafftirten Weibes-Perſonen hierbey allegirten Lebens-Art aber dergleichen zu ſchlieſſen unſers* Fori *nicht iſt, zumahlen da endlich 4) eine unerkänntliche in Lappen eingetrocknete* Materia, *und von deren*

deren Subſtantz alſo nichts gewiſſes geurtheilet werden mag, ſolchen Verdacht nicht unterſtützen kan &c.

§. 10.

De ſigno ætatis abortus editi ex unguibus & capillis deſumendo ſequens obſervatio a Glockengiſſero refertur Actor. medic. Berolin. *Vol. IV. n. 5. pag. 82.* Menſe Januario die ejusdem decimo quinto legali ritu Charlotteburgi in curia, infans Dorotheæ Stangin, decimo quarto hujus, mane ante ſolis ortum enixus, horis pomeridianis inſpiciebatur, obſervabaturque, quod fœtus ſequioris ſexus recens quidem fuerit, floride rubens & nullibi corruptione tactus, attamen ob ungues in digitis manuum pedumque valde molles & teneros, criniumque in capite abſentiam, non ultra quintum menſem in utero geſtatus reputandus. *ex unguibus & capillis.*

CAPUT V.

De *Inſolitis abortus exemplis.*

§. 1.

Quandoque minimi abortus membranis incluſi a feminis excluduntur, qualem grani milii magnitudine annotavit Franciſcus Mauriceau *Obſervat. ſur la groſſeſſ. Obſ. 141. p. 79.* inquiens: le 14. Juillet 1675. j'ay vû une femme, qui venoit de vuider dela matrice quelques membranes charnuës avec perte de ſang. Je trouvay dans ces membranes un peu d'eau glaireuſe, au milieu de laquelle il y avoit un petit corps blanc, gros ſeulement comme un grain de millet, au quel on voyoit quelque petit point noir, qui me faiſoit conjecturer, que c'eſtoit un commencement de generation, qui avoit eſté empeſchée par une chute, que cette femme avoit faite il y avoit quinze jours, ayant pour lors un ſoupçon de groſſeſſe depuis quelques ſemaines. Duo alia ejusmodi exempla recenſet *abortus minimus.*

idem

idem autor *l. a. Obſerv. 233. pag. 135.* Sic Johannes de Muralto anno 1687. abortum vidit, qui præſentabat ovum inſtar nucis aut juglandis: hoc intrinſecus lympha turgidulum erat, ubi loco capitis apparuit bulla exigua & anterius duo puncta nigra. Membrum virile cum teſtibus conſpicuum fuit, itemque pedes & manus exiguæ: &c. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 119. pag. 305.* Plurimos ejusmodi abortus ejusdem vel paulo majoris magnitudinis mihi quoque obſervare licuit, in quibus præter nigra puncta loco oculorum ſemper magnum oris hiatum deprehendi. Abortum bulliformem annotavit Georgius Hannæus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 114. p. 221.*

§. 2.

in placenta uterina. In abortus cujusdam placenta uterina incluſum embryonem cum propria ſecundina obſervavit Johannes Daniel Geyerus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 233. pag. 457.* Honeſta ſcilicet femina Manhemii rediit ex thermis Wisbadenſibus, quibus ob ſingularem & inconſuetum ventris tumorem uſa erat, atque tunc demum ſe gravidam ſentiebat. Domum reverſa læta, circa medium noctis ingentes patiebatur niſus & dolores, adeo ut nil juvantibus cordialibus, corfortantibus aliisque, lochia ante partum profluerent, ipſo fœtu cum ſua placenta ſubſequente, qui vivus perfectusque in omnibus erat, primo, ſed accepto prius ſacro fonte, exſpirabat. Cum vero ſecundinam penitius inſpicerem, inveni eam circumdatam tenaci membrana, inque hac incluſum alterum filiolum ad ſpithamæ longitudinem, cujus funiculus umbilicalis inſertus erat propriæ placentæ, quæ alteri fortiſſime connexa erat. Hic embryo in omnibus erat perfectus, niſi quod ungues deficerent, interne cerebrum & hepar erant putrida, cor vero inſtar cordis alaudæ, renes inſtar phaſeoli, funiculus umbilicalis inſtar pennæ inſertus hepati & veſicæ &c. Simile exemplum v. *Syllepſilog. noſt. Sect. III. cap. 2. §. 9. pag. 296. 299.*

§. 3.

§. 3.

Abortus per vomitum rejecti meminit Juſtinus Ortolphus Maroldus *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 108. pag. 245.* In pago nimirum Reuſt, haud procul a civitate Ronneburgo, vixit ruſtici cujusdam, Andreæ Haſenbarths filia, corpore gracili, & vixit virgo ſine inſigni aliqua moleſtia aut morbo ad annum vigeſimum ſeptimum aut octavum usque. Quæ excernenda erant, juſto tempore depoſuit, etiam per conſuetum fluxere locum menſtrua. Poſtea nupta anno circiter 1664. conſenſu parentum ruſtico ejus loci incolæ, Chriſtophoro Grubern, cui muliebrem hortum irrorandum ex conjugali affectu expoſuit. Percepit quoque illico roris fœcunditatem, dum ſuppreſſis menſibus aliqualem uteri tumorem, nauſeam, vomitum, & quæ gravidarum alias ſolent eſſe pediſſequæ, mox ſenſerat. Paulo tamen graviora viſa ſunt ſymptomata, ita ut eo tempore, quo prægnans, rebus ruſticis non adeo navare operam potuerit. Illud quoque mirabantur agnati, quod ſanguinem quaſi menſtruum ſimul cum ſputo crebrius ejiceret. Sed quid fit? Menſe ſecundo ab ingravidatione ſymptomata magis magisque incrementum capiunt, ſentit tormina ſæviſſima in utero, qualia parturienti ſolent oriri, oboriuntur lipothymiæ, & poſt ſummos dolores vomitus. Cum vomitu autem, quod ſane mirandum, ejecit partum bimeſtrem, obvolutum ſecundinis, ovi gallinacei figuram & ſpeciem referentem, quo facto melius habuit. Anno ſubſequente iterum ingravidatur, & cum ſummo parentum mœrore eadem patitur ſymptomata, iterumque ejusmodi ovum cum δευτέροις evomuit. Tertio anno meliora quidem ſperans permittit tertia vice ſe imprægnari, ſed deteriora ſecuta ſunt. Spes ſiquidem fuit, dum usque ad tertium menſem utero geſſit, ſed & nunc temporis vana ſpe deluſam eadem ſymptomata ipſam invaſere, ut evomuerit quoque non ſicut antea ovum, ſed integra oſſicu-

per vomitum rejectus.

ſicula, carniumque fruſta, caput membraque reliqua, exigua quidem, magnitudine tamen bene diſtincta & membratim omnia, ſubſecutæ quoque ſecundinæ & conſueta alias mulieribus lochia, ita ut exactiſſime abortum omnia repræſentarent. vid. etiam Journal des Savans *Tom. XI. pag. 215.* Abortum per vomitum rejici poſſe, negat Georgius Wolf. Wedelius *Phyſiolog. Sect. III. cap. 28. p. 203.*

§. 4.

dentatus. De abortu ſex menſium dentato obſervationem annotavit Rudolphus Wilhelmus Crauſius *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 268. pag. 619.* his verbis: Quod infantes dentibus quibusdam ex maxillis conſpicue prominentibus naſcantur, rarum quidem, miraculi tamen nomine indignum eſt. Vidimus tales infantes aliquoties. Muſici cujusdam aulici uxor, aliquot infantum mater, ſexto a conceptione menſe, poſt alterationem mane abortum excludebat ſequioris ſexus, vivum quidem, ſed conſueta immaturitatis ſuæ ſigna præ ſe ferentem & valde debilem. Inter plorandum obſervabantur duo dentes priores, inciſores dicti, in inferiori maxilla ſatis conſpicue prominentes. Moriebatur hæc puella, alias ſatis bene formata, eodem die veſperi.

§. 5.

ſine cerebro. Abortus ſine cerebro nati exemplum narrat Georgius Hieronymus Velſchius *Obſervat. medic. Epiſagm. 9. pag. 10.* inquiens: Noribergæ 1646. abortus editus ſine cerebro & medulla ſpinali, capite humeris incumbente (collo enim carebat, cujus tres tantum vertebræ in ſceleto apparebant) & in cervice perforato, ita ut digitus in cavitatem vertebrarum thoracis demitti poſſet. Hujus figuram cum nobis monſtraret illuſtris vir Johannes Veslingius ad ſe miſſam narrabat in literis adjectum, matrem in ventre motum illius, ut ſolet a gravidis, maniſeſtum percepiſſe, quod tamen valde dubium eidem videbatur,

batur, quando notiſſimum ſit, motum prægnantibus ſæpiſſime impoſuiſſe. Ipſius autem Veslingii verba *Obſervat. 44. pag. m. 156. ſeq.* ſic ſonant: Motus hujus monſtri tum a genitrice, tum ab obſtetrice deprehenſus, haud ſecus admirationem excitet contemplantium, quam defectus cerebri medullæque dorſi ipſius. Ambiguum quidem videatur, a fœtu fuerit hic motus, an a partibus circa fœtum obhærentibus. Non enim raro inteſtina flatu palpitantia ſive embryone, ſive mola gravis eſſet uterus, tanquam concepta ſoboles moveretur, mulieres pariter atque obſtetrices deluſerunt &c.

§. 6.

Notabilem atque mirandam hiſtoriam de abortu revocato recenſet Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. IV. Hiſt. 57. p. m. 355. ſeq.* oppidana, inquiens, mulier tertia & decima hebdomade imprægnationis cereviſiæ cocturæ aſſiſtens ſitulamque pleniorem imprudentius tollens abortum fere rejecit, ruptis membranis & exitum embryone moliente. Forte empiricus præſens, ad omnia audax, huic incommodo ſuccurrere ſatagens, ſuaſit ſine mora & ſitu prægnantis & manus dexteritate reponendum fœtum. Capite igitur gravidæ declivi elatisque cruribus obſtetrix ſubtili manuum opera embryonem proditurum intruſit, ſtatimque peracta operatione in lecto compoſuit matrem, ut fœtus repoſitus ſolitum locum repeteret. Fluxere tamen lochia ad tertium diem. Ad membranæ ruptæ generationem ſuaſit idem empiricus congreſſum cum marito. Hinc retentus fœtus juſto tempore deinde fuit excluſus. Rarum exemplum communicat etiam Georgius Dethardingius *Obſervat. parallel. in M. N. C. Dec. I. An. 1. ad Obſerv. 62.* Femina videlicet generoſo viro nupta primipara, menſe quo gravida ſeptimo circa finem doloribus partus, id eſt graviſſimis corripitur: proſiliunt aquæ, ſed & caput infantis crinibus ſat pro mole longis tectum prodit. Quis non inſtaſſe

Abortus repoſitus.

ſe partum pronunciaſſet? Adſtans obſtetrix & hujus opinionis, fœtu non ultra prodeunte, conſueta ſibi & uſu familiaria facta remedia, ad fœtum quod volebat expellendum idonea propinat. Degeneraſſe dixiſſes hæc ipſa pharmaca, cum fœtus, loco excluſionis ſperatæ, prima potius quæreret latibula, tamque firmiter illa teneret, ut poſt ſeptem demum hebdomadas prodire ac fortiori quaſi ſaltu palæſtram hanc mundi ſemel viſam intrare volupe fuerit. Sic in Hungaria femina partui vicina anno 1669. incepit parere fœtum, ut jam extra uterum totum exſereret caput, ſed fœtus ejulatu bis ter edito iterum in uterum fuit abreptus, per duas ſeptimanas ibi adhuc hæſit & dein legitimo partu fuit excluſus. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſervat. 62. pag. 160.*

§. 7.

gemelli. Gemellorum abortum ob vitioſam alterius fœtus conſtitutionem annotavit Guilhelmus Fabricius Hildanus, *Obſerv. chirurg. Cent. II. Obſerv. 59. fol. m. 135.* Anno ſcilicet 1605, matrona quædam honeſta, ſed cacochymica, circa quintum menſem imprægnationis, parturientium doloribus correpta, poſt maximos ac diuturnos conatus, gemellos cum multa aqua enixa eſt, femellam ſcilicet ac maſculum. Vidit etiam Marcus Antonius Ulmus gemellos mares ſeptimeſtres, proceros, bene corporatos, uti refert *Phyſiolog. Barb. Sect. I. cap. 7. fol. 25.* ubi tamen ſemeſtrem partum non eſſe abortum dicit. Gemellos maſculos manus circiter longitudine conſpicuos abortu emiſiſſe feminam, obſervavit Georgius Erneſtus Stahlius. v. ejusdem *Diſput. de abortu cap. 1. pag. 9.*

§. 8.

trigemini per abortum. De trigeminis abortivis obſervationem ad Georgium Segerum perſcripſit Thomas Bartholinus *Epiſtol. medicin. Cent. III. Epiſt. 62. pag. 250.* de uxore militis paupercula, quæ antea mater octo liberorum trimellos pepererat, ſed abortivos, primam

mam filiam die lunæ, mediam filiolam die Martis, tertiam filiolam Jovis die. Hi fœtus abortivi omnes tres unica ſecundina ampla gaudebant, quæ die Veneris tanto cum dolore prodibat, ut crederetur quartus fœtus ſupereſſe. Econtra generoſi domini de Schaurot uxor prima vice gravida poſt tertium menſem tres filiolos abortivos anno 1731. rejecit, uti tum ipſe, tum ipſius agnati eodem anno menſe Septembri mihi referebant.

§. 9.

Abortum ſimulatum annotavit Petrus Borellus *Hiſtor. medic. phyſ. Cent. IV. Obſ. 79. pag. 339.* inquiens: Nunquam ſatis magna uti poteſt medicus cautela in morbos ſimulantibus detegentibus, quare Galenus librum de morbos ſimulantibus fecit. Alii enim ut carcerem vitent, vel ut ab illo egrediantur, alii ut a domo quadam recedant, alii ut pro ægrotis habeantur, ut ſcholaſtici, monachi, amaſii &c. ut viros amatos cernere poſſint, alii ut vindictam de eo, qui eos verberavit, ſumant & ob multas alias cauſas morbos ſimulant. Ob ultimam hanc rationem mulier fuit in patria mea, quæ ut abortum ſimularet ſe paſſam eſſe, & ſic in carcerem conjicere faceret eum, qui eam verberaverat, & pecunias ab illo extorqueret, ſanguinem & leporis fruſtula in matricem injecerat, ut obſtetricem vocatam falleret, quæ teſtaretur, eam abortum paſſam fuiſſe. *abortus ſimulatus.*

§. 10.

De febre quartana abortu ſoluta hanc obſervationem exhibet Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 184. pag. 636.* Eſt, inquiens, juxta Origenem, interdum & abortus bonus; & revera bonus mihi apparuit in nobili femina Ferrarienſi ætatis annorum triginta & unius, quæ ſpatio trium annorum quartana febri laboravit; a qua neque ope Kinæ Kina, neque febrifugorum liberari potuit; at gravida facta, quartana, quæ ſimplex fuerat, facta eſt duplex, cum capitis ſævo do- *Abortu febris quartana curata.*

lore; quarto geſtationis menſe abortus accidit, multa cum ſanguinis effuſione, poſt vero abortum libera a febre quartana evaſit, poſtea Dei gratia ſana & vegeta vixit ac ſe iterum concepiſſe putavit.

§. 11.

abortus bicorporeus. De abortu bicorporeo monocipite ſeptimeſtri Romæ anno 1691. edito atque in academia phyſico-mathematica examinato a Franciſco de Honuphriis medicinæ Doctore, diſſertatio epiſtolaris ad Franciſcum Redi Romæ edita eſt.

§. 12.

in abortu ſtigmata virgarum. De ſtigmatibus in abortu ſequentem obſervationem refert Philippus Salmuth *Obſerv. med. Cent. II. Obſ. 14. p. 65.* Vidi ſcortum quoddam publicum virgis cædi, quod ſane gravidum (quemadmodum jactaverat) minime putabat magiſtratus. Verum poſt paucas ſeptimanas abortit gemellos, ictus virgarum in dorſo gerentes.

§. 13.

abactio. De abactione fœtus putatitia, occaſione molæ excluſæ, vid. Michael. Bernhard. Valentini *Novell. medico-legal. Caſ. XIV. p. 286. ſeq.* De concremento uterino ſalutariter expulſo, & falſo pro abortu habito, vid. Mich. Albert. *Syſtemat. Jurisprud. Medic. Part. poſter. Caſ. 4. p. 29.*

§. 14.

abortus baptiſmus. De abortus baptiſmo inquit Conradus Philippus Hoffmannus *Schediaſm. de inſign. Puerper. Tempor. cap. 3. §. 17. p. 85.* de fœtibus abortivis, quocunque tempore editis, ſtatuendum eſt, quod baptizari queant, modo vitales nati ſint, & formam humanam habeant, cum ii jam natorum gaudeant jure & privilegiis. Et juxta Georgii Dedekenni *Conſil. & Deciſion. Part. I. Lib. II. Sect. III. Num. 5. fol. m. 64.* Facultas Theologica Jenenſis ad ſequentem quæſtionem hoc dedit judicium: *Qu. Wenn ein Kindlein unzeitig zur Welt gebohren wird, etwa von 4. 5. oder 6. Monaten, daß es alle ſeine Geſtalt, Glieder, Leib und Leben*

ben hat, aber klein und gar weich, auch eine Stimme, wiewohl kleinlich und ſchwach von ſich giebet: Obs denn vor einen ſolchen vollkommenen Menſchen zu halten, dem die Tauffe gebühre und ihm deswegen zu geben ſey? Dieſe Frage beantworten wir ohn einiges Bedencken mit Ja: Denn weil von denen fürnehmſten Medicis *und* Philoſophis *dafür gehalten wird, daß* Partus ſeptimeſtris *ſey* legitimus & vitalis (Horatius Augenius *will erweiſen, daß auch* ſeptimeſtris partus legitimus *ſey) ſo iſt daher abzunehmen, daß im vierten Monat das Kind zur Helffte kommen, und demnach für eine lebendige Leibesfrucht zu halten, wann es im vierten Monat, oder hernach zur Welt gebohren wird; ſonderlich wenn es hierüber alle Geſtalt, Glieder, Leib und Leben hat, auch eine Stimme und Laut von ſich giebet. Da wir denn alſo ſchlieſſen: Man ſoll keinem lebendigen Menſchen - Kind die heilige Tauffe, auf Begehren der Chriſtlichen Eltern verweigern. Nun aber iſt in dieſem geſetzten Fall das Kind zur Welt gebohren, ein lebendiges Menſchen-Kind, darum ſoll man ihnen die heilige Tauffe nicht verweigern.*

§. 15.

Ad quæſtionem, num partus abortivus jure liberorum legitime natorum gaudeat, ita ut teſtamentum factum rumpat? *fœtus abortivi jus.* ita reſpondet Conradus Philippus Hoffmannus *de Puerper. tempor. Cap. 2. §. 23. p. 46.* diſtinguendum eſſe inter abortum lato modo & ſtrictius ſumtum. Si de abortu in ſenſu lato accepto quæſtio eſt, affirmatur. Ejusmodi enim abortus omnis dicitur partus, vel ſeptimeſtris, vel octimeſtris, vel nonimeſtris, qui ante deſtinatum tempus legitimum editur; nihilominus ejusmodi partus juribus legitimorum liberorum fruuntur, juxta hactenus deducta. Negatur tamen quæſtio, ſi abortus in ſenſu ſtrictiori, ſeu proprio accipiatur, qualis dicitur omnis fœtus, intempeſtive editus, vel mortuus, vel nullo modo vitalis, inprimis ſi partus a cauſa præternaturali, aut externa per vim ejectus nulloque modo vitalis ſit. Inde JCtus Paulus *Lib. IV. recept.*

cept. ſentent. Tit. 9. abortum partum efficere negat; & mulier abortum faciens, peperiſſe dici nequit. Quapropter, ut teſtamentum rumpatur, requiritur, ut vivus ad orbem totus proceſſerit partus; quod de partu hujusmodi abortivo dici nequit, cum ii habeantur, ac ſi non nati, vel nati mortui eſſent; nam non naſci, & natum mori, paria ſunt. Abortus autem teſtamentum non ſolvit. De quæſtione, quinam partus proprie mereatur nomen abortus? vid. Paul. Zacch. *Quæſt. Medico-legal. Lib. I. Tit. 3. Quæſt. 10. fol. m. 84. ſeq.* ubi controverti inter legum peritos ſcribit, an mulier, quæ abortum fecerit, peperiſſe dicenda ſit, quo loco varia de abortu reperi.

CAPUT VI.

De abortus pœna.

§. 1.

Abortus pœna.

SIcuti autem homicidium ex improviſo factum a voluntario & præmeditato, ratione pœnæ differt, ita ut hoc pro capitali, illud vero pro minus tali habeatur, ſic etiam circa abortum præmeditatum ſeu nefandum & inter abortum caſu vel absque propoſito factum, judicari ſolet. Illi enim, qui conceptum per abortum data opera interimunt, ſecundum Pauli Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib. I. Tit. 2. Quæſt. 1. n. 1. fol. m. 80.* jure merito a legibus puniuntur. Et qui abortum procurat, juxta Juſt. Veſti *Diſput. de Abort. p. 18.* homicidium patrat. Inquit etiam Michael Alberti *Jurisprud. medic. Cap. 6. §. 1. p. 121.* abortum malitioſe & proterve provocatum promerita pœna eſſe affligendum.

§. 2.

Pœnæ differentia.

Uſu tamen recepta hactenus fuit, tam apud veteres quam recentiores, diſtinctio inter partum animatum & inanimatum, & in priori caſu abactio vel abortus procuratio dolo vel malitia facta capitalem, in poſteriori vero arbitrariam pœnam habeat.

beat. Circa hujus proinde abactionis malitioſæ pœnam rite conſtituendam domini juriſconſulti de excluſionis tempore ſunt ſolliciti, dum eorundem nonnulli, cum veteribus, non quemvis fœtum, ſed illos tantummodo, qui medium geſtationis terminum attigerunt, pro animatis, embryones vero ſeu fœtus, aliquot ſaltem ſeptimanarum, pro inanimatis habent ſicque fœtus tantum animati, & malitioſe expulſi, abactioni pœnam capitalem dictare ſolent, a qua econtra prioribus imprægnationis ſeptimanis & menſibus, data opera, abortum cauſantes, ex ea ratione immunes judicant, quod videlicet ejusmodi fœtus anima nondum ſint inſtructi, eamque non ſtatim a conceptionis momento accipiant; quapropter etiam in ejusmodi delinquentibus pro arbitrio pœnam præ illis mitigant, uti prolixe & variis caſibus docet Bened. Carpzovius *Rer. criminal. Part. I. Qu. 11. fol. 48. ſeqq.*

§. 3.

Quid autem de hac fœtus animati & inanimati differentia ſeu de fœtus animatione hujusque tempore cenſendum ſit, jam ſupra *Sect. II. cap. 2.* ex variis autoribus adduximus, quorum plerique recentiorum animam humanam, (ſive ea a Deo inſpiretur, ſive per traducem propagetur,) ſtatim ab initio & in ipſo conceptionis momento adeſſe ſuasque operationes in formando corpuſculo exercere defendunt; quapropter etiam ratione pœnæ circa abortum a veteribus diſſentiunt: Priſci enim illos tantummodo, qui fœtum, ex ipſorum mente animatum, arte atque ſtudio ex utero ejici curabant, ordinaria lege plectendos, illos vero, qui inanimatum ſeu non vitalem fœtum ad abortum propellere ſtudebant, pœna extraordinaria & arbitraria, v. g. fuſtigatione, relegatione in metalla & inſulam, vel alia mitiori pœna afficiendos eſſe ſtatuebant. Inquit enim Conradus Philippus Hoffmannus *de inſignior. Puerper. tempor. cap. 1. §. 5. p. 6. ſeq.* in puniendo crimine abacti partus tum ab Imperat. Carolo V. *Differentia fœtus animati & inanimati.*

in Ordin. crim. Art. 133. tum Jure Saxonico Conſtit. Elect. P. IV. Conſt. 4. tum Jure Pruſſico, Part. III. Tit. 6. Art. 7. tum Jure Canon. c. 20. X. de Homicid. & cap. 7. cauſ. 32. qu. 2. item Jure communi juxta l. 8. D. ad L. Cornel. de Sicar. diſtinguitur, an fœtus ſit inanimatus, ſeu non vitalis, quo caſu abigens extraordinarie punitur; an vero animatus, ſeu vitalis, quo caſu pœna eſt ultimum ſupplicium; inde non incongrue hic quæritur, quando fœtus apud JCtos pro vitali habeatur, ut pœna ordinaria locum habere poſſit? Et Reſp. JCtos hic in diverſas abire ſententias, juxta diverſas phyſicorum opiniones. Poſt variorum tamen Dd. ſententias placuit Electori Saxoniæ certum determinare tempus, ita ut quoad pœnam ordinariam infligendam partus non antea vitalis habeatur, quam poſt dimidium tempus, quo mulier uterum geſtavit, inde ſi ante dimidium uteri geſti tempus mulier ſibi vim intulerit, arbitraria tantum pœna obtinebit. vid. *Conſt. Novell. P. IV. c. 4. §. 1. verſ. und ſolches noch unter der Helffte nach der Empfængniß geſchehen.* Idem confirmatum legimus in cit. Jure Pruſſico noviſſimo l. c. ubi inprimis §. 2. expreſſe id ſtatutum deprehendimus: *Da aber die Frucht nicht gelebet, und ſolches* NB. *noch unter der Helffte nach der Empfængniß geſchehen* &c. Idque ubivis receptum teſtatur D. Stryck. *in Uſ. mod. D. tit. de Extraord. Crimin.* non quaſi antea partus non eſſet vitalis, ſed quod de vitalitate nec ipſi matri antea ſatis conſtare poſſit. videatur etiam Paulus Zacchias *Quæſt. med. leg. Lib. I. Tit. 2. Qu. 9. fol. 80. ſeqq.* Michael. Albert. *Syſtem. Jurisprud. medic. cap. 6. §. 2. p. 122. ſeq.* qui tamen §. *8. p. 131.* abortus procurationem etiam partus animati de jure civili non ſemper eſſe capitalem, ex aliis autoribus allegat. Item non infligendam eſſe mortis pœnam abigentibus partum, ſi de efficacia medicamenti non conſtet, aut fœtus remanſerit vivus.

§. 4.

ſecund. Torrebl. De hujus delicti pœna inter alios autores ita judicat Franciſcus Torreblanca *de Mag. Lib. II. cap. 43. n. 5. ſeqq. p. 310. ſeq.*

Hoc

Hoc omne graviſſimum eſt peccatum, &, quomodocunque perpetretur, capite punitur, ſi fœtus animatus eſt, aut matris mors ſequatur. Alias enim punitur extraordinarie, & humilis in metalla, honeſtior in inſulam, relegatur, decima parte bonorum confiſcata. Et aliquando minus, aliquando magis, prout uniuscujusque criminis natura; quod innovatum eſt per Sixtum V. P. M. & graviſſimis pœnis proſecutum adverſus omnes, qui abortum procurant, conſilium vel auxilium præſtant, venena præbent, vel manus inferunt, ſive fœtus animatus ſit, ſive non, quos præſertim majoris excommunicationis pœna, ſedi apoſtolicæ reſervata, multavit. Hodie tamen quoad pœnas procurantium abortum, aut poculum exhibentium, vel ſumentium, venena ſterilitatis, vel abortionis, vel quocunque modo auxilium vel conſilium præbentium ad terminos juris communis redactum eſt. Sed quando ex partu conceptio evidens periculum apparet, vel quod puerpera ſoleat ad extremum deduci, aut nimis arcta ſit, aut fama ejus lædatur, aut aliter vitæ diſcrimen, vel exiſtimationis poſſit ſubire, bene poterit poculum abortionis præberi, dum fœtus tamen non ſit animatus. Et ita componuntur differentiæ aliorum, qui nullo caſu abortionis poculum præberi poſſe affirmant, quia non ſunt facienda mala, ut inde ſequantur bona. vid. etiam Gottfrid. Suev. *Synopſ. Pract. nov. Rer. crimin. Part. I. Qu. 11. p. 13. ſeq.* ubi inquit: qui abortum procurant, vel partum abigunt, non indiſtincte fuſtigationi, relegationi aut capitali pœnæ ſubjacent, ſecundum quosdam: ſed interdum pœnæ gladii, ſi partum in utero viventem abegerint; interdum arbitrariæ pœnæ, fuſtigationis, relegationis aut carceris, ſi nondum vitalis fuerit. Tempus autem, ex quo fœtus vitalis dicitur, non definitur (in maſculo quidem nonnulli tempus vitalitatis conſtituunt poſt 30. vel 40. in femina poſtea 40. vel 50. aut utrobique poſt 35-tum a die conceptionis) ſed poſt dimidium tempus uterum gerentium. Eademque pœna, nimirum vel gladii, vel altera irro-

ganda eſt, etiam matri, quæ hauſto poculo vel alio modo viſceribus vim faciendo partum abegit, nec non patri, vel impraegnatori, qui fœtum abigere juſſit. Parricidii autem pœna ordinaria, videlicet culei, quondam a ſcabinis dictata, nimis dura eſt, nec hodie ſecundum eam ſententiam pronunciatur. Neceſſe tamen eſt, ut quis ex proæreſi ſciens gravidam, abortum procuraverit, idque ſola etiam efficacia medicamenti evenerit. Si enim ignorans gravidam percutiendo, fœtum licet vitalem abegerit, aut abortus non ex ipſo medicamento, ſed aliunde caſu fortuito provenerit, ſaltem arbitraria pœna, relegationis, carceris, vel etiam pecuniaria locum habet. An autem efficax fuerit medicamentum ad abigendum partum adhibitum, medicorum judicium requirendum eſt. Si mater infanti jam nato debitam opem non præſtet, ſed in ſtercore ac ſqualore mori & perire ſinat, aut dolores puerperii ſentiens latrinam accedat, & infantem voluntarie & doloſe in cloacam emittat; utroque caſu non quidem pœna culei, ſed gladii irrogatur; cum & priore caſu infans ex aliis quoque ſymptomatibus ſupervenientibus mori potuerit: nec poſteriore caſu certo conſtet, an infans vivus prodierit. Quodſi præter intentionem partus in latrinam inciderit, mater ob culpam relegatione, carcere, vel etiam, ſi graviditatem doloſe occultarit, fuſtigatione punitur. Parentes, qui partum præmaturum & imperfectum, puta quarto vel ſexto menſe natum, interemerunt, itidem pœna gladii afficiuntur, non parricidii: partum autem præmaturum fuiſſe, obſtetricum aliorumque juratæ aſſertioni permittendum eſt.

§. 5.

ſecundum alios autores.

Hæc equidem eſt communis opinio, alii tamen auctores iis quoque, qui primo graviditatis tempore & ante medium ejusdem terminum, qui per fœtus motum vulgo explorari ſolet, abortum quocunque modo promovent, ordinariam pœ-

nam

nam aſſignant, quia tunc temporis pariter homicidium committitur. Inquit enim Tertullianus *Apologetic. cap. 9. fol. m. 550.* nobis homicidio ſemper interdicto etiam conceptum in utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt, prohiberi naſci. Nec refert, natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt, & qui eſt futurus. Etiam omnis fructus jam in ſemine eſt. Item videatur etiam Paul. Zacch. *l. a.* ubi differentiam pœnæ addit, inquiens: Hieronym. *ad Euſtachium de Cuſtod. Virg.* Aliæ ſterilitatem præbibunt & nec dum ſati homicidium faciunt. Nonnullæ cum ſenſerint concepiſſe, de ſcelere, abortus venena medicantur: Utrobique ergo committitur delictum, ſive embryonem quis interfecerit, ſive fœtum hominis figuram jam habentem. Et pœna adeo decerni debet utrobique. Sed ut eadem decernatur utrobique, forte neceſſe non eſt, cum gravius peccare videatur ille, qui hominem jam formatum occidit, quam alter, qui formandum enecat. Econtra Menochius *de Arbitr. Judic. Quæſt. L. II. cent. IV. Caſ. 356. n. 7.* diſtinctionem inter animatum & inanimatnm fœtum non admittit, ſed indiſcretim omnem abortum extraordinaria pœna puniri præcipit. Cui tamen ſententiæ alii contrariantur, imo abſolute oppoſitam proferunt adſertionem, quod videlicet abortui cauſam ſuppeditantes promiſcue capitali pœna affligi mereantur. vid. Mich. Albert. *l. a. p. 122.* Et cum ſecundum Henr. ab Heer *Obſerv. med. 14. p. 133.* ſeminis utero concepti conditio non ſit talis, ut maneat ſemen, ſed ut fiat animal; eodem ſe ſcelere polluit, qui ſemen illud corrumpit, atque qui animatum contrucidat.

§. 6.

Inprimis autem Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. Forenſ. Specimin. Medic. legal. Sect. I. Specim. 6. p. 95. ſeqq.* non modo diſtinctionem fœtus inanimatum & inanimatum impugnat, ſed cuilibet etiam abortui, prioribus & poſterioribus gravidi- Gœlicke.

 tatis

tatis menſibus, malitioſe expulſo pœnam ordinariam adjudicat, cujus verba, quantum pro noſtro ſcopo opus erit, pace domini autoris, hoc loco inſerere liceat. Scribit autem in dicti ſpeciminis præfatione: Acriter quidem præcedentibus ſeculis diſputationis ſerram inter ſeſe mutuo reciprocarunt philoſophi, medici atque theologi de modo propagationis animæ rationalis, deque fœtus in utero materno latentis vitalitate & genuino animationis, ſi ſic loqui liceat, tempore definiendo: Dolemus tamen merito, controverſiam iſtam in hunc usque diem non modo compoſitam nondum eſſe, ſed jurisperitos, quos in delictis hominum recte determinandis & juſtis pœnis iisdem adcommodandis certiori fundamento niti decebat, in hypotheſibus tam phyſicis, quam medicis, non dubiis ſaltem & incertis, ſed aperte falſis admittendis æque hodie, ac olim, facile eſſe, imo, quod in negotio, famam vitamque hominum concernente, fieri omnium minime oportebat, ſuas iisdem deciſiones ſuperſtruere. Crediderunt nempe priſcorum temporum philoſophi, quorum deinde opinionem, utut dubiam atque incertam, adoptarunt JCti, animam rationalem tenello embryonis corpuſculo non ſtatim a conceptione communicari, ſed demum, organis corporis ſufficienter elaboratis, eidem infundi, atque adeo aliam fœtus inanimati, aliam animati rationem eſſe habendam; ſive, ut aliis exprimi ſolet, eo in caſu, ubi de abortu malitioſe doloſeque procurato agitur, magis ad hominem perfectum, quam perficiendum (quæ quippe perfectio non tam in forma ſeu anima, tanquam ſubſtantia immateriali, quæque quoad ſui perfectionem nullam diviſibilitatem admitteret, quam potius in membris ſive organis corporeis conſiſteret, & circa medium geſtationis tempus probabiliter contingeret) eſſe reſpiciendum: Hinc Carpzovius, criminalium ſcriptorum facile princeps, quem deinde complures alii juris criminalis doctores ſequuti ſunt, partus diſtinctionem in inanimatum & animatum pro fundamento totius deciſionis ſupponens ſic ſtatuit: Eum

ſcili-

ſcilicet, qui fœtum animatum frivole abegerit, pœna ordinaria legis Corneliæ de Sicariis plectendum; Eum vero, qui inanimatum ſeu non vitalem doloſe ejecerit, pœna tantum extraordinaria, v. g. fuſtigatione, relegatione, vel pro re nata, mitiori afficiendum eſſe. Quæ omnia iis plane ſunt conformia, quæ ſancivit Conſtitutio Carolina *Art. 133.* hiſce verbis: Qui virtute cibi aut potionis mulieri gravidæ partum vitalem abegerit, tum, ſi dolo malo id factum fuerit, vir tanquam homicida gladio, mulier vero ſuffocatione in aquis puniatur: Quodſi vero fœtus abactus nondum fuerit vitalis, judices conſilium a jurisperitis requirant. Nos equidem legis ipſius auctoritatem ſuo loco relinquimus, illud vero diſſimulare neque poſſumus, neque debemus, falſiſſimam ejus rationem hucusque judices allegaſſe, nempe miſeram illam diſtinctionem fœtus in animatum ſeu vitalem, & inanimatum ſeu non vitalem. Si autem ratio legis falſa aut ſuſpectæ ſaltem veritatis eſt, de ejusdem juſtitia quoque ſive æquitate dubitare omni jure licet. Proinde, ne quicquam habeant amplius leves meretriculæ, quo frivolos conatus, fœtum præmature utero exturbandi, palliare vel obvelare quoquo modo poſſint: Hinc paucis pagellis probatum dabimus, animationem fœtus ipſi conceptioni eſſe contemporaneam, ſive, fœtum a primo conceptionis ſuæ momento animatum eſſe atque vitalem, atque adeo verum & perfectum hominem; proindeque virum vel feminam, qui vel quæ, quocunque graviditatis tempore, abortum moverit, pœna ordinaria indifferenter dignum vel dignam eſſe, dummodo de vera poculi abortivi efficacia recte conſtiterit. Dicti autem autoris argumenta atque rationes, quibus hanc ſuam ſententiam corroboravit, benevolus lector ibidem paginis ſequentibus reperiet. Sic Sixtus V. pontifex maximus motu proprio Romæ die 4. Calend. Novembris anno 1588. pontificatus anno quarto ſanxit, ut qui per ſe, aut per interpoſitas perſonas aborſus ſeu fœtus immaturi, tam animati, quam inanimati, formati vel informis eje-

ctio-

ctionem quomodolibet procuraverit, ita ut reipſa aborſus ſequatur, eadem pœna puniatur, qua homicidas voluntarios puniri leges tam divinæ, quam humanæ decernunt; & eisdem pœnis ultra eos teneri conſtituit, qui ſterilitatis poculum aut venena mulieribus propinaverint, quo minus concipiant, aut quocunque modo in his conſuluerint: vid. Caſp. a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Quæſt. 51. p. m. 644.* item Franciſc. Torreblanc. *de Magia Lib. II. cap. 43. p. m. 311.*

§. 7.

a fœtore candelæ.

Cum ſupra inter cauſas abortus etiam fœtoris extinctæ candelæ mentio facta fuerit, paucis hoc loco monendum, quod perſonæ, talem fœtorem ſtudio eaque intentione, ut gravidis noceat, candelam extinguendo excitantes pœna abactionis partus ſint afficiendæ, uti ex Stryckii tract. de Jure Senſuum *Diſput. V. cap. 3. n. 15. & 16.* allegat Michael Albert. *Syſtem. Jur. prud. med. cap. 6. §. 7. pag. 130.* Qui etiam ibidem *§. 5. pag. 127.* De quæſtione, an abortus gravidæ verberibus cauſatus ordinaria vel extraordinaria pœna ſit puniendus? agit.

§. 8.

Medicamenta indaganda.

Circa abortus a medicamentis excitati pœnam etiam eſt indagandum, an præſcripta vel propinata emmenagoga vel ſtimulantia & purgantia &c. tantæ fuerint efficaciæ tantique ponderis, ut abortum provocare potuerint? Unde ex Carpzovio admonet idem autor *l. a.* quod, ſi femina cum medicamento quodam abortum ſibi procuraverit, tunc de illo medicamento medici conſulendi ſint, an ſit remedium excitans: non enim infligendam eſſe mortis pœnam abigentibus partum, ſi de efficacia medicamenti non conſtet, aut fœtus remanſerit vivus. Quamvis interdum etiam medicorum ſententiæ differant, uti in caſu liquet, quem Paulus Ammannus refert *in Medicin. Critic. Caſ. LXVI. pag. 412. ſeqq.* de officinæ Geravienſis proviſore, qui feminæ cuidam extra matrimonium viventi

&con-

& conquerenti, quod intra ſpatium annuum menſtruata non fuiſſet, absque præſcitu medici ſequentes ſpecies porrexerit, ut iisdem ex vino in forma noduli quotidie uteretur: Compertum autem eſt poſtea, eam eſſe gravidam, & prout ipſa refert, ſequenti die, ab uſu noduli, infantem mortuum enixam, quem clanculum in agro occultavit, cujus fruſtula ſucceſſu temporis hinc inde fuerant reperta. Species pro nodulo hæ erant:

℞. Rad. Calam. aromat. ℥iij.
Galang. ℥ij.
Ari. ℥j.
Herb. Meliſſ. Scolopendi.
Sabinæ, Pulegii ana M. ß.
Fol. Senn. ℥vj.
Rad. Mechoacann. ℥ij.
Cremor. ♀. ℥ij. Inciſ. affund. ſ.q. Vin.

Unde petit prætor loci a facultate medica Lipſienſi, an tales ſpecies tantæ ſint virtutis, ut fœtum pellere poſſint? vel an hæc medicamenta abortum provocaverint. Ad quam quæſtionem dicta facultas hoc dedit reſponſum: Si iſte proviſor judicialiter confeſſus eſt, quod diſpenſaverit has ſpecies ipſe, absque medici præſcitu, eo ipſo peſſime fecit, nam in ordinationibus pharmacevticis expreſſe ipſi prohibitum, quod nullum purgans, multo minus ſabinam (quæ ſpecialiſſime vetita) absque præſcitu phyſici vendere debeat: & quamvis in nodulo præſcripto ratione doſeos purgantium caute quidem admodum ſe geſſerit, nec nimis fortia addiderit, nihilominus tamen, & quia reliqua ingredientia, præcipue ſabina, ita ſunt comparata, ut non ſolum menſes, verum etiam fœtum ciere, ut & ſecundinas, ac fœtum mortuum movere poſſint, hinc arbitramur, quod mediante hoc nodulo in hac muliere gravida abortus neceſſario ſequi debuerit. &c. Ipſe autem Ammannus in diſcurſu ſuper hunc caſum *pag. 414.* ita judicat: An hæc

quantitas ſabinæ, ſcilicet manipulus ſemis abortum cauſari potuerit? dubito; dubito etiam de appoſitis purgantibus. Puto potius, doſin hanc ſæpius de die fuiſſe iteratam, & ſic ſolicitatum abortum. Plura de ſabinæ, in parva doſi, vel absque feminæ ad abortum diſpoſitione propinatæ innocuo uſu, vid. Joh. Frid. Zittmann. *Medicin. Forenſ. Cent. I. Caſ. 26. pag. 89. ſeq. & Cent. VI. Caſ. 43. pag. 1543. ſeq.* Quamvis interdum uſum medicamentorum fœtus immaturi abigendi gratia exhibitorum ſequatur abortus, ac tam exhibentes, quam accipientes ejusmodi remedia ex merito ſevèriſſimis coërceantur pœnis & civilibus & eccleſiaſticis, nihilominus tamen intrepide cum Mich. Boudewin *Vent. labr. Part. I. Quæſt. 26.* affirmat autor hiſtoriæ Morb. Vratisl. *An. 1701. pag 313.* non poſſe aſſignari in univerſa medicina medicamentum tale, ad quod neceſſario & infallibiliter ſequatur abortus.

§. 9.

Abortus an interdum licitus?

Cum autem ſecundum Paul. Zacch. *Quæſt. med. leg. Lib. I. Tit. 2. Quæſt. 9. n. 3.* leges abortum procurantem non ſemper eadem pœna afficiant, ſed aliquando pœna extraordinaria puniri, aliquando autem ultimo ſupplicio plecti jubeant; dum veteres fœtum primis a conceptione diebus ac menſibus, & ante medium geſtationis terminum, nondum pro animato habebant, ideoque ejusdem abactionem non adeo ſtricte & capitaliter, ſed arbitrarie punire ſolebant; unde nonnunquam inter obſtetrices & medicos dubium moveri & quæſtio oriri ſolet, annon in certis caſibus atque ob prægnantes rationes, ejusmodi immaturi embryonis abortivi vel effluxus excretionem promovere liceat & concedatur? Id quod nonnulli affirmant ſtatuentes, non eſſe homicidam, qui abortum procuret, antequam anima corpori ſit infuſa; Et Franciſcus Torreblanca *de Magia Lib. II. cap. 43. pag. 311.* inquit, homicidii jura de tam tenui animatione non loquuntur, hoc eſt de inſtanti,

ti, quo anima corpori infunditur, ut quis pro homicida puniatur, ſed de animatione perfecta, qua infans maturus eſt ad naſcendum; Alii tamen ad hanc quæſtionem negative merito reſpondent, uti paulo ante diximus. Prolixe etiam de hac quæſtione, utrum quovis imprægnationis tempore, vel ſaltem, antequam anima infundatur, propter aliquem caſum, aut vitæ periculum, abortum provocare licitum ſit? egit Caſparus a Reies *Elyſ. jucund. Qu. Camp. Qu. 51. p. 641. ſeq.* ubi plurimos adducit autores, quorum plerique ejusmodi abactionem fœtus adhuc inanimati concedunt, animati vero damnant. Unde idem autor *pag. 644. n. 5.* ita concludit: partum directe abigere, præſertim ſi animatus jam exiſtat, execrandum eſt ac impium ſcelus, nefarium, injuſtum, juri divino, naturæ, civili & gentium reluctans.

§. 10.

Ob varias tamen cauſas partim feminæ vel meretricis abortum provocari, partim etiam medici talem fœtus abactionem defendi poſſe ſtatuunt, & quidem primo ob famam, quando ſcilicet meretrices & mulieres, vel ipſi quoque medici, citra animæ periculum, vitandæ infamiæ cauſa, abortus expulſionem defendi poſſe ſtatuunt; ſicuti ipſe Hippocrates *de Natur. Puer. n. 4.* pſaltriæ ſeu famulæ cujusdam ſibi notæ mulieris ac familiaritate conjunctæ, ut conceptum ſex dierum abigeret ſaltationem & corporis concuſſionem conſuluit, unde ſeptimo ſaltu voti compos facta genituram crudo ovo ſimilem ab utero excusſit, ſicque dedecus, quod timebat, evaſit, ipſius domina ab Hippocrate remedium exorante. Dedocari etiam habebatur feminis Japonenſibus in inſula Formoſa, ſi ante annum triceſimum ſextum gerant gravidæ, quapropter ante illud tempus, etiam a maritis ſuis imprægnatæ, fœtum per abdominis compreſſionem aut conculcationem a ſacerdotiſſa quadam in utero necari ſibique abortum maximis doloribus ex utero *ob famam.*

protrudi curabant, uti paulo ante ex Arnoldi Montani Itinerario Japanenſi adduximus.

§. 11.

negatur. Minime tamen ob hanc famæ cauſam mulierem abactionis poculum, citra animæ læſionem aſſumere poſſe, ſcribit Michael Alberti *Syſtem. Jurisprud. Medic. cap. 6. §. 9. p. 131.* & quidem ideo, quod contra conſcientiam eſſet, ad ſalvandam famam alterius animam & vitam perdere velle. Et Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib. VI. cap. 11. fol. m. 403.* inquit: facinus, quod Hippocrates pſaltriæ cuidam meretrici pro rejiciendo abortu conſuluerat, Chriſtiana religio prohibet, & gravi ſupplicio expiat, quia, judice Tertulliano, libro de Anima capite nono, procurare ne fœtus naſcatur, non ſolum habetur pro homicidio, verum etiam pro homicidii properatione. Ita ſentit etiam Dionis *des Accouchem. Liv. II. chap. 14. pag. 176.* On ne condamne pas moins celles femmes, qui par des potions & des remedes tachent de ſe faire avorter, c'eſt vouloir aſſaſſiner un enfant de deſſein prémedité, il n'y a point de raiſons, qui puiſſent excuſer ce procedé, quand même ce ſeroit une fille, qui ſe trouvat groſſe le feroit pour conſerver ſon honneur, & celui de ſa famille, c'eſt toujours un meurtre, qui merite punition, & que les loys condemnent à la mort. Utrum quandoque prægnantibus abortum procurare liceat? vid. Marc. Gerbez. *Intricat. extric. med. Part. II. cap. 19. p. 191. ſeq.*

§. 12.

an ob morbum? Deinde quæritur, utrum ob gravem aliquem morbum prægnantibus abortum provocare liceat, ut ab eo certius liberentur atque matres a vitæ periculo conſerventur? Inquiunt ſcilicet collegæ *Acad. Leopold. Nat. Curioſ. Vratislavienſ. Hiſtor. Morbor. Vratisl. ann. 1701. pag. 310.* Non raro præterlapſis his annis Vratislaviæ contigiſſe meminimus, ut mulierculæ ægrotanti-

tantibus gravidis adſtantes & medicos alios & hosmet ipſos etiam in non adeo periculoſis prægnantium morbis monuerint, perpendendum eſſe, annon e re ſit mature moliri fœtus excluſionem, ut mater ſalvetur; nam hac in re non exiguam ſanitatis ſpem illæ collocant. Loquacioribus in ore eſt ab arboribus & ramis, jam olim a Theodoro Priſciano uſurpata ſimilitudo, quam procaciter urgent ad tædium usque, ut feminæ vehementer cupiunt, quæ cupiunt, ingeminantes: arborem conſervandam eſſe, quicquid etiam agatur de ramis, & quicquid etiam de fructu fiat. Tuentur etiam opinionem hanc ſuam auctoritatibus & exemplis medicorum, quos hac in re non adeo difficiles fuiſſe cauſantur. Et certum eſt, quod frivolis etiam de cauſis abortum veteres nonnulli medici cenſuerint provocari poſſe. Allegato loco etiam quidam autores allegantur, qui abortus procuratio equidem, ſub diverſis tamen conditionibus admittunt, v. g. ſi ſit mulier tenera & partus laboribus ſuſtinendis impar judicetur, vel ſi fœtæ uterus parvus ſit, aut collum uteri anguſtum, vel ſi veſica debilis ſit, & ex incumbente utero pleno ejus ruptura metuatur. Quibus tamen rationibus ibidem ita reſpondetur; quaſi non ſatis conſtaret, multas in tenerrima ætate peperiſſe; vel quinam medicorum parvi uteri ſigna aut indicia in gravidæ ventre obſervare atque detegere potuerit; neque etiam ruptura veſicæ, ob multas ejusdem tunicas fibroſas metuenda nec fœtus abactio inſtituenda erit.

§. 13.

Ad modo propoſitam quæſtionem tam affirmative, quam negative reſpondet Wolffgangus Hœferus *Hercul. Medic. Lib. VII. cap. 3. pag. 394. ſeq.* in hanc ſententiam inclinare videtur Riolanus *fol. 91.* inquiens: non eſt dubium, detrahendum eſſe ſanguinem prægnanti mulieri, acuto morbo laboranti, etiam cum fœtus damno & periculo: quia præſtat ſtudere & advigilare matris ſaluti & incolumitati, quam fœtus, cum *negatur.*

 ejus

ejus vita a matre dependeat. Cui adſtipulatur Heurnius *Meth. ad praxin*, ubi ait, ſi mulier ingravidata febre laborat, viribus robuſtis ſecare venam, quamvis fœtus perire poſſit, ne fœtus & fœta alioquin pereant. Quibus tamen, pergit Hœſerus, reſpondeo, ſi quæſtio abſolute proponatur, ſine additione cauſæ, impium eſſe, & Dei & naturæ legibus prohibitum: ſi vero, pro illa eſt poſita, reſpondendum ſit; nullam, ajo, allegari poſſe cauſam, vel occaſionem legitimam, matris ſervandæ, cum procuratione abortus, niſi velimus morbo matris novum, & forte etiam graviorem, morbum addere. Siquidem vires, a quocunque matris morbo vel parum debilitatæ, per violentiam fœtus excluſionem, per vinculorum rupturam vaſorum apertionem, ſanguinis profluvium, neceſſario debent adhuc magis debilitari: & ſic duplicatur morbus; vel ipſis mulierculis atteſtantibus, quæ malunt decies parere, quam ſemel abortire. Propterea quæſtio illa: utrum præſtet matrem conſervare, vel fœtum? omnino vana eſt,& nunquam ſtat in noſtra poteſtate alterutrum cum alterius interitu conſervare. Sic Flavius Domitianus, XII. Cæſ. Rom. cum fratris ſui Titi filiam impraegnaſſet, & ei, ut fœtum præmature excuteret, perſuaſiſſet, matrem quoque ipſam interemit, quamvis alias bene valentem. Plura de hac quæſtione, an pro cura alicujus morbi, & maxime lethalis, quo mater affligatur, liceat opportunis medicamentis fœtum abigere, ut mater ſalvetur. v. Paul Zacch. *Qu. med. leg. Lib. VI. Tit. 1. Qu. 7. f. 502. ſq.* Mich. Albert. *Jurispr. med. c. 6. §. 9. p. 131. ſeq.* Et Caſp. a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Qu. 51.* qui *n. 40. pag. m. 660.* ita concludit: ut ab operoſa hac quæſtione nos expediamus, cum omnium fere auctorum maxima parte ultimo concludimus, eam prolis lanienam vel interemptionem quocunque modo ex directa intentione patratam ſumme averſandam eſſe, ſive animatus, ſive inanimatus ſit fœtus cum hoc ad unguem ſcire nemo agnoſcat: tamen dicimus fas eſſe uſurpare remedia directe & per ſe tendentia ad matris ſalutem tuendam, præcognito licet

pro-

prolis damno, ſed non niſi indirecte & per accidens ſolito. De quæſtione, an maturus fœtus ſervandæ matris cauſa occidendus, & an abortus provocandus ſit, ut mater gravida a magno morbo morteque liberetur? vid. Herm. Frid. Teichmeyer. *Inſtit. medic. legales Cap. 10. Qu. 4. p. 71. ſeq.* item Dan. Sennert. *Pract. Medicin. Lib. IV. Part. II. Sect. V. c. 3. Qu. 5. p. 357.* Laurent. Giſeler. *Obſ. de Peſt. Brunſuic. Obſ. 155.* Caſp. Brav. de Sobremont *Diſp. Sect. V. Reſol. 12. p. 219. ſeq.* Conrad. Philipp. Hoffmann. *de Puerper. temporib. §. 43. p. 67. ſeq.*

§. 14.

Quamvis etiam nonnulli hactenus allegatorum medicorum fœtus abactionem in certis caſibus concedant, imo ipſe Hippocrates cuidam pſaltriæ ad embryonis rejectionem ſaltationem cum effectu ſuaſiſſet, plerique tamen hodiernorum medicorum tam ratione conſcientiæ, quam legis divinæ atque humanæ ab ejusmodi delicto atque infanticidio abhorrent; ſiquidem juxta Paul. Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib. VI. Tit. 1. Quæſt. 7. n. 13. fol. 502.* circa alios errores primum ille valde notandus, cum medicus præſcribit medicamenta ad abortum provocandum: in qua re, quam grave peccatum committat medicus, non eſt, qui neſciat. Et *n. 16.* inquit idem: Vera ſententia Sixti Quinti eſt, nunquam licere directe procurare abortum, etiamſi proponatur matris ſalus, quæ periclitetur, niſi provocetur abortus; indirecte tamen non eſt prohibitum, pro matris ſalute dare cauſam abortiendi, dummodo totis nervis innitamur, ne fiat, ita ut, ſi fiat, ſit præter noſtram intentionem. Directe autem provocare abortum, eſt, propoſita ſibi hac intentione medicamenta ad eam aſſequendam præbere. Indirecte, eſt, porrigere medicamenta ad aliquem morbum ſanandum, ab ipſo morbo requiſita, etiamſi ex eorum uſu timeatur abortus &c. Sentit etiam Sanchez, quod actiones humanæ bonitatem & malitiam habeant ex eo, quod per ſe eſt in operantis intentione, non autem ex effectu per accidens ſubſecuto; quod per accidens ac tem

medici abortum evitare debent.

præter intentionem occidere, nulla ſit culpa. vid. *Hiſtor. Morb. Vratisl. l. a. p. 311.* Franciſcus Boſellus *Amalth. Medico-Hiſtoric. Apparat. III. cap. 39. p. 658.* inquit: Medicus ut volens nolens rite proclametur optimus, præter alia ut evitet artis abuſus, qui contingere poſſunt, infigat menti, ne pharmaca exhibeat, neve minimum quid edoceat, ſterilitatem ad inducendam, aut innocentium ad animarum perditionem, hoc eſt, ad tentandum mulierum abortum, (ut ſæpe ſolent attentari medici) utroque enim in jure, tam divino, quam humano quilibet in procurati abortus animati crimine homicidii reus fit, & jure civili parricidarum lex, & homicidii nota eſt in eos easve, qui vivos ſuffocant partus; iis autem, qui partus, antequam animati eſſent, medicamentis abegerint, exilium conſtituitur a Marciano, Ulpiano, & Triphonio; Guormacenſi tamen ex conſilio reus homicidii indiſcriminatim eſt, qui pharmaca ſterilitatis eo animo propinavit, ut vel libidinem expleret, vel ne ſoboles naſceretur. Sic Fortunatus Fidelis *de Relationib. Medic. Lib. II. cap. 2. p. 315. ſeq.* inquit: exhibent temerarii quidam aborſum facientia pharmaca, a quibus quidem nonnullas interiiſſe ſatis ſcio. Ergo in his hauſtis medicamentis ſine dubio univerſa poſita eſt culpa: nam quæcunque fœtum vere corrumpunt, venenoſa plane ſunt omnia, quæ vero utcunque depellunt, vehementia ſunt, ac periculi plena. Qui fœtum in utero enecare audent, graviter peccant, & acriter puniendi ſunt: nam & matri quoque interim exitium parant. Tanti igitur refert, abortiva remedia prægnantibus exhibere, ut ſola interdum illorum juramenti expectatio, atque inde enata ſpes immaturi partus ſatis ad abortum ſit: in iis ſcilicet, quæ in animi paſſionibus facile valdeque permoventur. Puellam novi, florenti ætate, quæ cum de fœtu ante tempus abjiciendo medicum conſuleret, hic, ut impium illius inſtitutum falleret, pia ſimulatione promittit, ſe daturum quidem, quod ſuam expectationem abunde expleret, verum antidotum ex iis miſcuit, quæ fœtui robur, ac firmitudinem

nem adjicerent. Puella tamen, dum illo hauſtu jam tum pariendi deſiderio vehementer incenſa eſſet, ac certo ſibi, quod falſo ſibi promittebat, eventurum ſperans, tota in hanc curam incumbens, non multo poſt elapſum eſſe fœtum ſenſit; ac non ſine medici ignominia abortivit, pharmaco quantumlibet adverſante; nam vehemens illa abortus concepta imago & medicamenti vim vicit & medici operam eluſit. Ex qua obſervatione diſcere licet, quam caute etiam hoc in paſſu medico ſit agendum.

§. 15.

Aliud medici puellæ gravidæ medicamenta abortum expellentia petenti denegantis exemplum adducit Henricus ab Heer *Obſ. 13. pag. m. 133.* vidi, inquiens, puellam gravidam, quæ, ut fœtum abigeret, totis ſexaginta diebus quotidie euphorbii drachmam ſumpſerat nullo profectu, cum a me conſilium peteret, rogavi, num illius euphorbii, quod ab empirico acceperat, partem aliquam ſervaſſet? cum mihi oſtendiſſet, effœtum omnino, & vix linguam acrimonia feriens comperi, unde facile conjeci, cur vires non exeruiſſet ſolitas, nec enim alvum ipſi moverat. Validius poſcens remedium, dixi nos jurejurando obſtrictos, nunquam abortivum præſcribere poſſe: rogata, ne & ipſa tam immani ſcelere ſe contaminaret, reſpondit, amatorem ſuum, virum eruditum, affirmare, embryonem poſſe, priusquam animetur, expelli, ipſum artis noſtræ coryphæum, Hippocratem, pſaltriæ ſextum diem gravidæ aborſurum ſaltum præſcripſiſſe. Scio, inquam, veteres, priusquam ſenſum & animam fœtus acceperit, interſtingui concedere. Cæterum Tertullianus feſtinationem ait eſſe homicidii, prohibere non naſci, quod & tota theologorum ſchola ſequitur. Hæc tandem mortuum fœtum & ipſa diu doloribus nixus atrociſſimis confecta, cum morte luctata, exacto geſtationis tempore, edidit. Puerpera demum & ſalutis anxia mihi faſſa eſt, ſe meo

exemplum aliud.

conſilio deſtitutam alios adiiſſe, qui recentes cyclamini radices, leviter tritas in imum pudoris ſinum adegerant, ad multos dies renovatis quotidie radicibus: tandem ſuffitibus ſiccis humidisque diu uſam, validiſſimis denique purgationibus alvinis & ſanguinis miſſionibus: nam & in uteri oſtio, prodentem ſe hæmorrhoidem bis aperuerat, quo tempore certiſſimam ejiciendi fœtus ſpem conceperat, ſed fruſtra. Ab aliis ecbolia illa, vel phtoria medicamina rogatus; ſemper reſpondi, quod veriſſimum eſt, ægerrime poſſe occidi fœtum, niſi ſimul enecetur mater, cum magna violentia opus ſit, ſive intus ſive extra admoveas medicamina; idque credo omnes bonos & doctos medicos affirmaturos, cum videamus, cum quanto fœtæ periculo fœtus mortuos ſecundinasque expellamus, atque hoc modo multas territas ab immani infanticidio revocavi.

§. 16.

aliud. De abortivo remedio negato hanc obſervationem communicat Johannes Nicolaus Binningerus *Curat. med. Cent. IV. Obſ. 74. p. 447.* Conveniens me æſtate anni 1668. vir quidam fatetur, ſe cum commenſali quadam virgine juvene rem habuiſſe, eamque a menſibus tribus concepiſſe: rogat abortivum darem, quo fœtus pelleretur. Virum atrata indutum veſte intuitus quæro, an literis operam dediſſet? piis dediſſe reſpondet. Huic ego Hippocratis jurisjurandi hæc verba prælego: neque cujusdam precibus adductus alicui medicamentum lethale propinabo, neque hujus rei autor ero. Neque ſimili ratione mulieri peſſum ſubdititium ad fœtum corrumpendum exhibebo &c. Hoc, inquam, nefandum ſcelus duxit ethnicus! Quid a me Chriſtiano petis? Hic, dabo quodcunque petieris! Dares ultra, ſi poſſes, regero; non faciam malimque de clavo pendere, quam conſcientiæ meæ hanc notam imprimere. Quidam eccleſiæ pater dixiſſe fertur: qui impedit hominem eſſe pari gradu cum homicida ambulat &c. At ille, nondum animatus fœtus

eſt!

eſt! Ego, imo ſecundum veſtram & Reformatorum ſententiam circa diem quadrageſimum anima cœlitus infunditur: elapſos a conceptione 90. dicis! At ille: ſi recuſes dare, præſcribe quæſo, vel oretenus indica; ſi ſecus feceris, actum eſt de me, deque meis rebus; miſerere quæſo, perditus ſum! doleo! ſed annon veſtrorum pharmacopæorum quidam petitum remedium vel dare ſciret, vel vellet? Tam levis conſcientiæ (inquam) neminem hac in urbe quæras; ſi vel cogitaſſe contingeret quenquam graviter punitum, ſi concederet capite plexum iri aſſero; cave tibi. Quadruplicat contendendo ſupplex, narrans adſtitiſſe ſe cuidam octo menſes uterum gerenti, cui ad infantem deturbandum porrecta fuiſſent quædam, quorum notitiam haberet: a quibus, non diu poſt, mortuum peperiſſet illa infantem: quærit idemque remedium conducere poſſet? ubi negaſſem, & plane contrarium effectum producturum aſſeruiſſem, diſceſſit a me ultima triſtitia confectus & pene obrutus antiquorum hominum homo. Partus accedente tempore vivam puellam adhuc forte vivam peperit, alteri deſponſata viro, ut biennio poſt occurrens literatus in aurem inſinuavit meam.

§. 17.

Non immerito itaque adductorum medicorum exempla hoc in paſſu ſunt obſervanda, ſiquidem inſuper nulla planta nec aliud medicamentum ea valet virtute, ut ſolum fœtum, utero adhuc annexum, ſine matris noxa morteve expellere ſicque matri certam ſalutem promittere queat. Inquit etiam Petrus Lotichius *Comment. in Petron. Arbit. Satyric. Lib. II. p. m. 331.* non ſemper abortum fieri violenta proritatione absque periculo, fœtu præſertim exiſtente jam vivo atque grandiori. Nullus proinde chriſtianus & peritus medicus, ſecundum Mich. Albert. *Jur. prud. medic. cap. 6. §. 9. p. 131. ſeq.* in dubium & temerarium hoc experimentum, quo nonnulli in uſu habuerunt, ſi puerperæ periculum imminebat, fœtum in utero interficere, *abactio eſt periculoſa.*

conſentiet, ubi facilius mater & fœtus ſimul perdi poſſunt, quemadmodum non in poteſtate artificis eſt, ut tantum fœtum expellat & matrem ſalvet; qui caſus magis ſpeculativus, quam practicus eſt, unde nunquam directe & ex intentione abortum provocare convenit, niſi jam ipſe ab intra in utero matris conſtitutus fuerit, ut evitari nullo modo queat. Et *§. ſequenti p. 233.* dictus autor ita pergit: Sunt itaque, ſecundum prædictam animadverſionem, nonnulli, qui cum *Rejeſio* ſentiunt, quod ſi mater ſalvari poſſit, attamen ut haud directe & ex propoſito embryo vivus exturbetur, omnino tunc ſine culpa & pœna hic proceſſus inſtitui poſſit; ſi vero cum intentione quisquam abortum, ad matrem ſalvandam, procurare velit, tunc utique talis auſus conſcientiæ maculam inurit, quare nonnulli JCti judicant, quod ejusmodi mulier hac ratione ob ſuam ſalutem abortum faciens, in foro conſcientiæ a peccati labe non ſit immunis: interim quædam aliæ limitationes nonnullorum JCtorum præſentem conſiderationem concernentes ex fundamentis medicis haud facile ſalvari poſſunt, videlicet, quaſi tunc abortum excitare liceat, ſi valde probabile eſſet, matrem & partum animatum ſine propinato pharmaco ſimul moriturum, & quod hac ratione mater ſalvari queat, cum tamen in hoc caſu nequidem probabile, multo minus valde probabile utrumque ſit, quod ſibi hac aſſertione imaginantur &c.

§. 18.

pœnæ variæ. Quibus autem pœnis illæ perſonæ gravidæ, quæ ejusmodi poculum abortivum ſponte aſſumunt, vel etiam obſtetrices, & aliæ feminæ, prægnantibus ea intentione, ut abortum expellant, pharmaca propinantes, affligendæ ſint, jam ſupra adduximus; his enim ſecundum certas circumſtantias dictabatur vel pœna exilii, ſiquidem, juxta verba *Ulpiani*, mulier, ſi viſceribus ſuis vim intuliſſe conſtiterit, quo partum abegerit, a præſide provinciæ in exilium, vel in metalla & inſulam erat exigenda, vel ad fuſtigationem; item viæ ad gladium & mulier ad ſuffocatio-

cationem in aquis condemnabatur, in Conſtitutione Carolina. vid. Andr. Ottomar. Gœlick. *Medicin. forenſ. ſpecimin. medic. legal. Sect. I. Specim. 6. p. 97. ſeq.* Plura de abortus pœna tam ratione matris quam patris, & extranei fœtum abigentis vid. Bened. Carpzov. *Criminal. Part. I. Qu. 11. fol. 49. 50. ſeq.*

§. 19.

De obſtetrice abortum certo inſtrumento cauſante atque ſuſpendio punita exemplum, cum aliis ad abortum pertinentibus, in Itinere ſuo Anglic. & Batav. communicat Chriſtianus Erndl *p. 83. ſeq.* notiſſimum, inquiens, quantæ & quam multiplices inventæ ſint ab infelicibus proſtibulis & lenis technæ, pro extinguendo, antequam in lucem prodeat & amiſſæ pudicitiæ & virginitatis proditorem agat, inſonte embryone; Tantus enim bonæ famæ & exiſtimationis amor ac pretium, ut conſcientia & religio negligantur lubentisſime a plerisque, ſi modo illas ſartas tectas utcunque conſervare valeant feminæ, quæ clandeſtino modo Veneris feſtis interfuerunt, ac delicias hujus furtim deguſtarunt. Quantus hominum numerus ejusmodi artificiis in fieri pereat, vel inde conſtare poteſt, quod dentur nonnulli inter Pontificios, qui Limbum Infantum, quo aſſervari creduntur ad extremum judicium usque cum reliquis non baptizatis infantibus abortus etiam, ipſum purgatorium ſpatio ſuo exæquare aſſerunt: alii plus quam tertiam hominum viventium partem ſuperari numero ab abortivis infantibus credunt. Habent enim infames illæ pharmaca & pocula ſua abortiva ſic ſatis fida, quibus intentioni ſuæ cum ſucceſſu ſatisfaciunt, quæ tamen utplurimum ſtatim poſt imprægnationem, vel ante tertium ad minimum & quartum geſtationis in utero menſem, adhiberi debent: Quodſi vero vel ex ſimplicitate, vel ex imprudenti negligentia termino iſto & tempore excluſa quæ fuerit, neque tunc etiam technæ & machinæ deficiunt, quibus ab incommodo & vivente ſcortationis teſtimonio ſe liberare *ſuſpendium.*

 valent.

valent. Tunc enim miſero fœtui parata ſunt alia arma, tam ferocia, ut ad extinguendos infenſiſſimos in bello hoſtes ſufficerent. Obſtupeſco, quoties in memoriam revoco, quæ in ſcriptore Gallo libri cujusdam amatorii, & deinde etiam apud Guidonem Patinum *in Epiſt. 191.* de hac ipſa re legiſſe recordor: ubi meminit obſtetricis eo tempore ſuſpendio publice punitæ, quæ perforato feminæ cujusdam gravidæ per idoneum inſtrumentum utero, fœtum enecavit, abortum procuratura, aſt ſucceſſu tam infelici, ut correpta convulſionibus mater miſerrime exſpiraverit. Nequiſſima obſtetrix in confeſſione coram criminali judicio, pluribus feminis hoc modo interdum ſatis feliciter abortum effeciſſe, faſſa eſt. Huc pertinet etiam, quod ſcribit Dionis *des Accouchem. chapit. 14. p. 176.* Ce que l'on aura dela peine a croire, c'eſt qu'il y ait des gens aſſez dénaturez pour donner & vendre des remedes capables de faire avorter; une fille, ou une femme veuve tombée dans le malheur, eſt en quelque maniere excuſable devant les hommes, quoique criminelle devant Dieu, de chercher les moyens de n'eſtre pas deshonnorée; mais ceux qui pour de l' argent procurent ces moyens, meritent une punition exemplaire; j'ay vu faire mourir à Paris une ſage-femme, qui faiſoit ce maudit commerce.

SECTIO VI.

De partu.

CAPUT I.

De partus ſignis.

§. 1.

Vocabuli partus ſignificatio.

SIcuti ſecundum hactenus dicta præcox embryonis ſeu fœtus adhuc immaturi & imperfecti ex utero rejectio abortus dicitur, ita perfecti fœtus legitimo & ordinario tempore, de quo paulo ante ſectione quarta egimus, ex utero materno

terno egreſſus vulgo partus appellatur; Interim vocabulum partus juris conſultis atque medicis duplici ſenſu uſurpari ſolet, & quidem vel pro illa mulierum actione, qua fœtus ex utero excluditur, vel pro ipſo fœtu adhuc excludendo, vel jam jam excluſo, uti ſupra de partus tempore vidimus, quando ſcilicet quæritur, an partus ſit vitalis, naturalis &c. Et Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. I. pag. 6.* per partum ſenſu medico non fœtum arctiſſimo uteri materni ergaſtulo adhuc incluſum, ſed potius infantem mutuis iſtis & matris parturientis & maxime ipſius fœtus moliminibus ex utero excluſum, vel chirurgia per partum cæſareum ex eodem extractum, intelligit. Nobis vero hoc loco de puerperio ſeu fœtus excluſione ſumitur hoc vocabulum.

§. 2.

Partus inſtantis ſigna.

Circa hunc partum conſideranda quædam veniunt 1) ante partum, 2) alia in ipſo partu, & 3) alia poſt partum occurrentia. Ante partum obſervanda ſunt ſigna, ex quibus ipſæ prægnantes, vel obſtetrices & aliæ mulieres adſtantes, vel ipſi etiam medici, inſtantem parturitionem præſagiunt, & quidem tam ab ipſo fœtu, quam gravida muliere deſumenda. Ratione fœtus ſignum apparet, quando emenſo naturali geſtationis ſpatio ſitus embryonis, de quo in fine ſectionis tertiæ Embryologiæ egimus, & in quo matris abdomen circa & infra umbilicum aliquatenus acuminatum & induratum tangitur, celeriter mutatur, fœtusque caput verſus uteri orificium in pelvim deſcendit & exitum quærit; ex quo partum non procul abeſſe vel etiam inſtare plerique judicant; ſiquidem, ſecundum Guil. Harv. *de Generat. animal. de Part. pag. 498.* matrix ad partum matura deſcendit inferius, emollitur atque orificium ſuum aperit. Quanquam etiam talis ſitus fœtus nec abdominis protuberantia acuminanda non in quolibet fœtu occurrat; quia fœtum humanum in utero diverſum ſitum nanciſci gra-

vidæ

vidæ norunt; quarum uterum modo ſuperne, modo inferne, nunc in hoc, nunc in illo latere pulſat. De hoc mutato fœtus in utero ſitu inquit etiam Michael Alberti *Introd. in univ. Medicin. cap. 2. §. 110. pag. 40.* Aliquot diebus ante partum mutat fœtus priſtinum ſuum ſitum, & ſeſe invertit aut ad partum accingit idineo quodam ſitu; tuncque venter ſatis tumidus & acuminatus planus quaſi redditur, detumeſcit & verſus inferiora deſcendit, v. Georg. Phil. Nenter. *Phyſiolog. cap. 11. membr. 3. pag. 344.* Et quando fœtus de umbilici nexu ad partum declivis ſe explicat, accidit ut uterus pondere ad pubem declivior appareat, & latera lumborum matris detumeſcant, juxta Jonis Langii *Epiſtol. med. Lib. II. Ep. 39. p. 667.*

§. 3.

Dolor. De partus dolore ſcribit Henricus a Deventer *de Art. Obſtetric. cap. 5. pag. 24.* tempore concubitus delectatione feminæ præcipue gaudent, quæ forſan inſervit conceptioni, ſicuti poſtea partui dolores inſerviunt. Et Hadrianus Beverland *Diſſert. de Peccat. original. pag. 64. ſeq.* de hoc dolore ſequentia ſcribit: Recte notant Hebræi pœnas transgreſſoribus inflictas reſpondere huic voluptati. Adam voluit ex ſpinis unam colligere, & Eva ex tribulis ficum, proh dolor! dulcis amarities amor eſt, voluptas peritura triſti ſemper dolore miſta, libidinis comes mœror. Morbi voluptatum uſuræ ſunt. Dicit autem Deus: augendo augebo ærumnas tuas & conceptus partusque tuos, & anguſtiam a conceptu usque ad partum multiplicabo, faſtidio cibi, deliquiis, laſſitudine ac doloribus. Inter omnia animalia mulier maxime in partu vexatur. Bruta licet doloribus omninis crucientur, attamen difficiliori longe nixu laborant mulieres, adeo ut, ſi parturientes non cohibeant an helitum, & oſcitent, vita periclitentur. Medea apud Euripidem ter maluit ſub armis vitam periculo exponere, quam ſemel parere. Tandem dicit ſupremus arbiter, licet dolorum cauſa erit maritus, nihilominus tamen deſiderabis

con-

congreſſum ejus: hinc amor mulierum excedere videtur reliquos amores, cum diligant præter naturam ſubactores quaſi carnifices, quos & dominos agnoſcunt ſuos, horum dolorum cauſas: hinc apud Stobæum jocatur Sophocles in mollem ſexum, quod, cum partus cruciatu diſtinetur, abjurare ſoleat omnem maris concubitum, poſtea periculis defuncta puerpera ejusdem voluptatis & œſtri retibus denuo implicetur.

§. 4.

Hinc ratione mulierum inter inſtantis partus ſigna obſtetrices primario dolores ponunt, quibus etiam medici aſſentiunt; uti de his ſignis ſcribit Johannes Bickerus *Hermet. rediviv. cap. 17. pag. 102.* ubi ipſum pariendi tempus inſtat, hæc ſigna ſe produnt: acrior eſt ſub umbilico dolor & ad inguina premit, & inde ſe flectit ad lumborum vertebras, genitalia cum dolore tument, febrilis horror corpus invadit, ex naturæ ad excretionem conatu facies rubet, venter incaleſcit, cumque magis inſtat, urinæ adeſt incontinentia, uterus ſolvi ac laxari ſentitur, tormina vexant, partes ſuperiores graciles fiunt & extenduntur loca ſuper pectinem & inguina, os uteri directum apparet, perinde ac in conceptu. Georgius Philippus Nenterus *l. a. pag. 343. ſeq.* hæc habet: Quo medicus cognoſcere queat, an partus revera inſtet, probe attendere debet, ad antecedentia, ſive ſigna partum inſtantem vere indicantia, inter ſigna iſta principem ſibi vindicant locum dolores: quoniam vero hi in veros atque ſpurios, *rechte Kindes-Weben und wilde Weben* dividuntur, probe attendendum eſt ad hujusmodi dolores. Sunt autem dolores veri illi, qui in regione lumborum incipiunt, & fere continuo verſus pudenda urgent: Spurii vero ſunt, qui hinc inde in abdomine oberrant, *ſie treiben nicht auf das Kind*, ut obſtetrices loquuntur, ac etiam exhibitis carminativis ac clyſteribus facile ceſſant, cum econtra dolores veri uſurpatis talibus remediis magis augeantur & fortius urgent.

dolores.

verba Bickeri.

Nenteri.

§. 5.

Goſey. Pluribus de his doloribus agit Goſey *de Generat. pag. 97. ſeq.* inquiens: Empirici non attendunt ad dolores gravidarum, nec veros a falſis, uti vocantur, diſtinguunt (h. e. qui ob imminentem partum a natura inſtituuntur, vel qui nullam cum partu connexionem habent) id quod tamen ſcitu maxime neceſſarium eſt; ſi enim gravida quædam ab obſtetrice termino juſto nondum præſente ob dolores illos falſos ad niſus & conatus ad excluſionem fœtus neceſſarios inſtigetur, tunc tam mater, quam fœtus ob reiteratos illos conatus intempeſtive inſtitutos vires perdunt, unde etiam ſæpius vel matris, vel infantis, vel utriusque mors in talibus caſibus inſequitur. Multum importat diſtinguere falſos illos dolores a veris partus doloribus: Is, qui parum in hoc negotio experientiæ habet, facile inſtare partum ſuſpicabitur, ſi gravidam querelas de doloribus verſus umbilicum & ad os pubis deſcendentibus formantem audiat, qui vero dolores mere colici ſunt. Si ergo in tali caſu gravida partum, uti videtur, inſtantem, conatibus ac niſibus frequentioribus promovere allaborat, ex improviſo dolores ceſſant, fœtusque per aliquot adhuc dies in utero ſubſiſtit. Hi dolores falſi aliunde non oriuntur, quam a motu inteſtinorum & meſenterii convulſivo, ſe ad partes vicinas extendente, quique veros partus dolores ſæpius vel imitantur, vel præcedunt, vel comitantur, imo nonnunquam poſt partum abſolutum adhuc ſubſiſtunt. Veri partus dolores a ſola matrice deducendi ſunt, ſiquidem illa pars eſt membranoſa ac fibroſa, quæ motibus ab infante productis facile irritatur & agitatur, qui nihil aliud ſunt, quam motus ac dolores colici violenti magnam partem a meconio in inteſtinis, acido & quaſi putrefacto orti, qui ſimiles motus violentos in omnibus artubus, tam brachiis, quam pedibus excitant, quibus membranæ fœtum involventes rumpuntur ac dilacerantur, unde aquæ profluflu-

fluxus doloresque lacerantes ac violenti in ipſo pariendi actu ſentiuntur. Lectu quoque dignæ ſunt annotationes Danielis Hoffmanni in hunc locum & Hypotheſes Goveyanas. Gravidarum dolores ita diſtinguit Dionis *des Accouchem. Liv. III. chap. 2. p. m. 203.* de ces douleurs il y en a de deux ſortes de fauſſes & des bonnes. On appelle fauſſes douleurs celles, qui ne proviennent point dela matrice, & qui ne portent point en bas. Les veritables douleurs commencent dans la region des reins & des lombes, & ſe font ſentir dans celles dela matrice. Et *pag. ſeq.* pergit: Les ſignent, qui precedent & qui arrivent peu des jours avant l'accouchement, ſont quelques douleurs dans les reins, qui n'etoient pas ordinaires à la femme, & qu'elle commence à ſentir, que la groſſeur de ſon ventre, qui étoit vers haut, eſt tout-à-fait abbaiſſé vers le bas, qu'elle ne peut pas marcher auſſi facilement, qu'elle avoit accoutumé ; qu'elle a des envies d'uriner tres-frequentes, & qu'il s'écoule dela matrice des humidites glaireuſes, deſtinées pour humecter le paſſage, & le rendre plus gliſſant.. Secundum Chriſtiani Johannis Langii *Oper. med. Tom. III. Diſp. 43. fol. 575.* conſtat inſtantis partus ſignum 1) ex ſede doloris, epigaſtricam regionem, latera imprimis ac dorſum occupantis, adeoque a doloribus nephriticis & colicis facile diſtinguitur, qui in regione lumbari & abdominis ambitu, ſedem habent ſuam, 2) ex doloris formalitate, ſeu natura compreſſiva ad inferiora, cum aliquali uteri ardore & intumeſcentia tendente. Ne tamen incautus medicus decipiatur, monendum venit, non omnem, exquiſitum etiam, abdominis dolorem, partum vel etiam δυςοκείαν in gravidis ſtatim inſtare judicet, ſiquidem tales feminæ aliquando ab aliis cauſis lumborum & coxendicum dolore, nephritide, colica aut alia dolorifica paſſione ſatis atrociter vexantur; proinde ex naturali geſtationis ſpatio emenſo, colligendum eſt, an tales dolores partui vicinis accidant, numve veri partus ſint dolores, nec ne. Quomodo tactu explorari poſſit, an gravida genuinis

Dionis.

Langii.

ad partum doloribus corripiatur, nec ne pluribus docet Henricus a Deventer *de Art. Obſtetric. cap. 17. pag. 57. ſeq.*

§. 6.

ex orificio uteri.

Huc pertinet etiam uteri deſcenſus, ipſiusque orificii apertura: Matrix enim ad partum matura juxta Juſti Schrader. *Obſervat. ex Harv. pag. 80.* deſcendit inferius, emollitur atque orificium ſuum aperit; & ſecundum Chriſt. Joh. Langii *l. a.* in his mulieribus internum uteri orificium, digito obſtetricis contrectatum, certiora inſtantis partus ſuppeditabit teſtimonia; ipſum demiſſum ſcilicet paululum ad pudoris muliebris introitum ſimulque hians quodammodo certo expectatum pariendi terminum indicabit, ſicuti contrarius ejus ſtatus errorem. Ad quæſtionem: comment connoiſſez vous, qu'une femme eſt proche de ſon temps d'accoucher? ita reſpondet Marguerite du Tertre *dans l'Inſtruction d'une ſage femme p. 84.* Je le connoiſtray par la grande peſanteur de l'enfant ſur l'orifice interne & dans le col dela matrice, & par le peu d'epaiſſeur de l'orifice interne, cauſée par la grande tenſion, que l'enfant luy fait par ſa peſanteur. Secundum Georgii Philippi Nenteri verba *Phyſiolog. cap. 11. Membr. 3. pag. 345.* tandem orificium uteri aperitur, & ex utero liquor viſcoſus & ſanguine tinctus prodit, ac tandem diſruptis membranis aquæ fluunt.

§. 7.

aquarum effluxus.

Sic etiam aquarum, ſemper equidem ante vel plerumque in ipſo partu, magna ſatis quantitas ex dilaceratis fœtus membranis per uteri vaginam profluere ſolet; attamen talis aquarum effluxus, ſecundum Hypotheſes Goveyanas *pag. 103.* non ſemper certum ac indubitatum partus ſubſequentis indicium ac ſignum eſt, cum illæ ſæpe integrum menſem fœtus excluſionem præcedant. Quodſi proinde talis aquarum effluxus diu ante partum accidat, periculo non caret, quia tunc fœtus

fœtus in ſicco habitare cogitur, & metuendum eſt, ne pereat; quicquid autem ſit, ſive ibi moriatur, ſive vitam conſervet, fœtus, ſemper partus erit laborioſus ac difficilis; viæ enim non ita lubricæ ſunt, ſed ſiccantur, nec facile ſine magnis doloribus dilatari poſſunt; pro quo tamen ſcopo amnii liquorem inſervire, ſupra *Section. I. cap. 2. §. 23.* diximus. Licet etiam obſtetrices talem defectum ſupplere, viasque illas oleo amygdalarum dulcium, vel butyro recenti lubricare atque humectare ſtudeant, eundem tamen defectum nec butyro nec oleo ſupplere licet, quippe quæ unguinoſa, ſecundum Danielis Hoffmanni *Annotat. in Hypoth. Goveyan. pag. 103.* adeo profunde non penetrant, ipſumque uterum & vaginæ intima non æque poſſunt vel lubricare vel emollire; Olea tamen butyro minus congrua ſunt.

§. 8.

Nonnunquam etiam, licet rarius, dictarum aquarum ſeu liquoris amnii effluxus duplici modo ac tempore, ſcilicet vel diu ante partum, vel etiam partu jam inſtante fieri ſolet, quo in caſu vero viarum uterinarum ſiccitas non eſt, ſiquidem aqua prima vice, vel diu ante partum effluens non ex amnii cavitate, ſed ex ejusdem membranæ duplicatura, interdum obſervanda, uti ſupra mentionem fecimus, provenit; illa vero, quæ ſecunda vice, ſive in ipſo partu cum ſubſequente fœtu prorumpit aqua, eſt ille liquor, in quo hactenus embryo ad partum usque natavit vel moratus eſt, & qui poſt membranarum, fœtum in ſe continentium, rupturam vel ante partum vel ſimul cum ipſo fœtu effluens vias ad partum neceſſarias ſufficienter irrigare atque lubricitare poteſt. Et Georgius Philippus Nenterus *l. a. pag. 346. ſeq.* inquit: dictum fuit antea, disruptis membranis aquam ſive liquorem amnii effluere & partus inſtantis eſſe ſignum: huic autem aquarum effluxui non ſemper fidendum eſt, quoniam inter amnion & cho-

duplex effluxus.

rion interdum inſignis quoque humoris copia colligitur, quæ nil niſi ſeroſa humoris in amnio contento portio, per amnii poros transſudans eſt, & diu inter utramque tunicam hærens, tandem rupto chorio absque ulla fœtus noxa excernitur. Verus autem amnii liquor, dum ita paulo ante partum effluit, inſignem & magnum præſtat uſum, partes enim genitales, inprimis vaginam lubricam reddit & emollit, ita ut fœtus eo facilius & felicius egredi queat: Unde etiamſi aliquot dies ante partum aquæ hæ effluant, fœtus tamen non ſequitur, partus utplurimum, quoniam vagina uterina exſiccatur, ſive debita ejusdem lubricitas perit, redditur difficilis. Juxta Joh. Frid. Ortlobii *Hiſtor. Partium Diſſert. 36. §. 12. p. 286.* accidit interdum inter membranarum duplicaturas, aquarum collectio, eæque ante partum, & quandoque longo ſatis abhinc tempore prorſus profunduntur; & vero hic liquor ſeroſa quædam portio amnii humoris eſt, quæ per id transſudans aliquandiu inter utramque membranam hæſitat, usque dum a calcitrationibus infantis ſine ſua noxa ſub nomine aquarum ſuperfluarum (*Wildwaſſer*) proſiliat. v. etiam infra *de Part. diffic. §. 16.*

§. 9.

partus ſine aqua. Interdum etiam neque ante, neque in ipſo partu, ejusmodi aquæ obſervantur, qualia exempla parturientis ſine aquis recenſet Alandus Hermannus Cummenus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 122. p. 241. ſeq.* inquiens: Anno 1664. diſputationis meæ inauguralis capiti 18. inſerui caſum feminæ, quæ in lucem edidit fœtum ſanum firmæque valetudinis, nullis prodeuntibus aquis & pauco ſanguine. Item civis cujusdam Luchovienſis, primipara anno 1671. juſto tempore parturiendi conatus experitur, adeſt obſtetrix; infans in recto ſitu & bene coronatus deprehenditur; nihilominus parturiens eniti non valet, locelli manent ſicci, & licet membranæ disruptæ, ne guttula quidem aquæ prodit; aſſumptis autem medicamentis filiam ſanam enititur.

§. 10.

§. 10.

Inter ſigna imminentis partus lac potiſſimum ab obſtetricibus & medicis habetur; & tale quidem, quod & copia & conſiſtentia alendo fœtui ſit idoneum; quale ante ſeptimum menſem non conſpicitur, uti ex Harvæo allegat Juſtus Schraderus *Obſervat. cap. 5. p. 80.* Cum autem quandoque in virginibus non defloratis nec impraegnatis, imo etiam in viris lac e mammis effluere & exprimi poſſe obſervemus, uti in Parthenologia noſtra *Sect. III. cap. 3.* §. *10. p. 290. ſeq.* adduximus, nullum etiam inſtantis partus certum ſignum ex ſolo lacte, ſine reliquis collective ſumtis ſignis, deſumere licet. Licet etiam in plerisque feminis prægnantibus, circa inſtantem partus terminum, e mammis lac effluat, vel exprimi queat, ſæpius tamen etiam in gravidis per totum geſtationis tempus, imo neque etiam poſt puerperium, uti mihi aliquoties obſervare licuit, ne guttula quidem lactis e mammis elici poteſt; utrum proinde ex ejusmodi lactis circa partus tempus præſentia vel abſentia aliquid certi judicandum ſit, cuilibet ſentire licet. De femina fœtum vitalem in utero continente, & tamen toto geſtationis tempore nihil lactis in mammis percipiente, vid. Abr. Cypriani *Epiſtol. de Fœtu tubar. p. 5. & 16.* *lac.*

§. 11.

Motum fœtus in utero materno adhuc contenti, verſus partus terminum, majorem fieri, experiuntur tum ipſæ mulieres gravidæ, tum etiam obſtetrices, quæ exinde fœtus vivi partum inſtare judicant, ex ejusmodi autem motus defectu vel debilem, vel jamjam mortuum fœtum prædicunt. Interdum tamen etiam, nullo in utero exiſtente fœtu, talismodi motus, ex quo & aliis ſignis mulieres ſe gravidas partuique proximas credunt, ſentitur, uti refert Guilielmus Harvæus *de Part. p. m. 505. ſeq.* novi, inquiens, filiam cujusdam medici, mihi familiariſſimi, *a motu fœtus.*

mi, quæ gravida facta ſymptomata omnia prægnantes comitari ſolita experiebatur: ea ſana & vegeta, poſt decimam quartam ſeptimanam fœtus in utero motum ſenſit, tempusque partui debitum emenſa eſt, indiciaque jam imminentis partus adeſſe rata cubile, incunabula, cæteraque ad partum neceſſaria in procinctu habuit. Sed fruſtra omnia, & Lucina votis abnuit: motus enim ſoliti ceſſarunt, & paulatim, ut increverat, detumuit venter, absque ulla ægritudine, ſterilis autem manſit in poſterum. Novit etiam Harvæus matronam nobilem, quæ plus decies enixa fuerat, quamque menſtruorum ſuppreſſio circa prægnationem nunquam fefellerat. Poſtea autem alteri denupta, præter alia ſigna ſolita, ex motu quoque (quem ipſa ſororque ejus juxta cubans, ſæpe noctu ſentiebant) ſeſe gravidam judicabat; neque ab ea opinione ullis ab Harvæo allatis argumentis dimoveri poterat, donec tandem ſpes omnis in flatum & pinguedinem faceſſeret. Adeo interdum certisſima quoque gravidationis partusque inſtantis ſigna, non modo ignaras mulieres, ſed obſtetrices expertas & peritos etiam medicos atque attentos fefellerunt. Quapropter, cum præter dolos muliebres, varia ſint prægnationis falſa indicia, de partu inordinato ante ſeptimum menſem, aut poſt undecimum, haud temere ſtatuendum eſſe, monet idem autor. Admonet etiam facultas medica Giſſena, quod primiparis non inſolitum ſit, ut ſub hac vel illa fortiori commotione in corpore ſibi omnino imaginentur, ſe infantem jam ſenſiſſe, cum tamen abhinc non raro ſe deceptas fuiſſe reperiant, quum motus ejusmodi a variis cauſis oriri posſint. vid. Mich. Bernh. Valentini *Pandect. med. legal. Part. I. Sect. II. Caſ. 20. p. 219.* Econtra vero Pariſiis femina quædam poſt ſeptimum graviditatis menſem, a magno frigidæ hauſtu colica laborans, nullum plane fœtus motum ſentiebat, unde tam ab obſtetricibus & chirurgis, quam medicis, fœtus pro mortuo haberetur, ejusque partus cæſareus ſeu exſectio, a quibusdam neceſſario, ab aliis vero infructuoſus judicaretur, cum

præ-

præſertim dictæ feminæ halitus tam per os, quam per guttur inferius, totam domum intolerabili fœtore adimpleret, inſuper venter glaciei inſtar frigidus & oculi quaſi moribundorum eſſent, fœtusque inſtar magnæ molis & trunci, matre ſe de latere in latus vertente, ſimul ſine proprio motu prolaberetur; dicta tamen femina poſt duos menſes, & ita legitimo partus tempore puellam ſanam enixa eſt, referente Louyſe Bourgeois *de Arte Obſtetric. Part. I. cap. 39. p. 155. ſeq.*

§. 12.

Quod autem in paragrapho antecedente Harvæus, de fœtus in utero poſt decimam quartam ſeptimanam obſervato motu recenſet; idem mihi quoque in propria uxore annotare contigit. Poſtquam enim ipſa, quarta vice prægnans, quatuordecim graviditatis hebdomadas impleverat, die quodam multo mane ad me, in laboratorio ſpiritum putaminum ovorum deſtillantem, veniens a penetrantiſſimo dicti ſpiritus & ſalis volatilis odore, vel potius fœtore, lipothymiam fere incidebat, atque ab ipſo tempore fœtus in utero motum, non ſolum ad medium geſtationis tempus, ſed usque ad legitimum pariendi terminum, quotidie ſentiebat, quo inſtante ipſa, valde quidem debilis, ſanum fœtum enitebatur poſteaque plenariæ ſanitati reſtituebatur. *Obſervatio.*

§. 13.

Signum inſtantis partus deſumitur etiam a ventris ſeu abdominis detumeſcentia, ſiquidem ſecundum Georgii Philippi Nenteri *Phyſiolog. med. Cap. 11. membr. 3. p. 344.* dolores partus nonnunquam præcedit aliud ſignum: nimirum aliquot dies, aut interdum etiam immediate ante partum venter ſatis tumidus & acuminatus planus quaſi redditur, detumeſcit & verſus inferiora deſcendit. Contingit autem id ideo, quoniam hoc ipſo tempore fœtus invertitur: ante partum enim fœtus incurvatus *Ventris detumeſcentia.*

in utero ſedet, partu autem appropinquante ſitum huncce mutat, ac caput inferiora petit &c.

§. 14.

Teneſmus. Porro juxta eundem autorem *l. a.* ad ſigna partus inſtantis pertinet etiam continuus teneſmus ſive egerendi conatus, qui tamen, licet alvum deponant parturientes, non ceſſat, ſed perſeverat. Jungitur hiſce interdum quoque tremor omnium artuum, inprimis femorum & crurum cum calore totius corporis.

§. 15.

ſigna partus difficilis. De difficilis partus notis ſequentia præſagit Jodocus Lommius *Obſerv. medic. Lib. II. pag. edit. Amſtelod. 223.* ſi totus ante fœtum aquoſus humor effluit: aut longa copioſaque ſanguinis eruptio anteceſſit: ſi ipſa femina crebro inhorreſcit & languidiore dolore perque longiora intervalla urgetur. Recte enim Hippocrates judicavit, partus ſine debito dolore periculoſos eſſe. Ubi mulier a partu haud commode purgata eſt, venter & interdum crura tument, dolor atque rigor lumbos atque imum ventrem occupat: fitque interdum animi defectio. Quod ſi ex partu febris cum ingenti continuoque dolore capitis infeſtat, ſcire licet in magno rem metu eſſe.

CAPUT II.

De partus cauſis.

§. 1.

Partus cauſa. POſtquam fœtus in ſuo habitaculo tamdiu moratus eſt, usque dum maturitatem ſuam legitimam adeptus ſit, variæ ad ejusdem ex utero excluſionem, ſeu partum, tam ratione matris, quam fœtus neceſſariæ vel etiam concurrentes ab autoribus recenſentur cauſæ, quarum aliæ ſtimulantes ſeu occaſionales, aliæ moventes appellantur. Cauſa vero finalis eſt fœtus in lucem edendi neceſſitas.

§. 2.

§. 2.

Ex illis, pro primaria cauſa tam veteres, quam recentiores autores habent fœtus perfectionem, ſiquidem juxta Galenum *de Uſu Part. Lib. XV. cap. 7. fol. m. 294.* partus fit, cum fœtus ita jam eſt perfectus, ut per os nutriri poſſit. Et Georgius Philippus Nenterus *Phyſiol. medic. c. 11. Membr. 3. p. 345.* inquit: quicquid ſit de variis partus cauſis, ego nullam aliam ex ſtimulantibus præter fœtus perfectionem admitto; cum enim homini certum atque definitum pariendi conſtitutum ſit tempus, quid opus eſt in alias inquirere cauſas? Attamen ex mente Guilielmi Harvæi *Exercit. de Gener. animal. de Part. p. m. 507.* ſecundum hanc rationem debiles atque imbecilliores fœtus diuturniorem in utero morem traherent, quod tamen non evenit. Et Franciſcus Bayle ait, quidam cum Galeno ſtatuunt, fœtum immotum in utero matris quieſcere, nec exitum moliri, donec certum tenorem virium conſequutus ſit, atque alimentum ore ſugere poſſit, tum temporis ſummo conatu eniti in alterius alimenti inquiſitionem extra matris uterum. Hæc opinio iis, quæ quotidie obſervare licet, conſona non eſt, nec veritati. Si enim natura omnes illos motus, qui in partu contingunt, aliter non ederet, quam a cauſa prædicta ſollicita, fœtus debiles maleque conſtituti, graviditatis tempus producerent ultra terminum aſſignatum iis, quibus bonum obtigit temperamentum cum corporis robore. vid. Nicol. Blegny *Zodiac. medic. Gallic. An. I. Januar. p. 24. ſeq.* Coſmopolita ſeu Antonius Everhardus *p. m. 208. ſeq.* ita ſcribit: cenſeo quidem partum præcipue fieri ob fœtus maturitatem & perfectionem, quæ non uno eodemque tempore ſemper obtinetur, ſed vario: prout enim ſpirituum genitalium facultas debilis fuerit, aut robuſta, eo etiam citius, aut tardius fœtus perfectionem ſuam & maturitatem conſequitur. Quod vero ſpiritibus genitalibus ejusmodi facultas inſit, citius aut tardius maturandi fœtum (ſi uterus alioquin cæteraque bene ſeſe habuerint) ex eo liquet, quod illi fœtus, qui maturius in utero

fœtus perfectio.

ſe movere valent, maturius etiam edantur in lucem, & illud non majoris refrigerii gratia, aut alimenti defectu, ſed virtute ſpirituum prolificorum fœtus maturitatem promoventium. Quo motus ergo fœtus citius aut tardius percipitur, eo etiam citius aut tardius partus inſtat. Fœtus plerumque mares ſeptimo menſe ut robuſtiores, progenerari obſervantur, raro feminæ minusque vitales. Fructus etiam arborum cujuscunque generis fructiferarum, non uno eodemque tempore omnes & ſimul matureſcunt, & ex arbore decidunt, etiamſi arbor veris initio flores protulerit, ſed fructus aliqui aut ventis borealibus expoſiti aut ſolis calore privati, aut facultate concoquendi ſibi nutrimentum minus inſtructi, longo tempore arbori adhuc adhærent, quo maturentur, poſtquam alii deciderunt. Propter maturitatem fœtum non prodire putat Johannes Bohnius *Circul. anatom. phyſiolog. Progymn. III. p. 36.* ſunt, inquiens, qui fœtum fructui uterum arbori comparantes, per maturitatem intrinſecam deciduum fieri autumant: vix tamen hac ratione ætiologiam illius operis explanant. Maturitas enim fructus, ut talis, ſicut ad ejus devolutionem & decidentiam nihil facit, ſed hæc præprimis & immediate a petioli connectentis ariditate, hinc ſucci nutritii intercepto affluxu, eſt: ita circumſtantias has negotio huic minime applicare licet. Quippe ne tangam, fœtum & fœtam nullam continuitatem, ſed contiguitatem duntaxat, intercedere, eo ipſo dum placenta uterina cum funiculo umbilicali a matre ac fœtu, ultimo æque ac primo geſtationis momento, ſufficienter humectatur & ſucculenta conſpicitur, nulla aridura in partibus his, nec ſimilis, qualis fructus ab arbore, ſeceſſus hic concipi poterit. Neque etiam Johannes Gothofridus Bergerus *Phyſiol. med. Lib. II. cap. 3. p. 490.* iis aſſentitur, qui fœtum, perfectionem adeptum, fructuum inſtar maturorum, qui, exareſcente paulatim petiolo, a quo pendent, ſponte ſua, vel levi auræ motu ex arbore decidunt, in lucem emitti, opinantur. Nam & uterum fœtæ & placentam vaſaque fœtus umbilica-

bilicalia ſuccis vitalibus abunde irrigua eſſe, experientia docet.

§. 3.

Alii penuriam vel defectum fœtus alimenti, in utero, quod in amnii liquore conſiſtere credunt, pro partus cauſa agnoſcunt; inquit enim Guilielmus Harvæus *de Generat. animal. & quidem de Partu pag. m. 510.* ego naſcendi cauſam eſſe dixerim, quod ſuccus intra amnion alendo fœtui maxime accommodus, tunc temporis vel deficiat, vel a relictis excrementis depravetur. Uteri autem, præter naturæ uſitatum tempus, gerendi diverſitatem (quæ potiſſimum humano generi contingit) vitæ conſuetudini, imbecillitati corporis animique variis affectibus attribuerim. Ideoque etiam animalia cicura, quæ cum hominibus degunt, ob otium pabulique copiam, incerta magis tum coëundi, tum pariendi tempora obtinent, quam fera, & ex naturæ lege vitam agentia. Mulieres quoque firmæ valetudinis partus plerumque leviores promptioresque experiuntur; contra autem iis evenit, quibus ſanitas attrita eſt. Idem nempe in uſu venit, quod plantis, quarum ſemina & fructus in regionibus frigidis tardius & rarius, quam in aliis, terræ bonitate ſoliſque beneficio gaudentibus, proveniunt. Ita mala aurantia apud nos plerumque biennium integrum arboribus adhærent, antequam ad maturitatem pertingant. Similiter quoque in uteri fructibus contingit, nimirum ob pabuli ubertatem, vel inopiam, corporis robur vel imbecillitatem vitæque rectum regimen, vel inordinatum, fœtus etiam ſerius aut citius ad maturitatem ſive partum producuntur. Et Nicolaus Blegny *l. a p. 22. ſeq.* hanc analogiam ita explicat: Quamdiu fructus adhuc eſt immaturus & arbor ſucco redundat, ac plurimam continet aut ſuppeditat ejusmodi materiam, pedunculi fructum cum arbore connectentem, pedunculus illi tenaciter adnectitur, ac non niſi per vim inde divellitur, quin portiuncula illius adhæreat, imo etiam quidpiam ex ipſa arbore, cui annectitur, abſcedat. Sin

alimenti penuria.

contingat, ſuccum arboris minus abundare humore illo ſuperfluo, ob quem extremitates ramorum turgebant, paulatim in halitus abſumpto, exſiccantur illæ, ac fibræ partim contractione, partim unius ad alteram approximatione, divelluntur ab eo, quod earum motum conſequi non valet: Ab exterioribus, quæ primum alterationes illas ſubeunt, prior quoque fructus pedunculus abſcedit: ad id quoque conferente conſumptione aut exſiccatione illius materiæ, cujus interventu conjungebantur, quibus cauſis tandem ulterius provectis quod reliquum eſt fibrarum in ligno paulatim divellitur, atque ſeriatim, donec pauco, quod reliquum eſt, impotente fructum cohibere, hic ad minimum impulſum concidit, aut ſolo pondere detrahente. Imminutio illa, aut ſuppreſſio ſucci ad fructum confluentis, cum tempeſtates tempeſtive accidunt, definite fiunt, ubi fructus ſufficienter maturuerit, & cum ulteriore alimenti appulſus impedimento foret gratæ illæ fermentationi prioris qui antea influxit, aut cutem diffindi cogeret, aut ſemen inundaret, aut toti fructui putredinem induceret. Ab obſervata hac naturæ in plantis providentia pro comperto habui, in animalibus ſimile quidpiam accidere: atque ut de re certo mihi conſtaret, diſſecui canes gravidas diverſo geſtationis tempore, ac deprehendi circa mediam temporis carnes glanduloſas, tum eam, quæ uterum ſpectat, tum quæ fœtum, admodum carneas eſſe: Partes illas validiſſimo nexu ſimul conjungi, ita ut vix citra lacerationem ab invicem divellantur, vel citra ſanguinis effuſionem: Quum canes partus tempus prope attigerunt, glanduloſæ carnis pars, qua ad chorion vergit, non ſolum nihil de craſſitie ſua remiſit, ſed præterea majorem adepta eſt, ex oppoſito parti utero vicinæ, magna accidit mutatio, admodum enim tenuis eſt & flaccida: eo tempore partes illæ ab invicem nulla vi ſejunguntur ac citra minimam ſanguinis ejectionem, harum vero ultima utero quam laxiſſima adhæret; ipſaque vaſa, quorum ope illi colligatur, ad minimum

mum attractum abrumpuntur, nullo fere ex iis prodeunte ſanguine, nulloque metu, ne, dum vi avellantur, vel leviter dilaceretur uterus. Tunc temporis liquor amnio contentus, cui fœtus innatat, multo minori reperitur copia, quam toto geſtationis tempore, proportione habita fœtus magnitudinis. Tunc inquam fœtus alimento carere poteſt ab utero accepto, ſolidiore enim illi opus eſt, cujus quærendi cauſa ad exitum ex utero matris ſe accingit: videturque natura, quo ad illum quærendum impellatur, ſolitum alimentum illi denegare, aut potius id ab utero ad mammas divertere, quo ipſum illius cauſa videtur ablegare. Et *p. 29.* ait idem autor: Eorum opinio, qui cenſent, inopiam alimenti fœtum ad exitum impellere, ejusque gratia uterum deſerere, firmioribus fulcitur rationibus & argumentis, quam ut poſſit convelli, ſi eorum pondus perpendatur; deſinente enim geſtatione, fœtus uberiori indiget alimento, quia grandior eſt: tunc tamen temporis minor illi copia ab utero accedit, ejus ſcaturigo pene eſt exhauſta, canales ſunt obſerati, alimentum alio curſum ſuum inflectit, quo fœtus illius gratia tendere debet: virium illi ſatis ſuppetit, quo ſe liberet, urget fames, quæ, ut conatus omnes in exitum afferat, impellit. Hæc eſt abſoluta neceſſitas evadendi e carceribus, quos revera egreditur, niſi ex parte matris obſtaculum adſit.

§. 4.

Autor tractatus, Venus Minſieke Gaſthuis dicti *pag. m. 431.* ita de hoc amnii humore ſcribit: De vochtigheit, daer het Kind in ſwemt, word oud en verdorven, om dat het aen d'eene zyde de beſte daruit genomen heeft om ſich te voeden van het begin ſynes levens aen; en dat an d'ander zyde daer in ontallijke uitwerpſelen vermengt zyn, die 't verderft daer in gebragt hebben. Syne pis, die uit ſyne natuurlijke deelen, en nergens anders door afgaet, en en d'onreinigheden van ſyn huid, hebben deſe voogtigheit bedorven. Het is een gevan- *Item.*

vangen, beſmet door de lucht ſyner achtergoot ; hy verbreekt ſyne banden en maekt een geweld om elders een bequame woonplaets te goen ſoekken. Syn maeg kan de bedorvene vochtigheit niet verdragen ; dee maekt quade indrukſelen op ſyn hert ; en die maken dat ſyne geeſten dardoor ontſtelt zyn. Vel juxta verba Nicolai Venette *de la Generation de l'Homm. Part. III. cap. 4. Art. 6. pag. 477.* la liqueur, dans la quelle nage l'enfant, devient vieille & corrompue, parceque, d'une coſté, il en a pris le meilleur, pour ſe nourrir depuis le commencement de ſa vie, & que, de l'autre, il s'y eſt meslé une infinité d'excremens, qui l'ont infecté. Son urine qui ſort de ſes parties naturelles & non d'ailleurs, & les ordures de ſa peau ont corrompu cette liqueur. C'eſt un priſonnier infecté de l'air de ſa baſſe foſſe, il briſe ſes liens, & fait un effort pour aller ailleurs chercher une demeure plus commode. Son eſtomac ne peut plus ſouffrir une liqueur corrompue : elle fait de mauvaiſes impreſſion ſur ſon cœur, & ſes eſprits en ſont alterez. Ipſe etiam Hippocrates *Lib. de natur. Puer.* partus cauſam in defectum alimenti conjicit, inquiens: cum puer increverit, mater ei ſufficiens alimentum amplius ſuppeditare non poteſt. Plus itaque alimenti, quam quod adſit, fœtus poſtulans ſeſe jactando membranas disrumpit ſimulque vinculis ſolutus foras prodit. Et Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſervat. 90. Schol. pag. 338.* ait: fœtum aliqui fructui matureſcenti, uterum vero arbori comparaverunt, inſtarque ejus de petiolo ſponte decidentis deciduum fieri exiſtimarunt, in quo equidem haud levis difficultas, de ſucci nutritii affluxu ceſſante uteroque parilem cum petiolo ariditatem contrahente: aſt largiamur diſſimilitudinem iſtam, propterea tamen comparatio illa prorſus rejicienda non eſt, locumque ſibi vendicat præprimis in abortibus, a cauſa vehementi, ſaltu, curſu, aliove graviore exercitio oriundis, a quibus, uti pomum immaturum a vento impetuoſiore, fœtus de ponte ſuo deji-

dejicitur. Ad quæſtionem, cur in principio ſuccus alimentarius magis, quam poſtea abundet? ita reſpondet Stephanus Blancardus *Inſtitut. Medicin. cap. 25. pag. 277.* ſic ſeſe res habet, uti cum arborum fructibus, quibus ad maturitatem ductis canaliculi eorum petiolorum concreſcunt,& per conſequens alimentum nullum amplius accipere poſſunt: petiolis itaque exareſcentibus, decidunt fructus. Ita quoque canaliculi, qui a membranis vel placenta verſus uterum incedunt, concreſcunt, vel ſaltem anguſtiores fiunt, quod fit, quia ſuccus, qui continuo per fœtum circumducitur,ob diuturnam fermentationem potentius alimentum, quam antea elargitur; & hac ratione anguſtiores redduntur canaliculi, uti & duriores, ſolidiores & minus flexibiles. Sic etiam Johanni Friderico Ortlobio *Hiſtor. Part. Diſſert. 37. §. 5. pag. 290.* partus cauſa eſt particularum nutritiarum defectus aut inſufficientia, partim quod fœtui grandiori facto id, quod a matre advenit, non ſuppar ſit, partim quod diuturnitate temporis amnii humor partibus adhibitus exuatur, adeoque fœtus ad quærendum alimentum adigatur. Et Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib. VI. cap. 11. fol. m. 403.* inquit: Fœtus circa nonum menſem jam factus grandior, copioſiore egens alimento & ſpiritu, diutius ſe concludi non patitur: proinde primum ſeſe convolvit, caputque declinans pudendo offert &c.

§. 5.

Aliis tamen hæc alimenti inſufficientia pro partus cauſa diſplicet, inquit enim Georgius Fridericus Rallius *de Generat. Animal. Sect. VII. pag. 345.* ſi ex veteri ſententia ſanguine materno fœtum in utero materno ali ſupponamus, ejusdem defectus non poterit prætendi, cum excluſo fœtu, copioſus ex utero ſanguis fluat, idque per multos dies, ut ita ob ſanguinis penuriam fœtus utero exire neceſſum non habeat. Sed nec deficit ſuccus alimentaris chyloſus,quo ipſo fœtum in utero nutriri ſupra demonſtravimus,cum fœtus utero excluſus ejusmodi *negatur.*

ſucco lacteo, per mammas ſuppeditato, diu nutriatur, etiamſi alterius generis alimentis non utatur, niſi forte dicas, eo tempore, quando fœtus debitam maturitatem nactus eſt, ſuccum hunc nutritium ad mammas divertere, atque ita in ea copia ad uterum non pervenire, ut alendo fœtui ſufficiens eſſe poſſit. Succi nutritii jugem præſentiam & abundantiam ex αὐτοψίᾳ probari, ait Joh. Jac. Harderus *Apiar. Obſ. 90. Schol. p. 339.* Juxta Joh. Gothof. Bergeri *Phyſ. med Lib. II. c 3. p. 489.* Hippocrati nemo facile conſentiet, ut fœtum exiſtimet ab utero divelli defectu alimenti, matremque ei humorem non impertiri, quo maxime abundat, & non tantum gemellis ac pluribus interdum fœtibus ſufficit enutriendis, ſed nato etiam puero ex uberibus deinde abunde providet & proſpicit, & niſi eundem alat, ita redundat, ut ſingulis menſibus vacuari debeat? Eadem cauſa eſt, quam ob rem iis aſſentiri haud poſſumus, qui fœtum, perfectionem adeptum, fructuum inſtar maturorum, qui exareſcente paulatim petiolo, a quo pendent, ſponte ſua vel levi auræ motu ex arbore decidunt, in lucem emitti, opinantur. Nam & uterum fœtæ & placentam vaſaque umbilicalia ſuccis vitalibus abunde irrigua eſſe, experientia docet. Inquit etiam Michael Alberti *Introduct. cap. 2. §. 14. pag. 40.* nulla phyſica ratio neceſſitat legitimum partum, quo videlicet juſto ſuo tempore eveniat: nam inturgeſcentia uteri, magnitudo fœtus & ſuppoſitus defectus nutrimenti nihil probant. Licet etiam Guilielmus Harveus, uti paulo ante dixi, *pag. 510.* naſcendi cauſam eſſe dixerit, quod ſuccus intra amnion, alendo fœtui maxime accommodus, tunc temporis vel deficiat vel a relictis recrementis depravetur, idem tamen autor *pag. 509.* alimenti penuriam pro partus cauſa non agnoſcit, cum ad id temporis gemellis, & aliquando pluribus fœtibus victus abunde ſuppetat: & lac, quod puerperis ad mammas delatum, alendo fœtui ſufficit, ad uterum traductum, fœtum inibi æque commode nutriret. vid. etiam Gerardi Blaſii *Commentar. in Joann. Vesling. Syntagm. anat. c. 7. p. m. 101.*

§. 6. Ao-

§. 6.

Aeris & reſpirationis defectum, fœtusque cordis refrigerationem nonnulli partus cauſam eſſe ſtatuunt; Eſt enim ex opinione Hieronymi Fabricii ab Aquapendente *de Format. fœt. Part. II. cap. 9. fol. 97.* cauſa cordis fœtus refrigeratio & cuſtodia, ita ut eousque fœtus utero detineatur, quousque cordis calor una cum cordis mole ita auctus ſit, ut non amplius ea refrigeratione, quæ ab arteriis fœtantis affertur, conſervari poſſit, ſed longe majori tunc indiget refrigerio, quale per reſpirationem comparatur: atque hæc poſt fœtus perfectionem ſecunda cauſa forte prima eſt potior & efficacior, cum fœtus, ubi primum ortus eſt, reſpiret, nequaquam autem cibum ore aſſumat: id quod non ſolum in homine & quadrupedibus, ſed etiam maxime in pennatis obſervatur, quæ etſi parva ſunt, ac roſtrum adhuc tenerum atque infirmum habentia, attamen putamen & ovi corticem pulli ea parte percutiunt, qua reſpiratione opus habent. Hoc agentes potius a reſpiratione, quam a cibi indigentia coacti, cum ſtatim atque a cortice ſunt explicati & excluſi, reſpirent, ſine cibo autem biduum diutiusque conſiſtant. Sic etiam Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. III. pag. 37.* reſpirationis neceſſitatem in ſcenam producit, utpote quam maxime partum ciere, præeunte Aquapendente, ſibi perſuadet: non equidem, quaſi per appetitum quendam elicitum, ſqualoris uterini novimeſtris pertæſus fœtus auram liberiorem expoſcat, ac anhelet, ſed quod fluidum ejus intrinſecum ſine motore externo machinæ magis grandeſcenti impar evadit. Supponit ſcilicet dictus Bohnius, in embryone cordis & ſanguinis motum ſine reſpiratione hactenus integrum eſſe, utpote qui, in tenello hujus corpore tardior & lentus magis, pro ſui conſervatione aëris impulſu haud indigebat, ſed cui humor nutritius a matre deciduus & intra hujus pulmones rarefactus ſeu virtute elaſtica actuatus ſufficere

Cordis refrigeratio

a reſpiratione.

 po-

poterat &c. Juxta verba de Venette *dela Generat. de l'homme pag. 478. ſeq.* la chaleur, qui reſide dans noſtre cœur ne peut durer long temps, ſi elle n'eſt evantée & ſi elle ne ſe decharge de temps en temps des excremens vaporeux, qu'elle engendre. Lors que ce feu eſt venu à un degré de force, qui ne peut plus ſouffrir d'accroiſſement ſans courir riſque de perir par la ſuffocation, le cœur de l'enfant en ſeroit bientoſt etouffé, ſi en ſe degageant des lieus, dont il eſt attaché, il ne cherchoit ailleurs de quoy ſe refraichir par le moyen de l'air, que ſes poumons doivent reſpirent, c'eſt auſſi pour cela, que l'on a quelquefois entendu le cry de quelques enfans, qui eſtoient encore dans le ventre de leurs meres, comme voulant reſpirer avant que d'eſtre nez. Cette cauſe auſſi bien que l'autre oblige les enfans de ſortir pour ſe donner la liberté. C'eſt ne pas qu'ils manquent àlors de nourriture, puisqu'il leur en vient ſuffiſemment du coſté du cordon. Excluſionis fœtus ſtato tempore fieri ſolitæ rationem in neceſſitate reſpirationis quærendam eſſe, innuit etiam Johannes Jacobus Harderus *l. a. pag. 339.* ita pergens: equidem in uteri clauſtro, quamdiu fœtus occultatur, una cum ſanguine materno illud fluidum intrinſecum haurit, quod pulmonum miniſterio in adultis in ſanguinem ſecernitur, pabulum æthereum intelligimus, ſanguinis inteſtinum motum, ſuſcitans ſupervenientibus materiæ ſubtilis ſubſidiis, a quo ipſummet jugiter actuatur. Cum vero grandeſcente corpore auctaque humorum copia eorundem motus, qui lentior primum ſufficiebat, intendi neceſſario debeat, particulæ elaſticæ a matre ſuppeditatæ ſine ſuperſidiariis aliis ſufficere impoſſibile poſſunt, unde plenioris acceſſum exigens, abſoluta hac ſolenni mora, partu excluditur, eodemque, quo editur momento, reſpirare incipit. Secundum Georgii Friderici Rallii *Diſquiſit. de Generat. Animal. pag. 350.* cum fœtus maturitate conjungitur reſpi-

randi

randi neceſſitas. Omni quippe animali perfectiori, quamprimum uterum egreſſum, & ab involucris ſuis liberatum eſt, ſtatim reſpirandi neceſſitatem in vitam duraturam, natura imponit; quæ ipſa, ſi quandoque ante partum adveniat, eundem procul dubio accelerat, fœtumque, ut liberiorem aërem quærat, impellit. Johannes Nicolaus Pechlinus *de Aëris & Aliment. defect. cap. 8. pag. 101.* ita ſcribit: haud temere conjicio, fieri reſpirationis deſiderio, quod fœtus in utero exitum quærat. Quin adeo ad partum neceſſarium eſſe puto ipſum aërem, ut, abſque hoc ſi eſſet, vix commode erupturus ſit fœtus; propterea enim illo momento, quo aquæ effluxit moles caput naturalibus obvertit & auram avide haurit, qua ut ſemel ſanguinem ſpiritusque animavit, in poſterum carere hoc beneficio nequit.

§. 7.

De hujus tamen opinionis veritate, fœtum ſcilicet defectu aëris & reſpirandi conatu ac deſiderio ad exitum impelli, alii dubitant; ſcribit enim Johannes Gothofr. Bergerus *Phyſiolog. med. Lib. II. cap. 3. p. 492.* in hac opinione libenter egomet acquieſcerem, modo conſtaret, quomodo fœtum cupido ducendi aëris, ei quippe prorſus ignoti, capere, aut indigentiæ illius atque neceſſitatis admonere eundem poſſit. Et Guilielmus Harvæus *l. a. p. 507. ſeq.* ait: num refrigerii gratia reſpiratio inſtituta ſit, an in alium finem, alibi plenius diſputabimus; libet interea problema hoc viris doctis proponere: Quomodo nempe embryo poſt ſeptimum menſem in utero matris perſeveret; cum tamen eo tempore excluſus ſtatim reſpiret; imo vero ſine reſpiratione ne horulam quidem ſupereſſe poſſit: in utero autem manens ultra nonum menſem abſque reſpirationis adminiculo, vivus & ſanus degat? Dicam planius; qui fit, ut fœtus in lucem editus ac membranis integris opertus & etiamnum in aqua ſua manens, per aliquot horas, citra ſuffocationis *contradicitur.*

periculum, ſuperſtes ſit, idem tamen ſecundis exutus, ſi ſemel aërem intra pulmones attraxerit, poſtea ne momentum quidem temporis abſque eo durare poſſit, ſed confeſtim moriatur: non fit hoc certe ob defectum refrigerationis; nam in partu difficili ſæpe per aliquot horas in anguſtiis illis ſine ulla reſpiratione hærens, vivus tamen perſentiſcitur: quamprimum autem egreſſus fuerit & vitalem hanc auram hauſerit, eadem mox præcluſa dictum factum extinguitur. Similiter, cum in ſectione cæſarea fœtus horis compluſculis poſt matris obitum eximitur, vitalis tamen reperitur, & intra ſecundas ſepultus, aëris nihil indigus, ſupereſt: ſimulac autem eo ſemel gaviſus fuerit, (etiam in easdem ſecundas repoſitus) illico, ob hujus carentiam ſuffocatur. Hæc qui diligenter perpenderit naturamque aëris penitius introſpexerit, facile (opinor) fatebitur, eundem nec refrigerationis gratia, nec in pabulum animalibus concedi. De reſpirationis neceſſitate ſequentia habet Nicolaus de Blegny *Zodiac. med. Gall. An. I. Januar. p. 25.* Quibusdam viſum, fœtum non alia, quam reſpirationis cauſa aërem quærere, qua diutius carere nequeat abſque ſuffocationis periculo: Certum id hominem, ac in genere animalia quæcunque reſpiratione gaudentia, quæ non ſunt amphibia, a quo tempore reſpirationis actum exercere illis datum eſt, diu hujus auxilio deſtituta ſupereſſe non poſſe. At non eadem eſt ratio ante partum, quantumvis tempus in utero matris extra terminum ſolitum producant. Filia Antoniæ Giraud, quanquam menſes novendecim in utero manſerit, non ideo ſuffocata fuit. Ab iſtius opinionis autoribus non ſatis rite expenſum, qua de cauſa reſpiratio adeo neceſſaria ſit, ut nullatenus ejus uſura carere liceat. Non locus, in quo animal hoſpitatur, neceſſitatem ejus vel ſecus invehit libertas utero utrumvis efficiendi conceſſa non eſt, fœtui enim extra eum ſat longo tempore vita frui citra reſpirationem licet; Infantes, qui amicti naſcuntur, membranis non divulſis in luces pro-

prodeuntes, non tamen ſuffocantur, quanquam utero excluſi aliquantiſper jaceant, aëris uſura privati. Eadem ſors fuit plurimorum infantium, qui mediante partu cæſareo alvo matris exempti ſunt. Facta a me canum femellarum diſſectione, ſæpius obſervare licuit catulos utero excluſos, aliquot horis intra membranas, eos ambientes, citra reſpirationem vivere &c.

§. 8.

Motum & calcitrationem fœtus in utero materno membranarum dilacerationem & amnii aquarum effuſionem hincque partum cauſari ac promovere, alii ſtatuunt, e. g. Michael Alberti *Introduct. in univerſ. Medicin. Cap. 2. §. 112. p. 40.* ita ſcribit: proximius ante partum vehementiori motu fœtus in utero involucra ſua & membranas disrumpit, & ab iisdem ſeſe liberat, unde aqua extra uterum profluere incipit; quod quidem legitime ſuccedit, licet interdum ſub partu demum hæc præparatio & aquæ emanatio contingat. Mox ſequuntur motus ad partum ſpectantes, qui ſunt ſpaſtici a lumbis ad inguina tranſeuntes. Nulla interim phyſica ratio neceſſitat legitimum partum, quo videlicet juſto ſuo tempore eveniat; nam inturgeſcentia uteri, magnitudo fœtus & ſuppoſitus defectus nutrimenti nihil probant. De motu & calcitratione fœtus in utero ita ſcribit Stephanus Blancardus *Inſtitut. medic. cap. 25. Oper. Tom. I. p. 277.* in ea quidam ſunt ſententia, ad ſeptimum usque menſem fœtus membra omnia invicem appropinquari, ſed hæc adeo certa non ſunt: dicunt, nates appropinquare calcibus, ac faciem cum manibus accedere ad genua; membris majorem vigorem acquirentibus, quod tunc ſeſe magis moveat membraque extendat. Situs enim iſte duplicatus fœtui moleſtus eſt, & quia pedes facilius extendere poteſt, quam caput cum thorace, primo pedibus calcitrare incipit, & plantis ſeſe firmat: atque hoc motu inferior corporis pars ſurſum vertitur, & caput verſus inferiora labitur, pedes in partem ſuperiorem motat. Hæc pedum

Calcitratio & membrorum dilaceratio & amnii liquor.

pedum motio diverſimode variatur, prout mater ſederit, ſeſe flexerit, ſteterit &c. matris enim flexione fœtus corpuſculum vario modo angitur, unde & ſæpe calcitrat, qua ratione matri dolorem infert. Hoc motu vehementiori ſæpe ante tempus placenta ab uteri cohæſione diſſolvitur, ideoque nonnunquam ſeptimo menſe enituntur. Secundum Theod. Craan. *Diſſert. de Homin. Cap. 153.* cum tempore fœtus vires accreſcunt, copioſiores ſpiritus gignuntur, fermentationes fortiores fiunt; fœtus ſuam propriam vitam magis incipit, hinc tandem calcitrando pedibus membranas ipſum involventes primum disrumpit. Disruptis membranis, (quod quandoque non fit una calcitratione, ſed frequenti, quatenus illæ membranæ nimis craſſæ & fortes exiſtunt ſicque partus difficilior redditur) madidas reddit & partus rigat, aqua illa quæ effluit, & etiam lubricas pro faciliori fœtus exitu. Nicolaus Venette *de Generatione Hominis p. m. 479.* ita loquitur: C'eſt l'enfant, qui par ſes efforts donne le branle à l'accouchement, c'eſt luy qui briſe ſes liens & les membranes, qui l'embaraſſent, c'eſt luy, qui veut vivre tout ſeul, & qui a deſſein de ſe ſervir de ſa nourrice. Pour cela il frappe fortement les entrailles de ſa mere, qui, eſtant extremement ſenſibles, ſont obligée de ſe lever contre luy & de le chaſſer dehors.

§. 9.

Calcitratio non ſufficit.

Has tamen fœtus in utero calcitrationes pro partus cauſa non agnoſcit Georgius Philippus Nenterus *Phyſiol. med. Cap. 2. membr. 3. p. 345. ſeq.* ſunt equidem, inquiens, qui calcitrationibus fœtum partum promovere dicunt, fœtus tamen ad partum prorſus nihil confert; id quod ex ſequentibus rationibus apparere poteſt. Quamvis enim 1) matres tempore graviditatis fortes fœtus calcitrationes ſentiant & nonnunquam acutum quendam dolorem exinde percipiant, nulli tamen dolores veri partum promoventes ſequuntur; 2) in ipſo partu parientes nul-

las calcitationes fœtus percipiunt, quod tamen neceſſario contingere deberet, ſi ejusmodi calcitrationes ad partum promovendum requirerentur, 3) & etiamſi adhuc tales fœtus motus, qui tamen rariores ſunt, percipiant, illos tamen a veris partus doloribus diſtinctos eſſe, parturientes facile comprehendunt. 4) Fœtus mortuus, qui tamen calcitrare & ſic ad partum promovendum concurrere nequit, per ſolam ſpasmodicam uteri contractionem expellitur &c. Fœtum membranas non rumpere defendit Joh. Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. III. p. 41.* quod nimirum, quam a calcitratione fœtus membranarum rupturam & aquarum profuſionem ſibi nonnulli concipiunt, omni difficultate non careat; cum inſtante partu uterus non tam elongetur ſeu dilatetur, i. e. ad extendenda & laceranda involucra fœtui locus paretur, quam conglobatus ſeu in ſphæram convolutus appareat & ad cervicem magis ſubſideat. Et probabilius diſſerunt, qui membranas non a fœtu, ſed ab ipſis humoribus, in anguſtum coactis, rumpi ſuſpicantur: quatenus per orificium uteri internum, quod primo hiat, veſica quaſi aqua turgida prominet, capite fœtus ſatis alte adhuc conſtituto, imo interdum in partu præternaturali plane reclinato & ab orificio averſo. Hinc orificio magis magisque expanſo, fundo vero uterino contracto humores copioſius exprimuntur, ac ab eorum impulſu ac turgeſcentia involucra tenſa lacerantur. Idem ſentit etiam Johannes Fridericus Ortlob. *Hiſtor. Part. Diſſert. XXXVII. p. 291.* quod fœtus membranæ non tam a calcitrationibus infantis, quæ etiam ante partum ſatis validæ interdum obſervantur, quam per aquas, ab utero ſe contrahente & diaphragmatis motu compreſſo, arctatas rumpuntur.

§. 10.

De hac quæſtione Elias Camerarius *Medicin. Conciliatric. Cap. 8. p. 122.* ita judicat: Cum ante partum aquæ effundantur, quæſtio eſt, an fœtus calcitrando, an vero ipſæ aquæ tunicas *Camerarii ſententia.*

rumpant? ubi equidem aquam in anguſtias coactam primas tenere evidens eſt, fœtus tamen non plane excludendus erit; nihil enim obſtat, quo minus & ipſe nonnunquam tunicas rumpat, cum maxime ratione ipſius, & circa partus tempus converſionem in caput, diverſitas, experientia teſte, obtineat. Sic Chriſtianus Johannes Langius *Phyſiolog. Theſ. 40. Part. I. fol. 247.* inquit: ubi nono geſtationis menſe elapſo exitum moliri incipit fœtus contractivo uteri materni motu adjutus, quo impetu tunicæ ejus cum liquore incluſo durius compreſſæ tandem rumpuntur ſerumque hoc profunditur, adeo ut nunc facile prodeat in lucem fœtus per lubricatas has ac relaxatas vias &c.

§. 11.

Pondus. Porro fœtus molem ſeu magnitudinem & pondus ad partum plurimum conferre ſtatuit Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *de format. fœtus cap. 9. fol. 97.* dum fœtus grandior factus pondere gravet, tum mole ſua magna non amplius intus detineri poſſit: item excrementa tam copioſe aucta ſint, ut in membranis contineri amplius non valeant, & uterus ſit a fœtus mole diſtenſus, ut ſine periculo diſtendi amplius non queat: atque ob id ad expulſionem excitatus ſicque fibris transverſis agentibus in ſe contractus uterus anguſtiorem locum facit ac reddit. Itaque cum prius neque excrementa propter copiam, neque fœtus propter molem contineri amplius poſſet, nunc adhuc impenſius anguſtatus & compreſſus, multo minus continere eſt poſſibile; propter quam cauſam primo membranæ, tanquam imbecilliores, impenſiusque diſtentæ abrumpuntur, & humor, qui magis eſt fluxilis, jure prius ad vias lubricandas exit: inde vero fœtus ſequitur, non ſolum ſua gravitate auctus (quod amplius in humore non innatet) deorſum deſcendens atque ad uterios impetum faciens, ſed etiam ab utero ſimiliter compreſſus, propulſatus atque expreſſus: cui muneri abdominis muſculi, ac potiſſimum transverſus una cum diaphragmate mirum in modum comprimendo famulantur.

§. 12.

§. 12.

Hæc tamen a pondere aut magnitudine fœtus deducta ratio, Guilielmo Harvæo *de Part. p. 509.* veriſimilis non eſt: fœtus enim humoribus innatans vix ullum placentæ uterore gravamen adfert; fœtus enim aliqui novimeſtres puſilli, & aliis octimeſtribus minores; non poſſunt tamen ulterius in utero morari. Et profecto ad pondus quod attinet, gemelli qualescunque octavo menſe, cuilibet ſingulari fœtui novimeſtri præponderant, nec tamen propterea ante nonum menſem in lucem prodeunt. Et *p. 516.* contra Fabricii ſententiam pergit idem: quidnam in quadrupedibus ſtantibus, aut ſedentibus, aut muliere jacente pondus efficiat ad fœtus productionem? Inquit etiam Nicolaus de Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. I. p. 25.* ſentiunt nonnulli, fœtum non ante ad exitum ſe accingere, neque matrem ad illius excuſſionem, quousque eam magnitudinem attigerit, ut loco tam arcto citra compreſſionem concludi nequeat, aut violentam partium circumjacentium diſtenſionem aut præ pondere moleſtiam: Hæc opinio ex eodem fundamento, quo prior concidit; futurum enim hinc, ut fœtus unius geſtatio diuturnior ſit, quam gemellorum; macilentorum & parvulorum, quam bene habitorum ac pinguium, quod ordinariæ repugnat experientiæ. Quod excrementa copioſe aucta concernit, ſecundum Chriſt. Frider. Rallium *de Generat. animal. Sect. VII. p. 347.* falſa nititur hypotheſi Fabricius, cum humorem amnio contentum fœtus excrementum eſſe judicat, quanquam non negandum, ultimo geſtationis tempore excrementi quid in ipſis ſecundinis aliquando inveniri. De fœtus & aquarum mole ita ſcribit Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. III. p. 36.* uti craſſiorem fœtum moram partus ad terminum legalem usque patienter ſuſtinere obſervamus, ita ſeptimeſtris aut octimeſtris exilior non raro anticipat. Idem de humiditatum onere ſit judicandum, de quibus, quamvis, an *objectio.*

Nnn 2 ulti-

ultimis diebus augeantur, an imminuantur, non diſputare mens ſit, gemellos nihilominus duplici amiculo incluſos, v. g. ſeptimeſtres, ſolitario fœtu earum plus ſecum geſtare, hinc uterum magis gravare, ratio jubet, qui tamen ad ſarcinam hanc citius deponendam, non magis ab illis, quam hoc, urgetur.

§. 13.

acrimonia ſeri & excrementorum. Inſuper adhuc alii ſerum fœtus, nutritium quibusdam dictum, ad amnium depoſitum, poſt multijugas ab intra ad extra & vice verſa ſui circulationes dulciores & chyloſas particulas ſenſim perdere & acrimoniam induere putant, cujus ſpiculis fœtus ad calcitrationes & torſiones inordinatas commoveretur, involucra ſua disrumperet, uterumque ſimul laceſſendo ad ſui excretionem provocaret. vid. idem Bohnius *l. a. p. 37.* de cujus ſeri acrimonia Caſparus Bartholinus *de Ovar. mulier. p. 37.* ſtatuit certum eſſe, fœtum nutriri & augeri ſeroſo humore per placentam a ſanguine matris in ſanguinem fœtus transmiſſo, & per ſuperficiem externam fœtus iterum excreto, iterumque per os aſſumpto; qui continuis circulationibus a ſuperficie externa in internam & vice verſa ſui partes transmittit, donec, quicquid ibi fuerit augendo corpori utile, ſingulis partibus accreverit, reliqua vero excrementitia & acriora reddita fœtum inquietum ſui ſtimulatione reddunt, quo motu uterus ad excretionem irritatur. vid. etiam Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 13. p. 33. ſq. 49.* Secundum Hypotheſes Goveyanas *p. 100.* veri partus dolores a ſola matrice deducendi ſunt, ſiquidem illa pars eſt membranoſa ac fibroſa, quæ motibus ab infante productis facile irritatur & agitatur, qui nihil aliud ſunt, quam motus ac dolores colici violenti magnam partem a meconio in inteſtinis acido & quaſi putrefacto orti, qui ſimiles motus violentos in omnibus artubus, tam brachiis, quam pedibus excitant, quibus membranæ fœtum involventes rumpuntur ac dilacerantur, unde aquæ profluxus doloresque lacerantes ac violenti in ipſo pariendi actu ſentiuntur. Meconium

pro

cauſa partus agnoſcit etiam Carolus Drelincurtius *de human. fœtu Perioch. 60. p. 151. ſeq.* his verbis: Conſtat plane inteſtina novimeſtris ad ἔκφυσιν usque meconio turgere. Ipſis igitur nequit vel minimum meconii iterum ſuggeri, quin ejus glutine lactea primum via plenius adhuc intercludatur & duodenum deinceps exinde gravetur. Imo, quin exinde rurſus duodenum in ſuis oſculis bilario atque pancreatico præſtruatur; atque adeo quin retentæ inibi meconii futuri tertiæ duæ portiones canaliculis illis vim aliquam, copia & qualitate ſuis, torminalem inferant. Quodſi præcluſis nondum oſtiis illis novum in inteſtinis meconium identidem ſuccreſcat, conſequens eſt, ut expleto demum & plene diſtento duodeno, partes illæ ſingulæ plurimum tandem graventur. Rurſus ergo ſequitur, ut ipſa ſint inteſtina torminoſa, & ſuis ut torminibus fœtum divexent & in calcitratum multiplicem & irrequietum impellant, qui uti diruptarum membranarum eſt cauſa, ita etiam aquarum effluentium atque adeo partionis ipſius autor eſt. Putem ergo unicuique fœtui partus ſui tunc ſonuiſſe horam, quum meconio tanto ejus inteſtina referta ſunt, ut novi meconii vel fortiori propulſui & ingreſſui vel fortius etiam reluctentur. Tunc enim fœtum concipio plenis illis & exſatiatis, ac iccirco diſtentis multum inteſtinis torminoſum; idque modo intentius, modo remiſſius, ac iccirco etiam modo intentius, modo remiſſius exagitatum, & illa exagitatione ſua membranas diffringentem, idque loco aliquo debiliore, præſertim e directo interni matricis oſculi, ruptioni magis obvio atque patenti. Igitur foramine vel anguſto vel amplo mihi facto aquæ vel ſegniter & parce profluunt, vel impetu largo prorumpunt. Illis autem taliter vel taliter effluxis fœtus ſiccus intra meningas detinetur, ac eo loci detentus graviora, quovis temporis puncto tormina patitur, utpote cujus torminum cauſæ invaleſcant in momenta.

§. 14.

negatur. Tantam vero acrimoniam aquis in amnio contentis non tribuit Johannes Bohnius *l. a.* licet, inquiens, humor fœtum circumfluus primis menſibus dulcior & gelatinoſus magis exiſtat, vix tamen unquam is tantam contrahet acrimoniam, quæ enormius laceſſendo fœtum ad ſinus materni amplexus ſubterfugiendos urgeat: quatenus ordinarie non magis mordax, ac ſalivalis humiditas, ille deguſtatur, motus etiam fœtus, ultimis diebus utplurimum minus impetuoſi, vellicationes ejusmodi vix produnt, neque cauſa ſuppetit, per quam contentum hoc amnii, omnibus quamvis particulis lacteis exutum, acrimoniam potius, quam aquoſitatem inſipidam, præ ſe ferat, cum nihil fermentationis corruptivæ hic metuendum veniat. Juxta Johann. Jacobi Harder. *Apiar. Obſ. 90. Schol. pag. 338.* ſucci nutritii vel aquarum fœtus acrimoniam ſtimulantem quidam accuſant, quæ vero adeo ſuffulta nondum eſt, ut fœtum inde irritari atque calcitrationes, quibus involucra ſua diſrumpat, inſtigari, certo conſtare poſſit, accedit, quod dicta involucrorum dilaceratio ſæpe numero a conatibus matris, uterique motricibus fibris ad excernendum ſe componentibus deducenda, utpote a quibus humores cum membranis involventibus in anguſtum coguntur, fundoque uteri ſeſe coarctante, cum impetu propulſi exitum quærunt, de quo ſonitus non raro perceptibilis ſufficienter teſtatur. Neque etiam illorum opinionem, qui a copia & acrimonia aquarum, in amnio collectarum, illam impulſivam partus cauſam repetendam putant, amplecti ſe poſſe ſcribit Johannes Gothofredus Bergerus *Phyſiolog. med. Lib. II. cap. 3. pag. 490.* quia non majorem fœtus moleſtiam a copia earum habere poteſt, quam piſcis ab aqua: neque iſtæ lymphæ acres, aut corruptæ, ut fœtui nauſeam creare, vel irritare eundem poſſint, ſed blandæ & mitis indolis, inſipidæque deprehenduntur, atque ab omni corruptionis labe ſegregatæ. Quare alii non tam copia & acrimonia

nia dictorum humorum, quam ſtimulo excrementorum fœtum ad exitum impelli exiſtimant, idque potiſſimum inde conſtare putant, quod infans, ſimulatque natus eſt, & mingat & egerat, aut certe utrumque conetur. Nunquam tamen eousque repleta fecibus inteſtina fœtus obſervantur, ut nihil amplius queat ingeri &c. Et Daniel Hoffmannus *Annotat. in Hypotheſ. Goveyan. p. m. 100.* inquit: Meconium diu ante partum adeſt, cur ergo non prius ſtimulat ad calcitrandum aquasque propellendas effundendas, nec illæ effunduntur fœtu ſæpe vehementer ob tormina vel ſpasmodicos motus rotato ac commoto vagis commotionibus ac gyrationibus ipſis matribus valde moleſtis ac dolorificis.

§. 15.

Apparet proinde ex hactenus adductis, tam matrem, quam fœtum ad partum ſuam opem conferre, quod plerique medici confirmant; Inſtante enim partu juxta Johannem Riolanum *Anthropograph. Lib. VI. cap. 11. fol. 403.* ad eam actionem multa concurrunt; imprimis æqualis fœtus & fœtæ contentio. Infantem mutuis & matris parturientis & maxime ipſius fœtus moliminibus ex utero excludi, inquit Andreas Ottomarus Gœlicke *de Medicin. forenſ. Sect. I. pag. 6.* Et ſecundum Guilielm. Harvæum *de Generat. Animal. de Part. p. 513.* in naturali & genuino partu duo requiruntur, quæ ſibi invicem operas mutuas præſtant, nempe parturiens mater & pariendus fœtus. Qui ambo niſi ad hoc negotium parati fuerint, vix felix ſuccedit partus, cujus hora idonea communem utriusque maturitatem requirit. Nam ſi vel fœtus inquietus & exeundi cupidus exſtimulando vimque utero inferendo matrem prævenerit; aut hæc ob retinendi imbecillitatem (tanquam nauſea uterus laboraret) aut expellendi neceſſitatem aliquam anteverterit, partus ejusmodi morboſus potius & ſymptomaticus, quam naturalis & criticus æſtimandus eſt. Tam matrem

mater & fœtus concurrunt.

trem parturientem, quam pariendum fœtum in partus negotio conſpirare Johanni Bohnio *Circul. anat. Phyſiolog. Progymn. III. p. 40. ſeq.* vel illud credere jubet, quod alterutro munere ſuo non fungente partus fatiſcat aut deficiat, quamvis experientia conſtet, interdum fœtum mortuum ſolo matris niſu, interdum hac defuncta fœtum vivum ejici. Atque hæc quidem utriusque molimina mutua & ſynchronica ſunt, ut fœtus in motus extraordinarios concitatus membrorum ſuorum extenſionibus & gyrationibus uterum ad ejiciendum hunc ſibi moleſtum hoſpitem provocet, hic ſuis contractionibus eundem comprimat & moleſtet, ab hujus vero conatibus novos denuo ſtimulos ſuſcipiat illumque extrudat. Thomas Cornelius Conſentinus *Progymn. Phyſ. V. pag. 211.* inquit: Putant plerique, ſola matris facultate nixuque fœtum ab utero excludi. Alii contra fœtum propria vi ſibi exitum parare arbitrantur, ut contingit in pullis, qui gallinæ incubantis, vel fimi clibanive calore excludantur ex ovis. Mihi vero perſpectum eſt, ad partum proficere plurimum ipſius fœtus conatum, ſed auxiliarem quoque operam ab ipſa parente conferri.

§. 16.

ad partum facit uterus.

In ſpecie vero ratione matris notandum, quod uterus, tanquam fœtus domicilium, in quo per totum graviditatis ſpatium majorem in molem procreſcit, ab ea de die in diem adaugeatur, attamen juxta Johann. Frid. Ortlob. *Hiſtor. part. Diſſert. 37. §. 5. pag. 290.* ad certam tantum proportionem dilatabilis ſit, hincque ad ἀκμὴν diſtentus ulteriori expanſioni reſiſtat. Deinde etiam perfecti fœtus excludendi atque definito pariendi tempore diſtentæ uteri fibræ, ut aliæ in corpore, pro uteri contractione, ad ſyſtalticum motum irritantur, unde inſtante partu certi dolores, atque conatus, ad partum ſtimulantes atque uteri contractionem, ſine qua ſecundum Georg. Philipp. Nenteri *Phyſiolog. cap. 11. Membr. 3. pag. 345.* omnis obſtetricis aut chirurgi opera irrita eſt, promoventes, a matre

gra-

gravida ſentiuntur. Et Johannes Gothofridus Bergerus *l. a. pag. 493.* inquit: Fœtus motionibus laceſſitus uterus ſuarum conſtrictione fibrarum a fundo cervicem verſus ad expulſionem moleſti & inquieti hoſpitis iuſurgit &c. Uterum eximiam in partu operam conferre, ex Harvæo probat Caſpar Theophilus Bierlingius *Theſaur. theor. pract. Caſ. 64. Schol. pag. 828.* hiſtoria de paupercula, quæ cum ingentem uteri procidentiam pateretur, ita ut capitis humani magnitudinem excederet tumor & ad genua usque propenderet, nihilominus tamen ſolius propendentis uteri nixu, fœtum eumque mortuum (qui adeo nec ipſe quicquam contulit, veluti nec corpus maternum, extra quod uterus hærebat) peperit. In eo quidem propendente tumore uterus extra corpus hærebat, ſed intra vaginam univerſam comprehenſus &c vid. ipſe Harvæus *de Part. pag. 519. ſeq.* Uteri matrisque conatum partui ſubminiſtrare adjumentum liquet ex ejectione fœtus mortui, qui perſæpe ſola vi expultrice parentis extruditur, juxta Thom. Cornel. Conſ. *l. a. pag. 212.* Fœtus excluſioni, ſecundum Barthol. Bauſnerum *de Conſenſ. part. Lib. I. cap. 6. pag. 50.* in ſpecie præeſt uterus, qui tanto ſæpe niſu in hoc negotio deorſum movetur, ut propriis excidat ſedibus.

§. 17.

Matrem tamen non ſolum utero, ſed etiam diaphragmate in partu agere, monſtrat Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. III. pag. 42.* Mater, inquiens, concurrit tam ratione uteri, cujus fibroſa compages tenſa & ſtimulata renitentia, & contractione ſua fœtum exprimit, ita quidem, ut hoc exturbato illius ambitus notabiliter imminuatur, ac pedetentim ad priſtinam exilitatem conglobetur: quam diaphragmatis tenſione ſeu exſpiratione cohibita, qua fœtus excluſioni ſimili modo, ac fæcum alvinarum excretioni famulatur, imprimis ſi ipſis conatibus uterinis molimina hæc voluntaria *& diaphragma.*

combinet pariens. Secundum Joh. Riolani *l. a.* mater huic operi non mediocriter opitulatur, cohibito ſpiritu per glottidis & arytænoidis adſtrictionem fortem, contractis intenſisque epigaſtrii muſculis, & diaphragmate.

§. 18.

totius corporis convulſio. Imo totius corporis puerperæ motum ſeu convulſionem ad partum conferre, exemplo probat Gulielmus Harveus *l. a. pag. 515.* Novi inquiens, juvenculum, quæ ob ſummum pariendi laborem in animi deliquium incidit, ſtatimque adeo conſternata, ſtupida & comatoſa facta eſt, ut nullis remediis excitari potuerit. Ad eam vocatus, (cum clyſteres prius injecti eſſent, alia remedia idonea citra fructum ullum adhibita, nec quicquam per os deglutire poſſet) pennam ſternutatorio fortiori illitam in nares indidi, unde commota (licet ſtupore adeo obruta, ut ſternuere aut excitari nequiret) totius corporis convulſione quadam tentari cœpit, quæ ab humeris exorſa paulatim per totum corpus ad inferiora pertingebat. Quotiescunque autem ſtimulo hoc uſus ſum, promovebatur partus; tandemque, inſcia matre, & in affectu comatoſo adhuc permanente natus eſt infans ſanus & vegetus. Licetque in aliis etiam animalibus, utpote cane, ove & jumentis, obſervare, hunc connixus modum non eſſe uteri aut ventris ſolius actionem, ſed totius quoque corporis conatum. *Obſervatio.* Simile fere exemplum etiam mihi in colonelli cujusdam de B. uxore obſervare contigit, quippe quæ, inſtante partus tempore ordinario, ſine tamen ſternutatorio, in vehementiſſimos motus epilepticos, ultra triginta horas, cum mentis alienatione atque ſermonis defectu perdurantes, incidebat; quo in ſtatu, commiſeratione digniſſimo, absque ſenſuum reditu ipſa puellam inſcia enitebatur, priſtino nihilominus motuum convulſivorum malo adhuc per aliquot horas laborans; Cumque poſtero die ipſi, mentis iterum compoti, ipſius ſocrus dictam puel-

puellam lætabunda cum gratulatione de felici partu afferret, illam pro ſuo infante agnoſcere atque a ſe editam credere nolebat, usque dum priorem atque præſentem ſui abdominis ſtatum conſideraret. Ipſa vero puerpera tertio, infans autem quarto a partu die obibant. Denique etiam matrem ad partum plurimum conferre, exinde probatur, quod fœtus in utero mortuus, a quo nullus motus eſt percipiendus, ſolo puerperæ niſu quandoque ejicitur, uti quotidie obſervare licet.

§. 19.

Ratione fœtus equidem ita ſcribit Michael Alberti *Introduct. in univerſ. Medicin. cap. 2. pag. 40. §. 16. ſeq.* fœtus ſub partu magis obſervatur quietus, adeoque mater fœtum hucusque retentum propriis motibus exprimat; Unde ſententia illa, quod fœtus activo concurſu partum ſuum adjuvet, non ſatis firma eſt; ſiquidem plurimum in excluſione extra uterum embryo paſſivum ſe tenet; alii tamen autores fœtum pariter ad partum multum conferre defendunt, dum ipſi, ſecundum hactenus recenſitas cauſas, motum, calcitrationem & diſruptionem membranarum, ex quibus liquor amnii cum fœtu prodit &c. concedunt. e. g. Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. VI. cap. 11. fol. 403.* ait: fœtus partus actionem inchoat, diſruptis membranis crebra manuum & pedum agitatione. De infantis niſu inquit Johannes Frid. Ortlob. *Hiſtor. Part. diſſert. 37. §. 6. pag. 291.* infantis niſus obſtetrix non modo ipſo ſenſu edocta teſtatur, ſed &, quod fœtu mortuo & adjutorio ejus niſu deficiente, partus difficilius contingat. Et Guilielmus Harveus *de Generat. animal. pag. 515.* ſcribit: Quantopere fœtus accelerando & facilitando partui conferat, in oviparorum præcipue ortu palam fit; conſtat enim, fœtum ipſum, non autem matrem, corticem effringere. Unde etiam veriſimile eſt, in viviparorum quoque partu præcipuam naſcendi cau- *an fœtus.*

cauſam fœtui deberi. Molimini, inquam, ejus, non autem ponderi, ut Fabricius voluit. Quid etiam in quadrupedibus ſtantibus, aut ſedentibus, aut muliere jacente, pondus efficiat ad fœtus productionem? Nec prodeuntis niſus ſolum a mole ſua, aut aquarum copia provenit, ut ille cenſet, ſed ipſe fœtus prono capite uteri clauſtra aggreditur, eademque propriis viribus recludit, & in lucem eluctatur. Huc pertinet etiam fœtus ſitus mutatus atque inverſus, ita ut aliquot ante partum diebus, vel ſeptimanis convoluto corpore in caput præcipitetur, ut gravitate ſua uteri orificium aperiat, quod tamen Johanni Bohnio *Circul. an. Progymn. pag. 41.* non perpetuæ obſervationis eſt, ſed pro ſubjectorum diverſitate variat: quatenus in quibusdam equidem feminis tale quid contingere obſtetricum exploratio & cadaverum ſectiones docent, ſecus tamen ſe res habet in aliis, quæ non, niſi aliquot ante partum horis ſingularum abdominis tenſionem ejusque figuræ mutationem obſervant, hinc de ejusmodi reflectione fœtus certæ evadunt.

§. 20.

fœtus. Denique fœtum in partu minus otioſum eſſe, præter obſervationes illorum, qui a matre mortua vivum fœtum ſeceſſiſſe perhibent ſecundum Johann. Bohnii *l. a.* inde evincitur, quod hujus viribus fractis parturientis conatus rariores & debiliores, hinc partus difficilior reddatur, etiamſi quæ communiter de eo tradunt, non adeo evidentia videantur. Fœtus magnam in partu promovendo partem eſſe, exinde probat Joh. Wolffius *Obſervat. chirurg. medic. 41. pag. 131. ſeq.* dum in matre mortua ſpirituum animalium influxus in partes ceſſat, atque adeo neque conſtrictio uteri fieri, neque niſus edi valet, relinquitur ſoli fœtui laborem perrumpendi cataractas muliebres incumbere. Teſtatur enim illud vehemens preſſio, quam capite ſuo exſerit in partu infans. Nec difficilis conceptu tota res eſt, ſi conſideremus fœtum perfectum omnibus-

busque organis præditum eſſe, hæcque ſanguine & ſpiritibus, animalibus animari, ut proinde externas affectiones promte idem ſentiat, & vires ſuas in hac neceſſitate experiatur. Nemo præterea fortaſſe dubitabit, anxietates oriri in tenello corpuſculo ex tardiori fluidorum motu: illum autem ſatis probare videntur tam reſpirationis in utero defectus, quam partium ſeroſarum copioſior ſecretio &c. Quantopere partum adjuvet fœtus molimen, res ipſa teſtatur. Sæpe enim e matribus in feretro jacentibus vitales partus prodiere & in ſepulturis inventi ſunt pueruli inter crura humatarum parentum.

CAPUT III.

De partus modo.

§. I.

MOdus partus ab autoribus varie deſcribitur; inquit enim Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *de format. fœt. Cap. 9. fol. m. 97.* quando fœtus ob varias cauſas amplius in utero contineri non poteſt, primo membranæ tanquam imbecilliores impenſiusque diſtentæ abrumpuntur, & humor, qui magis eſt fluxilis, jure prius ad vias lubricandas exit: inde vero fœtus ſequitur, non ſolum ſua gravitate auctus (quod amplius in humore non innatet) deorſum deſcendens, atque ad uteri os impetum faciens, ſed etiam ab utero ſimiliter compreſſus, propulſatus atque expreſſus: cui muneri abdominis muſculi, ac potiſſimum transverſus, una cum diaphragmate mirum in modum comprimendo famulantur. Hoc modo partus fit. His tamen verbis excrementorum alvi ejectionem potius, aut abortum, quam verum & naturalem partum deſcripſiſſe Fabricium, judicat Guilhelmus Harvæus *l. a. p. 511.* Secundum Joh. Frid. Ortlob. *l. a.* omnibus ad exitum diſpoſitis, orificio uteri ſe dilatante, & partium illarum niſu contractorio adaucto, rarius infans una cum ſuis amiculis tranſit, ſed potius ruptis mem-

Partus modus, juxta Fabricium ab Aquapendente.

juxta Ortlobium.

branis, & poſt aquarum in iis contentarum profuſionem prodit. Ruptis membranis ipſe exitum molitur infans, & per orificium ad vaginam tendit, quæ interiore ſua & rugoſa tunica ſine metu rupturæ cedere & præſertim confluente ex glandulis ſuis ſero irrigata, faciliorem tranſitum concedere poteſt. Infans enim, qui hactenus capite erecto, & umbilicum matris reſpiciente pedibus manibusque compoſitis in utero ſederat, ordinario & communi maxime modo, capite demiſſo, atque oſſibus ejus ob hiatum in fontanella aliquatenus commiſſis exitum quærit, & facie inteſtinum rectum verſus reſpiciente, manibus vero pedibusque reclinatis prorumpit, quandoque etiam partim contrahitur. Rationem, cur fœtus utplurimum facie ad matris podicem converſa ex utero proſiliat, hanc reddit Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. VI. cap. 11. fol. 403.* videlicet, ne ab oſſibus pubis naſus comprimeretur. Ait etiam Chriſtianus Johannes Langius *Phyſiol. Theſ. 40. f. 248.* Preſſus undique fœtus truditur paululum pelliturque de priſtino ſuo loco magis ad inferiora per vaginam uterinam & reliquas genitales partes ſatis nunc ampliatas. Antequam tamen illa loca perrumpat penitus, obſtaculum non leve ex oſſium innominatorum concameratione formatum ipſi eſt adhuc ſuperandum. Nam os coccycis extremitati oſſis ſacri annexum verſusque interiora reflexum, reclinari & oſſium pubis cartilaginea connexio paululum a ſe invicem diſtendi debet, quibus factis ſine ulteriore mora in lucem egreditur.

§. 2.

juxta Craan. Hunc modum Theodorus Craan *Diſſert. de Homin. Cap. 153. p. 758. ſeq.* ita depingit: Disruptis membranis madidas reddit & partes rigat aqua illa, quæ effluit & etiam lubricas reddit pro faciliori fœtus exitu. Poſtea fœtus manibus clauſis ſeſe invertit, & capite orificium internum uteri reſpicit, & ad exitum ſe parat. Poſtquam autem fœtus ad exeundum ſit paratus, ace-

ce-

cedunt matris conatus validiſſimi, quatenus omnes ejus muſculi, tendones, nervi, jugi ſpirituum influxu univerſali inflantur, & quidem præcipue muſculi abdominis inflantur, atque ita abdomen & uterus comprimuntur, fœtusque excluditur; neque hæc matris conamina ita mirari debemus, cum facile ea notare licet in nobis ſingulis, ubi excrementa craſſa, ſolida, indurata excernenda veniunt; quanti non adſunt conatus, quam fortiter abdomen comprimitur? Caput igitur primo egreditur, unde hæc corporis pars nomen capitis ſortitur: & ſi caput ſponte ſua hunc ſitum non occupaverit ante egreſſum, partus erit difficilis, & manibus prudentis obſtetricis opus eſt, quibus invertatur, ut ſic reliquum corpus commodius exire queat? Plura de partus modo refert Johann. Gothofr. Berger. *Phyſiol. med. Lib. II. c. 3. pag. 492. ſeqq.* Stephan. Blancard. *Inſtit. Medic. Cap. 15. Oper. Tom. I. p. 277. ſeqq.* De modo naſcentis infantis ſequentia refert Henricus Kornmannus *de Mirac. Vivor. Oper. p. m. 5.* de exitu infantis ita dicitur, quod uterque exit foras per os vulvæ, tamen prius cum capite, ſi ſit bene ſanus. Sciendum eſt, quod maſculus naſcitur ſupinus, & ſi aliqua vice moriatur, in aqua balnei, & moriatur, moritur ore inferius, & femina naſcitur non ſupina, ſed cum ore inferius, & ſi aliqua vice moriatur, in aqua moritur ore ſupino. Naſcitur enim prius cum capite quilibet, eo quod eſt ſibi quidam introitus ad vitam temporalem, ut videat mundum, & eum cognoſcat miſeriis plenum, & ſuum defectum, & quod per ſe nihil poteſt facere, ſed ſi aliter naſcatur, ut prius exeat pes vel manus &c. vix evadit & potius moritur ſubito, quam evadat, & mater ejus dolores & mortis pericula patitur. Naſcitur vir cum facie verſus terram, eo quod prius fuit nocens quam cito exivit de manu Dei.

§. 3.

Cum in paulo antecedente paragrapho obſtaculi partus, ab oſſium pubis vel innominatorum connexione eorumque diductione, mentio facta ſit, non immerito hoc loco, de quæſtione, *an oſſa pubis in partu diducantur.*

ſtione, an in partu talismodi oſſium pubis, ſacri & coxendicis, diductio revera obſervetur? agendum erit. In cujus reſponſione alii autores affirmativam, alii negativam defendunt ſententiam, vel juxta Joannis Riolani *Anthropograph. Lib. VI. cap. 11. fol. 403.* verba: Recentiores autoritate Hippocratis & Avicennæ oſſium pubis diductionem agnoſcunt, quam alii rejiciunt, nec fieri poſſe contendunt. Inter affirmantes inquit Guilielmus Harvæus *de partu 498.* e matrice ante partum materia aquoſa in vaginam elabitur, partes quoque vicinæ laxantur & diſtentioni aptæ fiunt: quin etiam ſacri & pectinis oſſium cum coxendice copula (quæ fit per ſynchondroſin) adeo emollitur & ſolvitur, ut dicta oſſa facile exeunti fœtui cedant, & hiantia regionem totam hypogaſtricam ampliorem reddant. Hæc dum fiunt, parturitionem jam inſtare conſtat. Talem oſſium divulſionem ratione & experientia confirmat Ambroſius Paræus *Oper. Lib. XXIII. cap. 13. fol. 505.* fœtus, inquiens, in caput pronus in lucem prodit, magno cum ſuo propter corpuſculi mollitiem, tum matris propter cervicis uteri nervoſæ & oſſium ilium ab oſſe ſacro, quo via fœtus pateat, divulſionem, dolore: alioqui niſi ejusmodi oſſa divellerentur, qui non modo gemelli duo mutuo complexu ſibi cohærentes & conjuncti, ſed vel unicus fœtus tam anguſto colli uteri ductu prodire & emergere poſſet? Id ita eſſe, non ratio modo, ſed & experientia rerum perſuadet. Puerperas enim ſtatim a partu diſſecui, in quibus animadverti oſſa ilium ab oſſe ſacro digiti intervallo diſtracta, quin etiam plerisque parientibus, quæ me auxilii in tam difficili conatu gratia advocarant, ſubjecta, coccygi manu certo & auribus hauſi, & contactu percepi crepitantium divulſionis vi oſſium ſtrepitum. Sed & narrarunt mihi honeſtiſſimæ matronæ multæ, ſe aliquot ante partum diebus, eorum jam ſe diſtrahentium fragorem cum dolore percepiſſe. Multis etiam poſt partum diebus coccygis regio oſſisque ſacri (quam renum regionem nominant) ſic plerisque do-

affirmatur.

let,

let, ut natura ſolutam oſſium ilium continuitatem reparare haud valente in reliquum vitæ claudicent. Fertur naſcentibus in Italia puellis os coccygis abrumpi, quo futuris poſtea matribus via latior & laxior ſit. Sed falſo id jactatur commentum: fractum enim id os, naturæ, ut fieri ſolet, vel ſolius ſponte, ſubſtituto callo repararetur, ex quo poſtea partus difficilior & laborioſior exiſteret. De diſtractione oſſium pubis in partu naturali prolixe agit Severinus Pinæus *Opuſcul. Phyſiolog. cap. 5. ſeqq. p. m. 107. ſeqq.* quo loco, oſſa pubis ab invicem, & ilium ab oſſe ſacro diſtrahi, variis rationibus probare nititur, & *cap. 8. p. 126. ſeq.* ad hujus ſententiæ confirmationem hiſtoriam cujusdam mulieris, nuper enixæ, & quia fœtum ſtatim a partu propriis manibus interfecerat, laqueo ſuſpenſæ, in qua oſſa pubis ita erant diſtracta, ut coxarum altera attolleretur, altera deprimeretur. Idem etiam ſtatuit Guillemæus inquiens: ipſe credo, quæ mihi monſtrante experientia videre contigit, quoniam quadraginta annis proximis plus quingentis adfui parturientibus, e quarum nonnullis fœtus excipiens, perſpicue admodum crepitantia atque a ſe invicem recedentia oſſa animadverti, ſeparationem immiſſa manu manifeſtam inter duo oſſa pubis inveniens, quin & omnes fere in difficili partu mulieres eo caſu de iſtius loci dolore multum conqueruntur. Præterea miſſa ſub earum oſſe coccygis manu oſſium ilium ab oſſe ſacro disjunctionem reperi: in quibusdam inſuper, quæ in partu obierant, illico poſt mortem ſectione cæſarea (ut fœtibus conſervarem vitam) apertis, dicta etiam oſſa ſeparata, atque diducta, ligamentis eorum mollibus admodum ac laxatis, vidi, quoniam hic locus maximam ſuperimpoſitæ, prementisque ſuſtinet matricis partem. vid. Corn. Stalp. van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. I. Obſ. 66. p. 290. ſeq.*

§. 4.

De dislocatione oſſium pubis in partu hanc obſervationem recenſet Daniel Ludovici *M. N. C. Decur. I. An. 3. Obſ. 255.* *ab aliis.*

p. 458. Vivit adhuc honeſta femina, cui primiparæ, ſub difficiliori fœtus exitu, osſium pubis commiſſuræ (ætate ſatis tum matura) non ſolum divulſæ ſunt, verum etiam, uti infelicioribus nonnunquam in fracturis accidit, utrinque ſeorſim occalluerunt, invicem ſeparatæ, ut in ſcalarum aſcenſu ac deſcenſu, conſueta (ſanis validisque) pedum alternatione uti nequeat, ſed alterum ſemper (poſito prius altero pro fundamento) quaſi poſt ſe trahat; digito eandem alternationem circa dictas osſium extremitates eodem tempore aperte ſentiente. Aliquoties poſtmodum, at æque difficulter peperit, anguſtia forte colli nimia. Riolanus *l. a. f. 405.* poſt adductas varias opiniones inquit: ſed quid opus teſtibus in re tam manifeſta? ſola experientia fidem faciat, cui medicus plus debet tribuere, quam rationibus. Sæpius atque plus quam trigeſies in mulieribus mox a partu extinctis, vel paulo ante enixum, vidi præſentibus medicis & chirurgis, cartilaginem, quæ oſſa pubis colligat, minimi digiti latitudine diductam, ita ut hiulca pubis oſſa apparerent, ſi digito intus attrectarentur. Quod etiam ante diſſectionem cadaveris innoteſcebat, uno crure ſublato; ſic enim oſſa pubis mobilia deprehendes, unum alteri ſupereminere. Atque anno 1631. menſe Januario, cum publicam anatomen adminiſtrarem mulieris, quarto die a partu ſuſpendio ſtrangulatæ, præſentibus & ſpectantibus trecentis auditoribus, in ſcholis medicis demonſtravi, commiſſuræ oſſium pubis interjectam cartilaginem digiti latitudine laxatam, quin etiam oſſis ſacri cum oſſibus ilium commiſſuras mobiles admodum ſcalpello tenuiſſimo facile ſeparavi. Oſſibus ilium & osſis ſacri loco cartilaginis interjecta erant ligamenta craſſa rubicunda, quæ cavitatibus utriusque osſis inculcata erant, osſibus pubis cartilago craſſa interpoſita erat. Poteſt etiam controverſia ipſo ſenſu componi. Accipe perfectæ mulieris oſſa ilium, ante inter ſe per ſymphyſin & recto osſi ſacro juncta: ſi per hoc foramen amplisſimum caput infantis recens nati libere traducatur, fatebor oſſa pubis non

diduci

diduci; alioquin ſuſtinebo, non ſine maxima osſium pubis dilatatione fœtum egredi, quia ſpatium illud anguſtius reddit caro intus circumjecta. Et Caſparus Bauhinus *Theatr. anat. Lib. I. cap. 49. p. 171.* inquit: mota quæſtione, an in partu oſſa pubis & ilium, hæc ſcilicet ab oſſe ſacro, & illa ab invicem diſtrahantur, nec ne? in mulieris cujusdam anno 1519. Lutetiæ decima a partu die, ob interfectum fœtum ſuſpenſæ ſectione dubium hoc pacto ſolitum fuit: Cadaveris alterum femur ſublevatum fuit, cute adhuc integra, ibi os pubis ejusdem lateris, ſupra alterius lateris oſſe medii pollicis latitudine eminebat: & contra, altero femore elato, illud quod prius eminebat, inferius conſpiciebatur, quod oculis digitisque omnium verisſimum eſſe, deprehenſum fuit. Refert etiam Isbrandus de Diemerbroec *Anatom. Lib. IX. cap. 16. fol. 553.* ſe anno 1654. menſe Martio puerperam ſequenti poſt partum die mortuam in publico theatro ſecuiſſe, in qua pubis oſſa a ſe invicem adeo divulſa erant, ut minimus digitus facile interponi poſſet. vid. etiam Theoph. Bonet. *Sepulchr. Lib. III. Sect. XXXVIII. fol. 1388.*

§. 5.

De disjunctione osſis pubis in partu ad Johannem Burgawerum ita reſpondet Guilhelmus Fabricius Hildanus *Obſerv. chirurg. Cent. VI. Obſ. 39. fol. 547.* Quæris, an oſſa pubis in partu disjungantur, nec ne? Scio hac de re diverſas eſſe opiniones inter medicos & chirurgos rationales, & nonnullos disjunctionem horum osſium affirmare, alios vero negare. Ego ut ingenue fatear, cum in juventute arctisſimam connexionem horum osſium in diſſectionibus anatomicis obſervaſſem, in hac quoque fui ſententia, videlicet imposſibile eſſe, in partu disjungi poſſe; praxis aliter me edocuit, & præcipue in extractione fœtus mortui aliquoties obſervavi, quid hac de re ſtatuendum ſit. Reſpondeo itaque, verisſimum quidem eſſe, in partu non ſolum oſſa pubis, verum etiam oſſa ilii ab oſſe ſacro disjungi, id tamen *item.*

plus aut minus fieri, ſecundum conſtitutionem parturientis & fœtus conditionem. Si enim parturiens eſt juvenis & robuſta, fœtus validus, ſecundum naturam ſitus, & ad partum naturalem diſpoſitus, disjunguntur quidem, non ſolum oſſa pubis & ilii, ſed & ipſum os caudæ extrorſum reflectitur, nec tamen id ſemper percipit parturiens, niſi valde obſcure. Sin autem parturiens fuerit conſiſtentis ætatis, conſtitutione corporis ſicca, & imbecillis, fœtus, quin etiam debilis, vel in transverſum aut obliquum ſitus, immaturus aut plane mortuus, ita ut ſine maximo conatu matris excludi nequeat, tunc profecto oſſa prædicta tam evidenter disjunguntur, ut non tantum ægra ipſa, verum etiam adſtantes in tactu facile percipere poſſint. Hæc in uxore mea expertus ſum. Cum oſſibus ilii & coccygis eadem eſt ratio. Oſſa circa vulvam in partu relaxari, conſentit etiam Wolffgangus Hœferus *Hercul. medic. Lib. VII. cap. 4. p. m. 405.* non autem credendum eſſe addit, oſſa divelli violenter in partu, quod forſitan nimis difficile Laurentio videbatur, ſed ea ex ſymphyſi ſua relaxari ſucceſſive; cujus rei initium fit circa ſeptimum menſem. Tunc ſcilicet natura, de excludendo fœtu ſolicita, mucorem quendam circa hæc loca generat, &, mediante illo, oſſa paulatim ſejungit; quæ iterum poſt partum, lentore illo exſiccato & conſumpto coaleſcunt. vid. etiam Barthol. Bauſner. *de Conſenſ. Part. Lib. I. cap. 6. p. 50.* Notabilem oſſis pubis ſeparationem refert Cornelius Solingen *Obſerv. p. 12.* inquiens: Sekere vyf en veertigh Jaren bereyckende Franſe Dame, van het eerſte Kind in barens-nood ſittende, verloſte ick van een dood Meysje 1672. en bevond, dat het os pubis ruym een vinger breed van den andren was gewecken. Poſtquam paupercula quædam Varſavienſis diris ac irritis parturientium laboribus per quatriduum divexata occubuerat, pubis oſſa ita fuerant conſtricta & conjuncta, ut vix novacula potuerint diduci, quibus diductis extractus fuit infans eo ſitu, quo prodibat omnino naturali, unde non alio fruſtrati partus & utrius-

que

que mortis fuit deducenda, niſi quia hæc oſſa non potuerunt diduci, uti ex Joh. Claud. de la Courv. refert Thomas Bartholinus *de inſolit. Part. viis cap. 3. p. 22. ſeq.* De nexu oſſium pubis Johannes Riolanus *Animadverſ. in Joh. Vesling. Opuſcul. anat. p. m. 458.* ita ſcribit: Cartilago duobus oſſibus pubis interjecta ad arctam commiſſuram eſt adeo robuſta, ut non indigeat circulari & membranoſo ligamento. Laudo tuum judicium de diductione iſtorum oſſium & oſſium ilium ab oſſe ſacro, modo non ſcribas, in difficili partu, quia vidi in omni partu, etiam facillimo, diductionem iſtorum oſſium. Aſſerit etiam Guilielmus Harvæus *de Generat. animal. Exercit. 58. p. 377.* experientia edoctus, oſſa pubis ſæpe ab invicem in partu laxari, emollito eorum cartilaginoſo connexu, totamque hypogaſtrii regionem ad miraculum usque ampliari; non quidem ab aquoſæ ſubſtantiæ profuſione, ſed ſua ſponte, ut fructus maturi excludendis ſuis ſeminibus ſolent hiſcere. Quantopere vero coccyx partum remorari ſolent, patet in quadrupedibus, quibus cauda appenditur; tales enim nequeunt vel fœtum excludere, vel alvi excrementa emittere, niſi cauſam ſuſtulerint, quam ſi manu prehenſam depreſſeris, ſtercoris exitum prohibebis. vid. etiam Georg. Frid. Rallius *de Generat. Animal. Sect. VII. §. 7. p. 363. ſeq.*

§. 6.

Alii vero autores hanc oſſium pubis & ilium divulſionem penitus negant, alii talem ſeparationem non in omni, ſed difficili tantum partu concedunt, alii etiam per varias diſtinctiones, v. g. inter hiatum vel dehiſcentiam, laxationem vel relaxationem, diductionem, diſlocationem, dearticulationem vel exarticulationem, remiſſionem, diſſolutionem &c. eandem deſcribunt, uti partim ex hactenus adductis, partim ex ſequentibus liquet. Inquit enim Georgius Philippus Nenterus *Phyſiolog. med. cap. 11. membr. 3. pag. 348.* Cum oſſa pubis, os ſacrum & coccygis exitum fœtus admodum reddant *negant alii.*

anguſtum, quæritur a phyſiologis, an in partu oſſa pubis divellantur? fuere, qui id affirmarunt & forſan adhuc reperiuntur, qui in ea ſunt opinione. Sed falluntur, qui hocce credunt: hoc enim ſi eſſet, feminæ poſt partum pedibus inſiſtere nequirent. Cedit potius os coccygis verſus poſteriora & ſic fœtui egredienti majus concedit ſpatium &c. Et Caſparus Bauhinus *Theatr. anat. Lib. I. cap. 49. p. m. 111.* ſcribit: oſſium pubis connexio in mulieribus cartilagine duplo craſſiore & laxiore, quam in viris, quo ob nexum hunc laxum in partu oſſa hæc fœtus impetui cedere & in partu laxari, non dearticulari, poſſint. Pubis oſſa non divelli, eſt opinio Andreæ Laurentii *Hiſtor. anat. Lib. VIII. Quæſt. 33. fol. 337.* ubi ſcribit: Ego ut ingenue dicam, quod ſentiam, ilium & pubis oſſa in pube dearticulari poſſe non puto; ita enim uniuntur, ut nullo impetu divelli posſint. Quod ſi divulſionem ſimul paſſa fuerint, quo modo copulabuntur? quo glutine unientur? nova enim hypochrondroſis fieri non poteſt. Si aliquantulum dehiſcere velis, cum Hippocrate, non repugnabo, ſed osſis ſacri extremum cartilagineum, coccygem vocant, totum retrahi, & fœtui impetu exeunti ita cedere, ut amplius relinquatur ſpatium, exiſtimo. Deinde dictus Laurentius Pinæi rationes ſolvit. Secundum Thomæ Bartholini *Anatom. renov. Lib. IV. cap. 16. pag. 737. ſeq.* Os pubis vel pectinis eſt ſecunda osſis innominati pars, media & anterior, quod os cum alterius lateris oſſe per ſynchondroſin nectitur, id eſt, per mediam cartilaginem, in mulieribus breviorem quidem, ſed duplo crasſiorem & laxiorem, ut dehiſcere & laxari (non dislocari aut dearticulari) in partu hæc oſſa queant, ad impetum infantis egredientis. Subinde tamen pro necesſitate ſive fœtus grandioris ſive loci anguſti oſſa pubis divelluntur. Sic ad quæſtionem, an in ipſo pueri exitu oſſa pubis mulierum dilatentur! reſpondet Dominicus de Marchett. *Anat. cap. 8. pag. 86.* Riolanus abſolute fatetur, ipſa dilatari, quia in feminis ligamentum, a quo iſta

oſſa

oſſa alligantur, non tam durum ſit, ſicuti in viris; ſecundo quod tempore partus, conjunctio iſtorum oſſium a materia quadam in membrana retenta emolliatur, ut oſſa poſſint dilatari: quam opinionem licet a multis ſcriptoribus confirmari aſſerat, mihi tamen non arridet, quia ligamentum tam maris, quam feminæ pari difficultate ſecatur, ut experientia patet; nec unquam potui reperire viam, qua illa materia pervenire poſſit ad emollienda ligamenta oſſium pubis. Neque etiam oſſa ab illa materia brevi momento dilatari poſſunt. Præterea quando oſſa dilatata fuiſſent, natura nimis ingenioſa eſſet, ſi ſtatim ad priſtinum ſtatum ea reduceret, ac uniret, ſed, ut ſemper obſervavimus, ubi oſſa dilatantur, callum natura efformat: unde quando in primo partu oſſa dilatata forent, difficile in ſecundo partu dilatarentur, propter calli impedimentum. Denique in junioribus feminis & præcipue in illis, in quibus oſſa pubis depreſſa ſunt, non tam inhumana operatio adhiberetur, ut eſt partus cæſareus, qui fit, quando propter viæ anguſtiam partus in lucem prodire non poteſt. Ideo ſi oſſa pubis dilatarentur, partus cæſareus non fuiſſet inventus, quoniam via patens & magna ſemper eſſet, & fœtus cum felici ſucceſſu exiret. Juxta Johannis Dolæi *Encyclopæd. Med. Lib. IV. cap. 7. pag. m. 934.* legitimum partum præcedere debent aquæ illius in amnio detentæ effuſio, non vero oſſis pubis ſeu oſſis coxendicis dilatatio, quam multi contra experientiam dilatari credunt; quæ tamen oſſa pubis firmiter in partu connexa manent.

§. 7.

Andreas Veſalius *Anat. Lib. I. cap. 28. fol. 95. ſeq.* inquit: Neutiquam cum plebejis medicis arbitrandum eſt, pubis oſſa viris eſſe continua, mulieribus autem in hoc cartilaginis interventu compacta, ut partus tempore remitti invicemque disjungi queant. Parturientibus namque mulieribus hæc oſſa in- *Veſalius.*

ſa invicem non disjunguntur. Realdus Columbus *de Re anatom. Lib. I. cap. 28. pag. 152.* riſu magis, quam reprehenſione dignam illorum ſententiam judicat, qui proferre in vulgus non verentur, oſſa hæc pubis in partu laxari atque dehiſcere, ut facilius exeat fœtus. Nulla enim ratione dimoveri poſſunt, tantum abeſt, ut laxiter aperiantur. De horum osſium divulſione ſequentia ſcribit Paulus Spindlerus *Obſerv. 76. Schol. p. 142.* ego induci nequeo, ut credam illa oſſa in adultis tam firmo nexu cohærentia ſaltem laxari, multo minus divelli poſſe. Cum anno 1670. lanionis hujus loci (Poſonii) in ſuburbio habitantis ſub monte regiæ arcis uxorem altera poſt partum die gravisſimis excruciatam doloribus, tandem ex epilepſia mortuam aperirem, ſtudio in illa oſſa (intra viginti quatuor horas enim non potuiſſent iterum coaleſcere) inquiſivi, & adſtanti obſtetrici aliisque oſtendi, quam firmisſime ſibi invicem cohæreant, neque diſtendi, multo minus divelli poſſe, niſi quis ea adhibitis malleo & cultro dividere vellet. Et ad quid opus fuiſſet tanta violentia oſſa disjungere, cum illud interſtitium inter os coccygis & os pubis ſatis magnum membranoſis ſaltem partibus intertextum, quas facilius eſt diſtendere, quam oſſa divellere. Gerras eſſe gerrarum, quas obſtetrices de dehiſcentia osſium pubis imprudenter non minus, quam impudenter effutiunt, inquit Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. IV. §. 29. pag. 73.* Et Dionis *Tract. des Accouchem. Lib. III. cap. 1. pag. 202.* inquit: Beaucoup d'auteurs anciens ont crû, que les os des iles & de ceux du pubis ſe ſeparoient dans le temps de l'accouchement; ils ont trouvé des ſectateurs, qui ont ſuivi leur opinion, & qui ont écrit avoir trouvé ces os ſeparez dela largeur d'un travers de doigt quinze jours après l'accouchement. Je puis aſſurer, que ces auteurs ſe ſont trompez: que j'ay examiné de fait autant qu'un autre, & je puis dire au contraire, par le grand nombre d'anatomies, que j'ay fait, que j'ay toujours trouvé ces os unis par des cartilages, que le plus

fort

fort ſcalpel avoit dela peine à couper. Ce qui les a jettez dans cette erreur, c'eſt qu'ils ne croyoient pas l'eſpace, que ces os forment à la partie inferieure de l'hypogaſtre, aſſez grand pour laiſſer paſſer un enfant. Ils n'avoient peut-être examiné, que des ſquelets d'hommes, dont le basſin fermé par ces os, n'eſt pas aſſez ſpacieuz pour donner paſſage à un enfant; mais s'ils avoient confronté le ſquelet d'une femme avec celui d'un homme, ils auroient vû, que la femme a les os des iles plus écartez, & l'os ſacrum plus porté en dehors, que ceux des hommes, que c'eſt la raiſon, pourquoi elles ont plus d'hauches & plus de cul, que les hommes, & qu'ainſi leur basſin étant plus large, un enfant y peut paſſer ſans y trouver dela difficulté; de maniere, qu'il n'étoit point beſoin, que ces os ſe ſeparaſſent dans l'accouchement, comme tant d'auteur l'ont publié ſans aucun fondement.

§. 8.

Oſſa pubis in parturientibus relaxari, multi quidem affirmant, ſed absque ratione & experientia, ſcribit Georgius Francus de Franckenau *Satyr. medic. VIII. §. 2. pag. 142. & 165.* Et Jobus à Meekren *Obſerv. Medico-Chirurg. 58. pag. 272.* inquit: in tribus quatuorve, quas diſſecare nobis licuit poſt partum demortuis ſeparationem nullam notare potuimus, quin potius firmam osſium pubis uuionem. Oſſa pubis in partu non diduci, multo minus disjungi contra mulieres obſtetrices & medicos quosdam defendit Paulus Ammannus *Paræneſ. Lib. V. Part. II. Sect. I. §. 13. pag. 351.* his rationibus: ſi enim juxta hoc Italicum commentum, poſt partum iterum deberent conjungi mediante callo, poſt ſecundum vel tertium puerperium tota pelvis cavitas calloſa pectinis ſubſtantia repleretur, & ſic ultra duos vel tres liberos femina generare non poſſet: accedit, quod ſynchondroſis osſium pectinis violentiam requirat in disjunctione; item ſequeretur quod puerpera poſt partum am-

adhuc alii.

ambulare non poſſit, ſi oſſa diducerentur, exemplum contrarium eſt in meretricibus, quæ ſtatim poſt partum ſeſe in pedes conjiciunt &c. Novi quidem (pergit Ammannus) contrariam opinionem Hildani, ſed rationes ejus tanti non ſunt; nam 1) tactus ægræ & adſtantium eſt fallax, 2) oſſa caudæ vel coccygis extrorſum verſus reflexionem, concedo, nullo autem modo hæc comparanda cum ſynchondroſi pubis, 3) ſtillicidium urinæ poſt δυςοκέιαν oritur, non tam propter oſſium horum disjunctionem, quam ſphincteris veſicæ ab incauta obſtetricis laxatione, vel laceratione. Alii hanc diductionem tantum in partu difficili concedunt, verum ſine adjecta ratione, & cur non in qualibet dyſtocia diducuntur? nam ſecui ante ſeptennium in platea arenoſa miſerculam, una cum fœtu extinctam, in qua talis hiatus, vel diductio non obſervabatur, & erat nihilominus partus omnium difficillimus. In meretrice quadam ſtaturæ parvæ, annorum forte viginti quatuor, ob infanticidium Baſileæ 1659. decollata oſſa pubis adeo firmiter ſibi invicem, mediante cartilagine, jungebantur, ut totis viribus hinc inde a Johanne Nicolao Binningero contrectata in plurimorum præſentia ſejungere non valuerit; quod ipſi & ſpectatoribus non parvam fidem fecit erraſſe Avicennam & ejus aſſeclas, qui exiſtimant pubis oſſa in partu neceſſario ſejugari, horumque commiſſuram quaſi diſſolutam patere: nec enim credibile eſt, illam tam prompte coaleſcere & obfirmari potuiſſe v. Binninger. *Obſervat. medicin. Cent. II. Obſerv. 41. pag. 173. ſeq.* In noſodochio Argentinenſi aperuit Johannes Rudolphus Salzmannus corpus puerperæ, ſtatim poſt puerperium defunctæ, mortis cauſam indagans, & inter alia, pubis oſſa nullo modo ſejuncta, ſed arctiſſime, & ut naturaliter fieri ſolet, firmiſſime connivebant, uti refert *Obſervat. anat. pag. 43. ſeq.* Oſſa pubis in partu pro faciliori fœtus tranſitu a ſe invicem decedere negat etiam Theodorus Craan *Oeconom. animal. de Exortu Homin. Quæſt. 31. p. 299. ſeq.* inquiens: Triplicem apud aucto-

auctores hac de re reperimus ſententiam. Alii ſtatuunt, in omni partu oſſa pubis a ſe invicem ſeparari atque ſecedere, ut grandiori fœtui detur tranſitus; alii voluere id non fieri, niſi in difficili partu; alii denique affirmarunt, illud fieri in nullo, quod ultimum & nos affirmamus, quia concipi nequit, quomodo molliuſculum infantis caput oſſa pubis craſſiſſima cartilagine in medio juncta poſſit a ſe invicem divellere, quibus ſeparandis vix acutiſſimum ferrum, & vires humanæ ſufficiant, cum caput infantuli ſit admodum molle, ita ut facile quasvis figuras induere, & ad quasvis vias ſe accommodare poſſit; hinc etiam obſtetrices neceſſe habent, caput infantis, poſtquam editus eſt, in debitam figuram & rotunditatem leniter comprimendo redigere; ad quem partum facilitandum multum facit tenuitas & flexibilitas coccygis ſive caudæ muliebris introrſum inclinatæ, quæ a pondere fœtus facile extrorſum compellitur, & ſic ſatis magnum ſpatium & foramen relinquit pro tranſitu fœtus. vid. etiam ejusdem Craanii *Tract. de Homin. cap. 153. pag. 759. ſeq.* Petr. Foreſt. *Obſervat. Lib. XXVIII. Sch. fol. 751.*

§. 9.

Nonnulli tamen medici talem oſſium pubis diductionem non penitus negant, neque etiam ſemper & in omni partu, ſed tantummodo quandoque, & quidem in difficili eandem concedunt; ſiquidem Paulus Barbette *Chirurg. Part. I. cap. 23. pag. m. 59.* cauſis partum impedientibus annumerat, cum os coccygis non ſatis ad poſteriora recedit: nam oſſa pubis non niſi in partu graviſſimo, & tunc quidem rariſſime a ſe invicem ſecedunt. Ex tribus feminarum in partu ex retentione fœtus obeuntium cadaveribus, dum adhuc calebant, Johannes Scultetus fœtum mortuum integre detraxit in iisque obſervavit, quod vera ſit illorum ſententia, qui oſſa pubis in difficili partu a ſe invicem, & ilium a ſacro diduci ſcribunt. vid. Scultet. *negatur ab aliis conditionate.*

tet. *Armamentar. chirurg. Part. II. Obſervat. 69. pag. m. 97.* Sic Bartholomæus Bausnerus *de Conſenſ. Part. Lib. I. cap. 6. pag. 50.* ait: conjunctiones oſſium pubis inter ſe, & oſſium ilium cum oſſe ſacro, craſſiore & molliore cartilagine firmata ſunt, ut ſic illa oſſa etſi firmiter nexa, ſimul tamen in difficiliori partu pro neceſſitate aliquantum disjungi, nec tamen rumpi aut dislocari poſſint. In partu difficili oſſa pubis a ſe invicem divelli ſcribit Chriſtianus Gottlieb Reusnerus *Ephemerid. Academ. Natur. Curioſ. Cent. V. & VI. Obſervat. 32. pag. 259.* & quidem ob fragorem in partu. Curſoris ſcilicet cujusdam uxor, annorum viginti, legitimo tempore ad partum ſe accingit, qui ad viginti quatuor horas procraſtinatur; paulo poſt conatus uteri augentur, & clinicæ audiunt fragorem ex utero ingentem, ſonitui bombardæ minoris ſimilem, mox embryonem maſculum excludit ſanum & vegetum. Obſtetrix quæ ultra 700. mulieribus in partu auxiliatrices præbuit manus, ſe nunquam talem fragorem audiviſſe affirmabat. Unde fragor ille ſonorus? non immerito quæritur. Judicet benevolus lector, quicquid velit, me quod attinet, ſuppono cum Arniſæo, Pinæo, Guillemeau, Riolano, Paræo, Bauhino, Spigelio, Harvæo, oſſa pubis in partu maxime laborioſo primiparæ a ſe invicem divelli poſſe, non tam ad latera, quam antrorſum, inde fragor iſte concipiendus. Poſt variorum autorum allegata verba, inquit Cornelius Solingen *Embryulc. cap. 4. pag. 69. ſeq.* Wat aengaet alle de verſcheyde gevoelen deſer geleerde mannen, ſo ſoude ik oordeelen, dat Veslingius en Riolanus daer in miſſen, dat deſe beenen ook ſelfs in de gemackelijkſte baring ſouden wijken. En belanghende het gevoelen van Moriceau, dat ſy noyt ſoude wijken, daer op dient tot antwort, dat ſy van den anderen ſcheyden, doch alleen in ſwaere verloſſingen, en dat ſeer ſelden; want ik hebbe door nauwkeurige opmerkinge, en lange ervarenheyt bevonden, alſoo ik meenichmael

mael in ſware arbeyden ben geroepen geweeſt om wrouwen van haer doode vruchten te helpen.

§. 10.

Ad quæſtionem, quomodo poſſibile ſit, ut maturus & magnus fœtus per pelvis anguſtias, muſculis aliisque partibus undiquaque obſitas & infarctas, in partu tranſire posſit? reſpondet Isbrandus de Diemerbroec *Anatom. Lib. IX. cap. 16. fol. 552.* ſi parvus fuerit fœtus, eum per dictas anguſtias ſine magna moleſtia tranſire poſſe, docente id experientia quotidiana; nam partus tempore ab humorum copioſo affluxu adeo laxæ, molles & læves fiunt partes genitales, ut obſtetricis vel chirurgi totam manum facile admittant. Verum ſi magnus fuerit fœtus, & partes per ſe, ſeu a natura mulieri ſint anguſtiores, tunc gravem & laborioſum fieri partum, atque pubis oſſa, laxatis ligamentis & cartilaginibus aliquantum dehiſcere, imo cartilaginoſam quoque connexionem oſſis ſacri cum ilii osſibus, adeo laxari, ut manifeſte a ſe mutuo recedant. Sed notandum, quod licet illa oſſa diducantur & hient, non tamen exarticulentur, hoc enim ſi fieret, nunquam ad priſtinum ſtatum redirent? Et *fol. 553.* inquit: veroſimile eſt, non niſi per violentam & validam magni fœtus tranſeuntis presſionem hæc oſſa a ſe invicem deduci poſſe; nam cartilaginoſa illa connexio nimis firma eſt, quam ut in facili partu a parvo fœtu tam facili negotio diſtendi queat. De hac oſſium divulſione ita ſcribit Johannes Mauricius Hoffmannus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 246. p. 461.* Oſſa pubis in partu difficiliori ab invicem divelli, ſunt e veteribus æque ac recentioribus plures, qui affirmant, plures qui negant. Priores in compendio recenſet Diemerbroeck & alii; poſteriores diſſenſus ſui rationes regerunt ſequentes: nempe, ſi oſſa pubis ab invicem ſejuncta in partu dehiſcant, ajunt, aut ita ſeparata manere, tuncque ingreſſum neceſſario vacillaturum, ſicuti in ca-

an posſibilis tranſitus?

 nibus

nibus femellis anatomicus Patavinus, Antonius de Marchettis, experimento inſtituto cognovit; aut ſi conjungantur, calli beneficio coaleſcere, futuro ſubſequente partu ob calli protuberantiam & denſitatem usque difficiliori. Dicam, ſalva aliter ſentientium autoritate, ego, quæ ſentio, nimirum cartilaginem mediam oſſium pubis in juvencis feminis ab humiditate allabente laxiorem redditam ſequacem eſſe, & elongationem aliquam ſive diſtenſionem in partu ob fœtus magnitudinem vel ſitum incongruum difficiliori (citra tamen manifeſtam continui ſolutionem vel perruptionem) admittere; hacque in opinione me confirmavit infanticida primipara, anno ſuperiori a me diſſecta, ubi cartilago συγχόνδρωσιν osſium pubis ſuſtinens mollis & ſpongioſa ſive cavernuloſa adhuc extitit, ut ad levem cultri contactum mox ſeceſſerit; ſed & ὡς ἐν καιρῷ recordor, erinacei ante aliquot annos poſt partum cultro anatomico ſubjecti, ubi osſibus pubis ad latera depresſis cartilaginem mediam in formam membranæ (*oder wie ein Pergament*) diductam deprehendi.

§. II.

Danieli Sennerto hoc in paſſu Adriani Spigelii ſententia probatur, qui ſcribit, ſe ex plurimis obſervationibus edoctum eſſe, oſſa pubis nec in omnibus hiſcere, nec in nulla, ſed in illis tantum, quæ partum habent difficilem & laborioſum, aut partes, ad fœtus egreſſum neceſſarias, anguſtas ſunt nactæ: nec quoque ita a ſe dividi, ut a ſe mutuo dehiſcant, ſed ligamento laxiore reddito adeoque ſequace ad extenſionem nonnihil hiare. vid. Sennert. *Pract. Lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. 1. p. 378.* Et Chriſtianus Johannes Langius *Phyſiolog. Theſ. 40. Oper. Part. I. fol. 252.* inquit: nolui unquam perfectam osſium pubis dehiſcentiam ſtatuere, quamvis illam in præternaturali ſtatu non omnino imposſibilem credam adductus obſervationibus Paræi, Bauhini & Fr. Ruyſch. *Obſ. 43. p. 57.* (quæ tamen Ruyſchii obſerva-

ſervatio non de osſibus pubis, ſed ore uteri hiante agit:) Nihilominus nullus dubito aliqualem admittere, in qua cartilagines connectentes iſta oſſa quodammodo extenduntur, ſæpe cum fragore in ſenſus incurrente. Accidit ergo, ut adultis paululum feminis partus ſæpenumero reddatur difficilis, non certe alia de cauſa, quam quod flecti ſe non patiuntur nimium induratæ & pene oſſeæ factæ cartilagines, juncturis oſſium innominatorum interpoſitæ. Philippi Verheyeni verba *Anatom. Corp. hum. Tr. V. cap. 10. p. 457.* ita ſonant: oſſa pubis utriusque lateris ſimul connectuntur per ſynchondroſin, ſeu mediante cartilagine, quæ in mulieribus putatur craſſior & laxior, ut hæc oſſa in partu dehiſcere queant: multi tamen ſuſtinent, dictum ligamentum non laxari, niſi in partu valde laborioſo ac præternaturali. Mihi adhuc hæret animus, quia licet dicta connexio in demortuis appareat valde arcta ac firma, non licet inde judicare, eam quoque talem eſſe in viventibus. vid. etiam *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 204. pag. 384.* Utrum vero, uti ſecundum Andreæ Veſalii *Anatom. Lib. V. cap. 15. fol. m. 410.* vulgo ferunt, modo apud has, modo apud iſtas nationes, nuper natis puellis, quo facilius aliquando pariant, pubis oſſa ab obſtetricibus ſejungantur & quibus modis id fieri queat, ſane neſcio.

§. 12.

Deinde dantur adhuc alii partus modi, quorum alius dicitur naturalis ſeu ordinarius, alius præternaturalis ſeu extraordinarius; Naturalis ſecundum Laurentii Heiſteri *Compend. anatom. §. 247. p. 91.* eſt, ſi fœtus prono capite exitum molitur, reliqui ejus in partu ſitus præternaturales dicuntur, & cauſæ ſunt partus difficilis, imo ſæpe impoſſibilis, niſi arte emendetur. vide etiam Gualter. Charlet. *Oeconom. animal. Exercit. 8 p. 180.* Juxta Michaelis Alberti *Introduct. in univ. Medicin. Cap. 2. §. 111. p. m. 40.* omne animal commode paritur primum capite; alius vero ſitus difficilem partum reddit. Secundum Danie-

partus prono capite.

nielis Hoffmanni *Annotat. in Hypoth. Goveyan. de Generat. Fœt. p. 104.* recte dicitur ſupremam capitis partem offerre fœtum juſto ſitu prodeuntem; poteſt enim offerre obſtetrici caput, & tamen pravum habere ſitum, ſi obliquum ſeſe offerat caput, nec directo immineat ſitu orificio interno, quo certe caſu tardisſimi ſuccedentes partus graviter affligunt magnoque exponunt periculo parientes. Caput fœtus naturaliter primo in lucem prodire defendit Theodorus Craan *Diſſert. de Homin. §. 153. p. 759.* inquiens: Caput primo egreditur, unde hæc corporis pars nomen capitis ſortitur: & ſi caput ſponte ſua hunc ſitum non occupaverit ante egreſſum, partus erit difficilis, & manibus prudentis obſtetricis opus eſt, quibus invertatur, ut ſic reliquum corpus exire queat. Franciſco Sylvio *Prax. med. Lib. III. cap. 7. §. 18. ſeq. pag. edit. Amſtel. 542.* modus maxime naturalis, quo prodit in lucem fœtus humanus, eſt, quando is capite prono exitum quærit ac invenit, ſubſequentibus ſcapulis, mox reliquo ejusdem corpore. Huic valde affinis eſt, quando idem fœtus utraque manu prodit, ſubſequente capite, hinc & corpore reliquo. Modus quoque naturalis cenſetur, quando utroque pede prodit fœtus, ſubſequentibus cruribus; hinc abdomine, mox pectore tandemque capite. Et juxta Isbrand. de Diemerbr. *Anatom. Lib. I. cap. 35. fol. m. 232.* fœtus capite primo prodit, ſi ſecundum naturam prodeat; quocunque autem alio modo ſe ad exitum offert, ille partus non naturalis dicitur, & tanto periculoſior eſt, quanto pejore figura fœtus ſe offert. Item Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſervat. 90. Schol. pag 339.* inquit: naturalisſimus partus ille eſt, ubi capite edi incipit, humeris ad latus utrumque inclinatis, in quo ipſo tamen obſtacula gravisſima accidunt, quandoque enim fœtu grandiore exiſtente, viisque anguſtioribus, maxime in primiparis, aut viribus jam attritis, lamellæ cranii teneræ adhuc, ſatisque laxe invicem unitæ, comprimi, elongari aliterque vitiari in ſitu aſſolent, ut nonniſi ſummo cum labore femina enitatur, ſæpius vero ex vehementi

menti niſu moraque, quam circa orificium internum fœtus ne-ctit, inter integumenta capitis ſanguis ſtagnat, & in veſiculam quaſi colligitur, qua deinceps propulſa & ab orificii dicti fibris coarctata, parturitio difficillima ſubſequitur.

§. 13.

Quibusdam vero ille partus naturalis eſt, qui non caput, ſed potius ambos pedes primum offert, unde dominus de Go-fey *de Generat. Fœt. p. 104. ſeq.* ſcribit: Situs, in quo fœtus in partu faciliori ac naturali ſeſe offert, in hoc conſiſtit, ut vel ſu-premam capitis partem, vel duos pedes præmittit. Mirari quis poſſet, partum a me dici naturalem, ſi infans duobus pedi-bus primum ſeſe ſiſtat, id vero duabus potisſimum rationibus nixus, ſtatuo, primo, quia, ſi infans aliam corporis partem, ex-cepto capite, oſtendit, ille ſitus mutatur, pedesque ab obſtetri-ce pro fœtu extrahendo deſiderantur & quæruntur; ſecundo, quia illo partu nullum unquam faciliorem obſervavi, quo in-fans duobus pedibus ex utero matris extrahitur, non enim vio-lenter, ſed lente admodum paucioribus ac levioribus cum do-loribus extrahitur, cum econtra caſu, quo infans caput primum offert, diu ſit expectandum, usque dum cum inſignibus dolo-ribus ac conatibus prodeat. Huic tamen Goveyano loco Da-niel Hoffmannus ibidem hanc annotationem annectit: nul-lum partum faciliorem eſſe dicit D. Govey eo, quo pedibus protrahitur infans, intelligit vero id ea cum cautela, quod nem-pe prudens circumſpectaque obſtetrix ſciat provide cavere, cir-ca egreſſum capitis, ultimo ſequentis, ne irritatæ partes ſtrin-gantur caputque circa collum ſtricturis ſpasmodicis detineant; triſtia exempla nota ſunt abruptorum violenta tractione iſto in ſitu capitum; hinc monent artis periti, ut vel alterum brachio-lum verſus caput reclinatum relinquatur, vel digitis utrinque ad collum admotis præcaveat colli, a partibus irritatis, & ſæpe inflammatis, ſtricturam vix poſtea reſerandam. Secundum

pedibus pri-mum offer-tis.

Joh. Dolæi *Encycl. med. Lib. V. cap. 7. p. 936.* modus quoque naturalis cenſetur, quando fœtus utroque pede, ſubſequentibus omnibus, hinc abdomine, mox pectore, tandemque capite prodit.

§. 14.

laudatur. Hunc partum per pedes primum ſe offerentes approbat etiam Dionis *Trait. des Accouchem. Lib. III. cap. 11. p. 257.* inquiens: de tous les accouchemens, où l'enfant ſe préſente par toute autre partie que par la tête, celui où il paroît par les pieds eſt le moins dangereux, & le plus facile à faire: & ſouvent entre les mains d'un habile accoucheur, il eſt plus prompt & moins douleureux, que celuy, où la tête de l'enfant doit ſortir la premiere. Quand c'eſt la tête, qui doit ouvrir le paſſage, elle ne le peut faire qu'en pouſſant fortement contre l'orifice interne, & en redoublant ſes efforts par des douleurs reiterées; mais après que les eaux ſont percées, ſi les pieds de l'enfant ſe preſentent au paſſage, l'accoucheur en les tirant doucement, oblige cet orifice de ſe dilater pour laiſſer paſſer les jambes, enſuite les cuiſſes, & enfin tout le corps; ainſi les parties les premiéres ſorties étant moins groſſes, que celles, qui ſuivent, elles s'ouvrent le chemin les unes aux autres; & ainſi dans cette ſituation l'accouchement en eſt plûtôt fait, & elle épargne beaucoup de douleurs à la mere. Hinc naſcendi modum, quando ſcilicet fœtus utroque pede, ſubſequentibus omnibus, hinc abdomine, mox pectore tandemque capite prodit, naturalem quoque cenſet Johannes Dolæus *Encycloped. medic. Lib. V. cap. 7. p. 936.* Sic ſtatuit etiam Paul Portal des Accouchemens: Quæcunque fœtus pars ſe primo exhibuerit, non aliam arripere fas eſt, quam pedes, quos ad orificium perducere oportet, atque eo momento, quo hi ad conſpectum veniunt, baptizandus eſt infans aqua puriſſima; Et idem autor pleriſque memorat obſervationibus, quod ſemper extrahere primo pedes laboraverit. vid. Act. Erudit. Lipſ. *ann. 1686. menſ. Jun. p. 305.*

Interim

Interim tamen hoc modo, quando nimirum corpus ſeu truncus externe hæret, caput autem in utero adhuc per tempus remanet, maximum periculum ob fœtus ſuffocationem ſubeſt, quale exemplum annotavit Caſparus Theophilus Bierlingius *Adverſar. Cur. Obſ. 91. p. 234. ſeq.*

§. 15.

Quod autem paragrapho antecedente de fœtus in utero relicto capite diximus, probant ab autoribus annotata exempla. De capite enim fœtus ſeptem annis in utero retento ſequentem obſervationem communicat Alphonſus Kohnius *M. M. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſerv. 222. p. 327.* Opificis cujusdam uxor, trigeſimum quintum jam annum agens, ante ſeptem annos gravida facta, toto geſtationis tempore magnis & multifariis ægritudinibus & adverſitatibus divexata, circa ſextum & ſeptimum menſem fœtum diverſimode & extraordinario modo ſe jactitantem & invertentem maxime contriſtata ſæpius ſenſit de futuro partu anxia valde & ſollicita; accidit autem, ut tempore partus laborioſiſſimi poſt membranarum disruptionem & aquæ effluxum, ſecundinæ primum extra uterum ſeſe repræſentarint, & poſt quinque demum dies fœtus corpuſculum emortuum pedibus præmiſſis in conſpectum venerit usque ad caput, adſtantes mulierculæ auxiliatrices quantum licuit leviuſculo attractu præbere manus attentabant, ut caput quoque, adhuc in utero detentum, foras prodiret; ecce horribili aſpectu protinus corpuſculi truncus, capite, ob collum putrilagine penitus corruptum, in matrice relicto, cum inſigni & ferme intolerabili fœtore in manibus earum hæſit, quo viſo attonitæ, obſtupuere omnes. Puerpera nihilominus ſingulari Dei beneficio viribus non nimium enervata per quatuor annos varia uſurpavit remedia, ſed nil niſi purulenta quædam capitis putreſcentis materia cum pauciſſimis cranii exeſi portiunculis ingenti fœtore excreta fuerunt. Tandem intra tres ſubſequentes annos paulatim totam cranii & capitis reli-

exempla capitis in utero relicti.

ctam ſubſtantiam, per particulas, modo majores, modo minores absque ullo ſuperveniente ſymptomate, præter titillationem aliqualem feliciter extirpavit. Simile exemplum fœtus, tempore partus loco capitis ambos pedes offerentis, atque relicto in utero capite extracti, annotavit Louyſe Bourgeois *de Art. Obſtetric. Lib. II. cap 13. Obſ. 24. p. 37.* Sequentem hiſtoriam recenſet Henricus ab Heer *Obſervat. 14. p. 138.* Tonſoris mei uxor, decies quater ægerrimis partubus quatuordecim Agrippas mortuos ejecit. Mirus in undecimo caſus accidit, cum puer, ut & alii omnes, qui præceſſerant, pedes primum egereret, obſtetrix ſolito ſibi more trahens, puerum collotenus extraxit, relicto in matrice integerrimo puelli capite: accitis aliis duabus obſtetricibus, nihilque proficientibus, cum ægros viſurus plateas pererro, hujus etiam amici domum intro, viſoque cadavere puerili jam totis ſeptemdecim horis a capite revulſo, pudendorum locis clauſis matricis ſpeculo reſeratis, peſſum ex zybetho, beni ovino aliisque evosmis applicandum curo. Dein per os, teſtium equi præparatorum, boracis, ſingulorum dragmam, croci ſcrupulum, cum aqua liliorum propino. Mirum dictu viſuque; patiens humi ſuper pulvinaria jacens, quadrante poſt horæ, ſternutatorio ex peto naribus admoto, ita ſe concuſſit, caputque relictum tanto impetu ejecit, ut illum per cubiculum ad octodecim pedes, ſphæræ inſtar ligneæ ſe rotaverit. Sic etiam ſecundum Georgii Abrahami Mercklini *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 191. pag. 373.* annotatam obſervationem, lanificis cujusdam uxor gravida, appropinquantibus partus doloribus, obſtetricem familiaresque accerſit mulierculas, quæ ſolicite faciebant, ſuarum quod erat partium; præſentibus mox futuri felicis partus omnibus indiciis: neque parturiente ſuo niſu quicquam intermittente: nihilo tamen minus partus nullus ſequebatur. Jamque tertius a primis partus doloribus agebatur dies, quo fœtus in utero extinctus ſentiebatur; hinc de extractione cogitatum eſt, ſaltim ut mulier ſervaretur. Advoca-

vocatur chirurgus, omnibus inſtrumentis & requiſitis in tabula ordine expoſitis, & parturiente, divaricatis cruribus & infimo ventre nonnihil exaltato appoſite in lecto locata, in ipſum ejus uterum totam manum ſuam dextram complicatis ſecundum longitudinem digitis, inſinuavit, brevique ſcalpello intra digitorum complicaturam occultato, fœtum in partes diſcidit, easque poſt membratim vel manu vel unco extraxit, relicto in utero ſolo capite, quod non niſi ſumma vi, unco oculi cantho adacto, evellere licuit. Ipſa autem puerpera intra ſex circiter ſeptimanarum ſpatium integre convaluit, atque non multo poſt iterum utero concepit. Et ibidem *in Scholio p. 374.* refertur, Kittingæ ab importuna obſtetrice fœtus truncum extractum fuiſſe, remanente in utero capite, quod medicus exhibito fortiori ſternutatorio feliciter excuſſit.

§. 16.

Mihi ipſi quoque duo ejusmodi caſus tragici noti ſunt, *Obſervatio.* quorum alter ante triginta annos amici mei G. C. G. uxori hactenus ſanæ ac evſarcæ accidebat: hujus ſcilicet fœtus tempore legitimo in partu utrumque pedem offerens usque ad collum naſcebatur, caput vero ob orificii uterini conſtrictionem in utero permanebat, unde corpuſculi truncus ultra horam extra uterum propendens in principio ſeſe motitabat atque palpitabat, donec fœtus ſuffocaretur. Poſtea per vehementem obſtetricis fœtum extrahendi conatum corpus a capite avellebatur pauloque poſt puerpera ipſa animam exhalabat atque cum capite in utero relicto terræ mandabatur. Alter vero caſus in mercatoris cujusdam frumentarii uxore occurrebat, quæ jam aliquoties infelici aut monſtroſo partu laborarat, & denuo gravida fœtuique proxima eundem pariendi modum experiebatur, hac tamen differentia, quod huic puerperæ fœtus caput a trunco ſeparatum ab operatore quodam ex utero unco extraheretur, ipſique ſanitas reſtitueretur.

§. 17.

ſitus vitioſus.

Præter hos vero partus modos alii vitioſi & periculoſi ſæpius occurrunt; Multis enim modis ſecundum Franciſc. Sylvii *Prax. Med. Lib. III. c. 7. §. 51. ſeq. Oper. edit. Amſtel. p. 542.* in ſui exitu exitusque modo peccare poteſt fœtus, & 1) quidem, quando alterutra manus ſola prodit, capite averſo, unde nulla tunc ſpes ſupereſt partus felicis ac vitalis, ni retrorſum tracta preſſave manu, 2) quando ſimiliter alteruter pes ſolus prodit, altero in utero hærente, atque corporis reliqui exitum impediente, 3) quando complicatum corpus per nates prodit, 4) quando econtra ventre prono retrorſum inflexum corpus ſe uteri orificio ſiſtit.

§. 18.

fœtus in membranis.

Porro ratione partus modi ſufficienter equidem notum eſt, fœtum legitimo partus tempore utplurimum poſt membranarum, embryonem includentium, dilacerationem ſeu disruptionem amniique liquoris effuſionem in mundum naſci, quandoque tamen etiam fœtus partum illæſis membranis, ſed ita, ut infans iis adhuc incluſus naſcatur, contingere, teſtantur autores eorumque annotata exempla. Nam juxta verba Guilielmi Harvæi *de Generat. Animal. Exercit. 58. pag. 377.* partus naturaliſſimus habetur, cum fœtus & ſecundinæ una cum aquoſa ſubſtantia (ceu ovum integrum) prodeunt. Nam ſi iſtæ illæſæ fuerint, & aqua non profluxerit, contingit partes circumjacentes a parturientis nixibus magis diſtendi ac dilatari, tenſione ſcilicet membranarum: quo fit, ut fœtus minore conamine citiusque elabatur ac prorepat, licet id majore matris cum dolore eveniat. Quo caſu novimus, parturientes interdum, ab ingenti diſtentionis moleſtia membranarum ruptura, (ſive obſtetricis unguibus, ſive forcipis opera ea contingat,) effluente ſubito aqua plurimum levari. Inquit etiam Cosmopolita *de Nov. Animal. Generat. pag. 242.* obſtetricibus expertis non

non ignotum, mulieres aliquando conceptum integrum, cum ambientibus membranis illæſis excludere. Atque hujuſmodi partus maxime naturalis, in quo fœtus (tanquam fructus maturus, qui ab arbore totus ſolvitur, ſeminibus ante deſtinatum a natura tempus minime effluentibus) una cum ſecundinis elabitur. Hæc verba extant etiam apud Harvæum *p. m. 512.* Quamvis autem conceptus integer aliquando cum membranis ambientibus illæſis excludatur, ſicque liquores dictis membranis incluſi, uteri collum vulvamque emollire nequeant, interim tamen inſtante partu, ſemper ad eas partes ſuperne defluit a vaſis feminarum ſpermaticis, vel membranis uteri, liquor quidam lentus, partibus illis enutriendis deſtinatus, quo partes dictæ emolliantur, ſimulque via prodituro fœtui lubrica reddatur. Et hoc obſervavimus in canibus, felibus, cuniculis, quibus inſtante jam partu, pudendum molle ac tumidum erat, præcedentique liquore madebat.

§. 19.

Exemplum fœtus membranis adhuc incluſi refert Thomas Bartholinus *Actor. Hafn. Volum. II. Obſervat. 35. pag. 93.* vidi, inquiens, puellum membranis ſuis ita involutum fuiſſe poſt partum, ut quid eſſet ignoraretur, antequam diſſecarentur illæ, & velut ex marſupio eximeretur fœtus. Quodſi tam arcte adnatæ ſint hæ membranæ infanti, ut ſine læſione tenelli corpuſculi ſeparari non poſſet, certa pernicies manet. Plures effluxerunt anni, cum de ſimili partu orta eſſet controverſia in Italia. In territorio quippe Bergomenſi fœtus abortivus quum ſecundinis arcte adeo involveretur, ut eximi non poſſet, & tamen motu vivus agnoſceretur, parochus ipſum ita conſtitutum baptiſabat; cum vero mox exſpiraret, alter parochus mortuo ſepulturam denegabat, negans vere baptizatum propter impeditum phyſicum æquæ contactum. Fœtum extra uterum membranis incluſum vixiſſe refert Cornelius *Exempla.*

lius Stalpart van der Wiel *Obſervat. rar. Part. poſter. Obſerv. 32. Sch. pag. 355.* ſcilicet in obſidione Bergarum ad Zomam militis quædam uxor, ultimo geſtationis menſe aquam quærens, ita ferro e civitate ejecto lædebatur, ut media corporis pars huc illuc dispergeretur, nec non uterus cum membranis extra propugnaculum in aquam delaberetur. Paulo poſt contigit, ut miles quidem circa illum excubias agens in aqua quendam animadverterit motum, unde rei novitate allectus haſta corpus illud ad ſe attraxit, ac tum quidem vivum fuiſſe fœtum, qui motionem illam in aqua produxiſſet, videbat, quem mox ad tribunum tulit, qui, mirando caſu audito, fœtum membranis continuo ſolvi juſſit, atque ad Iſabellam Claram Eugeniam, Belgii gubernatricem demiſit, quæ eum, utpote mire natum, baptizari, atque Albertum Ambroſium vocari optimeque educari juſſit. Hanc obſervationem ita recenſet Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. II. Hiſtor. 8. pag. 159.* Quum Spinola ſtrenuiſſimus Hiſpanorum dux urbem Bergopſonatem obſidione arcta cinxiſſet, mulier quædam extremo menſe gravida, ad hauriendam aquam egreſſa, ictu tormenti in duas partes fuit diviſa, quarum infima in aquam vicinam deciderat. Adſtantes infortunio iſto viſo, occurrunt videntque puerulum ſponte ſua ſe motitantem intra materna viſcera, extrahunt & in caſtra Don Cordua deferunt, omnique cura cuſtodiunt, inde tandem Antverpiam delatum Infans Iſabella baptismatis fonte immerſit, nomenque patris lenturionis Alberti Ambroſii impoſuit. Secundum Fred. Ruyſchii *Obſervat. 11. pag. 18.* nuper fœtus mortuus in lucem editus eſt, membranis chorio & amnio integris exiſtentibus, cujus funiculus umbilicalis mire contortus fuit inventus. Cardinalis Julius Mazarinus haud nudus, ut cæteri homines, ſed tunica quadam, quaſi veſte circumdatus & cum duobus dentibus in vitam introiviſſe, dicitur. v. Act. Erudit. Lipſ. *An. 1717. menſ. Maj. p. 225.*

§. 20.

§. 20.

Abortus etiam membranis ſuis incluſos ex utero quando- *abortus in membranis.* que prodire, ex Petro Peramato refert Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Quæſt. 90. n. 6. p. 1164.* de puella quarto vel quinto poſt quartum menſem exactum ex Chriſtiana femina nata: hæc enim cum 19. Februarii concepiſſet, 12. Junii animi recreandi gratia dum lectica veheretur, mulus furia percitus crebris ictibus calcitrando lecticam admodum concusſit, ac inde multum jactatus tantis incurſibus exagitavit, ut in ventre femina non leviter læderetur; ex qua animi turbatione poſt magnum lumborum dolorem uteri hæmorrhagia ſecuta eſt, quam abortus circa ſeptimam matutinam excepit, corporis cujusdam rotundi figura plane ſphærica, & humani capitis magnitudinem æquantis, quod linteo involutum ſub lecto cubiculari tanquam quid inutile repoſuerunt, donec matri conſultum foret; quo peracto membranam forcipe exſcindunt, quæ craſſa admodum extima majus aliquid ſervare videbatur, curioſitate ad hoc ductis mulieribus potius, quam aliquid utile ſperantibus. Igitur ulterius inciſione facta apparet mox puella longitudine decem aut octo digitorum, tam gracilis & immaturo temporis exitu a perfecta fœtus humani firmitudine adeo diſtans, ut in ſingula momenta ſpiritum trahere non poſſe videretur, quam tamen avorum & parentum ſumma ſedulitate ſervatum fuiſſe ait.

§. 21.

An tamen talis partus, (ſcilicet quando fœtus mem- *an ſit naturalis.* branis adhuc incluſus naſcitur) naturalisſimus ſit vocandus, dubitat Johannes Gothof. Bergerus *Phyſiolog. Lib. II. cap. 3. pag. 494.* ubi minus aſſentiendum judicat Harvæo, cum illum partum, quo fœtus membranis ſuis illæſis prorſus & integris incluſus, quod perraro fieri comperias, emittitur, maxime naturalem, cæteros autem, quibus fœtus nudi prodeunt, inter præternaturales habendos eſſe cenſet.

§. 22.

partus mirabilis. Mirabilem partum annotavit etiam Thomas Bartholinus *l. a. pag. 157.* Scilicet in civitate Sardam Belgii taurum rufum anno 1647. quidam colonus Jacobus Egh alebat in paſcius domui vicinis alligatum. Hic a pueris irritatus, rupto vinculo ad vaccas confugit. Armentarius baculo ad vincula & locum priſtinum reducturus nil efficit, unde hamo nautili arrepto caput & nares vulneravit aliisque verberibus proſequutus eſt. Irritatus taurus hominem cornubus petiit, totoque in illum impetu facto humi proſtavit. Uxor coloni uterum poſtremo jam menſe gerens, viſo mariti diſcrimine alio hamo ſuppetias latura accurrit. Taurus relicto viro ſauciato ad uxorem converſus, illam cornu ſublatam in aëra jaculatur ad altitudinem unius contignationis ventremque prægnantem dilacerat. Prodit illico ex vulnerato ventre fœtus cum ſecundinis, & in locum disſitum uliginoſum projectus cecidit. Ab obſtetrice domum dilatus, diligenter curatus & 1. Septembr. nomine paterno baptizatus ſuperſtes fuit: Parentes vero, qui vitam dederant, ut hic naſceretur, mox defunguntur. Taurus ipſe cruentus juſſu magiſtratus 2. Sept. occiſus eodemque loco humatus, quo duos enecaverat.

§. 23.

fœtus in uterum revertens. Ad partus mirandos referendus quoque eſt ille infans, qui Sagunti, quo anno ab Annibale deleta eſt, protinus in uterum reverſus ſcribitur a C. Plinio *Hiſtor. Natur. Lib. VII. cap. 3. fol. 107.* Absque dubio ad hoc exemplum reſpexit etiam Ludovicus Bonaciolus *in Enead. Muliebr. cap. 8. in Iſrael. Spacch. Gynæc. fol. m. 143* mirum eſt, inquiens, & ætate noſtra nunquam viſum, editum infantem protinus in uterum reverſum, inter oſtenta enumeratum nonnulli nec ignobiles prodidere. vid. etiam idem Bonaciolus *de Fœt. format. apud* Se-

ver.

ver. Pinæum *pag. 313.* Item Thom. Bartholin. *de inſolit. Part. viis cap. 2. pag. 17.* ubi inquit: vera, an ficta, non liquet. Ex utero proſpexit tantum infans ille, ſalvis involucris & vinculis, nec natus dici potuit. Similem fere hiſtoriam refert Johannes Paterſonius *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſerv. 62. pag. 160.* his verbis: Scripſit ad me hoc anno 1670. Gerges paſtor in Hungaria noſtra ſuperiore & medicus, miram hanc hiſtoriam, ſi non penitus naturalem, prodigioſam tamen. In Hungaria femina partui vicina anno 1666. incœpit parere fœtum, ut jam extra uterum totum exſcreret caput, ſed fœtus ejulatu bis ter edito iterum in uterum fuit abreptus, per duas ſeptimanas ibi adhuc hæſit, & dein legitimo partu fuit excluſus. De veritate vero hujus obſervationis dubitat Isbrandus de Diemerbroec *Anat. Lib. I. c. 35. fol. m. 235.* inquiens: hanc hiſtoriolam a veritate prorſus alienam eſſe, vel cæcus videt: nam cum fœtus ſuum caput extra uterum exeruit, ſi non ſtatim vel proprio uterique niſu, vel manu obſtetricis, reliquo corpore foras procedat, aut extrahatur, mox circum ejus collum adeo conſtringitur pudendi ſeu vaginæ orificium, ut citisſime extinguatur: ob ſummam vero capacitatis uteri anguſtiam nunquam verſus interiora regredi poſſit, idque imprimis edito prius bis terve ejulatu; hoc credat Judæus Apella, & ſimul etiam credant, quousque volent, paſtor Gerges & Paterſonius Hayn, qui ambo ſibi talem nugacem fabellam a dicacibus quibusdam mulierculis perſuaderi permiſerunt, atque eandem quoque tanquam veriſſimam, deſcribere auſi ſunt. Hanc tamen obſervationem parili hiſtoria confirmare nititur Georgius Dethardingius *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. App. pag. 149.* Femina, inquiens, generoſo viro nupta primipara, menſe quo gravida ſeptimo, circa finem, doloribus partus i. e. graviſſimis corripitur: proſiliunt aquæ, ſed & caput infantis crinibus ſat pro mole longis tectum prodit. Quis non inſtaſſe partum pronunciaſſet? adſtans ob-

ſtetrix & hujus opinionis, fœtu non ultra prodeunte, conſueta ſibi & uſu familiaria facta remedia, ad fœtum, quod volebat, expellendum idonea propinat. Degeneraſſe dixiſſes hæc ipſa pharmaca, cum fœtus loco excluſionis ſperatæ, prima potius quæreret latibula, tamque firmiter illa teneret, ut poſt ſeptem demum hebdomadas prodire ac fortiori quaſi ſaltu palæſtram hanc mundi ſemel viſam intrare volupe fuerit.

§. 24.

manus exſertæ retractio.

Aliud partus mirabilis vel potius præternaturalis exemplum communicat Güntherus Chriſtophorus Seidelhammerus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſervat. 13. pag. 27.* inquiens: Matrona quædam hic viciniæ cum gravida eſſet facta, & ſubducta probe ratione, menſis ad partum unus adhuc reliquus eſſet, ſubito doloribus parturientium ſimillimis corripitur, ita ut, aliquoties mater jam ante facta, nihil aliud judicaret, quam partum inſtare. Accerſitur obſtetrix, quæ idem affirmat: cum autem nondum apertum eſſet internum uteri os, abit, matronam in lecto relinquit: Interim dolores ceſſant omniaque ſatis tranquilla. Sed circa diluculum dolores recrudeſcunt, aperitur uteri os, & (mirum & ſtupendum!) manum exerit puer extra orificium exterius. In anguſtiis ſic conſtitutæ ſupervenit amica matrona itidem prudentisſima: Illa, re omni audita, auctor eſt, ut aquam frigidam exertæ manui adſpergere faciat: huic auſcultat. Quid fit? dictum factum infans retrahit manum, ceſſantibus mox doloribus, os uteri clauditur, retrahit ſe ipſe uterus, & omnia redeunt in ſtatum priſtinum, tam belle etiam habet mulier, ut etiam templum frequentare poſſet; donec tandem expleto menſtruo ſpatio, ſcitus ipſi naſceretur puer partu naturali & legitimo. Similem fere hiſtoriam annotavit etiam Louyſe Bourgeois *de Art. Obſtetric. Part. II. cap. 2. pag. 12. ſeq.* de femina gravida, cujus infans brachium alterum extra uterum exſerebat, poſtea vero iterum retrahebat, demumque

que poſt duos menſes ordinario modo naſcebatur. Verſio Germanica ſic ſonat: *Als eine Frau aus dem Kirch-Spiele* Tulevaſt *nicht weit von Chereburg in der niedern Normandie bey ſiebenthalben Monat ſchwanger geweſen, und einsmahls auf dem Weyhnacht-oder Chriſttag in der Kirchen war, hat ſich ihr Kind mit einem Aermlein auſſerhalb dem Leibe erzeigt. Und demnach ſie bey einer viertel Meilen fern von ihrem Hauſe war, iſt ſie durch die Weiber vollend bis dahin geführet worden. Als ſie nun daſelbſt angelanget, hat ſich das Aermlein des Kindes wiederum hinein gethan, und hat ſich die Sache mit ihrem Niederkommen verzogen bis zum Anfang des Monats Martii. Damahls iſt ſie rechter und natürlicher Weiſe eines jungen Sohnes niederkommen, welcher zur heiligen Tauffe gebracht worden und einen Tag gelebet hat. Diß iſt eine ſo wunderbare Geſchicht, dergleichen ſich wohl kaum in hundert Jahren begeben haben ſolle &c.* Huc pertinet etiam partus, quo Thamar gemellos peperit *Geneſ. XXXVIII. v. 27. ſeqq.* ſcilicet cum illa pareret, unus eorum exſeruit manum, & acceptum obſtetrix coccineum filum, dibaphum alligavit manui ejus, dicendo, hic prodierit primum. Sed fuit, quum hic retraxiſſet manum ſuam, & ecce prodiret frater ejus, ut diceret illa, quam perrupiſti? tua eſt eruptio? ideo vocavit quisque nomen ejus Peretzum. Poſtea vero prodivit frater ejus, ad cujus manum erat illud dibaphum: & vocavit quisque Zerachum nomen ejus; juxta verſionem Tremellii & Junii. Et ſecundum Sebaſtiani Schmidii verſionem: contigit in tempore, quo Thamar peperit, ut, ecce, (eſſent) gemini in utero ejus. Inter pariendum vero dedit (infans) manum: cujus ſuper manu obſtetrix accipiens ligavit dibaphum, dicendo; hic exiit prior Quum vero retraheret manum ſuam, &, ecce, exiret frater ejus, dixit; cur rupiſti pro te rupturam? ideo vocavit (Jehudah) nomen ejus perez (h. e. ruptura.) Poſtea vero exivit frater ejus, ſuper cujus manu dibaphum: ideo vocavit nomen ejus Serach (h. e. exortus.)

§. 25.

Fœtus in partu evaneſcens.

De fœtu vivo, in ipſo partu quaſi evaneſcente & ſurrepto obſervationem refert Philippus Salmuth *Obſerv. med. Cent. II. Obſ. 55. p. 83.* Mirum, inquiens, quod comitiſſæ H. parturienti contigit, cui illuſtriſſima quædam duciſſa (quæ mihi hæc retulit) cum aliis nobilibus matronis adſtitit. Inſtat verus partus, ejusque vera ſunt indicia. Ichores ſeu humiditates ſolitæ fluere incipiunt, dolores magis magisque intenduntur, & fœtus manifeſto exitum quærit. Obſtetrix itaque & adſtantes ſingulæ officium ſuum ſtrenue faciunt. Verum dum (illa infantis caput ſe digitis tangere & apprehendere affirmante) omnes felicem enixum jamjam ſperant : Ecce, dolores e veſtigio intermittunt omnes ac prorſus ceſſant. Ipſa parturiens, ad ſomnum prona, dormire expetit. Conceditur. At duabus fere elapſis horis rurſus excitatur. Experrecta ſtatim clamat: Deus bone! quid de ventre meo actum? Duciſſa & reliquæ perterritæ accurrunt, ventrem manibus tractant, & bene explorant: eamque non tantum plane detumuiſſe, ſed nec fœtum amplius adeſſe, ſummo cum ſtupore & admiratione deprehendunt. Lochia poſtmodum debito modo fluunt. Mammæ lacte turgent, & varii affectus atque ſymptomata, quæ puerperis interdum valde moleſta eſſe ſolent, ſubſequuntur. Suſpectam habuerunt obſtetricem, ac ſi illa per maleficium, ſeu diaboli præſtigias infantem ſuſtuliſſet. Idem judicat etiam Philippus Jacobus Sachs a Lewenheim *Schol. in Thom. Bartholini obſervationem de Conceptu falſo M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 1. p. 15.* inquiens: quod fœtus vivus in ipſo partu, cum obſtetrix jam caput infantis tangeret, in comitiſſa, pluribus feminis præſentibus evanuerit & ſurreptus fuerit, adeoque mater ſummo cum ſtupore fœtum nullum viderit exeuntem, recte obſtetricis, tanquam ſagæ, maleficio, quam cauſis naturalibus imputandum, cum Salmutho cenſemus. De variis infantibus per magiam

giam in utero occiſis, vid. Joh. G. Simonis *Tr. de Impotent. conjug. Cap. 1. p. 3.* Huc pertinet etiam obſervatio Thom. Bartholini *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſt. 2. p. 159.* de vacca gravida, cui etiam geſtationis onus, cunctis ſtupentibus evanuit, finitisque conſuetis menſibus abdomen in ejusdem mactatæ utero totum vituli ſceleton repertum eſt. Quæſtio proinde eſſet, annon in allegata comitiſſa idem obvenire potuiſſet.

§. 26.

Ordinario etiam modo in partu, & ſæpiſſime quidem ſatis largus ſanguinis fluxus poſt fœtus excluſionem apparere ſolet: Sicuti autem in Syllepſilog. noſtr. *Sect. I. cap. 8. §. 3. p. 118. ſeqq.* varia ſine præcedente menſtruatione factæ conceptionis exempla adduximus, ita partum quandoque ſine cruentatione obſervari teſtantur autores. Univerſam enim nationem femellarum apud Tapujas in Braſilia per totum vitæ curſum catameniis deſtitui, nec minus prolem edere. Et in extremo ſeptentrione etiamnum vivere gentes, quæ ſine menſtruo tributo matres fieri poſſunt, ut refert Gualterus Charleton *de Cauſ. Catamen. Cap. 4. p. 39.* Mulier etiam, in pago Suffra in diſtrictu Eblebienſi, ruſtici cujusdam filia, Anna Barbara Kuntzin, per plures annos patri & matrifamilias fide & vita integerrimis usque ad annum ætatis ſuæ vigeſimum octavum ancillavit, dein ruſtico nupſit, in quo matrimonio tres peperit filios, ſanitate omnino integros. Dicta mulier nec ex eo tempore, quo virgo menſium fluxui matura fuit, nec per conjugii decurſum usque ad terminum vitæ unquam menſes paſſa eſt; imo poſt trium pancratice viventium filiorum partum, ne hilum ſanguinis, ante, per aut poſt partum, præter quædam ſeroſa & pituitoſa evacuata, profudit. Hæc mulier non ſolum ſingula vice ſine ſymptomatibus puerperas comitari ſolitis, ſed etiam ſine notabili quadam virium dejectione peperit, adeo ut paulo poſt ſingulum partum quædam negotia domeſtica repetiverit, præter conſuetudi-

partus ſine ſanguine.

tudinem puerperarum propter ſanguinis exhauſtionem ad ſimilia tractanda inhabilium, referente Johanne Georgio Sommero *M.N.C.Dec. II. An.1. Obſ. 41. p. 114.* Inquit etiam Marcellus Donatus *de medic. Hiſt. mirab. 23. p. 443.* Scimus nos in urbe noſtra mulierem fuiſſe fortem & audacem, manu promptam, iracundam & petulanti lingua, & ad contumelias pronam, quæ jure optimo virago erat appellata. Hæc nunquam menſtruas purgationes habuit & tamen bis utero geſtavit, ac bis peperit, primo maſculum, ſecundo femellam, ambo optime conformatos & plurima carne præditos. In partu excrementi menſtrui vix tantillum exivit, at in puerperio nihil penitus affluxit. Samuelis Geignart uxor ſancte affirmavit, ſe nunquam fluxu menſtruali laboraſſe, tum durante virginitate, tum etiam in matrimonio, in quo tamen ſeptem liberos peperit, & in puerperio lochia quoque exigua fuiſſe affirmavit, juxta Guil. Fabric. Hild. *Cent. V. Obſ. 41. fol. 428.* Anno 1628. Patavii binæ matronæ nobiles vixere graciles ac proceræ, quæ ſine menſium fluore concipientes peperere, nunquam a partu purgatæ, juxta Joh. Rhod. *Obſerv. med. Cent. III. Obſ. 54. p. 147.* Et Cornelii Hugonis uxor poſt difficiles viginti quatuor circiter horarum partus labores edidit filiolum, qui modo non naturali, binis videlicet pedibus brachiorum, alterum inter ſe medium comprimentibus, prodiit vigeſimo nono Junii 1680. A quo tempore illa debilis admodum, ac febribus impetita multum: nec purgata fuit. Quoniam itaque ipſi hæmorrhoides valde tumere animadvertebat Stalpartius, ſanguiſugas aliquot iis admoveri præcepit, quo remedii genere indies minuebatur febris viresque ſenſim redierunt; & poſt tumorem uteri tertia a partu hebdomade convaluit puerpera, nec quicquam ex utero præter parum albentis fœtentisque humoris omni illo tempore emiſit. vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſerv. Cent. I. Obſ. 78. p. 339. ſeq.* De femina, quæ fœtum ſanum firmæque valetudinis in lucem edidit, nullis prodeuntibus aquis & pau-

co

co ſanguine, obſervationem communicat Alardus Hermannus Cummenus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 132. p. 241.* quo loco aliam adhuc ex propria praxi obſervationem recenſet de civis cujusdam Luchovienſis uxore primipara, quæ juſto tempore parturiendi conatus experiebatur, aderat obſtetrix, infans etiam in recto ſitu & bene coronatus deprehendebatur; nihilominus parturiens eniti non valebat, locelli manebant ſicci, & licet membranæ disruptæ, ne guttula quidem aquæ prodibat. Durabant parturiendi conatus per biduum, incaſſum tamen laborabatur. Tandem intra bihorium enitebatur prægnans filiam ſanam firmæque valetudinis. Mirum! poſtmodum nullam vel omnino exiguam & vix ſenſibilem lochiorum ſecutam purgationem. Erat autem hæc femina pauci ſanguinis, adeo ut vix ſemel intra trimeſtre utero, ut ipſamet Cummeno retulit, purgaretur. Ibidem etiam *Obſ. CCLXV. pag. 479.* Johannes Georgius Volckamerus de femina Norimbergenſi ſequentia refert: Nata hæc triginta abhinc annis, ſanguineo prædita temperamento, aurifabro nupta, ſex liberorum feliciter enixorum mater evaſit: nunquam antehac qualicunque ſanguinis, vel etiam menſtrui fluxu laboravit, nec inſuper in partu vel aquam vel ſanguinem fundit, nullis etiam ſubſequentibus lochiis.

§. 26.

Circa partum maturum interdum occurrit quæſtio, an gravidæ fœtus maturi tempore magna hæmorrhagia laborantes ad partum ſint adigendæ? ad quam ita reſpondet Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 84. Schol. p. 321.* tyrones & chirurgi monendi ſunt, comparente ſanguinis profluvio ad enitendum feminas temere adigendas non eſſe, fœtu etiam exiſtente maturo, ſed expectandum tantiſper, ne ejus fluxum concitato ſpirituum motu magis promoveamus: neque etiam noviter nuptis, illo comparente, non concepiſſe imprudentius dicere debere, novimus enim, quibus reapſe gravidis ſanguis

hæmorrhagia ante partum.

ex utero manavit, & quidem aliquibus ad medium uſque geſtationis tempus.

§. 27.

uteri contractio poſt partum.

De uteri poſt partum contractione etiam notandum, quod, licet uterus poſt conceptionem ſucceſſive indies ratione magnitudinis atque craſſitiei augeatur, paulo tamen poſt fœtus excluſionem iterum imminui atque decreſcere incipiat, quod Guilielmus Harvæus *de Gen. anim. de Part. p. m. 529. ſeq.* ſequentibus verbis confirmat: in gravidis uterus ad fœtus incrementum dilatatur, & ingentem in molem excreſcit. Reperi eum ſtatim a partu, magnitudine capiti æqualem, & plusquam digiti majoris latitudine craſſum, vaſisque plurimis ſanguine plenis refertum. Profecto admirabile eſt & humanum ingenium plane ſuperat, tantam uteri molem tam brevi tempore, (nempe quindecim aut viginti dierum ſpatio tantopere decreſcere. Uterus enim, ſtatim ab excluſo fœtu & ſecundis, ſeſe ſenſim colligit, cervicem arctat, atque interiora verſus in locum priſtinum ſe retrahit & partim per diaphoreſin inſenſibiliter minuitur, partim in lochia ſolvitur. Juxta Gualther. Charleton. *de Cauſ. Catamenior. Cap. 3. p. 17. ſeq.* conſtat, uteri ſubſtantia ex carnoſo quodam fibrarum contextu, qui concepto fœtu, affluentium humorum ubertate, ſpongiæ in modum, imbutus, mirabilem gravidis diſtentionem admittit. Et tamen certiſſimum eſt, tantam uteri molem intra duas vel tres a partu hebdomadas per celebrem lochiorum expurgationem, ad priſtinam magnitudinem redire. Et ſecundum Olai Rudbeck. *Obſerv. anat. 14.* uterus poſt extractionem fœtus mox valide ſe contrahit, rugoſus atque complicatus fit, inſtar veſicæ urinariæ in expellendo ſeroi unde facillimo negotio pateſcit, uterum non extremo defungi in edendo partu. vid. Sibold. Hemſterhuis *Meſſis aur. p. 329.* Diſſecuit etiam Johannes Riolanus, uti *Anthropograph. Lib. VI. cap. 2. fol. 365.* refert, nobilem quandam mulierem, quæ viginti

quatuor

quatuor horis a partu deceſſit e vivis, aquarum copia, quibus abundabat thorax, corde ſuffocato; invenit autem uterum fere ad naturalem magnitudinem contractum, vix enim manus complicatæ amplitudinem æquabat; diſſecti uteri cavitas exigua erat, & adhuc cotyledones ſive tubercula granis milii ſimillima apparebant. De uteri fibris contractilibus & valde diſtractilibus vid. Hermann. Bœrhaav. *Inſtitut. medic. p. 135.*

CAPUT IV.
De
Partu difficili & facili.

§. 1.

SÆpiſſime etiam experiuntur feminæ partum difficilem, maximeque doloroſum ac periculoſum, cujus cauſa vel ab ipſa matre, vel a fœtu dependet; & quidem ratione prioris, quando femina eſt nimis juvencula & delicatula, vel etiam annoſa, earumque vagina uteri ſumme anguſta; vel quando puerpera in parturitione debitum laborem non adhibet, ſed doloribus & conatibus reſiſtit, vel quando eſt debilis aut ægrota, vel in ipſo partu moritur. Ratione poſterioris ſeu fœtus, quando vel capite, vel toto ſuo corpore humerisque major vel latior, geminus vel monſtroſus, item debilis aut male ſitus vel converſus eſt, ita ut vel pectore pronus vel ſupinus, vel natibus, vel uno brachio unove pede prodit, vel etiam quando membranæ nimis craſſæ ſunt &c. uti ex ſequentibus & aliis exemplis apparet. *Partus difficilis cauſæ.*

§. 2.

Uxor ſcilicet divitis cujusdam mercatoris per biduum patiebatur parturiendi conatum, unde delicatula eousque debilitata eſt, ut adſtantes illam judicaverint morti proximam. Aſſumta autem certa mixtura, illico gemellos eſt enixa optime poſtmodum habuit, referente Paulo Barbette *Prax. medic. Lib. IV. cap. 12. p. 20.* Alia femina quadraginta annorum, parturiens *ratione matris delicatæ.*

dolores magnos pertulit, quibus tandem infans vivus decente figura usque oſculum uteri internum depulſus eſt. At primipara tantos dolores ferre recuſans, viribus cohibitis, naturæ conatum obſtinate ſuppreſſit, donec die undecimo obſtetrix Johannis de Muralto auxilium imploraret. Igitur opem allaturus increpavit gravidam & hortatus eſt una cum adſtantibus ad ſuſtinendos, ſi urgeant, labores & conatus, ne periret proles. Aſt, quæ miſeria! viribus fractis, & conatibus jam evaneſcentibus nulla pariendi vis ſupererat, & infans ſpatium inter veſicam & alvum ita occuparat inhærens anguſtiis, ut nec excrementa, nec urina emitti poſſent. Femina tandem ad labores vel vi adacta caput infantis emortuum exitum moliri cœpit, quod cum apte ſub mento comprehendiſſet medicus, hiatuique calvariæ digitos deſuper inſeruiſſet, fœtum maſculinum integrum ſenſim eduxit. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 101. p. 236. ſeq.*

§. 3.

annoſitas. Annoſas difficulter parere, probat Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. med. phyſ. Cent. III. Hiſt. 1. p. 281.* inquiens: Anno 1685. menſe Novembri uxor vietoris cujusdam Gorlicenſis, quadraginta annos nata ex difficultate partus adhuc primipara laborans, fœtu ſic optime poſito ob dolorum ſeu niſuum ſuppreſſiones, jectigationes, conſiliorum ab obſtetrice aliisque mulierculis exhibitorum eluſiones pœnas proterviæ ſuæ luere coacta eſſet, dum ultra duodecim horas in hiſce anguſtiis conſtituta neque parere neque mori potuit, usque dum in conſilium ego vocatus miſiſſem pulverem meum contra partum difficilem vel centies expertum, doſi una alteraque aſſumendum, cum adhortatione, ut res ſuas animoſe, confidenter laborioſeque ageret. Sic auctis inde parturiendi doloribus filiolum ſatis ſanum vitalem excludebat in auras. Virgines adultas ſiccique habitus plerumque ſemper laborioſius parere, ait Johannes Pechlinus *Obſervat. phyſic. medic. Lib. I. Obſ. 26. p. 60.* Magna itaque parturien-

turientium felicitas ſita eſt in ætate juvenili, antequam membranæ omnes cutis & muſculi corrugati inareſcant, ita ut imminente partu viæ ægre amplius diſtendi aut amplificari ſe patiantur. Vetulis enim & ſeneſcere incipientibus, quanquam rite omnia eveniant, optimeque poſitus ſit embryo, accidit tamen ob vehementem oris uteri tendinoſi expanſionem, & oſſis ſacri pertinaciam (dum epiphyſes in apophyſes per ætatem degenerant) ut pariendi niſus ex voto non ſuccedant, vel etiamſi fortes fuerint, non bene impendantur, ſed ſupprimantur &c. juxta verba Johannis de Muralto *in M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 101. Schol. p. 237.* Unde ſcribit Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 94. p. 230.* merito primiparæ adultiores & ſicciores feminæ ultimis geſtationis menſibus aliquot diebus in balnea ſedeant emollientia matricemque roborantia, haud neglectis unguentis, vel oleis & ſalis armoniaci ſpiritu: formula balnei hæc ſit:

℞. Herb. Malv. Meliſſ. Artemiſ. ana Miij.
Flor. Chamomill. Melilot. Hyperic. Verbaſc. aa p. v.
Hord. integr. ℥vj.
Sem. Lin. ℥ij. Coq. in ſ. q. ▽ fluv. &c.

A balneo deterſa calens inungatur matrix Ol. Lil. alb. Verbaſc. & Chamomillæ.

§. 4.

Partus etiam ob puerperæ per inediam, evacuationes *debilitas.* nimias, per curas, morbos &c. deficientes vires, fit laborioſus, unde Hippocrates *Sect. V. Aphor.* ait: Quæcunque in utero habentes a febribus corripiuntur & valde attenuantur, ſine manifeſta occaſione, difficulter pariunt.

§. 5.

Dolores convulſivi & epilepſia difficilem partum cauſantur. Anno enim 1685. femina quædam ex pago *Hennersdorff* *convulſiones.* in finibus Laubæ Luſatorum, appropinquante jam partu, in tan-

tos abdominis inciderat cruciatus, ut per aliquot horas convulſa ſine intellectu, ſine voce, ſineque medicaminum deglutitione decumberet, quaſi exſpiratura. Ceſſante vero convulſionum ſævitia factum, ut fœtum tamen, difficili licet partu, in vitales auras excluderet, referente Hagendornio *l. a. Hiſt. 2. pag. 282.* Et *pag. ſeq.* hanc obſervationem addit: Anno 1681. uxor quædam juvencula per aliquot menſes jam gravida ob ſpectri tumultus in ædibus a ſe auditos nimis perterrita incidebat in epilepſiam tam horrendam, ut per viginti horas ſine ratione, modo vociferando, modo e lecto ſurgendo varieque ſe jectigando, quaſi obſeſſa, & marito & cognatis multum creverit moleſtiæ & lacrymarum. Poſt medicamenta antepileptica paroxyſmus per periodos tantum affligebat. Re per totam noctem ſic acta & alvo per enema ſoluta, niſus ſeu dolores parturiendi accedentes fœtum mortuum excluſerunt, malo epileptico dehinc remittente. Scribit etiam Johannes Baptiſta von Helmont *Tract. Vita multiplex fol. m. 444.* ſe vidiſſe mulierem, quæ nunquam caduco morbo correpta fuerit, niſi inſtante partus dolore, qui affectus etiam nunquam ceſſaverit, niſi poſt partum. Puerpera etiam primipara ſub ipſum partus tempus gravi paroxyſmo epileptico excruciabatur. Obſtetrix imperterrita partui vicinum fœtum ſentiens, paroxyſmo neglecto ſtrenue munia ſua exequitur feliciterque fœtum extrahit &c. annotante Samuele Ledelio *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſervat. 32. pag. 62.* De femina per tres dies noctesque ad partum laborante variisque convulſionibus afflicta, vid. Coſmi Viardel *von der Weiblichen Geburt Lib. II. cap. 25. pag. 106.* Sequentem obſervationem refert Guilielmus Harvæus *de Part. p. m. 515.* Novi juvenculam, quæ ob ſummum pariendi laborem in animi deliquium incidit, ſtatimque adeo conſternata, ſtupida & comatoſa facta eſt, ut nullis remediis excitari potuerit. Ad eam vocatus (cum clyſteres prius injecti eſſent, aliaque remedia idonea citra fructum ullum adhibita, nec quic-

quam per os deglutire poſſet) pennam ſternutatorio fortiori illitam in nares indidi, unde commota, (licet ſtupore usque adeo obruta eſſet, ut ſternuere, aut excitari nequiret) totius corporis convulſione quadam tentari cœpit, quæ ab humeris exorſa paulatim per totum corpus ad inferiora pertingebat. Quotiescunque autem ſtimulo hoc uſus ſum, promovebatur partus, tandemque inſcia matre, & in affectu comatoſo adhuc permanente, natus eſt infans ſanus & vegetus.

§. 6.

Parturientem ſuffocatione uteri convulſiva extinctam annotavit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſervat. medic. phyſic. Lib. I. Obſervat. 30. pag. 69. ſeq.* Mulier erat, inquiens, annorum duorum & viginti, quadrato & obeſo corpore, hæc ſe, ut eſt gravidarum appetitus ad noxia propenſus, crudis auſterisque fructibus oppleverat ſobriam diætam ſemper exoſa: accidit autem, ut proxime ante partum cum marito contentione maxima altercaretur, tandemque importuno litigio neſcio quas minas extorqueret. Vix hæc erant acta, cum partus dolores cumque iis occulta dudum vitioſorum humorum ſaburra erumpere cœperunt. Duraverant aliquandiu dolores, ſine ſub effectu, intercipiente reſpirationem flatuum copia, quam nec clyſteres, neque alia diminuere poterant. Mox animo linquitur, omnisque in anguſto labor eſt. Prodierunt quidem ructus nonnulli, ſed poſt iterum oppreſſa voce, gulæque, quod digito ſignificabat, vinculo injecto obdormiſcit; jamque hanc perpetuam noctem fore omnes credebant, cum interea miſſis ſubinde ſuſpiriis motibusque convulſivis, aut vitam, aut vitæ reliquias teſtaretur. Ægræ propinquans Pechlinus genas reperit roſeo colore perfuſas, cætero corpore livente, reſpirationem vel nullam, aut poſt longas cauſas ſuſpiriis interruptam, pulſum adhæc inſenſilem, verbo, omnia conclamata. Una interim ex præſentibus opiferisque feminis refert, in illa mor- *convulſio uteri.*

tis

tis imagine infantem ſuis ſe viribus clam inter ſtragula eduxiſſe, matre duntaxat gemitibus aliquot motibusque convulſivis mutationem prodente, quæ cum indicia mortis eſſe putarent, accidit ut partus ea fuiſſe ex ejulatu conſtaret. Poſt omnia quietiora, niſi quod trium horarum agonem ſuſpiria motusque convulſivi interpolarent, tandem etiam finirent. Sic mulierem prægnantem conjecit malignus vulvæ vapor in tam acerbas nervorum contractiones, ut pepererit; ignara tamen partum illum a ſe editum: derogans adhæc fidem, amicis id uno ore adſeverantibus. Ea quippe fuit hujus diſtentionis vehementia, ut ultra horas novem ſe extenderit, uti refert Nicolaus Tulpius *Obſervat. medic. Lib. I. cap. 10. pag. 24.* De tali partu ita ſcribit Lucas Schrœckius in Scholio ad Johann. Helwigii *Obſervat. 142. pag. 385. ſeq.* quodſi quandoque inſciæ mulieres pariant, laboresque in enitendo non perſentiant, easdem eo ipſo tempore aliis doloribus majoribus alteros illos quaſi minores obfuſcantibus vel morboſa quadam inſenſibilitate laborare credibile eſt.

§. 7.

pinguedo. An in paulo allegata femina obeſa aliquid ad partum difficilem pinguedo contulerit, non inquiram, interim juxta Chriſtiani Friderici Garmanni *Miracul. Mortuor. Lib. I. Tit. 9. §. 20. pag. 268.* verba ea, quæ partus in vivente matre moram promovent, huc etiam ſpectant, cumprimis vero ſecundum Hippocraticum oraculum *Sect. V. Aphor. 40.* Omenti, aut, ut olim exponebat Chriſtianus Langius, ſuminis nimia pinguedo. Et Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Cent. II. An. 7. Obſ. 35. pag. 76.* in obeſis pinguedinem difficilis partus cauſam eſſe ſcribit, vid. etiam Rod. a Caſtro *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 6. pag. 457.* Petr. Foreſt. *Obſerv. Lib. XXVIII. Obſervat. 71. Schol. fol. 751.*

§. 8.

ſcirrhus uteri. Si uterus ad ſui decentem contractionem quacunque

de

de cauſa ineptus fuerit, e. g. propter ſcirrhum uteri, quale exemplum annotavit Guilhelmus Fabricius *Obſervat. Chirurg. Cent. III. Obſervat. 57. fol. m. 242.* in matrona triginta annorum, quæ, cum quinto utero geſtaret, & finem noni menſis attigiſſet, doloribus parturientium correpta fuit circa horam decimam matutinam, qui tam acerbi, & motus fœtus tam vehemens ac impetuoſus fuit, ut vix unquam ſimiles viſos adſtantes referrent. Circa horam tertiam pomeridianam lipothymia & horrores maximi ſupervenerunt, quo tempore infantem in utero animam reddidiſſe, veriſimile eſſe videbatur. Circa undecimam nocturnam pulſus fere nullus percipi poterat, extremitates frigidæ erant, & ſudor frigidiſſimus totius corporis aderat, & brachium dextrum extra vulvam propendebat; & ſequenti die circa horam decimam fœtus naturæ ſatisfecit. Aperto ipſius ventre ſitus erat vitioſus, & exempto fœtu ſcirrhus duriſſimus, qui magnitudinem capitis infantis fere adæquabat, inveniebatur. Ille autem utero non ſimpliciter adhærebat, ſed ipſum corpus uteri in ſcirrhum concretum atque induratum fuerat. Porro ſcirrhum huncce cauſam fuiſſe mortis, nemo abnuere poteſt; quandoquidem uterus ratione hujus ſcirrhi ita anguſtus factus fuerat, ut cum mulieri adeſſet partus, ſeſe extendere non poſſet. De carnea in utero excreſcentia partum impediente hanc obſervationem annotavit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 94. pag. 135.* expleto, inquiens, geſtationis tempore femina Hafnienſis, haud ſortis infimæ, fœtum eniti nullo conatu potuit. Exſtinctus embryo miſeræ quoque matri acceleravit interitum. In aperto cadavere inventus quidem embryo, ſed adnata uteri orificio carnea excreſcentia viam occluſit omnemque egreſſuro exitum intercepit. Hinc ſuffocatur embryo, denegato ad vitam meatu fruſtra laborantem matrem aura maligna infecit. Militis cujusdam uxor anno 1624. ultra triduum parere non poterat, quia ejus uteri os cervicis arcte clauſum erat, ipſaque

ſectionem cæſaream ſuſtinere nolebat. In hujus puerperæ defunctæ corpore aperto uterum in dextra parte disruptum, & infantem extra uterum poſitum, ſcirrhumque inſignis magnitudinis, à fundo uteri incipientem & ad os uteri deſinentem invenit Tobias Knoblochius archiater Onolsbacenſis. v. Greg. Horſtii *Oper. Tom. II. Lib. II. Obſervat. 5. fol. 268.* Simile fere exemplum refert Guilh. Fabricius, Hild. *Obſervat. chir. Cent. I. Obſervat. 67. fol. 51. ſeq.* de honeſta quadam matrona, totos ſex dies parturiente, cujus uterus in ſectione laceratus & caput infantuli in ventris capacitatem dimiſſum inveniebantur. Hujus autem difficultatis parturiendi cauſa fuerat ſcirrhus, qui magnitudinem capitis infantuli propemodum adæquabat, & obſiſtebat, quo minus uterus tempore prægnationis ſeſe ſatis extendere, & parturientis violentum motum fœtus ſuſtinere potuerit. vid. etiam Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. XXVIII. fol. 1572. ſeq.*

§. 9.

fœtus abdomine extra uterum diſruptum.

Occaſione rupturæ uteri a ſcirrho, cujus modo in his ultimis obſervationibus mentionem fecimus, alia quoque exempla, in quibus non modo difficilis, ſed etiam plane impoſſibilis partus, ab uteri ruptura non æque ex ſcirrho, ſed ex aliis cauſis, exorta, ab autoribus annotatus legitur, adducenda eſſent; quia vero jam ſupra *Sect. III. cap. 3.* & alibi multas ejusmodi hiſtorias recenſuimus, ex eodem loco evolvi poſſunt. Plura uteri diſrupti oſſisque pectinis malæ conformationis cum partu impedito exempla in Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. XXXVIII. fol. 1374.* reperiuntur. Pertinent tamen huc illi quoque infantes, qui in conceptione ad uterum non pervenerunt, ſed ſecundum locum allegatum, ſtatim ex ovario in abdominis cavitatem ſunt prolapſi, ex qua non niſi per exciſionem (de qua paulo infra pluribus agemus) liberari poſſunt, quale rariſſimum exemplum de fœtu humano poſt unum & viginti

ginti menſes, ex utero, matre ſalva, exciſo exhibet Abrahamus Cyprianus *Epiſt. ad Thomam Millington.*

§. 10.

Infantis excluſionem prohibet etiam vulvæ atque vaginæ uteri nimia anguſtia ipſiusque orificii inſolita arctitudo ſive naturalis ſit ſive ex ſtatu morboſo inducta, ut ita talismodi equidem feminæ concipere, difficulter vero vel plane non fœtum eniti posſint. De fœtu enim vivo ob arctum uteri oſculum per quinque dies retardato hanc obſervationem refert Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſervat. 94. pag. 229.* Femina triginta annorum primipara a quinque diebus partus dolores ingentes ſuſtinuit, capite infantis ad oſculum usque provoluto, quod tamen nullo molimine edi potuerat: vocatus matricis tendinoſum cingulum ſeu oſculum vertici infantis apte & arcte applicatum, perunctis locis, pollice circumcirca dilatavi & ſenſim diduxi, medicamenta fœtum pellentia matri porrexi, alacriter feminam ad labores inſtigavi, quo tandem puer natus eſt debilis. Ob talem etiam anguſtiam infans eruptione facta matricem laceravit, totoque capite in ventris capacitatem delapſus, & contracta matrice, ſtrangulatus deprehenſus fuit, ſecundum annotationem Guilh. Fabricii, Hildani, *Obſerv. chir. Cent. I. Obſerv. 64. fol. 51.* qui anno 1593. Coloniæ aurificis uxorem, ex partu mortuam diſſecuit. Hujus fœtus caput in lævam ventris capacitatem per uteri rupturam erat dimiſſum, atque matris pars nervoſa circa infantis collum contracta, quæ ipſum procul dubio ſuffocarat. Mater totos undecim dies parturiens fuerat, obſtetricibus fruſtra adhibitis, quum multo ante mortuus eſt infans, in utero ſolo extante lævo brachio, quod propendebat. Dixit autem obſtetrix, anguſtisſimi oris matricem feminæ iſtius fuiſſe, unde magnus extans fœtus per viam anguſtam erumpere nequiverit, robuſtus quantumvis fuerit. Anguſtiam autem illam

orificii anguſtia nimia.

partim naturalem, partim quoque ab ætate (agebat enim tum puerpera trigeſimum ſeptimum annum, neque unquam antea uterum geſtaverat) fuiſſe arbitratur dictus Fabricius. Idem autor etiam *Epiſt. ad Dœringium Oper. fol. 906. ſeq.* meminit feminæ, quæ in diem ſextum usque partus doloribus & iis quidem maximis, afflicta fuerat, fœtum tamen alioquin maturum validum, & egredi ex utero conantem excludere non potuerat, quia genitalia adeo anguſta habebat, ut Hildani manum vix admitterent, qui tamen vivum, ſed admodum imbecillem fœtum extraxit. Sic ait etiam Rodericus a Caſtro *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 6. pag. 457.* ad partus difficilis cauſas ratione matris, pertinet præcipue omenti nimia extenuatio & ſiccitas, ſic ut ligamenta dura extenſaque partui non cedant, qualia plerumque habent annoſæ, quadrageſimum annum excedentes, quia in iis uteri muſculi exſiccati ſunt & minus extenſibiles. Quandoque etiam propter orificii & cervicis uteri anguſtiam præternaturalem partus fit difficilis, v. g. ſi ab ani fecibus durioribus & veſicæ calculo comprimantur, aut ab enaſcentiis diverſis conſtipentur.

§. II.

Atreſia. Huc pertinent etiam atretæ, ſive feminæ anguſtæ ſeu arctæ, obſtructæ, clauſæ vel penitus imperforatæ, quibus a nonnullis neque mentulæ virilis in uteri vaginam ingreſſus, neque etiam fœtus ex utero in lucem egreſſus conceditur. Quia vero de atretarum denominatione, diſtinctione, clauſura naturali & accidentali, item de earum coitu, matrimonio, conceptione & partu difficili, denique de earum divortio atque cura in Gynæcolog. noſtr. *Sect. II. cap. 2. §. 5. ſeqq. pag. 131. usque ad pag. 210.* prolixe egerim, brevitatis gratia curioſum lectorem ad illum tractatum remittere volui, unicam adhuc obſervationem annectendo. Inquit ſcilicet Guil. Harvæus *de Part. pag. 518.* novi mulierem, quæ a difficili & laborioſo partu integrum

tegrum vaginæ ambitum interiorem laceratum atque excoriatum habuit, adeo ut, finito puerperio, licet gravida denuo fieret, tamen non ſolum orificii pudendi latera juxta nymphas coaleſcerent, ſed totius quoque vaginæ cavitas, usque ad internum matricis oſculum prorſus connaſceretur, unde nec virili membro, nec ſpecillo quidem ingreſſus patuit, neque menſtruorum fluxui egreſſus. Inſtante itaque pariendi tempore torquebatur miſella perquam miſeris modis, omnemque ſpem deponendi ſarcinam abjecerat: quare traditis marito clavibus, ordinatisque rebus ſuis amicis præſentibus valedicit. Cum ecce inopinato robuſti admodum fœtus ſummo conamine, totus ille tractus disrumpitur, fitque inſperatus partus, & validus infans, ſibi matrique ſuæ ſalutis autor exſtitit, viamque apertam aliis poſt naſcendis reliquit. Idoneis enim adhibitis remediis mater priſtinam valetudinem recuperavit.

§. 12.

Inſerenda hoc loco etiam eſt obſervatio Friderici Ruyſchii de partu mirabili, in quo inſolita viarum clauſura arte fuit reſerata *in Obſervat. anat. chirurg. Obſerv. 22. pag. 27.* ubi ait: Mulierem poſſe concipere aut gravidam fieri utero ipſo e corpore ex parte propendente, non abſolute negandum eſt, quia illud ſemel in matrona quadam obſervavi. Non minus rarum eſſe cenſeo, mulierem impraegnari ſalva manente membrana hymene, idque ad tempus partus. Aſt rariſſimum, vaginam uteri, tempore partus, membrana præternaturali pone hymenem eſſe clauſam ſicut jam recenſebimus. In foſſa principis, e regione foſſæ, tabacum vendebat Jan. Pieterſz. Hujus uxor in partu verſans fœtum in lucem edere non potuit, quantumvis conatus & labores partus eſſent adeo vehementes, ut clamoribus ejus tranſeuntes in dicta foſſa detinerentur. Tandem me vocari juſſerunt, huic operi admotæ duæ obſtetrices, jamjam enim moritura videba- *membrana craſſa vulvæ.*

tur miſera illa patiens, explorata difficultatis partus cauſa, inveni membranam hymenem eſſe integram, valde craſſam, & a fœtus capite, exitum quærente, foras extenſam. Hoc viſo, incidendam eſſe dictam membranam, judicavi. Vocantur chirurgi, & ſtatim inſtituta eſt operatio forcipe & ſtilo excavato, ne fœtus caput læderetur. Hac facta inciſione fruſtra fœtus excluſionem expectavimus, propter alteram præternaturalem membranam, craſſam, vulvam profundius claudentem, fœtusque exitum impedientem. Hac obſervata membrana ſpem in auguſto eſſe judicavi: ne tamen ſimul cum fœtu periret mater, hujus inciſionem moliti ſumus. Quid fit? illico operatione peracta in lucem editur fœtus vivus, ejulatibus vires ſatis robuſtas prodens, & poſtea ſalubriter vixit. Hiſoe omnibus non ſine ſummo levamine peractis, quæ jamjam videbatur cum fœtu moritura mater Dei favore eluctabatur.

§. 13.

abſceſſus uteri.

Ob uteri abſceſſum partum impeditum annotavit Johannes Jacobus Wenceslaus Dobrzensky *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 180. p. 277.* inquiens, anno Domini 1670. menſe Auguſto uxor militis cujusdam laborabat quinque aut ſex diebus doloribus partus, infans primis diebus vivus perſentiebatur, tandem nulla ſigna vitæ edens, & matrem jam doloribus fractam e vivis ſubſequi fecit. Aperto defunctæ utero tantus fœtor emanavit, ut, etſi in atrio domus res facta fuerit, præ abſurdiſſimo tamen fœtore nemo ſat longo tempore accedere potuerit; tandem exempto jam mortuo infante collum uteri abſceſſu turgidum reperi, ſaniemque emanantem teterrimo fœtore nares percellentem. Hoc autem obſervatu dignum circa fœtum reperi: infantem bene formatum & alias ſanum fuiſſe, &, dum inſtabat hora exitus, ipſummet conatum fuiſſe viam quærere, per quam exiret, cumque eadem ob tumores eidem non patuiſſet, tamen tantos impetus fortitudinis propriæ exeruiſſe, ut

ma-

magnam partem cranii in parte dextra ad intra ſibi compreſſerit, ex quo clare eluceſcit, non ſolum vim expultricem uteri facere ad protrudendum fœtum, ſed & ipſum infantem allaborare ad ſui e carcere illo tenebrarum ad lucem liberationem.

§. 14.

De mirabili figura uteri pro cauſa partus difficilis atque lethalis obſervationem communicat Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Deb. II. An. 5. Append. Obſ. 108. p. 68.* Macilenta ruſtica Haynæ in Franconia in difficili partu conſtituta ad orificium uteri ſentiebat durum aliquid & craſſum, etiam tactui obſtetricis manifeſtum, quod fœtui exeunti ad triduum usque obicem poſuerat. Tandem aptis remediis hic mortuus expulſus, remanente nihilominus notabili tumore, præſertim in dextro abdominis latere, ut omnes fere crederent, adhuc in utero ſuperſſe infantem, quem omni modo propellere conabantur adſtantes. Sed altero die moritur mulier. Cadavere aperto, vidit Kellnerus uterum bicipitem monſtroſum, ibidem depictum. ***uterus monſtroſus.***

§. 15.

Partus difficilis etiam oritur, ſi arctior conjunctio oſſa pelvim conſtituentia intercedat, aut os coccygis minus flexile ſit, quemadmodum hujus ſolius culpa nonnulli juvenculas præ annoſis facilius parere putant, quod tamen rectius osſium indigitatorum compagi alii tribuunt. Quid autem de hac osſium pubis, ilium & coccygis conjunctione eorumque diductione atque dehiſcentia in partu medici diverſimode judicent, paulo ſupra Cap. III. paragrapho tertio & ſequentibus, prolixe adduximus. De partu impedito ob osſis pectinis malam conformationem & ob apophyſin non naturalem in interna oſſium pubis facie, vid. Theoph. Bonet. *Sepulchr. Lib. III. Sect. XXXVIII. f. 1374. ſeqq.* In cadavere honeſtiſſimæ mulieris, in difficili eam ob cauſam puerperio vita functæ, apophyſin prolongam præter natu- ***oſſa pubis arcta.***

naturam oſſi pubis ſiniſtro innatam a ſe pluribusque aliis medicis ac chirurgis Lutetiæ viſum fuiſſe, refert Severin. Pinæus *Lib. II. p. 109.* Secundum Franc. Sylv. *Prax. med. Lib. III. cap. 7. §. 73. p. 544.* non ſuccedit partus, ſi excreſcentiæ fuerint oſſeæ in fœtus viis protuberantes. De tali apophyſi vid. Caſp. Bauhini *Theatr. anat. Lib. I. cap. 49. p. 172.*

§. 16.

aquarum amnii intempeſtiva effuſio.

Sicuti etiam ad partum facilem multum confert viarum lubricitas, quæ ab aquis amnii, in vel proxime ante partum, ex diſruptis vel laceratis fœtus membranis, effluentibus dependet, ita econtra tales partus viæ, ob nimis citam, vel diu ante partum factam rupturam hincque intempeſtivam aquarum effuſionem minus lubricæ ac tenſiles, ſed aridæ & rigidiores reperiuntur, ideoque partus longe difficilior expectandus eſt. Quod confirmat Lazarus Riverius *Prax. Medic. Lib. XV. cap. 18. Tom. II. p. 412.* ubi ſcribit: Contingit difficultas in partu, quando membranæ fœtum obvolventes tenuiores ſunt, ut citius, quam par ſit, diſrumpantur; unde ſequitur præcox aquarum effuſio, ſicque reſiccatum manet uteri orificium, tempore excluſionis fœtus. Et Daniel Hoffmannus *Annot. in Govey p.* 102. ait: Lubricatio illa eſt utiliſſima, hinc partus difficiliores, qui diu poſt effuſionem aquarum, ac tardius proin contingunt, magno ſæpe periculo & moleſtia fœtus & matris. vid. etiam *p. 103.* Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſ. Phyſ. medic. Lib. I. Obſ. 29. p. 67.* lympha, inquit, uterina, quæ & antecedere & comitari partum ſolet, ſi maturius juſto tota excutiatur, ſiccatis tum mora naturalibus, neceſſe eſt partum fieri laborioſum, ut qui maxime lævore illo mucilaginoſo in tanta viarum anguſtia rugoſaque contractione adjuvetur &c. In ejusmodi etiam caſu non immerito pro viarum lubricitate medici olea, pinguedines & mucilagines pro larga partium genitalium inunctione obſtetricibus ordinare ſolent. Exemplum partus difficilis ab aquarum effuſione recen-

ſet

ſet Baldaſſar Timæus a *Güldenklee Caſ. medicin. Lib. IV. Caſ. 25. p. 223.* ſcilicet illuſtriſſima quædam femina pariendi laboribus ſubito prehenſa multum aquæ excernebat ab utero, paulo poſt dolores ex toto remiſere, usque in diem tertium, quo iterum recruduerunt, fœtu in cervice uteri adeo tenaciter ſubſiſtente, ut ne latum quidem unguem progrederetur, exitus itaque ut artis opera haud cunctanter promoveretur, maritus & adſtantes anxie flagitabant. Cum proinde parturientem viribus ſatis conſtare, fœtumque modo naturali in caput converſum deprehenderem, partus difficultatem in viis, in quibus fœtui transeundum, hærere judicabam, quatenus ruptis ob tenuitatem tempeſtivius membranis, aquæ muliebria lubricitantes, nimis cito effluxere: Vias itaque lubricitandas & laxandas eſſe duxi, præſcripto in hunc finem linimento, quo obſtetrix partes genitales in momenta perungeret:

℞. Ol. Lilior. albor. Amygdal. dulc. ana ℥iß
Cheirin. ℥ß
Pingued. gallin. ʒvj.
Mucilag. Semin. Lini c. aqu. Malv. extract. ℥ß
M. f. Linimentum.

Interea ad facilitandum partum exhibui potiunculam meam contra δυςοκίαν vel centies expertam:

℞. ▽ Meliſſ. Artemiſ. Cinamom. hyſteric. noſt. ana ℥j
Myrrh. elect. ℈jß
Succin. alb. præp. ℈j
Croc. ℈ß. M. f. Potiuncula actu calide haurienda.

Elapſo circiter ſemihorio vehementes circa pubem dolores ſuborti felicem laboribus iſtis cataſtrophen impoſuere, excluſo elegantis formæ filiolo, niſi quod caput ad reliqui corporis proportionem aliquanto majus videbatur, cauſa procul dubio tardioris difficilisque partus. v. etiam ſupra *Cap. 1. §. 6.*

§. 17.

item. De aquarum ante partum fluxu præmaturo ſequentem obſervationem & cautelam practicam exhibet Johannes Nicolaus Binningerus *Obſervat. medic. Cent. I. Obſ. 85. p. 94.* Die 20. Julii 1654. nobilis uxor juvenis in aliquot horarum itinere concuſſa parturientis dolores ſentire viſa eſt ante tempus, fractis infantis, quem gerebat utero, involucris, aquarum copioſum effluvium pati cœpit, certis repetens intervallis. Jubetur ab ignara obſtetrice (durante interluvio) geminare conatus quatriduum integrum, obſequitur in omnibus inſueta partui. Tandem filium, ſed exiguum admodum enixa eſt. Hoc idéo notatum volui, ut diſcant juniores medici, in parturientibus temere nihil præmaturandum, nec membranarum rupturam eſſe promovendam, ſed patienter expectandum, quo, cum partus tempus appetiverit, ſufficiant & matri, & infanti vires ante illud fruſtra diſſipandæ, in utriusque plerumque perniciem. Aliam obſervationem de aquis longe ante partum fluentibus & partu matri ac infanti lethali vid. ibidem *Cent. II. Obſ. 100. p. 241.* De femina jam triduum in difficili partu laborante, cujus uterus ob elapſas aquas valde erat exſiccatus, vid. Joh. Broen *Animadverſ. in Henr. Regii Prax. med. Lib. III. Cap. 51. p. 617. ſeq.* Unde inquit Daniel Hoffmannus *Annotat. in Hypoth. Govey. p. 102.* lubricationem viarum eſſe utiliſſimam, quia partus, qui diu poſt effuſionem aquarum ac tardius proin contingunt, difficiliores ſunt, & magno ſæpe fœtus & matris periculo & moleſtia fiunt. Et ipſe Govey *l. a. p. 117.* ſcribit: ſi effuſis dudum aquis infantem ambientibus ille diutius adhuc ſine tendentia ad partum in utero ſiccus quaſi maneret ac moram traheret: hoc quidem caſu laborioſus foret partus, cum partes vix poſſent ſatis dilatari ad transmittendum infantem; ac tunc quidem humectandæ ſunt partes iſtæ oleo ac pinguedine emolliente, manumque iis decet inungere, ut immitti queant digiti in orificium uteri internum, ab indice incipiendo, poſt medium inſerendo, dein annula-

annularem, minimum tandemque pollicem. Cum omnes digiti inſerti fuerint orificio interno, ſenſim illi ſenſimque diducentur a ſe invicem, ut pars illa dilatetur eousque, donec ſufficiens pateat educendo fœtui ſpatium, qui pedibus quidem arripiendus extrahendusque erit.

§. 18.

Interdum etiam partum difficilem reddit aquarum in amnio collectarum mora, dum nimirum membranæ fœtum cingentes inſtante partu non rumpuntur, uti probat Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. med. phyſ. Cent. III. Hiſt. 11. p. 295.* inquiens: Etiam in aquæ puerperalis excretione natura ludit, eadem vel partum diutius anticipante, vel in ipſo partus actu fluente. Anno 1687. d. 14. Maji vocatus ego ad uxorem generoſi cujusdam viri in ducatu Gorlicenſi, nudius tertius ex hæmorrhagia uteri copioſa laborantem, quæ, licet per duodecim horas dolores parturiendi atrociſſimos experta eſſet, nihil aquæ tamen profudit, usque dum fœtu mortuo tunicam mole ſua rumpendo quaſi aquæ fluxum concederet, ſequente eam mox fœtu. Quod autem membranæ interdum in partu non ſtatim rumpantur, in cauſa eſt ipſarum craſſities, hinc etiam Philippus Fraundorffer *de Morb. mulier. cap. 5. p. 49.* primam difficilis partus cauſam ponit, ſi membranæ fœtum involventes craſſiores ſint, ut a fœtu vel nullo modo, vel non ſine difficultate rumpi poſſint: nam quando mulieri partus appropinquat, tunc puero ſe movente, & manibus ac pedibus calcitrante pelliculam quandam internam rumpi contingit; rupta autem una, etiam aliæ debiliorem vim habent & rumpuntur, primum quidem illi contiguæ & cohærentes, poſtea externæ, cum autem ruptæ fuerint pelliculæ, tunc fœtus a vinculo ſolvitur & agitatus foras procedit. Imo dubium quoque mihi non eſt, ſi ob membranarum craſſitiem partus nimium retardatur, hunc amnii liquorem, quaſi *aquarum mora.*

gelatinoſum, degenerare in mucaginem viſcidam, quæ partum potius impedit, quam promovet. v. etiam §. 21.

§. 19.

nulla aqua. Quandoque etiam neque ante, neque in, neque poſt partum ejusmodi aquas amnii obſervari, ſupra *cap. 1. §. 9.* ex Alardi Hermanni Cummeni obſervatione de parturiente ſine aquis, adduximus; quo loco, ex *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſervat. 132. pag. 242.* dictus autor pergit: Mirum poſt hunc partum nullam vel omnino exiguam & vix ſenſibilem lochiorum ſecutam purgationem. Intra hujus curationis tempus, ut & poſtmodum diligenter inquiſivi, an aliquot ante parturitionis tempus diebus, ſeptimanis vel menſibus, quoppiam uteri ſenſiſſet diluvium: etenim licet ordinarium ſit, quod, aquis emergentibus, dolores partus intra trium horarum ſpatium ſequantur, nihilominus & haud rarum eſt, immo quotidianum, partum aquis jam progreſſis retardari ad ſex, decem, immo etiam viginti horas: quin & Amſtelodami ante aliquot annos notavi trium ſeptimanarum & trium dierum ante partum ſpatio accidiſſe ſymptomaticum hoc diluvium ſalvo manente fœtu & juſto egrediente tempore. Sed contrarium ſemper aſſerebatur. De partu ſine aquis refert etiam Johannes Ludovicus Hannemannus, quod obſtetrix quædam fideliter ipſi dixerit, ſe non ſemel vidiſſe, quod feminæ peperint ſine aquis, ac harum aquarum receptaculum prorſus ſiccum inventum, verum partum tum ſemper eſſe difficilem. Et ſi eveniret, quod hæc ordinaria diluvies effluueret juſto citius, tum partum remorari ad ſex, duodecim, viginti quatuor horas vel etiam ad tres dies.

§. 20.

dolores. Oritur etiam partus difficilis, ſi dolores, ob lympham viſcidam atque lentam, quippe qua obducuntur partes nervoſæ, ne fœtus conatus vel alia irritamenta facile perſentiant, deficiant, vel ſi interrupti & retrogradi ſeu inverſi quodammodo par-

parturientis conatus fuerint, (*wenn die Wehen nicht anhalten*) uterum haud feriunt (*nicht aufs Kind gehen, ſondern* ſecundum obſtetricum loquendi formulam *über ſich ſteigen*) id quod plerumque ab animi motibus, pudore ſcilicet, tumore, terrore, animi deliquio fieri poteſt; qualia ſymptomata quotidie obvenire ſolent. Interdum maritum pro uxore puerpera dolere & decumbere, exemplo probat Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſtor. 79. pag. 155. ſeq.* inquiens: Laurentius portitor arcis Fridericiburgenſis ſingularem cum uxore conſenſum aluit. Quotieſcunque inſtante partus momento uxori utero dolores exoriebantur, ille quoque magnos dolores & cruciatus ſentiebat, ut mire hinc inde ſe torqueret. Superſtitio vulgi mentes obſedit, maritum participem fiere puerperæ dolorum, ſi tunica puerperæ imponatur lecto mariti. Novi & ego conjuges, ſi mulier gravida primis menſibus nauſeabunda vomitet, vomere & maritum. Rationem in utriusque conſenſu quærit Bartholinus, inquiens: Conſenſum amor arguit, qui tam efficax eſt, ut uno patiente alter condoleat. Augetur conſenſus ex utriusque temperamento ſimili, quod arctius inter conjuges vinculum nectit. Hinc jam ratio patet, cur uxore afflicta maritus in conſenſum trahitur, quemadmodum uterini fratres unoque ſanguine creti, etiam locis diſſiti ſimul variolis aliisque malignis morbis ſæpe corripiuntur. Ita etiam nonnullæ obſtetrices dolores poſt partum præcaveri ſtatuunt, dum tres guttas lochiorum, in hauſtu vini, puerperæ marito propinare ſolent, quas ex intempeſtiva commiſeratione viros etiam prudentes & eruditos ingurgitaſſe, ſe noviſſe ſcribit Michael Bernhardus Valentini *Animadv. in Machiavell. med. Propoſ. X. pag. 30.*

§. 21.

Partum difficilem in plethorica annotavit Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſervat. 103. pag. 244.* in muliere Kirchbergenſi viginti annorum, quæ ſanguinea & pri- *plethoræ.*

mum gravida toto geſtationis tempore venæſectionem neglexerat; cum vero partus inſtaret, conatus impendere nequibat. Mittebatur ad Muraltum obſtetrix, accedebat etiam maritus conſilii capiendi gratia. Suadebat Muraltus venæſectionem in brachio dextro ſufficientem, qua celebrata parturiens puerum vegetum feliciter enixa eſt.

§. 22.

membranæ craſſæ amnii. Fœtus vero intuitu partus redditur difficilis, ſi ipſum involventes membranæ craſſiores juſtoque firmiores ſunt, ut nec infantis nec puerperæ molimine diſrumpi queant, ut adeo in tali caſu plerique medici ac chirurgi earum lacerationem ac diſciſſionem commendent, vel etiam obſtetrices absque præſcitu medici easdem unguibus diſcerpant. Juxta Thomæ Bartholini *Tr. de inſolit. Part. viis cap. 3. pag. 18. ſeq.* naturalem fœtus exitum prohibet membranarum involventium denſitas, quæ neque a fœtus calcitratione, neque pondere, neque ſtagnantium lochiorum copia, neque puerperæ niſu poſſunt rumpi. Remoratur non raro felicem partus progreſſum nativa tunicæ choroides craſſities & nonnunquam prorſus impedit velut objecto vallo, quod niſi vi externa accedente, amoveri non poteſt. Ob eandem denſitatem quandoque etiam integer conceptus illæſis membranoſis ſuis involucris incluſus in lucem excludi ſolet, uti *cap. 3. §. 14. ſeq.* vidimus. De neglecta harum membranarum dilaceratione hanc obſervationem refert François Mauriceau *Obſervat. 662. pag. 384.* Il y avoit cinq jours entiers, qu'une femme éſtoit en travail d'un enfant, n'eſtant asſiſtée que de ſa ſagefemme. J'avois veu cette femme deux jours auparavant, qui ſeroit indubitablement accouchée, ſi en l'état où je la trouvay, la ſagefemme euſt rompu les membranes de ſes eaux, comme je luy avois recommande de faire d'abord, qu'elles ſeroient un peu plus preparéés, qu'elles n'eſtoient alors; ce qu'ayant negligé & les

mem-

membranes eſtant tres fortes & les douleurs petites, elle laiſſa encore languir inutilement cette femme ſans la ſecourir, comme je luy avois conſeillé; ce qui fit perir l'enfant a force de demeurer trop long temps prés du paſſage dans une ſituation fort contrainte; le quel enfant cette ſagefemme avoit indubitablement ſauvé, ſi elle euſt executé ce que je luy avois bien expreſſement recommendé. Mais cette femme laſſée enfin de la longueur de ſon travail, m'ayant renvoyée querir, je rompis ausſitoſt moy meſme les membranes de ſes eaux, & je l'accouchay un quart d'heure enſuite d'un gros enfant mort &c.

§. 23.

Item ſi funiculus umbilicalis ſolito brevior, vel etiam longior, atque infantis membris præter naturam circumvolutus fuerit, ut hic ſe minime loco movere neque partum moliri valeat, difficilis partus metuendus eſt. Inquit enim Mauriceau *l. a.* la brieveté du cordon de l'ombilic peut contribuër à rendre toutes les douleurs du travail de la mere tres-lentes, & toutes entrecoupées. Et *Obſervat. 87. pag. 397.* refert ſequentem hiſtoriam, de l'accouchement d'une femme, qui eût un travail tres-long, à cauſe de l'extreme brieveté du cordon de ſon enfant. Le 26. Juillet 1693. j'ay accouché une femme d'une petite fille, au terme de huit mois & une ſemaine, ou environ, qui avoit le col embaraſſé d'un tour de ſon cordon, qui eſtant de ſoy naturellement tres-court, avoit eſté cauſe, que la mere, non obſtant la petiteſſe de ſon enfant, eût un travail tres-long & fort laborieux, par la mauvaiſe qualité de ſes douleurs, qui furent toutes entrecoupées durant plus de vingt quattre heures, leur mouvement rejailliſſant toujours vers les reins, & dans le ventre, en maniere de barre, au lieu de répondre en bas comme les bonnes douleurs ſont ordinairement: & comme l'extreme brieveté de ce cordon ne pouvoit pas permettre à l'en-

Funiculus umbilicalis.

l'enfant d'eſtre pouſſé au paſſage ſans tirailler en meſme temps l'arriereſaix, cette diſpoſition avoit eſté cauſe, que cét arriereſaix s'eſtant en partie detaché des le commencement du travail de cette femme, elle avoit eû une perte de ſang, qui quoyqu'elle ne paruſt que petite au dehors, avoit neanmoins eſté aſſez conſiderable au dedans, comme je m'en apperceûs, par pluſieurs gros caillots de ſang noir & recuit, qui ſortierent dela matrice dans le mesme temps que je la delivray de l'arriereſaix, ce qui avoit tellement affoibli l'enfant, qu'il mourut le jour enſuite. Il faut remarquer, que ce qui avoit acceleré de trois ſemaines entieres la naiſſance de cét enfant, eſtoit la mesme briéveté de ce cordon, qui ne luy avoit pas laiſſé une entiere liberté de ſe tourner la teſte en bas, comme tous les enfans ont couſtume de faire vers le dernier mois de ſa groſſeſſe, ſans tirailler en mesme temps l'arriéreſaix, comme j'ay dit. vid. etiam ſupra *Sect. I. cap. 3. §. 16.*

§. 24.

funiculus longus

De partu difficili a funiculi umbilicalis circa varias corporis infantis partes circumvolutionibus, item ab infante prævia vena umbilicali prodeunte, vid. Henric. a Deventer *de Obſtetricant. cap. 18. pag. 161. ſeqq.* ubi inquit: nullus fere ſitus eſt infantum, quem non comitari poſſet præmaturus venæ umbilicalis partus, quo ſcilicet funiculus ille prævius in oſtium defertur, ſive ſolus ſive cum alio quodam membro, capite nimirum, pedibus aliaque corporis parte conjunctus; hoc autem plurimum fit, ſi longior fuerit, neque uni vel alteri infantis membro circumvolutus. Varie circumvolvitur funiculus umbilicalis, ſcilicet medio corpori, ventri, collo, brachiis vel cruribus, unde multa proveniunt incommoda, laborque ingraveſcit &c. Partus difficiles fieri non ſine matris & fœtus vitæ diſcrimine, cum funiculis umbilicalis infantis collo, vel cruri ſimul & alteri, vel utrisque obvolutus invenitur aut

ſen-

ſentitur, & niſi in tempore ab obſtetrice evolvatur, ſub enixu infans facile ſtrangulatur, ſcribit Johannes Helwigius *Obſerv. 143. pag. 386.* Iſta enim vaſorum umbilicalium congeries ex uterina placenta procedens ſupra frontem embryonis naturaliter utplurimum fertur, atque reflexa per occipitium decurrens ad umbilicum dein ſolet deſcendere. Si itaque anteriori etiam parte delabatur collumque circumdet, quia hac ratione brevior evadit, fœtum retrahendo vel ſimul ſecundinam cum fœtu ad exitum rapiendo partum reddere difficilem, imo in ipſo egrediendi conatu embryonis fauces laquei inſtar, conſtringere eumque ſtrangulare poteſt. Talia circumvolutionum exempla quotidie obſtetricantibus occurrunt, quorum aliqua *Sect. I. §. 8.* adduximus. Vidit inſuper Thomas Bartholinus funiculum umbilicalem callo aliquoties circumductum, unde ad horas pluſculas dilatus partus, prodiensque infans vix ſpiritum trahebat, uti ait *Anatom. renov. Lib. I. cap. 37. p. m. 318.* Uxor quædam circa undecimam cœpit ſentire partus dolores: tertia peperit cum ſatis magna difficultate: Puer fere ſuffocatus eſt ob vaſa umbilicalia duabus vel tribus circumvolutionibus ambientibus collum, ſic ut natus clamare non poſſet, uti ex Bauhino refert Johannes Schenckius *Obſervat. medic. Lib. IV. fol. 586.* Fœtum in abdominis cavitate extra uterum & circa collum funiculo umbilicali cinctum & quaſi ſtrangulatum deprehendit Maximilianus Preusſius. vid. *Ephemer. Acad. Nat. Cur. Cent. IX. Obſervat. 19. pag. 22. ſeq.* Cum Stephani Roderici a Caſtro nepos ex materno clauſtro egredi tentaret, laqueus ille umbilicalis collo circumvolutus, cum ſuffocationis metu conſtringebatur, unde infans ab exeundi impetu aliquoties retrahebatur, donec tandem obſtetricia manu aliquantulum, eo relaxato, lividus omnino & pene ſuffocatus hic in lucem prodierit, vid. Helwig. *l. a. pag. 387.* Non autem ſolum callum, vel brachia & pedes ab hoc funiculo circumvolvuntur, ſed quandoque etiam corporis truncus, quale exem-

plum, ubi vaſa umbilicalia non tantum bis corpus circumducta fuerant, ſed etiam brachium ſiniſtrum cum crure dextro eidem colligaverant, uti Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſervat. Chir. Cent. IV. Obſervat. 51. fol. 328. ſeqq.* deſcripſit atque depinxit.

§. 25.

fœtus magnus. Sæpiſſime etiam fit partus difficilis, ſi fœtus major extiterit, & quidem aut ſecundum totum ſui corpus, aut ſecundum aliquam ſui partem, præſertim caput, v. g. ſi hoc hydrocephalo laboret. De fœtu magno dyſtociam cauſante non opus eſt, ut exempla citemus, cum quotidiana experientia & obſtetricum praxis ſufficienter teſtetur. Placet tamen ex Thomæ Bartholini *Hiſtor. anatom. Cent. V. Hiſt. 47. pag. 101. ſeq.* hiſtoriam addere. Uxor ſcilicet civis Haffnienſis, corpore obeſo & cachectico, ſextum gravida catarrhis tuſſique vexatur. Gemellos vero geſtare creditur ob molem ventris amplam. Partus deinde laborioſiſſimus tribus diebus, vere anni 1658. miſeram torquet & exercet, tandem puellam vi ſumma enititur, magnitudine binas æquantem, aliquot horis a partu extinctam. Ob fœtus magnitudinem perinæum diſruptum fuit, ſeu paries inter anum & vulvam. vid. etiam Petri Foreſt. *Lib. XXVIII. Obſervat. 70. fol. 748.*

§. 26.

Caput magnum. Ratione capitis magni & hydrocephali ſatis notum eſt, plerumque partum eſſe admodum difficilem, imprimis in primiparis, quando uteri orificium internum perforare non poſſunt, vel ſi fœtus pedibus primum egreditur, caput vero ex obſtetricis negligentia vel ignorantia in utero per tempus remanet fœtusque ſuffocatur, quandoque tamen ex ſingulari Dei benedictione, licet mortuus ex utero ejicitur; quod confirmat Caſparus Theophilus Bierlingius *Adverſ. curioſ. Obſerv.*

ſerv. 92. pag. 234. ſeq. cum femina, triginta aliquot annorum & quinque liberorum matre, quæ cum anno 1675. ſexta vice gravida eſſet, & infans, ex relatione obſtetricis adſtantiumque mulierum, non aliter obtineri poſſet, die Veneris pedibus primo in lucem veniebat, quos reliquum corpus ad caput usque ſequebatur; hoc vero, licet a matre & obſtetrice omnes adhiberentur vires, doloresque partus unus poſt alterum rite ſequerentur, nullo tamen modo, nullaque ratione extrahi poterat, ſed ſemper cum vehementia & ſonitu, inſtar utris aqua ſemipleni retrocedebat. Tandem oleo cheirino ad lubricandum caput mediante ſyringa per vulvæ labia immiſſo eo deventum eſt, ut obſtetrix quidem digitum ori immittere poſſet, caput vero totum elicere inani ſe torquebat labore. In hoc ſtatu incredibili animi conſtantia, & ſumma in Deum fiducia, inter preces ardentiſſimas & lacrymas adſtantium calidisſimas usque ad ſeptimam matutinam die ſolis plus quam trecentos partus dolores æquisſimo & tranquillo animo ferebat, ubi præter ſpem & expectationem, cum ultima quaſi vice illam ad promovendum partum mantili ſublevarent, ex inexhauſta Dei miſericordia, absque ullo partus dolore filiolum omnibus quidem membris abſolutum, mortuum tamen ſummo cum fœtore enixa eſt.

§. 27.

Porro ſi partus eſt geminus, potisſimum ſi utrique infantes ſimul exitum moliantur, vel ſi invicem ſibi connati ſint. De partu difficili ob geminos obſervationem communicat Petrus Foreſtus *l. a. Obſerv. 75. fol. m. 757.* & ejusmodi caſus quotidie occurrunt. De geminis connatis & infantibus monſtroſis vid. Fortunius Licetus *de Monſtr. Lib. II. cap. 10. pag. 75. ſeqq. 80. &c.* Johann. Schenckii *Obſervat. Lib. V. fol. 714.* De partu monſtri bicipitis ſequentem hiſtoriam annotavit Nicolaus Tulpius *Obſervat. medic. Lib. III, cap. 37. pag.* *gemelli.*

 256.

256. ſeq. Inter partus vitia, ſicuti grave infans in pedes converſus: *ἀγριππον* vocant Græci, ſic gravisſimum, eosdem pedes eſſe, vel plures duobus, vel ſitu diſpares. Quam deformitatis ſpeciem obtulit nobis aliquando ſutoris uxor, quæ paritura biceps monſtrum enixa fuit primum duos pedes: ſed tertius, præter omnem naturæ legem, natibus innatus, injecit tantum moræ parturitioni, ut neceſſe habuerit, præter obſtetrices, implorare opem chirurgicam: quo unco ferreo extraheretur e vulva renitens hocce monſtrum; Erat autem id biceps, cum tribus brachiis, totidem pedibus, quatuor manibus &c. attamen obſtetricibus inſigne documentum, opitulandi cuicunque partui, & deficiente manus auxilio, confugiendum mature ad uncum ferreum, ceu ſacram anchoram & ultimum difficilis partus remedium. Item quando ſecundina ſimul prodit, vel ſi fœtus imbecillior, vel plane mortuus fuerit, uti quotidie obſervare licet.

§. 28.

Situs vitioſus. Non ultima partus difficilis cauſa eſt ſitus fœtus vitioſus, quippe per quem ipſi egrediendi modus impeditur, hinc etiam Chriſtiano Johanni Langio *Diſput. XLII. Oper. Tom. III. fol. 560.* fœtus inepto ſuo ſitu ac monſtroſitate difficilem reddere partum videtur adeo, ut præ reliquis omnibus cauſis conſiderationem & examen ſpeciale requirat, præprimis cum vix ullum in his caſibus ſolamen gravidis adhuc ſuperſit, quam quod obſtetricantium manuales operationes adferunt. Varias autem fœtus in utero materno collocationes vitioſas ſiſtit Ambroſius Paræus *Theſaur. Chirurg. Lib. XXIII. fol. 506.* Henricus a Deventer *de Obſtetricat. cap. 36. ſeqq. pag. 149. usque ad pag. 251.* Jacob. Ruffius *de Mulier. Lib. III.* in Iſrael. Spacch. *Gynæc. fol. 175. ſeq.* Situm quoque fœtus præternaturalem depinxit Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſervation. chirurg.*

Cent.

Cent. IV. Obſervat. 57. fol. 330. fœtus ſcilicet in transverſum ſitus erat, &ita quidem, ut caput ſiniſtro, pedes vero dextro hypochondrio ita inſiſterent, ut in utroque latere prominentiâ non obſcura obſervari poſſet. Spina dorſi fœtus verſus orificium uteri vergebat. Brachium dextrum extra orificium propendebat, ſiniſtrum vero, uti quoque crus dextrum, quod verſus caput reflexum mediantibus vaſis umbilicalibus (quæ truncum corporis bis circumdederunt) trunco corporis ita alligabantur, ut ab initio fœtus ad exitum minus commode ſeſe parare poſſet, ſed omnia inverſo ordine acciderent. vid. inſuper Dan. Sennert. *Pract. Medicin. Lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. 7. p. 421.* Secundum Lazari Riverii *Prax. med. Lib. XV. cap. 18. Tom. II. p. 412.* ratione ſitus in utero partus difficilis variis modis contingit, ut quando fœtus in pedes aut manibus præviis exire conatur, vel unum tantum pedem, aut manum alterutram exerit, vel duplicatus egredi nititur, nates aut ventrem ad uteri orificium offerens. Interdum etiam embryo uteri vaginæ orificio imprimitur altero duntaxat ſyncipite, altero ſuper oſſe pubis remanente. Et quo magis in hoc ſitu fœtus imprimitur, eo etiam magis ſitus vitiatur, dum nimirum ſynciput ſuper dicto oſſe remanens magis atque magis ab altero ſyncipite ſecedit; hinc etiam Andreas Petermannus, uti ex ipſius ore memini, novit puſionem, qui ex hoc vitioſo ſtatu, quem a matutina hora ſexta ad nonam veſpertinam perpeſſus erat, vindicatus dextrum ſynciput præ ſiniſtro ultra digitum transverſum elatum habebat; in demortuo vero ſynciput ſiniſtrum magna ex parte nigricans, obſervavit. Idem Petermannus, qui ſæpiſſime obſtetricum munere fungebatur, & ſequentes obſervationes communicabat; obſervavi, inquiens, ſitum vitioſum, dum nimirum fœtus pariebatur utroque pede, hincque facile uterum penetrabat, donec demum, utroque cubitu oſſe ſacro innixus hæreret, ad quem ſitum vitioſum advocabar. Facili vero nego-

tio uterque cubitus ſubtrahebatur, nihilominus firmiſſime remanente capite in utero; maxilla enim inferiori, & quidem in latere ſiniſtro oſſi pubis adhærebat fœtus, adeo ut metuerem colli ruptionem. Poſtquam vero totum corpuſculum, & primario collum in tantum torquebam, deinceps facile totum fœtus cadaver ſubtrahebam. Vitioſus etiam eſt ſitus, dum cervice fœtus attingit orificium uteri, quia enim caput & ipſe thorax ſimul deinceps uterum penetrare tenentur, quilibet hunc ipſum ſitum vitioſiſſimum & partui plane impoſſibilem, judicare poteſt. Ulterius etiam accidit ſitus vitioſus, dum fœtus orificium uteri pectore & abdomine attingit, ita ut in uno latere caput, in altero vero pedes ſint poſiti, in quo ſitu utplurimum unicum duntaxat brachium fœtus uterum penetrat, qui ſitus inter vitioſos & frequentiſſimus, ad partum vero incommodiſſimus. Tandem obſervavi etiam, pergit Petermannus, vitioſum ſitum, dum nimirum fœtus podice primo orificium uteri attigit, & quidem ita, ut altero pede latus matris ſiniſtrum, altero vero dextrum occupaverit; oſſibus item ſuis iſchiaticis matris oſſa pubis attingebat; hinc quo magis premebatur a matre fœtus corpuſculum, eo etiam magis oſſa pubis fœtus diſtendebantur, unde & hic partus ſub hoc ſchemate plane erat impoſſibilis.

§. 29.

Aliæ cauſæ. Inſuper adhuc aliæ annotantur difficilis partus cauſæ & exempla, vid. Guil. Rondelet. *Method. curand. morb. cap. 64. p. m. 294. ſeq.* Thom. Bartholin. *de inſol. part. viis cap. 3. p. 20-24. ſeq.* Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mirtuor. Lib. I. Tit. 9.* §. *20. p. 269.* De dyſtocia ex integumentis cranium fœtus involventibus, ſanguine extravaſato anterius refertis, vid. Joh. Jacob. Hard. Apiar. *Obſ. 89. p. 333. ſeq.* Joh. Dolæi *Encyclopæd. med. Lib. V. cap. 7. p. 936. ſeq.* Joh. Coſter. *Theor. & Prax. Tabul. 91. p. 351.* Singularem embryonis ſitum mortis cauſam annotavit Ehrenfridus

fridus Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſic. 6. p. 289.* Uxor, inquiens, pellionis cujusdam Gorlicenſis partui proxima fatigantibus licet doloribus parturientium, fœtum necdum excludere poterat. Narratur mihi, re jam ad incitas redacta, vocato caſus, ſcilicet nulla adeſſe ad partum ſigna ſufficientia, licet dolores ſatis urgerent. Attingo hinc abdomen blanda manu, animadvertoque uterum cum inquilino fœtu ſuperaſſe pubis pendulum, *hienge über den Biegel, und war noch nicht eingetreten*, emortuo etiam fœtu. Jubeo ſitum poſitumque afflictiſſimæ mox mutare, thoracem cum capite decliviore loco ponere, abdomen vero paululum attollere, fœtusque ſitum, pro virili manibus corrigere. Sed irrito conatu, viribus nempe deficientibus, & optima muliere convulſionibus una agitata moriente. In cauſam infeliciſſimi hujus ſitus inquirenti recenſetur, prægnantem tempore geſtationis a marito moroſo coactam fuiſſe in ædibus reparandis lapides, ligna &c. abdomini admota frequentius geſtare, unde forſan hæ lacrymæ. Varias partus difficilis cauſas & exempla adducit Petrus Foreſtus *Obſ. Lib. XXVIII. Obſ. 70. ſeqq. fol. 748. ſeqq.* Diſparem conjugum proportionem partus quoque incommoda augere ſtatuit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. Lib. I. Obſ. 16. p. 61.* inquiens, tenerrimis ſæpe puſillisque virginibus viri collocantur & robuſti & πλατύστερνοι, quod ipſum poſt capitis vaſtitatem præcipue notandum: atque hinc ſæpe capite naturalibus immiſſo reliqui corporis exitum humerorum moratur latitudo inque majorem angulum finiens proceſſus: Id autem in univerſum conſtat, feminas, quæ viros nactæ ſunt capite, humeris, oſſiumque mole conſpicuos, dum ipſæ delicati ſunt habitus, plerumque laborioſius eniti. Sic Franciſcus Roſſetus *de Part. Cæſar. Sect. I. cap. 3. p. 5.* cauſas difficilioris partus fœtusque excluſionem impedientes, ſequentes refert, & quidem ratione infantis, ſi nimis magnus craſſusve, vel gemini aut plures ſint, qui una exitum quærant; aut ſi mola carnea

ſit

ſit conjuncta, aut monſtrum; aut ſi ſitu non convenienti prodeat, ita ut nec ſui ipſius, nec aliorum ope in priſtinum melioremve ſitum reduci poſſit: vel tandem, ſi adeo intumuerit, ut ipſi per viam conſuetam exitus non detur. Ratione vero matris, ſi forte via, per quam fœtus excludi debet, ſit, quam oporteat, anguſtior, id quod variis de cauſis uſu venit: vel enim ratione conformationis, cum una meatum multo ſtrictiorem altera habeat. Vel ratione ætatis, dum aut nimis juvenes ante viarum dilatationem nupſere: aut ſi ſenio jam confectæ, uterus exaruerit, præſertim ſi tardius nupſerint. Sed & hoc accidit iis, quæ crebrius quidem utero geſtarunt, interruptis tamen vicibus enixæ ſunt, ita ut viæ per hæc intervalla, tum etiam per ætatem, anguſtiores & ſicciores fuerint redditæ: ratione cujus os pubis, quod tempore partus diſſolvitur (licet ſint, qui contrarium ſentiant) difficilius ſeparatur &c. vid. etiam Joh. Dolæi *Encyclopæd. Medic. Lib. V. cap. 7. p. 938.* Plura exempla v. Joh. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. IV. fol. 586. ſeq.* item de partu difficili & a variis cauſis impedito Theoph. Bonet. *Anatom. pract. ſive Sepulchret. Lib. III. Sect. XXXVIII. fol. 1371. ſeqq.* Stephan. Blancard. *Prax. medic. Cap. 11. Oper. Tom. II. p. 191.* item *Inſtitut. chirurg. cap. 21. p. 366.* Dionis *des Accouchemens Liv. III. Chap. 9. p. 240. ſeq.*

§. 30.

Partus difficillimi exemplum. Partus difficillimi exemplum deſcribit Johannes Georgius Joſephus Schwallerus *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſervat. 176. p. 265.* Molitoris ſcilicet cujusdam in pago Betweil uxor, viginti duorum annorum, ſana alias, die 29. Julii hora ſexta matutina parturiendi inſultibus prehenditur, rumpuntur membranæ fœtum involventes protinus, & aquæ copioſæ profluunt, cum officii ſui matrem obſtetrix cum adſtantibus admonet, at incaſſum, neque enim illa, ceu utile fuiſſet, in enitendo laboravit, neque fœtus naturalem ſitum obtinuit, altero brachio primum pro-

prorumpente, triginta octo horæ effluxerunt, priusquam multum defatigata mater, & tota langueſcere incipiens, certiorem opem quæreret; tandem vero accerſitur D. Harderus, cum quo veſperi in dictum locum conceſſimus: manu hinc decenter in uterum immiſſa, invertendum eſſe fœtus ſitum mox dixit, qui labor eo difficilior fuit, quo fœtus moles & perverſa ſituatio magis fuerunt obſtaculo; accedit quod manus ab Hardero intruſa matre contranitente, adeo firmiter interiora uteri interfuerit cohibita, ut pro voto illam movere ac circumducere nequiverit, tandem vero pedem fœtus utrumque ſucceſſive prehendit, & quousque poterat protraxit: at vero cum nimietate operæ feſſus, totus ſudore difflueret, robur neceſſarium ſibi in manibus deficere ſentiret, nos manu duxit, reliquumque operis commiſit; protraximus hinc pedes paulo ulterius, & faſciola ligavimus, ut fœtum cunctis viribus blande extrahere poſſemus: qui labor etiam eatenus ſucceſſit, ut truncus tandem ſucceſſerit, ad usque caput: at vero hic malorum lerna capite ingentis molis in pelvi hærente, ceu clavo affixum eſſet: mox hinc truncum pedibus in altum ſuſtulit, mox manum circumducendo caput e pelvi propellere niſus eſt dominus Harderus: at irrito conatu, quinimo ingruente lochiorum fluxu cum animi deliquiis ab opere abſtinere ſingulaque tantiſper miſſa facere neceſſe habuit: nulla vero quies vel otium ab adſtantibus conceſſum fuit, quin primo mane reſcidit hinc truncum ſemiputridum Harderus, digitisque immiſſis intra maxillas fœtum educere ſategit: at præter maxillam inferiorem nihil obtinuit, ſuaſit hinc quietem puerperæ tantisper eamque cardiacis refocillare juſſit; die inſequenti nuncium accepimus, veſperi adhuc cum ſecundinis caput excluſum fuiſſe, prægrandis magnitudinis, libras quinque ad minimum pendens. De inſtante partu periculoſo in felicem mutato hanc obſervationem annotavit Johannes Georgius Sommerus *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 154. p. 274.* Primipara quædam nobiliſſima per decendium graves

labores partus ſuſtinebat, undecimo autem die fœtus ano quærebat exitum, cum maximis parturientis cruciatibus, quare mater periculo inſtanti expoſita poſt tentata alia multa a me admonebatur, ut manibus genubusque innitendo fœtum ex vitioſisſimo hoc tranſitus conatu revocaret, quod etiam per Dei gratiam & varia interna & externa adhibita ita ſuccedebat, ut fœtus in naturalem exitum ſe verteret & non multo poſt huic luci ſeſe ſiſteret.

§. 31.

partus impoſſibilis. Sæpe etiam gemelli ob ſitum vitioſum non modo difficilem, ſed plane impoſſibilem partum cauſantur, quale exemplum de gemellis, quorum alter ſuo capite alterius capiti in utero inſiſtens, impedimento fuit, quo minus neuter naſci potuerit, refert Johannes Chriſtianus Mentzelius *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 122. p. 253.* inquiens: Piſtoris cujusdam uxor, quatuor liberorum mater, atque infantes ſine ullo labore aut magnis parturientium doloribus in lucem edere ſolita, jam rurſus gravida legitimo parturiendi tempore doloribus correpta obſtetricem accerſivit, ſeque ad pariendum accinxit, ſed incaſſum; licet enim fœtum in ore uteri capite ſuo inhærere omniaque naturaliter ſe habere perciperet, nihilominus nullus fœtus in lucem prodire poterat; imo parturiens nullum fere amplius motum infantis percipiebat, & omnia ad partum expellendum præſcripta, ſimulac illa adſumebat, illicò vomitu rejiciebat, tandemque e vita diſcedebat. Poſt ſectionem cadaveris gemelli in utero videbantur, quorum alter uteri orificio adeo capite impreſſus erat, ut vix ſumma vi extrahi poſſet, corpus vero & membra a latere dextro jacebant; alter vero fœtus perpendiculariter capite deorſum, pedibus vero ſurſum ad uteri fundum erectis, caput fœtus in orificio uteri firmiter impreſſum, adeo directe capite ſuo preſſerat, ut non ſolum alterius fœtus exitum impediverit, ſed & ſibi ipſi a vehementi vi & nixibus

crani-

cranium depreſſerit: ſicque innocens fœtus in utero adhuc hærens triplex homicidium commiſerat, nempe matricidium, fratricidium & *αὐτοχειρίαν*.

§. 32.

Circa partum difficilem etiam non ſolum mulieres & obſtetrices, ſed quandoque etiam medici primiparis ordinarie, & quidem primario ob viarum anguſtias, partum difficilem adſcribunt, quod equidem ſæpe, non tamen ſemper, accidere concedendum, ſiquidem quarundam feminarum partus viæ non adeo anguſtæ ſeu occluſæ, ſed ſatis laxæ atque apertæ ſunt; & quando primiparæ nondum ſunt annoſæ, tunc illarum partes genitales ſunt molliores, ut eo melius earum fibræ atque membranæ diſtendi queant. Quandoque etiam minor fœtus præ majori partum faciliorem reddit; id quod etiam a ſitu naturali præ vitioſo expectandum eſt. Quamvis etiam interdum nonnullæ gravidæ ante partum admodum vehementes ſentiant dolores, poſtmodum tamen ipſe fœtus tranſitus non adeo eſt difficilis ac doloroſus, ſed ſatis facilis, uti aliquoties obſervare mihi licuit. Cur autem aliquando primiparis partus ſint difficiles juxta Joh. Nicol. Pechlin. *Obſerv. phyſic. med. Lib. I. Obſ. 26. p. 60.* non una eſt cauſa; primum enim ut inſuetis omnia ſunt duriora, ita illis quoque futuri cogitatio præſentisque rei experimentum animos facile dejiciunt dolorisque ſenſum exaggerant. Deinde corporis illa curatura, quam virgines olim nimium affectabant, pompæ & gratiæ ſervientes, multum quoque partus moleſtias auget, quippe dum hypochondria ventrisque inania, quorum expanſione plurimum fœtus expulſio juvatur, faſciis tæniisque conſtringuntur, & plenæ reſpirationis uſu intercepto tonum amittunt; deſuetæ pridem fibræ etiam tum, cum neceſſe eſt, officium facere nequeunt matremque in ipſo opere deſtituunt; ut intelligant jam virgines, quam difficile ſit in tam tenui junceoque habitu matres fieri. *in primiparis.*

§. 33.

partus facilis.

Interdum tamen, contra generale Dei de partus doloribus decretum, partui difficili nonnullæ mulieres non eſſe ſubjectæ videntur ſecundum obſervationes de partu facili atque non doloroſo. Inquit enim Johannes Helwigius *Obſerv. 142. p. 384.* meo tempore matrona quædam nobilis & perhoneſta fuit Noribergæ, juriſconſulti uxor, quæ quotiescunque pariendi hora inſtaret, ſemper ſtando cum dorſo menſæ innixa ad partum laboravit, & ſub labore, pro mitigandis partus doloribus, micas panis ex hydromeli continuo manducavit, facile ſic feliciterque ſemper levata fuit. Item, pergit idem, mulieres quasdam villicanas vidi, quæ Noribergæ in horto meo ſuburbano, tempore belli Suedici hoſpitabantur; eæ poſt levem partus nixum ſtatim e lecto ſurrexerunt, ipſæ e partu recentes vitulum vel juvencam, vel nefrendem propriis manibus ſuis mactarunt, cubiculum mundaverunt & lavarunt pro epulo ſolemni, rurſumque tunc ſe lecto committentes, ſtrenue cum compatre & cæteris invitatis compotarunt ac comederunt, ſine omni fatigatione atque ſanitatis noxa. Sæpe etiam mulieres gravidæ a magnis & periculoſis morbis debilitatæ, exhauſtis viribus, facile & ſine magno labore partum abſolvunt. Talem partum ſubitum & anodynum memorat Johannes Nicolaus Pechlinus *l. a. Obſ. 27. p. 63.* Mulier, inquiens, erat ſutoria, ſextum menſem gravida, aliquot ante liberorum mater, quæ febre ardente epidemia miſere afflicta jam aliquot ſeptimanas ſævitiem morbi ſuſtinuerat, eo redacta, ut extrema ſpiraret. Actum videbatur de matre & fœtu, cum mulier nullius admodum conſcia doloris matulam poſcit, qua excipere urinam, quod illa rebatur, poſſet. Tum illa, ubi aquam mittere ſe putat, infantem excludit nitidum atque vegetum, ſed qui ſeptimum nondum attigerat menſem, adeoque ultra tres ſeptimanas non ſuperſtitem. Illa, quid actum eſſet, neſciens, etſi molem ſibi excidiſſe quereretur, præſentes advocat mulierculas, utque rem explorent monet.

net. Ibi illæ non ſine horrore infantem reperiunt vinculis adhuc ſuis alligatum, quem non procul habitans obſtetrix in auxilium vocata rite liberabat, toto etiam puerperio, extincta febre, feliciter cedente. Ibidem etiam dictus autor Gallicanæ feminæ meminit, cui fœtum ambulando provocare & ſtando dejicere in more fuit: Item alii temerariæ matri jamque partum vicinum auguranti, dum ſe ſpeculo ſiſteret, & ut nonnullis feminis familiare eſt, vultum ornaret componeretque ad decretorium laborem, vix dum conſciæ excidiſſe oſſam albam, abrupto etiam funiculo umbilicali, inde quidem puerum mortuum, matrem vero exantlata magna hæmorrhagia evaſiſſe. Stupenda quarundam mulierum exempla, quæ ſtatim atque pepererunt nulla puerperii ratione habita ad conſueta opera ſunt reverſæ, vid. Joh. Schenck. *Obſervat. medicinal. Lib. IV. fol. 586.* Semihora labore ſine ulla moleſtia fœtum vivum 1642. feliciter excluſit nobiliſſima matrona, v. Th. Bartholin. *Hiſt. anat. Cent. II. Hiſt. 91. pag. 292.* De prolapſu uteri & partu ex eo ſine dolore obſervationem annotavit Jacobus Auguſtinus Hünerwolffius *M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſervat. 114. pag. 188.* inquiens: Puerpera in pago *Schmeerfeld*, nono graviditatis menſe elapſo, magno parturire cœpit molimine, & uterus excidit inverſa vagina totus, (hoc autem ipſi alias evenit poſt partum) quem hiſcentem manu ipſa dilatavit puerpera magis, cooperante obſtetrice, & partum extra corpus reddidit, absque conamine doloroſo.

§. 34.

De partu mulieris ſtantis obſervationem annotavit Vitus Riedlinus *Millenar. Curar. med. Obſervat. 297. p. m. 176.* ſcilicet hoſpitis cujusdam pagani uxor aliquot liberorum mater, cum reliquos quidem omnes ordinario modo edidiſſet, nec habuiſſet, quod de difficili partu quereretur, nec tamen nullos etiam dolores percepiſſet, duodecimo fœtu gravida, cum nihil *item.*

Zzz 3 hil

hil minus cogitans cubiculum ſuum ingreſſa fuiſſet, tam ſubito doloribus partum alias antecedentibus corripiebatur, tantum hac vice urgentibus, ut illico ſtans adhuc pepererit, & ſic recens natus in terram prociderit, quem tamen ipſamet ſtatim de eadem ſuſtulit, nec vel minimum læſum Dei gratia invenit; maritum poſtea vocavit, qui tam celeri partu an exhilaratus magis, an perterritus fuerit? ipſemet diſcernere nequivit, puerperium tamen ſat felix fuit; hicque puer tantum in mundum properavit, ut prius terram ſalutaret, quam ulnis exceptus fuit. Mulier gravida maritum in caſtris ſtipendia facientem comitabatur: cumque exercitus quotidie in alia loca migraret, forte a minoris fluminis occurſu impeditus per horam ſubſtitit: ſimulque gravida hæc, ingruente jam partu, ad arbuſta & vepreta proxima ſeceſſit, ſolaque citra ullius obſtetricis operam aliumve apparatum, duos infantes peperit; quos ad flumen deferens aqua viva proluit ſeque ipſa lavit: quo facto gemellos rudi velamine incluſos humeris geſtavit, eodemque die nudis pedibus (ut erat) exercitum comitata duodecim mille paſſuum iter fecit, idque ſine ullo valetudinis diſpendio, uti refert Guilhelmus Harvæus *de Generat. animal. de Part. p. m. 535.* Robuſta mulier pagana anno 1639. tempore meſſis ex villa ſua, primo ab urbe lapide diſtante ad nundinas hebdomadarias itura, ut coëmeret, quæ convivio & ſolennitati baptiſmali neceſſaria videbantur, feſſa tandem ad colliculum, & ſola in via conſidet prope lignetum, per quod eundum erat, pariens ibi filiam. Quam, uti potuit, linteis aſperioribus a ſordibus repurgatam, iisque obvolutam in corbem ſuam, quam geſtabat, reponit, ſicque tandem, viribus recollectis, lento gradu cum ea in forum & macellum ambulat, ex hoc in cellam vinariam, ſumptoque generoſioris vini potu, eopſe die in pagum revertitur. v. Chriſt. Franc. Paullin. *Obſerv. medico-phyſ. Cent. II. Obſerv. 85. pag. 269.*

§. 35.

§. 35.

Secundum differentiam regionum obſervari etiam partum difficilem & facilem ſcribit Thomas Bartholinus *de inſolitis Part. viis cap. 3. pag. 29.* ſiquidem ſecundum Avicennam aliosque veteres difficilius pariunt mulieres in regionibus ſeptentrionalibus & in ventis ſeptentrionalibus, & in regionibus & temporibus frigidis. Sicuti etiam naupegi aſſeres rigidos ignis ſubſtructi beneficio pro lubitu flexiles reddunt: ſic mulieres in India, beneficio aëris calidioris, uteros fœtus excluſioni magis obedientes obtinent. Iniquum certe eſt puerperis noſtris cœlum noſtrum, ut puerperia vix ſex hebdomadibus finiantur, quum in Gallia viderim puerperas vix uno die intra lecti clauſtra contineri potuiſſe. Juxta Caſpar. Barlæi *Res geſt. in Braſil. p. m. 17.* prægnantibus Braſilianorum mulieribus haud ita multus in partu dolor, juvante labores iſtos aëris temperie calida. A puerperio moras commorandi domi minime amant, uti noſtrates, verum validæ magis & firmæ confeſtim exſurgunt, ac domeſtica negotia impigre obeunt. *ſecundu regionu differentias.*

§. 36.

Ad facilitandum partum inſerviunt etiam rugæ in vagina uterina, poſt quarum explicationem vagina amplior redditur; item liquor e vaginæ glandulis & lacunis proveniens & aqua ex diſruptis fœtum involventibus membranis effluens, quibus viæ pro facilitando partu lubricantur & relaxantur. Deinde ad pariendum aptiores ſunt juvenculæ, quam ſeneſcere incipientes mulieres, uti confirmat Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſervat. 101. Schol. pag. 237.* magna, inquiens, parturientium felicitas ſita eſt in ætate juvenili, antequam membranæ omnes, cutis & muſculi corrugati inareſcant, ita ut imminente partu viæ ægre amplius diſtendi aut amplificari ſe patiantur. Vetulis enim & ſeneſcere incipientibus, quanquam rite omnia eveniant optimeque poſitus ſit embryo, *a rugis vaginæ.*

acci-

accidit tamen ob vehementem uteri oris tendinoſi expanſionem, & oſſis ſacri pertinaciam (dum epiphyſes in apophyſes per ætatem degenerant) ut pariendi niſus ex voto non ſuccedant &c. Huc pertinent etiam balnea ex emollientibus & uterinis ſic dictis, & matricis inunctiones.

§. 37.

à venæſectione. De venæſectione ad partus promotionem ita ſcribit Govey *de Generat. fœt. & part. pag 108.* priusquam gravida in ſitum ad partum neceſſarium collocetur, venæſectio inſtituenda eſt, in ſubjecto præcipue plethorico ac robuſto, hæc enim evacuatio febrim avertit, hæmorrhagiam uteri, partum excipientem moderatur, uno verbo omnibus ſymptomatibus proſpicit, partumque promptiorem facilioremque reddit. Præterea etiam inteſtini recti evacuationem per clyſteres ante partum idem autor commendat, inquiens: ſi quidem gravida alvo eſſet conſtipata, enema injiciendum foret, quod inteſtinum rectum ab excrementis liberat, atque infanti majus in pelvi ſpatium concedit. Circa has tamen hypotheſes Goveyanas annotationes has annectit Daniel Hoffmannus: Probe monet Govey, venæſectionem ante partum in robuſtis ac plethoricis eſſe inſtituendam, neque enim perpetuæ neceſſitatis eſt hæc operatio imminente partu, cum pleræque feminæ ſatis poſtea ſanguinis deperdant; non negandum equidem, aliquando eam moderare poſſe ac refrænare imminentem poſt partum nimiam hæmorrhagiam, quis vero eam providebit, quæ ſæpius accedit, ubi nemo eam expectaverit, iisque non ſupervenit, quæ maxime abundanti ſanguine gaudere judices; febrem avertere, vel ideo non erit dicenda, quia regulariter partum febris non ſequitur; ac venæſectione non obſtante ſequitur; partum in quibusdam caſibus forſan adjuverit venæſectio, ordinario ac directo ad eum non confert, ac nimium forſan aliis dici videbitur, cum omnia avertere ſymptomata ipſi tribuitur. Et ratione inteſtini recti ſcribit Hoffmannus

l. a.

l. a. præſtat omnino inteſtinum rectum excrementis refertum non eſſe, ac enemata non raro opem ferunt, nec promiſcue tamen ſuadenda ſunt, cum intempeſtive quoque, & plusquam velis, vel movere vel turbare poſſint, probe ergo circumſtantiæ penſitandæ. Sequentia de tali venæſectione ſcribit Nicolaus Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. 1. Januar. pag. 32.* Fœtui cum exitum molitur, obſtant aliquando quædam impedimenta inſuperabilia: Hæc inter unum occurrit, cui tamen medelam afferre licet, ſi modo non obſtarent mulierculæ, quibus remedium terrori eſt, a plenitudine pendens: hoc alia ratione quam venæſectione amoveri non poteſt, quam Hippocrates in inferioribus partibus fieri jubet. Et anno 1678. hujus remedii fauſtum ſucceſſum animadverti in noſodochio S. Jacobi Tholoſani: Juvenis mulier plethorica bidui ſpatio intenſiſſimos dolores patiebatur, partu non ſuccedente: Illi bis ſanguinem educi curavi, primo e brachio, ob plethoram inſignem, ſecundo e pede; quo remedio celebrato illico mulier illa puellam bene valentem & vividiſſimam edidit. Item mulier Kilchbergenſis viginti annorum ſanguinea & primum gravida toto geſtationis tempore venæſectionem neglexit. Cum vero partus inſtaret, conatus impendere nequit. Svaſit autem Johannes de Muralto venæſectionem in brachio dextro ſufficientem, qua celebrata parturiens puerum vegetum feliciter enixa eſt. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſervat. 103. pag. 244.* quo loco plura de venæſectionis puerperarum uſu reperies. In Ciano la Signora Alchimilla de Pretoni ſanguigna non poteva dar alla luce alcun figlio, e con l'eſtrattione di onceſei di ſangue nel principio del nono meſe, partori lodato Iddio con ogni perfettione, ſcribit Bernardino Chriſtini *in Prattic. medicin. Lib. II. Cent. 9. Obſerv. 86. p.m. 129.*

§. 38.

Ad partum facilitandum, paulo ante parturiendi tem- *a coitu.*

pus congreſſum commendant Avicenna & Ariſtoteles, uti refert Chriſtianus Warlizius *de Morb. biblic. cap. 12. pag. 365.* Concubitum ante partum ſuadere videtur Ariſtoteles *de Hiſtor. animal. Lib. VII. cap. 4. fol. m. 435.* inquiens, quæ paulo ante partum concumbunt, facilius pariunt. De quæſtione, an maritus ab uxore tempore partus vicino debitum conjugale exigere poſſit? pluribus *in Syllepſilog. noſtr. ſeu de Concept. Sect. V. a. 8. pag. 538. ſeq.* egimus.

§. 39.

a campanarum ſono. De campanarum ſono partum facilitante ſequentem obſervationem recenſet Jacobus Auguſtinus Hünerwolffius *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſervat. 17. pag. 62.* Matrona quædam delicatula, utero gravis, ex ſonitu campanarum mire ſe recreans, quoties ipſi aderat partus, non poterat hoc levari, niſi in labore campanarum clangorem audiret. Sic primo ejus remorante partu ſub ſonitu, diem revocante aurora, feliciter hunc reddidit. Alterum medio diei ſub precibus publicis, audito eodem ſono, excluſit. Tertium veſperaſcente die campanis ad ſacra nos convocantibus edidit. Quartum elato funere noctu reſonantibus iisdem, enixa eſt. *a muſica.* A muſica vocali facilitatum partum ſequentibus verbis communicat Chriſtianus Franciſcus Paullini *in Zeit-kürtzender Erbaul. Luſt I. Theil Obſerv. 79. pag. 203. Eines Dorff-Predigers Weib hatte geraume Zeit, eben ums neue Jahr, in Kindes-Nöthen gezappelt, und erſchien nirgendswo Hülffe oder Erleichterung. Da kam der Schulmeiſter mit ſeinen Buben, Landes-Manier nach, vors Haus, und ſang zum neuen Jahre, auch, in* reſpect *ſeines Pfarrherrn, mehr als ein Lied. Darüber erfreuete ſich die Kreiſende hertzinniglich, daß ſie noch unter wehrenden Muſiciren gar glücklich gebahr.*

§. 40.

a ſternutatione. In partu difficili ſternutationem prodeſſe, docet Stephanus

phanus Blancardus *Inſtit. medic. Part. IV. c. 12. Oper. Tom. I. p. 505.* inquiens: Inter pariendum ſternutatione inſtituta muſculi abdominis fortiter premuntur, atque ſic magnopere enixus fœtus promovetur: nam cum aër fortiter exprimitur, abdominis muſculi valide introrſum comprimuntur, atque ſic ad pariendum robur matribus datur; idem fit cum fœtus ſit mortuus, & in retenta ſecundina. Caput etiam integrum in extractione fœtus a trunco revulſum atque in utero relictum, poſt ſternutatorium ex peto naribus admotum puerpera vehementer concuſſa tanto impetu ejecit, ut illud per cubiculum ad octodecim pedes, ſphæræ inſtar ligneæ ſe rotaverit, juxta Henric. ab Heers *Obſervat. XIV. pag. 139.* Simile exemplum de importuna obſtetrice, quæ fœtus truncum extraxit, remanente in utero capite, quod medicus D. Keiſer exhibito fortiori ſternutatorio feliciter excuſſit, refert Georgius Abrahamus Mercklinus *M. N. C. Dec. II. cap. 3. Schol. pag. 374. ſeq.* quo loco etiam hoc remedii genere in delicatioribus parturientibus cum ſucceſſu ſe quoque uſum eſſe ait. Juvenculæ cuidam ob ſummum pariendi dolorem comatoſæ factæ pennam ſternutatorio fortiori illitam in nares indidit Gulielmus Harvæus, unde ipſa commotabatur hocque ſtimulo partus promovebatur, tandemque inſcia matre infans ſanus & vegetus naſcebatur. vid. Harv. *de Part. p. m. 515.*

§. 41.

Cur autem plerumque meretrices facilius, quam aliæ honeſtæ feminæ pariant, inter alias hæc ratio probabilis videtur, quia ſæpe maritatæ ab obſtetricibus, nimis occupatis, ad ſellam & partum celeriorem, & antequam placenta uterina ſit ſeparata, vel, quamvis etiam ſoluta ſit, fœtus tamen nondum rite compoſitus, nec uterus ad egreſſum ſatis laxatus fuerit, uti circa legitimum pariendi terminum obſervari ſolet, cum matris & fœtus damno impelluntur; Cum econtra pauperes & *meretricum.*

 mere-

meretrices, graviditatem ſuam ut plurimum celantes atque negantes partum ad ſummam fœtus maturitatem differunt, quin etiam plerumque ſine obſtetricis præſentia auxiliove ſibimetipſis relictæ fœtum maturum tempore partui deſtinato clam excludunt. Inde inquit etiam Guilh. Harvæus *de Part. p. m. 514.* melius cum pauperculis res agitur, iisque quæ furtim gravidæ factæ clanculum pariunt, nullius obſtetricis advocata opera: quanto enim diutius partum retinent & morantur, tanto facilius & felicius rem expediunt.

CAPUT V.

De

Partus difficilis ſymptomatibus partusque impedimento magico.

§. 1.

Uteri ruptura.

QUamvis autem in antecedente capite, de partu difficili, variorum ab ipſo ortorum ſymptomatum facta ſit mentio, libet tamen hoc loco adhuc alia ex autoribus recenſere; v. g. ex difficili & impoſſibili fœtus partu, rupturam uteri multi annotarunt autores, quorum varios *Sect. III. cap. 3. §. 2. ſeq.* adduximus. Dantur tamen adhuc alia exempla, ſiquidem de partu difficili ad Caſparum Dornavium ita ſcribit Guilhelmus Fabricius, Hild. *Epiſt. XII. Oper. fol. 964.* Lauſannæ parturientem in mortis agone inveni, atque in illa ipſa hora, in qua ad illam acceſſi, vita diſceſſit. Poſt mortem aperto ventre fœtus ſemiputridus, uterus vero dilaceratus conſpectus eſt. In militis cujusdam uxore, quæ ultra triduum parere non potuerat, a partu ab ſcirrhum impoſſibili diſruptionem uteri ſe obſervaſſe ſcribit Tobias Knobloch in epiſtola ad Gregorium Horſtium, cujus vide *Oper. Tom. II. Lib. II. Obſervat. 15. fol. 62.* Inquit etiam Johannes Veſlingius *Obſervat. anat. num. 45. pag. 160.* rumpitur ipſe uterus, quod frequentius, quam creditur, contingit,

git, & jam quater diſſectis a me gravidis obſervavi. Notabile etiam exemplum de femina Haffnienſi, fœtum per quinquennium in abdomine gerente ex Novell. Reipubl. literar. an. 1685. allegat Johannes Guilhelmus Pauli *Annotat. in Joh. van Horne Microtechn.* §. *30. Oper. pag. 475.* Paupercula quædam Poſonienſis toto difficilis geſtationis tempore ſemper de doloribus in abdomine querula juſto partus tempore, inter ingentes conatus, cum parere nequiret, exſpiravit. Hujus aperto abdomine & remotis integumentis parum effluxit aquæ putridæ & mox in conſpectum venit infans omni ex parte liber, in abdomine extra uterum ſitus, mortuus quidem, ſed cætera abſolutus, perfectus, nulla parte contaminatus, ſub ipſo autem uterus apparuit ſemiputridus & ſpacelo ita abſumptus, ut fruſta ejus nigricantia fœtida eximi poſſent, uti refert Carolus Ruygerus *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſervat. 60. pag. 101. ſeq.* Ruſtica triginta & quod excurrit annorum, aliquot liberorum mater, quorum tamen nullum vivum vidit, præter filiolam; hujus completa periodo ordinaria, cum dolores partus ingruerent, ſuo equidem officio functa eſt, ſed fruſtra; cum enim ad matrem labore attritam requireretur chirurgus, eandem cum extremo frigore deprehendit, ſimulque fœtus ſitum in abdominis pariter atque uteri capacitate deliteſcere notavit; Juſſit itaque medicus, Johannes Jacobus Harderus, ut chirurgus fœtum, ubi mater tantiſper ad ſe redierit, extraheret, quod & factum ocyus citra matris incommodum. Ex gravi vero uteri læſione ipſius obitus circa veſperam ſequebatur, inde inciſo convenienter hypogaſtrio, in uteri collo non procul ab orificio interno, foramen manifeſtum detegebatur, per quod via in abdominis cavum infanti patuit, ſub ſiniſtro pubis oſſe, quod prope commiſſuram apophyſin acuminatam oſtendit. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſervat. 133. p. 269. ſeq.* Aliam obſervationem uteri perforati vid. Vit. Riedlin. fil. *Obſerv. med. 82. pag. 189. 192.* Per uterum ruptum inteſtina propendentia obſervavit Johannes

nes Rudolphus Salzmannus *Obſervat. anatom. pag. 16. & 18.* Quod etiam mihi ipſi in pictoris cujusdam mox poſt partum defuncta uxore annotare contigit.

§. 2.

ſuffocatio. Interdum etiam fœtus in utero ſuffocatur vel ſtrangulatur, id quod fit, quando ipſius fœtus collum in partu vel a funiculo umbilicali, vel ab uteri orificio vel etiam ejusdem disrupti foramine conſtringitur, qualia exempla hactenus de partu difficili adduximus; quibus adhuc alia addenda. Scribit enim ad Sigismundum Schnitzerum Andreas Libavius: Fuit apud nos netrix quædam, viginti quatuor annorum ætatis, quæ a quodam vitiata gemellos concepit, femellam, cujus ſitus e dextro latere, & maſculum, cujus ſub hypochondrio ſiniſtro: illa minor viva edita eſt, quanquam in tergum prodiret; hic major intra matrem eſt ſuffocatus. Cum enim maſculus aquis emiſſis ſequi vellet, ab orificio matricis conſtricto, ſtrangulatus hæſit. Mater paulo poſt exſpiravit. vid. Joann. Hornung *Ciſt. medic. Epiſt. 76. p. 208.* In artificis uxore comperta eſt matrix, erumpente infante, lacerata, ejusque caput in lævam ventris capacitatem dimiſſum: eademque matrix in parte nervoſa, circa infantis collum contracta, quæ ipſum procul dubio ſuffocarat. v. Guilh. Fabric. Hild. *Obſerv. chirurg. Cent. I. Obſ. 64. f. 51.*

§. 3.

labiorum pudendi diſruptio. obſervatio. Ante triginta aliquot annot feminæ cuidam quadraginta annorum ætatis, pluriumque liberorum matri, partu difficili, ob majorem fœtus molem, laboranti, dextrum pudendi labium tumidum, ab obſtetrice, & quidem ſecundum puerperæ relationem, unguibus per transverſum dilacerabatur, ut per chirurgi manum ſutura exercenda eſſet. Quæ tamen femina poſtero tempore aliquot adhuc infantes absque incommodo enitebatur.

§. 4.

Labia pudendi interdum in partu difficili nimis expandi *laxitas.* ſeu dilatari, probat Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 26. fol. m. 151.* hæc labia, inquiens, ſubſtantiam peculiarem, carnoſam & quodammodo ſpongioſam obtinent, quæ in libidine inturgeſcit, & in partu mollis admodum & tumida evadit: Bis mihi videre contigit in duorum civium uxoribus parientibus, poſt expulſum fœtum, cum ſecundina ſubſequeretur, adeo laxata fuiſſe hæc labia, ut magna abrupta pars hepatis uterini ſe iis inſinuaverit; cumque obſtetrix neſciret, quidnam inſoliti illic ſentiret, vocatus fuit medicus cum chirurgo, qui labia dicta hepate infarcta, hincque præter modum tumida, & quaſi fruſtum nigricantis carnis epullulans conſpicientes, putarunt pudendum in partu dilaceratum, ac jam gangræna correptum eſſe: hinc extremum periculum adeſſe judicantes, etiam ad me concurſum eſt: Sed ego pudendum inſpiciens, mox animadverti, illam nigricantem carnem eſſe partem abruptam hepatis uterini, quæ ſe labiis, introrſum dilatatis, inſinuaverat, eaque forcipe adempta, mox utraque mulier ab iſto putato gangrænæ periculo fuit liberata.

§. 5.

Adſtitit Johannes de Muralto præceptoris cujusdam uxori *nympharum tumor.* triginta quinque annorum, quæ quatriduo ante conſtitutum partus tempus ad labores ab obſtetrice imperita, quæ lancinationes a veris niſibus diſtinguere non valebat, incitata, circa muliebria tantopere intumuit, ut nymphæ utrinque duos pugnos æquarint, vixque ei poſſibile fuerit præter rupturam partium edere prolem. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 104. Schol. p. 229.*

§. 6.

De venis a partu difficili disruptis obſervationem Michaeli Dœringio communicavit Guilhelmus Fabricius Hilda- *venæ diſruptæ.*

nus

nus *Oper. fol. m. 902.* Anno ſcilicet 1611. Andreæ Morge uxor, matrona pia atque honeſta, cum quinto utero geſtaret & finem noni menſis impraegnationis attigiſſet, doloribus parturientium tam acerbis & motibus fœtus tam vehementibus ac impetuoſis fuit correpta, ut vix unquam ſimile quid obſervatum fuerit; quapropter vires illico mirum in modum proſternebantur. Poſt aliquot horas lipothymia & horrores maximi ſupervenerunt; quo tempore fœtum in utero matris animam reddidiſſe veriſimile eſſe videbatur. Dolores enim & conatus ad parturiendum ab eo tempore ceſſarunt, nec fœtus ſe amplius movebat. Ego accerſitus circa undecimam noctis horam ad ipſam perveni, tum pulſus fere nullus, extremitates frigidæ erant, & ſudor frigidiſſimus totius corporis aderat, quapropter mortem in propinquo eſſe prædicebam, ipſaque puerpera ſequenti die circa horam decimam matutinam naturæ ſatisfaciebat. Pro inveſtiganda vero mortis cauſa, ut cadaver incideretur, ſuaſi, & aperto ventre vacuum ipſius ſanguine ſeroſo repletum reperi. Propter ingentes enim dolores & violentum motum fœtus, venæ nonnullæ in parenchymate epatis, & circa os ſacrum ruptæ fuerant, atque ex iſta profuſione ſanguinis mortem ſubſequutam fuiſſe, in controverſiam revocari non poteſt.

§. 7.

Perinæi ruptura. In dyſtocia quandoque perinæum disrumpi ſeu dilacerari poſſe, affirmant autores, ſiquidem ſecundum Isbrandi de Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 26. p. 152.* rima magna ab oſſibus pubis deorſum verſus ad natium plicaturam & anum tendit, fere transverſi pollicis latitudine ab eo diſtans, quod interſtitium ſeu interfemineum, vel interforamineum nonnunquam mulieribus in magni fœtus gravi partu dilacerari, & ſic rimam inferioremque vaginæ partem usque in anum dehiſcere, hocque malum in nonnullis poſtea graviſſime, in aliis nunquam curari, aliquoties obſervavimus. Civis cujusdam Haffnien-

nienſis uxor, corpore obæſo, ſextum gravida gemellos geſtare credebatur ob molem ventris amplam; hæc partu laborioſiſſimo puellam vi ſumma enitebatur, magnitudine binas æquantem, ob quam perinæum, ſeu paries inter anum vulvamque fuerat disruptum. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt. 47. p. 102.* Inquit etiam Niclas Venette *de la Generat. de l'Homme Part. I. Cap. 2. Art. 3. p. 45.* L'accouchement eſt quelque fois accompagné d'accidens ſi facheux, que les femmes ſe fendent d'une maniére etonnante, & j'en ay veu une, dont les deux trous n'en faiſoient qu'un. Et Jean Palfyn *de la Deſcript. des Parties de la Femme p. 5.* ita ſcribit: Il arrive quelque fois en des accouchemens facheux, que toute la partie inferieure de la fente, que nous appellons foſſe naviculaire, ſe dechire en la ſortie de l'enfant jusques au fondement, par le moyen de quoy les deux trous, ſçavoir celuy du vagina, & celuy de l'anus, ſe mettent à l'exterieur tout à fait en un, qui à cauſe de ſon enorme grandeur raſſemble pour lors à la bouche d'un antre affreux.

§. 8.

Id quod etiam variis exemplis probatur, verbi gratia, de *Exempla.* ejusmodi ruptura vulvæ ad anum usque, absque ſutura ſanata Baldaſſar Timæus a *Güldenklee Lib. IV. Caſ. 31. pag. 230.* hanc refert obſervationem: Conjux mercatoris cujusdam Colbergenſis corpore tenella & juvenis in primo partu adeo vehementer in tertium usque diem laborabat, ut, exeunte tandem fœtu, ſpatium, quod eſt inter anum & rimam, rumperetur, anusque & vulva unum continuumque fieret foramen. Conſultus per obſtetricem, reſpondi, rupturam hanc aliter vix conſolidari poſſe, quam per ſuturas, adeoque chirurgum admittendum, qui operationem hanc perficeret; verum reclamante puerpera, quæ mori potius, quam tale quid pati obſtinato animo propoſuerat; Maritus & parentes aliud remedium inſtanter flagitabant, hinc

alio modo & glutine ibidem deſcripto iſthmus iſte intra dies quatuordecim perfecte coaluit. Ex imperitæ obſtetricis vellicatione in partu femina quædam in perinæi rupturam inciderat, teſte Achille Gaſſero in Georg. Hieron. Velſch. *Syllog. Obſ. 38. p. 23.* Primiparæ cuidam lacerabatur perinæum in partu difficili, cui læſioni adhibebatur aqua ligni fraxini & optime reſtituebatur, ex obſervatione Samuelis Ledelii *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 66. p. 155.* De ruptura perinæi muliebris per ſuturam curata obſervationem refert Juſtus Fridericus Dillenius *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VIII. Obſ. 44. p. 90.* Giſſæ ſcilicet accidit, ut honeſta honeſti ac eruditi cujusdam viri uxor puerpera inciderit in rupturam perinæi ſive interfeminei, anusque & matrix unum atque continuum fieret foramen. Conſultus ergo de medela ſive unione rupturæ hujus, commendavi fomentationem & gluten a Timæo *l. a.* deſcripta. Enimvero cum nec obſtetrix nec chirurgus Reulingius ἐγχείρησιν ſive applicationem glutinis a Timæo præſcriptam recte adminiſtrare noſſent, unica ſpes in ſutura ſuperfuit; qua ipſa rite a chirurgo præmemorato adhibita, ac Timæano glutine deſuper impoſito, iſthmus iſte brevi tempore adeo perfecte coaluit, ut aliquoties ex illo tempore puerpera iſta minus laborioſe pepererit. Ejusmodi ruptionis perinæi in puerpera quadam, Mülleria nominata, anno 1674. Lipſiæ ab immiſſione digitorum obſtetricum in anum exortæ, mentionem facit Paulus Ammannus *Irenic. p. 111.* Cum puella quædam octo annorum, ut ſeſe calefaceret, carbonibus in olla contentis inſideret, obdormiens perfracto fictili in carbones incidit & totam perinæi, vulvæ & pubis regionem combuſſit; a chirurgo autem verboſo adeo negligenter curatur, ut integra vulvæ labia firma cicatrice ſibi conjungerentur, & relictis tantum duobus foraminibus, altero infra os pubis, altero prope anum in perinæo coaleſceret. Puella taliter conſtituta ad pubertatem pervenit, & cum, tum ob hæreditariam levitatem, veneris œſtro non parum ſtimularetur, tum ob

ob elegantem formam, a procis non paucis ſollicitaretur, tandem ab uno per contactum, absque membri intromiſſione, ingravidata fuit, cumque partus adeſſet tempus doloresque biduo jam toto vehementer urgerent, dempta omnimoda ſpe felicis partus, de ſectione & apertione vulvæ conſultum fuit, quam etiam feliciter perfecit chirurgus quidam, & paulo poſt ſumma vi prolem ſat robuſtam enixa eſt, non per recens aptatam & ſectam vulvam, ſed per ante dictum foramen ano proximum, a natura tanta vi dilatatum, ut totius perinæi rupturam cauſaverit, uti commemorat Paulus Sorbait *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 273. p. 486. ſeq.* Ejusmodi dilacerationes perinæi ſæpius ſe obſervaſſe, ait Chriſtophorus Vœlterus *in der Hebammen-Schule Part. II. cap. 16. p. 178. ſeq.* ubi hujus dilacerationis cauſa vel ab infante nimis magno & forti, vel ab obſtetricis imprudentia & ignorantia, vel quando fœtus ambobus humeris ſimul apprehenſus ſicque magna vi ex utero extrahitur, derivat, quale exemplum in femina quadam celebri ſe obſervaſſe addit, & *pag. 179. ſeqq.* varia de hujus mali cura annectit. Secundum verba Nicolai Tulpii *Obſerv. medic. Lib. IV. cap. 40. p. 360. ſeq.* partus difficilis dilacerat non raro ſive ſinum pudoris, ſive anum, aut inteſtinum rectum; cum propter perverſum infantis exitum, tum ob nimiam ejusdem molem aut culpam aliquam obſtetricis. Quod poſtremum vitium ſicuti ægre curatur, ita degenerat quoque facillime in calloſum ac manans ulcus, ob perennem in locum declivem ſordidorum excrementorum decurſum. Cujus tamen infortunii quo evites calamitatem, videſis, mature infundas, antequam inveteraverit ulcus, per anum ac naturalia, frequentes adſtringentes ac detergentes clyſteres, quorum aſſiduo uſu equidem aliquando vidi deformia hæc mala ex toto ſanata. Inquit etiam autor tractatus Belgici, *Venus Minſieke Gaſthuis pag. 48.* Het baren is ſomwylen van ſoo moejelycke toevallen verſelt, dat de Vrouwen wonderlyk als

komen te berſten, en ik heb er een geſien, welker beide gaten in een geſcheurt waren.

§. 9.

Suturarum cranii diſceſſio.

Suturarum cranii diſceſſionem ab adſtantibus perceptibilem in partu difficili accidere obſervavit Gabriel Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 143. p. 276.* ubi inquit: dum tumultus uterini doloroſi, ad illum actum quidem neceſſarii, ob ſubſtantiæ nervinæ uteri conſenſum cum principio nervorum (non aliter, ac chorda arcte extenſa in uno loco tacta, per totum ſuum corpus motum & ſenſum ſtatim experitur,) Archæum adeo in furorem ſæpe concitant, ut partim convulſiones epilepticæ, partim cephalalgia contumax, ſuturarumque cranii divaricationes, ſenſibili ſono adſtantium aures replente, non raro inde ſuccedant &c. Ejusmodi ſuturarum cranii digreſſionem cum ſenſibili ſono ac crepitu aliquoties in partu difficili tam propriæ uxoris, quam aliarum puerperarum obſervare mihi quoque contigit.

Obſervatio.

§. 10.

Cœcitas.

Cœcitatem poſt epilepſiam in parturiente annotavit Georgius Segerus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſervat. 161. pag. 293.* inquiens: In mercatoris Thorunienſis uxore, quæ cum per totum geſtationis tempus ſatis bene ſe habuiſſet, anno 1668. die 23. Decembr. nihil tale cogitans, frequentibus corripitur convulſionibus epilepticis. Poſt varia præſcripta antepileptica vix diſcuſſo uno paroxysmo acceſſit alter, atque ita continuo fere convulſa enititur filiolam. Tandem ſuperatis poſt partum convulſionibus atque lethargo has inſequente, ubi ad ſe rediit ægra, ignorans quid interea contigerit, infantem recens natum ſibi porrectum primum quidem ad ſe pertinere negavit, poſtea vero non tantum perſuaſionibus, ſed ipſa quoque alvi detumeſcentia victa ſuum quidem eſſe partum cognovit, ſimul tamen viſum ſibi ſublatum eſſe conqueſta eſt. Obtulimus mox & alia objecta, ſed neque umbram illorum oculis, iisque ut ex

inſpe-

inſpectione colligere licuit, nullo modo læſis, comprehendere potuit. Repentina hac cœcitate non tantum ipſa ægra ejusque maritus, ſed & amici aſſiſtentes maxime percellebantur. Ne tamen conceptum terrorem augerem, bono animo omnes eſſe juſſi, nebulasque iſtas ſudore largiori diſſipandas eſſe monui. Ægra deſiderio videndi fœtum capta omni conatu ſudorem provocat, licet nullo, ut tum videbatur, emolumento, donec tandem veſperi poſt horam octavam primum quidem lumen candelæ accenſæ ſe videre edixit, & ſic dein pedetentim viſus priſtinam recuperavit aciem. De hac Segeri obſervatione ita judicat Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. p. 123.* Cum iſta cœcitas nil aliud fuerit, quam gutta ſerena, quod oculi nullo modo læſi conſpicerentur, eo ipſo planum evadit, non omnem guttam ſerenam eſſe immedicabilem, ſed interdum nervos opticos obſtructos aut ſponte naturæ aut medicamentorum decenti apparatu deobſtrui poſſe. In hoc caſu ptarmicum mercuriale Jonſtoni eſt nobile, ſic ut vel hic quoque omnia bona Mercurius rite uſus polliceatur.

§. II.

Aliud exemplum feminæ, quæ poſt partum per duos dies *item* viſum amiſit, atque poſt venæſectionem in pede recepit, ex Franciſco Mauriceau allegant Acta Eruditorum Lipſienſium *Ann. 1695. menſ. Januar. p. 43.* Ipſa autem Mauricæi verba *dans les Obſervations ſur la Groſſeſſe Obſerv. 568.* d'une femme, qui douze heures aprés eſtre accouchée, perdit entierement la veuë durant deux jours *p. m. 333.* ſic ſonant: Au mois de Decembre 1689. je vis une femme aſſez heureuſement depuis un jour & demy, laquelle avoit entierement perdu la veuë douze heures après être ainſi accouchée. Comme cette femme eſtoit fort replete, & qu'elle n'avoit guere vuidé en accouchant, a ce que me dit ſa ſagefemme, & qu'elle ne vuidoit ancore que tres-peu, & avoit une fort grande douleur de teſte, je la fis ſaigner du pied auſſitoſt que je l'eus vûe en cet eſtat. Ce remede fait

fort à propos dans cette urgente neceſſité, luy fut ſi ſalutaire, que ſon cerveau ayant eſté degagé de la trop grande plenitude, qui luy avoit causé ce ſurprenant accident, elle recouvra la veûë des le lendemain. Cette femme me dit, qu'un mois devant que d'accoucher elle avoit eſté travaillée de quelques mouvemens convulſifs, ce qui l'avoit apparemment renduë plus diſposée à ce dernier accident, dont elle fut entierement delivrée par cette ſeule ſaignée du pied, que je lui fis faire. Mais treize mois enſuite eſtant redevenuë groſſe une autrefois, je la fis ſaigner trois fois du bras durant le temps de ſa groſſeſſe, & encore une autre fois dans le temps de ſon travail : de ſorte que l'ayant entierement preſervée par la precaution de ces ſaignées de la recidive de ces faſcheux accidens, je l'accouchay heureuſement d'un gros enfant maſle, qui vint naturellement.

§. 12.

vaginæ disruptio.

Interdum etiam a partu difficili inteſtinum rectum ſeu interſtitium inter illud inteſtinum & vaginam uterinam vel ab obſtetrice dilaceratur vel alio modo disrumpitur, ut adeo tam excrementa alvina per vaginam uteri, quam urina per anum excernantur, qualem hiſtoriam recenſet Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſtor. 63. p. m. 245.* Haffniæ, inquiens, puerpera obſtetricem advocaverat non ſatis exercitatam in his ſacris, quæ in difficultate partus conſtitutam miſere dilaceravit. Fœtum enim extrahere aggreſſa linteamine caput conſtrinxit, ut vi ex anguſtiis maternis eliceret. Succeſſit quidem rudior operatio, ſed ſive unguibus, ſive fœtus calcitratione, perruptus fuit communis paries inter uteri vaginam & rectum inteſtinum. Hinc non ſolum fæces alvi per vulvam prodiere, ſed & lotium præter voluntatem. Sed hebdomadibus hæc via excrementis patuit, quam natura ipſa dein ſolidavit, & ad anum ſuas remiſit ſordes, lotio tamen adhuc, ob ſphincterem veſicæ læſum non cogitanti exſtillante.

§. 13.

§. 13.

De vulvæ rectique inteſtini gangræna & perforatione a partu difficili exorta obſervationem annotavit Fredericus Ruyſchius *Obſervat. anat. Chirurg. 59. pag. 76.* ſcilicet uxor cujusdam piſtoris Amſtelodamenſis, ob partum difficilem incidit in vulvæ inteſtinique recti gangrænam adeo enormem, ut multi exiſtimarent, afflictam brevi e vivis exceſſuram. Poſt gangrænæ ſeparationem foramen vulvæ a nobis repertum fuit tantum eſſe, ut facillime nux juglans viridi cortice obducta per illud ad inteſtini recti cavitatem inſeri potuiſſet: unde fæcibus alvinis dabatur locus, ut ex inteſtino recto ad vulvam nullo negotio tranſirent, id quod in tali caſu admodum familiare, vulva enim tam arcte cohæret inteſtino recto, ut quaſi continuum ſint corpus: itaque ſi alterutra pars afficiatur, altera nequit remanere immunis. In hac vero femina ratione curæ medicamentis ſarcoticis, plumaceolis exceptis, aperturæ dictarum partium proſpeximus, quibus brevi in totum reconvaluit puerpera &c. *vulvæ perforatio a gangræna.*

§. 14.

Similem fere hiſtoriam annotavit etiam Chriſtophorus Voelterus *in der Hebammen-Schule Part. II. cap. 17. Obſerv. 3. pag. 190.* & quidem de præceptoris cujusdam uxore, urinæ incontinentia laborante, atque excrementa alvina interdum per muliebria reddente. In dictæ enim feminæ collo veſicæ poſt partum difficilem Voelterus dilacerationem, per cujus foramen anterior digiti pars immitti poterat, deinde in vagina uteri procidentiam, & tertio in inteſtino recto iterum foramen, quod pollicis articulum capiebat, per avtopſiam deprehendit. Exemplum mulieris, cui poſt partum difficilem per uteri cervicem, ulnæ unius & ultra longitudine inteſtina propendebant, ex quibus, conſilio muliercularum, reſciſſis fæces cum urina per vulvam prodibant, communicat Johannes Rudolphus Salzmannus *Obſerv. anatom. p. 16.* *item.*

§. 15.

§. 15.

Inciſio a chirurgo. De vaginæ uterinæ per chirurgi incuriam facta diſruptione vel inciſione caſum annotavit Johannes Matthias Müllerus *Ephemer. Acad. N. C. Cent. V. & VI. Obſervat. 56. pag. 87. ſeq.* Cum ſcilicet ipſe ad fœtus mortui ex utero matris maxime enervatæ extractionem una cum chirurgo vocaretur, hunc de uncis, cultello aculeato & aliis inſtrumentis in ejusmodi occaſione neceſſariis ſecum ferendis admonuit; adveniens autem parturientem a partus conatibus admodum debilitatam invenit, cum vomitibus, paſſionibus hyſtericis &c. admodum moleſtis, maximoque pudendorum tumore; fœtus vero per biduum vel triduum jamdum mortui caput tumidum per uteri orificium parum prominens cum oſſibus bregmatis confractis obſervavit. Hinc ſummo vitæ periculo demonſtrato mulierem ſupinam, cum cruribus elevatis juſſit in lectum poni, conſuluitque, ut, in defectu alterius inſtrumenti, novacula capitis cute inciſa de oſſibus bregmatis confractis, frontis atque occipitis, quantum poſſibile fuerat, ſuſpenſa manu reſcinderetur, cerebrumque cochleari excimeretur. Dempta ſic capitis inſigni portione fœtus facilius extrahi potuit. Ex chirurgi tamen incuria uteri vagina cum ſubjecto inteſtino recto fuit inciſa, ita ut excrementa alvina per hanc uteri vaginæ læſionem ſimul ejicerentur; quod vero malum per balſamum certum paucis diebus fuit ſublatum.

§. 16.

urinæ incontinentia. Sequentem obſervationem de urinæ incontinentia refert Dominus Gofey: Anno 1703. Opificis alicujus uxor ægrotabat ex vulnere mediæ vaginæ partis transverſali, ipſam urethram penetrante, ab inepta obſtetrice in partu, ante ſex circiter ſeptimanas peracto, inflicto urinæ incontinentia laborans. Poſt inſtitutam inquiſitionem partes illæ, maxime externæ in magnam molem auctæ ac tumefactæ cum inſigni inflammatione

ne comparebant fœtoremque fere intolerabilem ſpirabant &c. vid. Daniel. Hoffmann. *Annotat. in Hypoth. Goveyan. p. 75.* Secundum Fel. Plater. *Obſervat. Lib. III. pag. 804.* in partu difficili ex diſtenſione & læſione cervicis veſicæ urinam involuntarie & cum dolore reddere cogebatur mulier quædam.

§. 17.

Hernia inguinalis. Herniam inguinalem poſt partum laborioſum ſibi contraxerat mercatoris cujusdam uxor, cum ſubſequente odore ſtercoreo, quem ex ſtomacho ad os aſcendere ſentiebat, poſteaque ſummo cum faſtidio fæces alvinas per os continuo rejiciebat &c. uti refert Alardus Mauritius Eggerdes *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſerv. 9. pag. 18.*

§. 18.

vaginæ dilaceratæ coalitus. Nonnunquam etiam in dyſtocia membranæ vaginæ uterinæ ab obſtetricum unguibus dilacerantur, quæ tamen poſtmodum ita recoalescunt, ut vaginæ tranſitus vel in partem, vel in totum occludatur, adeoque cohabitatio matrimonialis, niſi per artem iterum aperiatur, maximam partem impediatur. Inquit enim Guilhelmus Harvæus *de Generat. Animal. de Part. p. m. 518.* Novi mulierem, quæ a difficili & laborioſo partu integrum vaginæ ambitum interiorem laceratum atque excoriatum habuit, adeo ut finito puerperio, licet gravida denuo fieret, tamen non ſolum orificii pudendi latera juxta nymphas coaleſcerent, ſed totius quoque vaginæ cavitas, usque ad internum matricis oſculum prorſus connaſceretur; unde nec virili membro, nec ſpecillo quidem ingreſſus patuit, neque menſtruorum fluxui egreſſus. Inſtante itaque pariendi tempore torquebatur miſella perquam miſeris modis, omnemque ſpem deponendi ſarcinam abjecerat, quare traditis marito clavibus, ordinatisque rebus ſuis amicis præſentibus valedixit. Cum ecce inopinato, robuſti admodum fœtus ſummo conamine, totus ille tractus diſrumpitur, fitque inſperatus partus:

& validus infans ſibi matrique ſuæ ſalutis autor exſtitit, viamque apertam aliis poſt naſcendis reliquit.

§. 19.

aliud exemplum.

Aliud ejusmodi vaginæ uterinæ in partu difficili factæ dilacerationis ejusque plenarii coalitus exemplum ante viginti aliquot annos hic loci mihi obſervare licuit. Feminæ ſcilicet primiparæ in partu difficili ab obſtetrice membrana vaginæ uterinæ fuerat dilacerata, de qua læſione cum poſt aliquot dies conquereretur puerpera, parti læſæ obſtetrix certum oleum applicarat, dictamque feminam femoribus arcte clauſis per tempus quiete in lecto jacere juſſerat. Quo facto poſt aliquot temporis ſpatium, nullam menſium excretionem perſentiens femina priſtinum vaginæ uterinæ ſtatum intromiſſo digito exploratura vaginam retro urethram penitus reperit occluſam, adeo ut ipſi maritus perfecte cohabitare eamve inire non poſſet. Quapropter ex conſilio obſtetricis chirurgum in conſilium vocat, qui eandem vaginæ obſerationem per inciſionem equidem, obſervatis obſervandis reſerabat, ut per tempus dicta femina nullum excretionis impedimentum ſentiret, nihilominus tamen poſt aliquot menſes mihi obviam facta de novo vaginæ ibidem loci coalitu conquereretur. Sic etiam mulieri Zittavienſi laborioſiſſime parturienti obſtetrices fœtum jam in utero mortuum manu violenta extrahere coactæ fuerunt; ex quo non ſolum vagina, ſed etiam veſicæ ſphinctere graviter læſo, vaginæ ulcus & incontinentia urinæ ſecuta, tandem adhibitus circumforaneus effecit, ut calloſus inſuper tumor in vagina ſuccreſceret totumque fere canalem, relicto ſolum foraminulo piſi magnitudinem & rotunditatem adæquante, repleret, uti ex communicatione Lanckiſchii refert Chriſtianus Vaterus *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 17. p. 24.*

§. 20.

§. 20.

Hactenus non ſolum difficilem, ſed quandoque etiam plane impoſſibilem partum vidimus, recenſentur tamen ab autoribus aliæ adhuc impediti partus rationes, falſæ ſcilicet ac ſuperſtitioſæ. Huc pertinet digitorum complicatio & poplitis in alterum genu poſitio. Inquit enim C. Plinius *Nat. Hiſtor. Lib. XXVIII. cap. 6. fol. 497.* adſidere gravidis, vel cum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter ſe implexis, veneficium eſt; idque compertum tradunt, Alcmena Herculem pariente. Pejus ſi circa unum ambove genua. Item poplites alternis genibus imponi. Imo in conſiliis ducum poteſtatumve fieri vetuere majores, veluti omnem actum impedientia. Quod Ovidius *Metamorphoſ. Lib. IX.* confirmat de Ilithyia Alcmenæ partum impediente inquiens: *partus impeditus a magia.*

- - dextro eſt poplite lævum
Preſſa genu digitisque inter ſe pectine junctis
Suſtinuit partus, tacita quoque carmina voce
Dixit, & inceptos tenuerunt carmina partus.

Secundum Chriſtiani Frid. Garmanni *de Miracul. Mortuor. Lib. I. Tit. 9. pag. 269.* verba, nec noſtræ mulierculæ, ab illa ethnicorum ſuperſtitione, qua carminibus partum in utero viventis feminæ retineri poſſe perſuaſum habebant, abſolvendæ ſunt, quæ digitos hoc vel illo modo junctos partum vel promovere vel retardare credunt. Ibidem etiam Garmannus ex Thomæ Bartholini *Antiquit. Puerper. Synopſ.* de puerperarum adſtantibus addit, quod aſſideant, ſed nec poplite in alterum genu poſito, nec digitis pectinatim implexis.

§. 12.

Narrat etiam Apulejus Madaurenſis *Metamorphoſ. ſive de Aſino aureo Lib. I. p. m. 144.* ſagam quandam amatoris ſui uxorem, quod in eam dicacule probrum dixerat, jam in ſarcinam *aliud exemplum.*

prægnationis obſepto utero & repigrato fœtu perpetua prægnatione damnaſſe. Nam, ut cuncti numerabant; octo annorum onere miſella illa, velut elephantum paritura, diſtendebatur. Quæ quum ſubinde ac multi nocerentur, publicitus indignatio percrebuit, ſtatutumque eſt, ut in eam die altera ſeveriſſime ſaxorum jaculationibus vindicaretur. Paulo infra, ubi de inſolitis partus viis agemus, ex Thomæ Bartholini *Diſſertat. de his viis cap. 1. pag. 3.* mulieris cujusdam, cui nomen Ingera, quæ per quinque annos gemellorum geſtationem in utero ſenſit, quorum oſſicula poſtmodum per umbilicum prodiere, mentionem faciemus, de quo caſu dictus Bartholinus *l. a. cap. 4. pag. 26. ſeq.* ita ſcribit: Noſtræ Ingeræ credula ſuperſtitio perſuaſit, ad fruſtrandum partum ſagas artes ſuas curioſas advocaſſe. Ita enim ad me confeſſionarius illius, vir eruditus & fidelis ſacrorum cuſtos, Dn. Richardus Johannis Svenopolitanus, per amicas literas retulit: narratum ſibi de quibusdam præſtigiis adhuc prægnanti mulieri Ingeræ oblatis. Nocte quadam in lecto conquieſcentem anſer quidam inter lecti ſtramina ſub cervicali roſtro perſtrepens excitabat, quo animadverſo, ſine mora ex lecto, prius tamen ſancto crucis ſigno ſe muniens; proſiliebat, ſtrepentem anſerem extra cubiculum emiſſura; anſer autem exporrecto collo ventrem ipſius undiquaque roſtro vellicare cœpit, quo cum nihil proficeret, apprehenſum per alas in veſtibulum rejecit, & occluſis poſt ſe foribus; cubitum ſe denuo contulit, unum ex ganzis ſuis in conclavi ad excludendum ova recluſis eſſe rata. Mane autem evigilans præſtigias fuiſſe ſenſit, ganzas enim ſuas omnes in nidis, ubi veſperi repoſitæ fuerant, placide incumbentes invenit, & ex illo tempore languere & torqueri cœpit. An autem a ſupranaturali cauſa retardari ita poſſit partus & ad plures annos prolongari, ibidem *pag. 28.* Bartholinus repugnat, idque male credulos concedere addit. Et *pag. 30.* inquit: perſuaderi mihi non patior, vera eſſe ea, quæ de ſaga Apulejus prodidit. Fo-

lia

lia ſunt artis & meræ nugæ, quæ de ſagarum potentia ſparguntur, nam ſi iniquo numinis miniſterio uti poſſent pro lubitu, plerique fœtus in generis humani detrimentum repigrarentur. Peponibus illudunt, illaque ipſa ſaga Apulejo impoſuit, neque enim gravida vere fuerat amatoris uxor, ſed aliud morboſum ſeu uteri ſeu ventris onus geſtavit, cujus eventus graviditati ſimilis falſo ſagæ imputabatur.

§. 22.

De ſuperſtitioſis Judæorum ceremoniis ex Paulo Chriſt. Kirchnero ſequentia refert Conradus Philipp. Hoffmannus *de Puerper. Tempor. cap. 2. §. 4. pag. 25.* ejusmodi in caſu maritus ad portam hypocauſti, in quo puerpera degit, ſe conferre tribusve vicibus caput 54. Eſaiæ prælegere tenetur. Lectio hæc ſi puerperæ non ſit auxilio, decalogum ex ſynagoga apportant ſcriptum, huncve in loco quodam cameræ ſeponunt, multum ſolatii exinde ſperantes. Si nec illud opem ferat, ſanguinem puerperæ præbent arefactum, quem innocenter occiſi infantis Chriſtiani, ipſi Judæi converſi eſſe volunt, multisve approbant, cujus tamen editio, quæ fit a ſupremo Rabbinorum præfecto non aliter, niſi ſub gravisſima cautione (ne ſcilicet a Chriſtianis prodantur,) & ſumma urgente necesſitate, admittitur. Puerpera enixa, in ſchedula quadam caput 121. vel 20. ſcribunt, illamque velamini thalami affigunt, cretave lineam per totum hypocauſtum, ubi puerpera partum edidit, ducunt, ſuperve eam lineam ſequentia verba notant: Adam & Eva hunz ſimi weſinſini weſimoni geluff. ex Cabala Judæorum, quod ſcriptum certisſimum ac infallibile contra omnem incantationem credunt remedium. Inſimul adhuc ſub pulvinari gladium recondunt evaginatum, quem puerpera tribus vicibus ad thalamum, parietes & terram, ſtringere tenetur; & hoc quidem per intervallum triginta dierum, quavis nocte una *Judæorum ceremoniæ.*

 vice.

vice. Solent quoque vicini mariti ac pueri per iſtos triginta dies, circa puerperium ſe ſiſtere, clarave voce veſpertinas ad Deum fundere preces.

CAPUT VI.

De

Partu poſt matris mortem.

§. I.

Exempla. SUbinde etiam fœtus tam vivi, quam mortui a matre jamdum defuncta naſcuntur, vel excluduntur, qualia exempla jam ſupra *Sect. II. cap. 1.* §. *5. 7. & 8.* ex variis autoribus recenſuimus, quibus adhuc alia hoc loco adjungere volumus. Scilicet ſcribit Guilielmus Harvæus *de Generat. animal. de Part. pag. m. 517.* mulier quædam apud nos (compertum narro) ſub veſperam mortua in conclavi ſola relicta eſt, mane autem ſequenti, inter femora ejus repertus eſt infans, qui proprio niſu exitum ſibi procuraverat. Prope Halam Saxonum nobilis quidam iter faciens perdit bulgam ex ephippio dependentem. Hanc reperit femina quædam gravida; obvium hæc habet clericum quendam, cui monſtrat hippoperam, eamque ſe reperiſſe ait. Bene ait ille, & illam pauliſper comitatus interficit capite prorſus abſciſſo, peramque ſecum aufert. Nobilis hanc amiſſam forte percipiens via illa revertitur, feminam reperit interfectam & quidem gemellos enixam. Perſequitur latronem, quem peram ex brachio adhuc geſtantem offendens, quærit, unde illam acceperit? hic obmuteſcit & fatetur homicidium. vid. Philipp. Salmuth. *Obſervat. medic. Cent. II. Obſervat. 1. pag. 60.* Gemellos etiam peperit uxor gravida mortua cum marito ab Hiſpanis ſuſpenſa, cum per quatuor horas pependiſſet, juxta Diomed. Cornarii *Hiſtor. admirand. rar. Hiſtor. 14. pag. 47.* Et *Obſervation. 54. pag. 83.* feminæ cujusdam meminit modo allegatus Salmuth,

quæ

quæ in ipſo partu diem ſuum placidiſſime obiit. Poſt hujus obitum tertio die mulieres infantem, & quidem puellam mortuam, in defunctæ matris ſinu jacentem, non ſine admiratione atque ſtupore in ſandapila reperiunt, quæ poſtmodum brachiis matris incluſa terræ ſimul mandatur. Anno Chriſti 1609. hæc contigerunt. Et domina de *Anneberg* fuit gravida, inſtante menſe ultimo cœpit ſe male habere, dimidia vix hora moritur. In ſuperiore parte ventris ſtriæ nigræ poſt mortem erant conſpicuæ. Tertio demum die fœtus mortuus ab ea egreſſus eſt, uti refert Chriſtophorus Rœslerus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 318. pag. 535.* De femina, quæ poſt obitum mater facta eſt, hoc refert Johannes Heidfeldus *Sphing. Theol. philoſ. cap. 17. p. m. 247.* Quidam cum mortua uxore pararet exſequias, dictu mirum, extinctæ matris ab utero, ſubito emiſſo claro vagitu ſalvus & incolumis puſio egreſſus eſt, qui prius elatus, quam natus fuit, cui cunas ſepulchrum, vitam mors præpropera dedit. Uxor Nicolai cereviſiæ coctoris in noſocomio Hafnienſi gravida legitimum geſtationis terminum morte antevertit ſex hebdomadibus. Illa menſe Octobri 1653. defuncta fœtus utero incluſus mortuus credebatur; hinc ad ſepulturam omnia componuntur, lavatur cadaver, linteamina ſepulchralia corpori rigido inducuntur, & more funerali arcte cadaveri aſſuuntur. Sic ſepulturæ dicatus dies expectatur. Poſt horam a morte quadrageſimam octavam intumuit abdomen thoraxque, & ruptæ ferales interulæ corpori emortuo aſſutæ, & lochia copioſius prodire viſa. Attonitæ adſtantes feminæ accurrunt diductisque cadaveris cruribus ex maternis clauſtris eluctantem vident puerum maſculum, elegantem omnibusque numeris perfectum, ſed mortuum, quod ex multorum ore teſtatur Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. II. Hiſt. 99. pag. 304.* De fœtu mortuo a mortua matre ſponte prodeunte hanc obſervationem refert Philippus Hœchſtetterus *Obſerv. medic. Decad. VI. Caſ. 3. p. 686.* defecit in partu uxor balneatoris in

lau-

laudatiſſimo urbis noſtræ balneo, a qua viceſima ſeptima a morte hora cum ſonitu mortuus prodiit infans. Factum 30. Auguſti anno 1615. Simile exemplum refert etiam Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. VI. in Præfat. fol. 363.* Weiſſenburgi, inquiens, filiæ ab utero excluſæ vagitus exauditus, vitæ & incolumitatis cauſa fuit, qua nunc fruitur, Weſſingæ in Marchionatu Badenſi degens.

§. 2.

& alia. Sequentia exempla narrat Johannes Matthæus, Heſſus *Quæſt. medic. IV. pag. m. 21. ſeq.* Madritii in Hiſpania nobilis quædam matrona ex familia Don Franciſci Laſſo oriunda, poſtquam per triduum in agone decubuiſſet, putantibus cognatis, eam mortuam eſſe, deportata fuit ad locum ſubterraneum ſepulturæ deſtinatum. Poſt aliquot autem menſes, oſtio ſepulchri iterum recluſo repertum fuit cadaver priori in loco adhuc repoſitum, in dextro brachio infantem mortuum tenens. Unde apparet, dictam matronam, cum ſepulta fuit, vere non obiiſſe, ſed infelicem infantem adhuc peperiſſe. Simile quid Weiſſenburgi accidit. Uxor enim Simonis Kreuteri in nonum menſem gravida, ſupervenientibus pariendi doloribus exſpiravit: Cumque adſtantes putarent, fœtum quoque exſpiraſſe in utero, mortuam, illorum quidem judicio, matrem, more ſolito in terram poſuerunt linteisque contectam reliquerunt. At vero poſt aliquot horas vagitum audiunt, accurrentes matrem quidem mortuam, filiolam vero optime valentem ad pedes matris devolutam reperiunt. Secundum Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. medic. phyſic. Cent. III. Hiſt. 13. p. 297.* uxor mercenarii cujusdam Gorlicenſis partim difficultate partus, partim truculentia morbi moritur. Aliquot a morte horis fœtus adhuc vitalis exitum moliendo uterique clauſtra perrumpendo vitales in auras excluditur, ſacramento quoque baptismatis initiatus, re anno 1683. d. 12. Jan. acta.

§. 3. De

§. 3.

De infante vivo die poſt matris obitum ſecundo ex utero prodeunte hiſtoriam recenſet Johannes Veslingius *Obſervat. anatom. 7. p. 48.* inquiens: Anno 1633. d. 6. Januarii nobilis quædam domina partui ſeptimeſtri vicina, cum fœtus validum motum horis matutinis percepiſſet, epilepſia correpta circa horam nonam veſpertinam obiit. Corpus defunctæ ſtragulis coopertum in lecto, ut facies depingeretur, relictum fuit. Septimo dum hæc fiunt accedentes mulieres ventrem, renes dorſumque calidum reperiunt cum lecto, circa os pituitoſus humor in labia ſtillare conſpectus. Nocte ſequente, mulieres, & duo ſacerdotes juxta corpus vigilantes, crepitum & rugitum quendam ventris defunctæ, tum ejusdem ventris commotionem ſurſum, & paulo poſt ſubſidentiam animadverterunt cum ſibilo inſtar vagitus, ſed metu perculſi non auſi corpus detegere. Adventante die idem ſibilus adhuc per aliquot tempus auditus fuit, quod erat 8. Januarii, quo inter decimam & undecimam horam detecto corpore invenerunt inter femora demortuæ infantem maſculum tepidum, labris rubentibus, adducto ſcroto minimo fœtore præditum: qui poſt temporis aliquot ſpatium rigidus & frigidus evaſit. Partum fœtus poſt matris mortem annotavit Georgius Dethardingius *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Append. p. 77.* & quidem in femina, cantori quæ nupſerat atque doloribus partus ſuccumbens ſemihorula poſt mortem puellam ſanam ac haud deformem enixa eſt. Et *Dec. III. An. 3. Obſ. 44. p. 50. ſeq.* reperitur Johannis Georgii Hoyeri de fœtu, die tertio poſt matris mortem enixo obſervatio; femina ſcilicet quadraginta annorum octies feliciter puerpera facta, nono puerperio ingruente, febre tertiana correpta, mireque ob paroxyſmorum vehementiam debilitata, partu nunc inſtante, medios inter dolorum cruciatus, nondum enixo partu fatis concedebat. Tertia vero poſt mortem die, ſolio ut fieri ſolet alia.

condita, jamjam ſepelienda, dictum factum cum fragore fœtum, unaque magnam humorum copiam excernebat, ore ſimul aperto, linguave ex faucibus emiſſa.

§. 4.

Idem Aliud exemplum de partu poſt matris mortem annotavit Ido Wolffius *Obſervat. chirurg. medic. Lib. I. Obſ 41. p. 130. ſeq.* inquiens: Anno 1667. menſe Julio viginti circiter annorum, vaſti corporis, uxor Nath. Voigtii junioris, medici filii, poſtquam in tertium annum ſterilis vixiſſet in matrimonio, fit gravida. Ob vaſtitatem tamen corporis aliasque cauſas, omnes, etiam mulieris mater, de impraegnatione dubitarunt. Maritus vero aliqualem concepit ſpem. Aliquo autem prædicti menſis die doloribus corripitur illa parientibus familiaribus, accedunt ſtatim magna hæmorrhagia, lipothymia, anxietates cordis, & brevi mors. Maritus ſtatim poſt obitum uxoris domum ex itinere rediens, graviſſime, ut æquum eſt, mortem hanc repentinam fert, & triſtiſſimus circa lectum feralem verſatur. Dumque ſexta poſt mortem hora corpus defunctæ intuetur attentius, animadvertit aliquem motum in abdomine ejus. Advocat itaque ſocrum, quid rei ſit aperit, & demortuæ corpus vivum adhuc continere fœtum ſancte affirmat, adeoque me vocandum eſſe cenſet, quo partus ope cæſarei fœtus in lucem prodeat: Illud autem ſocrus fieri debere conſtantiſſime negat, cum in opinione ſua viduus decipiatur, & quæ plura ſunt. Acquieſcit itaque ille; verum enim vero poſt duodecim ab hoc motu horas, adeoque octodecim a morte, cum loculo defuncta impoſita, isque tectus eſſet, viduus eidem triſtis adſtat, caputque cubito in loculum poſito fulciens obſervat magnam commotionem intus excitatam, convocat ſtatim mulieres præſentes, aperitur loculus, & ecce infans mortuus, ſed omnibus partibus perfectus inter crura matris mortuæ jacet. Crura vero hujus incurvata & in altum protracta viſa ſunt, extendique rurſus non potue-

tuerunt, corpus etiam ad latus parum converſum fuiſſe obſervarunt. Hanc rem, quemadmodum ea facta eſt, cum omnibus circumſtantiis viduus, amicus meus ſingularis, mihi recenſuit.

§. 5.

De gemellis, quorum alter uteri orificio inhærebat, alter vero matre mortua viam exeundi in latus ſiniſtrum ſibi faciebat, obſervationem ex Philippi Jacobi Hartmanni communicatione recenſet Johannes Chriſtianus Mentzelius *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſerv. 121. p. 251.* ſcilicet hic fœtus poſt quadraginta octo horarum ſpatium, poſtquam mater e vita exceſſerat, excludebatur. Ibidem etiam dictus Mentzelius aliam obſervationem, Albino Bernhardo a domino Goſky communicatam, ejusdem verbis annectit: *Eine vornehme adeliche Frau läſſet zur Zeit ihrer Geburt eine Hebamme und einen* Medicum *fordern; es hält ſich aber die Frucht ſo ſehr zurücke, ſo, daß der* Medicus *ungemeine treibende Dinge verordnete. Summa, die Frau bekœmmt eine Ohnmacht über die andere, und ſtirbet nach aller Meynung, und bleibet die Frucht in der Geburt ſtecken; man leget ſie auf das Stroh; des Morgens, da die Leute wieder in die Kammer kommen, finden ſie, daß die Frucht noch in der Geburt ſtecke, allein eine andere Frucht oder Kind bey ihr liegen, welches ſich mit groſſer Gewalt in der lincken Seite durchgearbeitet und ein Loch faſt Spannenlang gemachet.* Obſtupui certe, cum primum hiſtoria hæc mihi narraretur, nec mirari ſatis potui vires hujus fœtus, non ſolum uterum matris, ſed & muſculos abdominis & cutem vi & proprio marte perrumpentis; nec de veritate hujus hiſtoriæ ullus dubitandi locus mihi eſt relictus, cum eadem verbotenus mihi antea a D. Krugio fuerit communicata. Anno 1653. in noſocomio Hafnienſi poſt quadraginta octo horas a morte matris puer ex utero prodiit, uti ex Henrico Watſon allegat Chriſtianus Frider. Garmannus *de Mirac. Mortuor. Lib. I. Tit. 9. §. 5. p. 262.*

Fœtus per latus exiens.

§. 6.

exemplum cum atteſtato. De partu ejusmodi poſthumo obſervationem cum magiſtratus loci atteſtato recenſet Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 83. p. 178.* his verbis: Quando mihi anno 1698. ab amicis coram & literis referebatur, altero a matris morte die fœtum ex materno utero citra ullum ſubſidium prorupiſſe, non quievi priusquam publico teſtimonio ſub ſigillo civitatis de illa re certior fierem; publicumque teſtimonium, quo hiſtoria fidem impetret, conceptis verbis curioſis, hic legendum offero. *Wir Bürgermeiſter und Rath der im Hertzogthum Preuſſen gelegenen Stadt Gerdauen zeugen Krafft dieſes mit Grunde der Wahrheit ein, daß Michel Schefflers, eines hieſigen Bürgers und Tœpffers Ehegattin, Nahmens Anna, ihres Alters 24. Jahr, nachdem ſie hochſchwanger, und ihrer Geburts-Stunde in wenig Tagen gewärtig geweſen, im verfloſſenen 1693ſten Jahre den 30. Julii, als Donnerſtags in der Nacht, da ihr Ehemann verreiſet war, und nur ein Mægdgen bey ihr gelaſſen, unverſehens, indem derſelben vermuthlich eine Ohnmacht zugeſtoſſen, mit dem Haupte aus dem Bette zwiſchen einen nahe am Bette ſtehenden Kaſten geſtürtzet, und des Freytags, als 31. Julii, des Morgens gegen 3. Uhr von denen Nachbaren mit dem Köpffe auf der Erde ſtehend, und mit denen Schenckeln annoch im Bette liegend, gantz erſtickt funden worden; weil nun die Anweſenden die Leiche ſo fort auf eine Tafel geleget und beſichtiget, ſo haben ſie befunden, daß die Frucht annoch am Leben, und mercklich friſch geweſen: haben dahero, in ihrer Einfalt gleich mit warmen Scheiben die Leiche an der rechten Seite, woſelbſt die Frucht gelegen, erwærmet, und bis den folgenden Sonnabend, als 1. Auguſti, damit continuiret, auch gewahr worden, daß die Frucht nach der Wærme immer ſtærcker ſich beweget. In ſolchem Zuſtande iſt die Leiche den 1. Auguſti gegen Abend in den Sarg geleget und offen gehalten worden; des Sonntags Morgens aber gegen 3. Uhr hat die Leiche das Kind allererſt von ſich gelaſſen. So bald nun die Anweſende dieſes vermercket, haben ſie das Kind, ſo eine junge Toch-*

Töchter geweſen, gleich aufgenommen, und eigentlich geſehen, daß es noch zweymahl mit dem Mündgen geſchnappet und alſobald verſchieden; worauf denn die Mutter nebſt dem Kinde annoch denſelben Tag chriſtlich beerdiget worden. Iſt alſo gewiß, daß das Kind bey der Leiche von 3. Uhr des Freytags, als den 31ſten Julii bis an 3. Uhr des Sonntags, als den 2ten Auguſti, zuſammen 28. Stunden gelebet. Welches zu mehrer Beglaubigung unterſchrieben und beſiegelt. Gerdauen, den 3. Julii Anno 1694.

(L.S.) *Bürgermeiſter und Rath.*

§. 7.

Plures fœtus poſt matris obitum excluſos annotavit Philippus Salmuth *Obſervat. medic. Cent. II. Obſerv. 36. pag. 75.* inquiens: retulerunt mihi homines fide digni in femina quadam in partu extincta editum fuiſſe paulo poſt ingentem fragorem, & cum illo quoque fœtum mortuum excluſum. Sic & Tobiæ Rochæ in Marchia conjux, in partu, *hora ſecunda noctis moritur. Media tertia pomeridiana fœtus in lucem editur. Novi alias nobilem quandam matronam, in ipſo quoque partu admodum laborioſo defunctam; a cujus obitu tertio die mulieres infantem & quidem puellam mortuam in illius ſinu jacentem, non ſine admiratione atque ſtupore in ſandapila reperiunt, quæ poſtmodum matris brachiis incluſa terræ ſimul, 31. Octobris anno 1609. mandata fuit. Rariſſimam obſervationem de excluſione fœtus mortui ex parte jam putrefacti & poſt obitum matris inventi ultimo naturæ conatu facta refert Chriſtophorus Schrœderus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſerv. 107. pag. 206.* inquiens: nobilis quædam triginta circiter annorum primipara anno 1680. poſt tot in partu per ſpatium novem noctium dierumque exantlatos dolores fœtu jam in utero putreſcente, ut ex ſummo fœtore conſtabat, nono die me in conſilium vocat; ſed fruſtra omnia, etiam ipſius unci applicatio, qui ob vires exhauſtas, ſuccumbente natura, in uſum trahi non *Exemplum fœtus putrefacti.*

poterat; unde circa veſperam eodem die, quo vocatus eram, placide in Domino exſpirat. Adſtantes igitur circa lotionem corporis laborant ſolicitæ, quicquid abluendæ immunditiei eſſet, decernunt. Hisque & aliis circa curam talem exactis, fœtum putrefactum ex inſperato intra femora defunctæ matris inveniunt, ultimo providæ naturæ conatu excluſum, quem nulla ars manusque adſtantium ſedula poterat promovere. Refert etiam Thomas Bartholinus *Cent. II. Hiſtor. 99. pag. 387.* ſe Leydæ 1638. præſente gravidam quandam ipſam ſe ſuffocaturam, in mortis anguſtiis fœtum excluſiſſe. Sic mulier difficili partu laborans, viribus proſtratis & doloribus victa una cum infante e vita exceſſit circa horam quintam veſpertinam. Remota igitur e lecto & in aliud conclave translata, adhibitis cuſtodibus jacuit per noctem usque ad horam tertiam matutinam. Tunc auditu magno crepitu infans mortuus, duos dentes anteriores in ore habens, ex utero matris mortuæ prodiit. vid. Johann. Schenck. *Obſ. med. Lib. IV. fol. 590.*

§. 8.

an matres fuerint mortuæ?

Quamvis autem hactenus recenſiti, tam vivi, quam mortui fœtus plerisque autoribus a matre jamjam mortua nate atque progreſſi dicantur, an tamen ejusmodi embryones aliquot horas vel dies in defunctæ matris utero vivi permanere demumque propriis viribus exitum ſibi procurare poſſint, nonnulli autores in dubium vocant, talesque feminas potius affectu quodam ſoporoſo, vel ſuffocatione hyſterica &c. per tantum temporis intervallum laborioſe judicant, donec ab ejusmodi ſymptomate iterum excitatæ, vel etiam agonizantes fœtui adhuc vivo tantum ad partum conferant, ut relaxatis uteri fibris debilis vel mortuus ex eodem carcere prolabi vel excerni queat, ſicque mater paulo ante partum vel in ultimo quaſi niſu ſimul cum fœtu vitam finiat.

§. 9.

§. 9.

Ut autem aliquot autorum verba pro hoc ſcopo adducamus, inquit Johannes Sperlingius *de Format. Homin. in uter. cap. 7. pag. 161. ſeqq.* (quo loco prolixe de hac quæſtione agit) ejusmodi hiſtoriis probare quidam ſatagunt, mortuas matres parere poſſe infantes vivos. Quod ut mirum auditu, ſic re ipſa cerebri humani inventum eſt. Non poteſt aliquid ſimul eſſe & non eſſe, primum principium metaphyſicum eſt. Erit autem hic aliquid, & non erit ſimul. Mortua mater ſi parit, ſimul eſt & non eſt. Eſt, quia parit; non eſt, quia mortua eſt. Hoc non-ens ens eſt. Ens, quia agit. Non eſt, quia mortuum. Parere ſane actio eſt. Actio vehementiſſima, quæ & robuſtiſſimam fatigat, adeo ut quid agat aut patiatur neſciat. Vehementiſſimam hanc actionem num edere poterit, quæ mortua eſt? Recte Wincklerus ſcribit: cum parere ſit actio, actio vero omnis in animalibus præſupponit vitam & animam, principium & cauſam actionum in corpore: quomodo agere poſſunt mulierculæ anima jam ſpoliatæ, diuque mortuæ. Deinde cum partus ſit opus arduum & difficillimum, in quo multa concurrant neceſſe eſt: primo ut fœtus ſit fortis, deinde ut ſatis dehiſcat uterus, & innata vi excludat fœtum, tertio ut etiam oſſa pubis a ſe invicem, & oſſa ilium ab oſſe ſacro ſecundum plerorumque opinionem nonnihil diſtrahantur: quarto etiam ut mulier ſpiritum continendo & abdominis muſculos comprimendo operam ſuam non deneget: quis non videt a matre mortua infantem ſua ipſius opera egredi non poſſe? Neque evincere queunt rem illam monſtroſam allatæ hiſtoriæ, pergit Sperlingius. Suſpenſos ſæpe pro mortuis habitos vivos fuiſſe, novum non eſt. Non pauca enim exempla ſuſpenſorum non extinctorum dantur. Magis ergo veritati conſonum, ſuſpenſam illam mulierem, cujus ſupra meminimus, mortuam non fuiſſe, ſed potius retentione ſpiritum motusque vehementiori partum quam maxime juviſſe. Cæteras

autores aſfirmantes. ſententia Sperlingii.

etiam

etiam ſepulchris commiſſas non mortuas ſed vivas fuiſſe, non abſonum. Sæpe pro mortuis habentur & ſepeliuntur, qui tales non ſunt; mulierculæ cumprimis, quæ ob morbum, quem patiuntur, uterinum, mortuis evadunt ſimillimæ. Cujus rei hiſtorias item vivæ & mortuæ matris ſigna diſtinctiva annectit.

§. 10.

Sententia Riolani.

De quæſtione memorabili & admiranda, qua medicis Pariſienſibus anno 1633. Bruxellis propoſita fuit, ſequentia narrat Joannes Riolanus *Anthropogr. Lib. VI. cap. 8. fol. 398.* Supponitur mulier gravida ſeptimeſtris, quæ convulſionibus epilepticis die Jovis circa nonam veſpertinam ſuffocata fuit. Die Veneris ſpuma ex ore matris prodiit, exauditur murmurillus, quaſi vagientis infantis in utero matris, tumque venter ab aſſidentibus obſervatur attolli ac deprimi. Die Sabbathi circa decimam matutinam profluvium ſanguinis coëgit adſtantes denudare corpus, & intra femora matris provolutus infans deprehenſus adhuc calidus. Unde nata quæſtio, quæ nobis excutienda & judicanda proponitur. An fœtus extinctæ matri tamdiu ſuperſtes fuerit, ut poſt triginta ſex horas ab interitu matris, vivus ſuopte impetu ab ergaſtulo ſuo erumpere potuerit? De hac quæſtione ita cenſemus, & decernimus: Fœtus extinctæ matri aliquandiu ſuperſtes eſſe poteſt, quia mater fœtui duntaxat ſedem, fotum & pabulum ſuppeditat. Fœtus ut peculiarem habet animam, ſic propria vita fruitur: ideoque poſt obitum matris vel poteſt vivus ex utero matris erumpere, vel per ſectionem cæſaream vivus extrahi. Sed ſpatium illud moræ & manſionis in utero triginta ſex horarum ab interitu matris quibusdam ſuſpectum eſſe poteſt. Nam ſi die Jovis mater extincta fuit, omnes corporis partes exanimatæ, ac proinde omni ſenſu motuque privatæ fuere, quomodo orificium internum uteri reſerari ac dilatari potuit ad excuſſionem fœtus? quo-

Quomodo ſecerni placenta a corpore uteri, cum ſanguis duntaxat ex illa divulſione profluat? Itaque in ipſis convulſionibus incepit parturire mater, tumque reſeratum ac dilatatum fuit orificium internum uteri, ſed in ipſo conatu pariendi extinctam fuiſſe matrem & poſt aliquot horas fœtum ſuopte impetu ruptis membranis, quibus concluſus erat, vivum adhuc erupiſſe cenſemus. Sanguinis vero iſtud profluvium, quod die ſabbathi obſervatum fuit, ab utero matris mortuæ ſanguinis pleno manaſſe, ut in quibusdam cadaveribus tertio vel quarto die ab interitu, ſanguis ex ore vel naribus magna copia effluxiſſe viſus eſt. Quodſi relationi certa fides adhibenda ſit, & juxta narrationem pronunciandum, veriſimile eſt, mulieres poſt illas convulſiones epilepticas & hyſtericas, ſpiratione, ſenſu, motuque orbatam, habitam ac derelictam fuiſſe pro mortua, ut in mulieribus hyſtericis & epilepticis ſæpiſſime accidit, quæ ad funus elatæ revixere. In iſtis convulſionibus orificium internum uteri ſufficienter ad partum dilatari potuit, & fœtus imbecillus ſubſiſtere & morari in utero per 24. horas & ultra, ad recuperandas vires in iſtis convulſionibus matris proſtratas. Attamen vixiſſe ſub finem diei Veneris, & matrem & fœtum, mulieris corpus adhuc calens, vagitus uterinus & abdominis, ſubſultus ac elevatio manifeſte indicant & atteſtantur: ſed vagitus infantis morientis matris index fuit, & propriæ calamitatis internuncius, atque tum mater obiit, cum ſpuma ex ore prodiit. Ac proinde potuit fœtus ſeptimeſtris die ſabbathi ſuopte impetu, ruptis membranis tenerrimis & jam extenſis, vivus ab utero emergere, prius tamen mortua & extincta matre. Plura de hac quæſtione & reſponſione, item de Patavinorum medicorum reſponſione, vide etiam Thomæ Bartholini *Act. Haffnienſ. Vol. II. Obſ. 35. p. 95. ſeq.*

§. II.

In obſervationibus, quas ſupra ex Johanne Matthæo *aliorum.*

adduxi, addit idem, ex tali infelicis infantis partu apparere, matronam ex familia Don Franciſci Laſſo oriundam, cum ſepulta fuit, vere non obiiſſe, ſed infantem adhuc peperiſſe; & Simonis Kreuteri uxorem in terram poſitam tum demum vere exſpiraſſe, quando partus in lucem prodiit. Quod de priori obſervatione etiam ſtatuit Diomedes Cornarius *Hiſtor. admir. rar. XV. pag. 48.* inquiens, apparet, matronam tum temporis, quando ſepulta fuit, nondum obiiſſe, ſed poſtmodum peperiſſe infantem, qui una cum matre miſerrime clam infra terram obiit. De hoc caſu dicit etiam Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 25. fol. m. 145.* facile contingere poſſe, ut mulier, quæ pridie ex vivis exceſſiſſe putata fuit, poſtridie adhuc pariat (in extrema enim neceſſitate natura interdum mirabilia præſtat) & una cum fœtus expulſione ſuam quoque animam exſpiret: atque tunc per iſtum errorem putant adſtantes, illam modo mortuam peperiſſe, quæ tamen, cum pareret, mortua nondum erat. Ita ut hinc omnino doceri non poſſit uteri ſpontaneus, aut proprius aliquis motus. Econtra vero Gregorius Nymannus Diſſert. *de Vit. fœt. in uter. p. m. 29.* ubi eandem Cornarii hiſtoriam allegat, ſcribit: Ex hoc licet colligat Cornarius, matrem non mortuam, ſed vivam adhuc ad locum ſepulturæ delatam fuiſſe: ego tamen ex omnibus circumſtantiis colligo, gravidam extinctam vivum peperiſſe infantem, huncque ad ejus ſuperiora repſiſſe. Quæ tamen Nymanni ſententia ideo mihi valde dubia videtur, quod mater, recluſo iterum ſepulchri oſtio, infantem mortuum in dextro brachio tenens reperta fuerit; vix enim per ejusmodi ex mortua matre partum nimis debilitatus fœtus, ſi vivus adhuc excluderetur, ad ſuperiora adſcendere poterit, ſed potius inter femora defunctæ matris permanebit; imprimis cum ad ejusmodi fœtus excluſionem neceſſe ſit, ut reviviſcentis matris crura, quæ alias in defunctis ante ſepulturam linteis conſtringuntur, ite-

rum

rum diducantur, unde fœtus commodum ibidem jacendi locum reperiſſet. Cum autem in dicto Cornarii caſu fœtus in matris brachio, ſeu loco feminis infantes ferendi ſolito, repertus fuerit, potius matrem adhuc vivam fœtum ex ſe natum vel extractum amoris ſtimulo ad ipſius præcordia applicaſſe credendum. Crurum autem divaricatio ſeu incurvatio atque in altum protractio, cujus ex Wolffii obſervationibus exemplum adduximus, infallibile matris adhuc vivæ fœtum enitentis eſt ſignum. Quamvis etiam juxta ſupra allegatam hiſtoriam Salmuthi de duobus ex matre, cui a clerico quodam latrone caput prorſus erat abſciſſum, poſt ipſius mortem in via publica natis gemellis, judicandum videatur, quod matre jam mortua editi ſint, nihilominus tamen, quod hi gemelli ex matris terrore ſeu conſternatione ex improviſo ipſius latrocinio ſimul cum ipſius obitu prodierint, nullum mihi eſt dubium.

§. 12.

De tali poſt mortem matris partu ita judicat Lucas Schrœckius *Schol. in Obſerv. 42. M. N. C. Dec. II. An. 4. pag. 102. ſeq.* quamvis fœtum in ſimilibus caſibus, ut plurimum ex demortua matre vivum prodiiſſe, haud ſit incredibile, cum ejusdem conatum, ad partum rite ac bene abſolvendum eſſe neceſſarium, vel hanc ob cauſam etiam ſtatuatur, quia & pullorum e. g. partus vel excluſio non tam incubanti matri, quam ipſi pullo, corticem ovi effringenti, debetur; non tamen revera mortuas ſemper eſſe matres, quæ tales eſſe judicantur, non minus certum eſt; quin & embryo, in procinctu dum eſt ad egrediendum, ſi moriatur, laxatis poſt mortem matris omnibus hujus membris & ſimul ligamentis uteri, gravitate ſua deſcendere poteſt, præſertim ubi loca muliebria effluxu aquarum, ex ruptis fœtum involventibus membranis, lubrica magis fuerint reddita, aut ſtagnans in utero humorum colluvies fermentationem ſubiens aëremque magis expandens, *Schrœckii ſententia.*

& quaſi in flatum reſoluta ad fœtum expellendum una concurrerit. Unde, quam grave ſit in ſimili caſu certum dare de facta vivi mortuive fœtus excluſione judicium, adparet. vid. etiam *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſerv. 118. pag. 536.*

§. 13.

Fœtus in utero ſupervivens. Poſſe tamen etiam fœtum in utero matris defunctæ aliquandiu ſupervivere, nec rationi neque experientiæ repugnat, cum ſecundum *Embryolog. noſtr. Sect. II. cap. 1.* propria vita & ſanguinis circulatione vivat, atque matre defuncta aliquamdiu ſuperſit atque perſiſtat, poſteaque vel in ergaſtulo ſuo ob varias cauſas animam Deo reddat, ſicque vel mortuus, vel etiam adhuc vivus ex utero prodeat, uti hactenus monſtratum, vel etiam per ſectionem ex defunctæ matris utero mortuus vel adhuc vivus eximatur, quæ operatio partus cæſarei nomine venire ſolet. Cum proinde in modo adductis exemplis fœtus tam vivi, quam mortui excluſi legantur, notandum eſt, quod, ſecundum Chriſt. Frid. Garmanni *de Miracul. mortuor. Lib. I. Tit. 9. §. 8. pag. 263.* fœtus vivus poſt matris mortem durat, ſi perfectus, ſi non a morbo matris ante partum debilitatus, ſi viribus integer ſit, rectumque & naturalem obtineat ſitum: denaſcitur fœtus, ſi morbis, quales ſupra *Sect. III. cap. 1.* adduximus, & aliis, in utero tentetur, ſi a præternaturali poſitu matrisque infirmitate & obitu defatigetur & refrigeretur. An vero fœtus ante matrem ad plures abierit, vel an poſt matris mortem in utero adhuc vivat, per varia tam mortui quam vivi adhuc fœtus ſigna eſſent adducenda, quæ tamen ad alium locum, ſcilicet de partu cæſareo reſervare volumus.

§. 14.

An infanticidium committatur? Annon autem in tali caſu, ſi ſcilicet fœtus vivus ex matre mortua non extrahatur, horrendum facinus atque infanticidium committatur? ſequenti obſervatione de triſti nondum nati

nati infantis fato docet Güntherus Chriſtophorus Schellhammerus, *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 14. p. 28.* Brunſuici ſcilicet proletaria mulier in partu difficili diem obiit ſupremum. Hæc poſtquam ſpiritum exhalavit ultimum, deprehenſus eſt infans in utero vivere adhuc & valido motu exitum quærere. Hic mulieres adſtantes miſerrimum infantem mire ſe torquentem & extrema omnia tentantem oculis atque animis immotis aſpexerunt: cumque admonerentur, ut facta ſectione mortis faucibus eriperent, & in conſortium protraherent viventium, nulla opera potuerunt ad id impelli: crudele facinus cauſari, mortuæ mulieri vulnus infligere; viventem leto tradere, minus crudele reputantes. Itaque miſer hic infans unam atque alteram horam matri ſic ſupervixit, & intra ipſam cum morte luctatus eſt; tandem vero, fractis viribus, nemine opitulante, obiit & ipſe. Eo vero momento non venter tantum matris, ſed & univerſum corpus ingenti quaſſatione contremuit: accuſante quaſi defuncta amicarum deteſtandam crudelitatem, quod perire prolem ſuam ſcientes volentesque ſiverint, ipſis exprobrans, & iſta ſua commotione poſt mortem facta ipſis horrorem incutiens. O animadvertendum facinus! & graviſſimis pœnis ulciſcendum! Quod enim eſt, quo ab homicidio diſtat? &c. Simile exemplum de motu fœtus in utero matris extinctæ annotavit Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 137. p. 279.* nimirum in oppido, Lichtenau dicto, femina gravida in febrem incidit malignam, qua etiam octavo ingravidationis menſe extinguitur; altero die poſt mortem adſtantes cum admiratione obſervant motum infantis in utero per duodecim horas; deſtituti vero medico & chirurgo naturæ omnia reliquerunt. Certiſſimum autem ſignum, quod fœtus in defunctæ matris utero adhuc vivat, ab ejusdem motu peti poteſt, quum econtra non negandum, interdum etiam fœtum, licet vivat & bene valeat, ante partus horam non moveri, quod pinguiuſculis feminis

accidiſſe notavit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt. 78. p. 155.* Subinde etiam fœtum tempore partus per diem unum aut alterum veluti mortuum in utero jacere, poſtea tamen vivum prodire, exemplo probat Guilhelmus Fabricius Hild. *Oper. fol. m. 906. ſeq.*

CAPUT VII.

De inſolita partus ætate.

§. 1.

partus ætas. Quamvis ordinarius pariendi terminus in feminis circa pubertatis tempus, & quidem a decimo quarto ætatis anno usque ad quinquageſimum ab autoribus ſtatuatur, uti *in Spermatolog. noſt. Sect. I. cap. 1. & 3.* adduximus; quandoque tamen etiam annotantur feminæ, quarum aliæ hunc partus terminum anticipant, aliæ transgrediuntur.

§. 2.

partus puellarum. Ut autem de embryotokia, ſive de illo partu, quando recens natus fœtus poſt paucum temporis intervallum alium longe minorem fœtum enititur, de qua embryotokia in Syllepſilogia noſtra ſive tractatu de Conceptione *Sect. IV.* prolixe egimus, hoc loco nihil repetamus, de aliis tantum puellis extraordinarie parientibus exempla recenſere volumus. Referente enim Thoma Bartholino *Hiſtor. anat. Cent. VI. Hiſt. 100. p. 384.* Indorum hiſtoriæ teſtantur, bimulas puellas peperiſſe. Puellam octennem in Miſnia a novenni juvene imprægnatam juſto tempore puellam eſſe enixam, ſcribit Johannes Sophronius Kozac *Tract. de Sale, Cap. 8. Sect. XII. p. m. 353.* Johannes Albrechtus de Mandelslow, *Epiſtol. ad Adam. Olearium fol. m. 11.* meminit puellæ, quæ ſexto ætatis anno filium peperit. vid. etiam *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 166. p. 365.* De Mandrorum mulieribus quinto, ſexto, ſeptimo, nono & decimo anno parientibus, vid.

Sim.

Sim. Majoli *Dier. canicular. colloqu. III. fol. m. 42.* Vidit etiam Thomas Bartholinus ſervam grandævam, quæ anno ætatis ſuæ duodecimo puerpera fuerat, uti refert *Hiſtor. anat. Centur. V. Hiſt. 17. pag. 32.* quo loco addit: inter Brachmannas in India id uſitatum, quæ quinto, ſexto &c. anno elocantur, quod nonnunquam ante decimum annum puerperæ fiant. De puella novenni ex concubitu gravidata, vid. Marc. Anton. Ulmi *Phyſiolog. Barb. hum. Sect. III. fol. 292. ſeq.* Anno 1277. in Suevia puellam octo annorum filium peperiſſe, refert Sigismundus de Bircken *im Spiegel der Ehren des Erzhauſes Oeſterreich Lib. I. cap. 12. fol. 100.* Idem etiam ex Annalibus Suevicis refert Chriſtianus Matthiæ *Theatr. hiſtor. de Rudolpho I. cap. 3. p. m. 970.* Juxta Joach. Hoppii *Commentat. ad Inſtitut. Juſtinian. Lib. I. T. 10. pag. 69.* malitia ſæpius ſupplet ætatem, prout de puero ſex annorum cum puella ejusdem ætatis actum venereum exercente notabilis caſus oblatus ampliſſimæ facultati juridicæ Francofurt. d. 2. April. anno 1677. Et puellam novem annorum puerum eſſe enixam, refert Albericus de Roſate Lexic. ſub voc. *Matrimonium.* Scribit etiam Johannes Riolanus *Comment. in Libros Fernelii de Procreat. Homin. cap. 7. pag. m. 242.* Excretioni menſtrui non eſt tempus definitum, quibusdam enim fluxit nono ætatis anno, quæ eodem conceperunt, cujus Savon arola & Sylvius ſunt teſtes oculati.

§. 3.

De nimis præcoci feminarum Ceilonenſium matrimonio atque partu ſequentia recenſet Johannes Jacobus Saar *Oſt-Indian. Kriegs-Dienſt fol. m. 62. ſeq.* *In der Inſul* Ceilon *iſt das weibliche Geſchlecht ſehr brünſtig, alſo daß eine Tochter kaum ihre zehen oder eilff Jahre erreichen mag, daß ſie ſich nicht ſchon verheyrathet, und ſo ein Vater ſeine Tochter in die Ehe giebet, ſo beſchläfft er ſie zuerſt, und ſagt, daß es ihm gebühre von dem Baume, den er gepflantzet, die erſte Frucht zu genieſſen: Es ſolt einer faſt* *partus præcox.*

nicht

nicht glauben, wenn andere, auch glaubwürdige gereiſte Leute, es nicht auch confirmirten. *Was Herr von Mandelslo erzehlet, iſt wohl werth, daß mans anfüge. Von denen Benjanern redet er Lib. I pag. 105. alſo: Si verheyrathen ihre Kinder im fünfften, ſechſten und ſiebenden Jahre, gleichwie die andern Heyden. Bald darauf ſchreibet er von denen Rasbuten wieder: Mit Verheyrathung ihrer Kinder ſind ſie denen Benjanen und Bramanen gleich. Sie halten im fünfften und ſechſten Jahre Hochzeit und Beyſchlaf, zeugen auch Kinder, ehe ſie zehen oder eilff Jahr alt werden. Wenn eine Jungfrau vor dem neunten oder zehenden Jahre nicht iſt an einen Mann gebracht worden, wird ſie der Unkeuſchheit halber verdächtig gehalten, und nicht leichte geheyrathet. Es iſt zu verwundern, daß die Natur in dieſen Ländern ſo bald zeitiget und zum Eheſtande bequem machet. Ich muß hierbey ein Exempel erzehlen, welches zwar in Indien nicht gemein, daher es von denen Einwohnern ſelbſt iſt verwundert worden, und ſolte es mancher nicht glauben, hat ſich aber wahrhafftig, vor wenig Jahren bey des Mogols,* Schach Choram, *Zeiten begeben, daß ein* Rasbute, *nicht weit von* Agra *wohnend, mit ſeiner Frauen eine Tochter gezeuget, welche im andern Jahre ihres Alters ſo groſſe Brüſte, als eine ſäugende Frau bekommen. Dieſer Leute Nachbar, ein Schmied, überredet den Vater, daß er das Kind nach ihrer Manier, mit einem glüenden Eiſen, an etlichen Orten brennen möge, damit denen übrigen Feüchtigkeiten ein Weg gewieſen würde, und die Gröſſe derer Brüſte ſich verlieren können. Nachdem aber der Schmied die Brandmaale gethan, wird er alſobald kranck und ſtirbet, wie auch bald darauf dieſes Kindes Eltern, und andere, die darbey geweſen. Dieſes Kind aber hat, nach dem dritten Jahre ſeines Alters, weiblichen Gebrauch nach, ihre ordentliche* Menſes *bekommen, im vierten Jahre haben ſie wieder aufgehœret; Der Leib aber iſt ihr aufgelauffen als einem ſchwangern Weibe; im fünfften Jahre iſt das Aufbleben des Leibes etwas verſchwunden, und im ſechſten hat ſie einen jungen Sohn gebohren. Der* Mogol *hat Mutter und Kind zu ſich holen laſſen, und um groſſer*

Ver-

Verwunderung bey ſich behalten. Puellam novem annorum concepiſſe ex Leonhardo Fuchſio tamquam teſte refert Johannes Benedictus Sinibaldus *Geneanthrop. Lib. II. Tract. 3. cap. 13. pag. 242.* ubi ita pergit: confirmat hoc Savanarola, auctor alioquin magni nominis fideque digniſſimus, qui ſcribit, ſe vidiſſe puellam novem annorum, quæ conceperat, cui quidem eventui fidem non derogo, quoniam poſſibiliter id fieri potuit: poſſibili autem poſito in actu nullum ſequi debet abſurdum. Siquidem ex viri præpropera fœcunditate ob fervidius temperamentum mulier quoque poteſt virtute genitali non parum anteire. Nam cum nono illo anno potuerint effluere menſtrua, vel ob magnam caliditatem, vel ob venarum latitudinem, poteſt etiam puella concipere &c. Videatur inſuper Spermatol. noſtr. *cap. 4. §. 16. p. 185.* & Gynæcol. *Sect. II. cap. 1. §. 17. p. 89. ſeq.*

§. 4.

Varias puellarum, octo vel novem annorum, concipientium & parientium obſervationes collegit Johannes Schenckius *Obſervat. medicin. Lib. IV. fol. 559.* In Vaſconia feminam nono ætatis anno peperiſſe, ex Jouberto refert Ambroſius Paræus *Tract. de Renunciation. Oper. fol. 657.* Juxta Franciſc. Torreblanc. *de Magia Lib. II. cap. 18. pag. m. 218.* puellæ novennis prægnantis meminit Albertus Magnus, & in Europa octavo anno apud Moſellam ſub Benedicto XII. Pontifice Maximo puellam concepiſſe, refert Genebrardus. Ex Solino meminit Paulus Zacchias *Quæſt. med. legal. Lib. I. Tit. 1. Quæſt. 4. n. 28. fol. 14.* quarundam mulierum Indarum, quæ quinquennes generant, octennes tamen conſeneſcunt ac pereunt. Item ex Jouberto probat, pueros novennes ac decennes & præſertim puellas concipere aliquando poſſe & plures etiam concepturas ante pubertatem, ſi viro uterentur. Scribit etiam M. Antonius Ulmus, *l. a. fol. 293. ſeq.* ſe cognoviſſe puellam ſeptennem, nec vel menſe altero, ſive tertio ſuperiorem, quæ ab uno ex ipſius Ul- *exempla.*

mi famulis fuit compreſſa &c. Feminas octavo vel nono ætatis ànno nubentes atque decimo parientes in India reperiri, ſcribit Thevenot *Itinerar. Part. III. Lib. I. cap. 29. p. m. 100.* Et *cap. 48. pag. 165.* de provincia Baglana ejusque incolarum matrimonio inquit: *In dieſer Provintz wie auch in dem übrigen Theile* Decans *verheyrathen die Indianer ihre Kinder ſehr jung, und laſſen ſie einander viel eher beywohnen, als man ſonſten an vielen Orten in Indien nicht zu thun pfleget. Sie vollziehen die Heyrathen im vierten, fünfften und ſechſten Jahre, und geſtatten ihnen in einem Bette beyſammen zu liegen, ſo bald der Mann zehen und die Frau acht Jahr iſt, und man hat dergleichen Perſonen geſehen, die in dieſem Alter Kinder gehabt haben. Allein die Weiber, die ſo zeitlich gebæhren, hœren geſchwinde wieder auf,* concipiren *gemeiniglich nach dem dreyſſigſten nicht mehr, und werden überaus runzlicht.* Javanorum liberos utriusque ſexus circa ætatis annum decimum tertium vel quartum matrimonium contrahere ſcribit Walth. Schultze *Itinerar. Indic. f. m. 229.* De ejusmodi præcoci partu ſequentia refert Arnoldus Montanus *in der Japaniſchen Geſandſchafft fol. 365. die Japaner verloben ihre Kinder vielmahl an einander, weil ſie noch in der Wiege liegen; welches nachmahls die Verlobten ohne einige Verſæumniß vollziehen; Auch verehligen ſie ſich meiſtentheils jung: aber ſo gantz frühe nicht, als die Moſcowitiſche Jungfrauen, die in ihrem zehenden oder eilfften Jahre in den Eheſtand treten. Joſeph Scaliger meldet, daß ein Frantzœſiſcher eilffjæhriger Knabe ſeine Bluts-Verwandtin von neun Jahren geſchwængert. Der Pabſt* Gregorius, *der Groſſe, hat auch ein ſiebenjæhriges Mægdlein gekennet, welches von einem Knaben, der nur zwey Jahr ælter geweſen, befruchtet war.* Mandrorum feminas ſeptimo ætatis anno parere, ſenectam quadrageſimo anno accedere: & in Calingis ejusdem Indiæ gente quinquennes concipere feminas, octavum vitæ annum non excedere, narrat Plinius *Natural. Hiſtor. Lib. VII. cap. 2. fol. m. 107.* Puellam novem annorum ad Confluentiam Rheni & Moſæ anno 1336. ex

ſer-

ſervo concepiſſe atque puellam peperiſſe, & quidem imperante Ludovico Bavaro, refert Johannes Wolffius *Lection. memorabil. Centen. XIV. fol. m.507.* Plura vide Caſp. a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Quæſt.90. §.11. p. m. 1167.* Georg. Franc. de Francken. *Satyr. medic. IV. pag. 74. ſeq.* Sic Marſilius de Sancta Sophia Patavus teſtatus eſt, ſe vidiſſe Papiæ puellam novem annorum utero geſtaſſe. vid. Marcell. Donat. *de Med. hiſtor. mirab. Lib. IV. cap.14. pag. 383.* ubi plura exempla. Monſtroſum habuit Savanarola, puellam a ſe viſam gravidam nono ætatis anno, qualem & Jacobus Capella medicus Franciſci regis vidit, inquit Martinus Weinrichius *de Monſtris cap. 8. p.72.*

§. 5.

Une jeune fille demeurant dans un village à deux ou trois lieûes dela ville d'Ypres, qui n'avoit point encore neuf ans accomplis, accoucha au mois de Mars de l'année 1681. d'un gros garçon plein de vie au grand etonnement de ſes parens, qui ne s'attendroient pas à une telle fecondité. L'âgé dela fille a eſté juſtifié par le regiſtre baptiſtaire, & tout le païs a ſceu un accident auſſi ſurprenant, que celuy-là. vid. le Journal des Sçavans *de l'Année 1684. p. m.186.* Puerum quendam ſedecim annorum, petulantem, ſalacem puellasque laſcivas inſectantem, ideo captivum in carcerem deductum fuiſſe, quod tres puellas, trium, quinque & novem annorum, imo & adultiores ancillas ſtupraſſe diceretur, refert Andr. Ottomarus Gœlickius *Exercit. ſubceſ. Francof. Tom. I. Exerc. 1. pag. 29. ſeq.* Et in novellis ordinariis Noribergenſibus *de die 12. Aprilis an. 1715.* referebatur: ſartoris cujusdam filiam decem annorum cum puero quatuordecim annos nato, a quo ante tres menſes fuerat impregnata, fuiſſe copulatam. Inquit etiam Nicolas Venette *de la Generat. de l'Homme Part. II. cap. 3. Artic. 2. p.115.* Nous liſons dans nos obſervations de medecine, qu'il y a eu des hommes qui ont eſté peres à dix ans, & qu'il s'eſt trouvé des femmes de neuf ans, *alias.*

qui ont merité le nom de mere &c. Obſervationem filiæ novem annorum, a vicino aliquo marito impraegnatæ, quæ Londini infantem enixa eſt, in ipſo autem partu obiit, ex communicatione amici refert Johannes Jacobus Harderus *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſerv. 172. pag 262.*

§. 6.

partus vetularum. Deinde etiam annotantur vetulæ parientes, qualia exempla hinc inde apud autores leguntur. Braſilianorum enim feminæ pudicæ non deformes ab octennio ultra ſexageſimum annum ſupra fidem fœcundæ; imo ſeptuagenariæ orbos infantes lactantes viſæ ſunt, juxta Guiliel. Piſon. *Hiſtor. nat. & medic. Lib. I. pag. 606. in Caſp. Barlæi Tract. de Rebus geſtis in Braſil.* De muliere, quæ octuageſimo ætatis anno concepit, vid. Hieron. Montui *Anaſcev. Part. IV. cap. 33.* Inquit etiam Adrianus Spigelius *Epiſt. de incert. tempor. partus p. m. 77.* animadvertit

60. annorum. Maſſa, mulierem Venetam, circiter ſexaginta annos natam ex ſeptuagenario ſene concepiſſe puellam manibus & oculis deſtitutam. Tacebo Saram & Eliſabetham, quæ anno ætatis ſeptuageſimo quinto conceperunt, ut ſacræ literæ atteſtantur. Sic juvencula quædam in Belgio ex octuagenario concepit, cum tamen mares poſt ſexageſimum, vel ad ſummum ſeptuageſimum annum non extendere generandi vim credantur. De concipiendi energia in vetula cum fluxu menſtruo velut reaſſumta ſequentem obſervationem refert Joh. Chriſtoph. Hertius *Eph. A. N. C. Cent. X. Obſ. 24. p. 291.* Femina, Anna Eliſabetha Ruſſut no-

65. annorum. mine, e comitatu Lippiaco oriunda, annum ſexageſimum quintum agens, anno 1713. ſex ante feſtum Paſchatis ſeptimanas, præſentibus aliis aliquot mulierculis, fœtum parvum & ſpithamam circiter longum, ſuis tamen membris (niſi quod cujus ſexus fuerit, obſervatum minus fuerit) capite ſcilicet cum reliquo trunco & extremitatibus probe diſtinguendum in lucem edidit, quem die Jovis poſt dictum feſtum alter quoque ſecutus eſt,

qui

qui vero ſecus ac præcedens, putrefacti ſolum carnis fruſti ſpeciem præ ſe tulit, ita quidem, ut præter ſpinam dorſi nihil in eo in conſpectum prodierit*, quod exacte atque diſtincte dignoſci potuerit. Ad ſecunda autem vota & ante plures quidem annos tranſierat illa mulier, cum hæc acciderunt, poſtquam in primo matrimonio tres filios totque filias genuerat, & poſtmodum marito defuncto biennium in viduatu transegerat. In ultimo autem conjugio octodecim fere annos ſterilis vixerat, donec circa feſtum Michaelis poſt ſubortum de novo menſtruum ſanguinis fluxum prægnantem ſe ſenſit, qui cum feſto Epiphaniæ appropinquante denuo eruperit & jugiter poſtea continuaverit, peperit tandem dicto tempore primum & poſt ſex ſeptimanas alterum quoque fœtum. Ubi quidem notatu non indignam exiſtimamus, quam ipſa puerpera de ſua concipiendi energia fovit, ſententiam. Interrogata enim a præfecto illius loci, quomodo fieri potuerit, ut ſexagenaria major, ad concipiendum tamen non inepta fuerit, id ei reſponſi dederat: *A Herr Amtmann, ſo lange de Bohm blœhet, kan he ock Früchte dragen.* Non floruit autem diu poſt immaturos illos fructus annoſa hæcce arbor, eodem quippe anno d. 6. Decembris, corruit vitamque cum morte commutavit.

§. 7.

De adultero ſeptuageſimo ſexto ætatis anno decollato, & vidua ſeptuagenaria imprægnata hiſtoriam annotavit Philippus Salmuth *Obſervat. medic. Cent. III. Obſ. 59. p. 140.* Quosdam, inquiens, ad decrepitam usque ſenectam fœcundos permanere, inter alios capularis quidem ſenex teſtatur, qui (uti in annalibus vallis Joachimicæ refertur) anno 1565. ætatis ſeptuageſimo ſexto propter adulterium commiſſum decollatus fuit. Item vidua quædam ſeptuagenaria, in oppido Annæberga a ſcholari, cui alimenta & alia neceſſaria ſuppeditarat eoque interim abuſa fuerat, imprægnata fuit. De muliere ſexagenaria ex ſeptuagenario ſene

ſeptuagenaria.

ſexagenaria.

ſene concipiente & decimo quinto menſe puellam pariente, vide Johannis Schenck. *Obſerv. medicin. Lib. IV. fol. 558.* Cornelia Scipionum gentis Voluſium Saturninum, qui fuit conſul, poſt ſexageſimum ſecundum ætatis annum genuit, inquit Plinius *Hiſtor. natural. Lib. VII. cap. 14. fol. 110.* Novit etiam Valeſcus de Taranta mulierem boni habitus, quæ poſt ſexageſimum annum habuit menſtrua, concepit & peperit tres filios, quorum ultimus natus eſt anno matris ſuæ ſexageſimo ſeptimo, ut ipſe fatetur *Philon. pharmacevt. Lib. VI. cap. 11. p. 662.*

67. annorum.

§. 8.

nonagenaria.

Ex Martini Zeileri *Geographia Imperii Romano-Germ.* ab *Hieronymo Dicelio edita p. 935.* ſequentia recenſet Chriſtianus Warlitzius *Valetudinar. Sen. Salomon. p. 44. Zu Heiligenberg, ſo eine Grafſchafft im Schwäbiſchen Kreiſe iſt, hat ein 94jährig Weib bey ihrem 96jährigen Manne, ſo Martin Runck genannt, Anno 1652. ein Kind 6. Monate lang in ihrem Leibe getragen. So ward auch Anno 1677. vom 10ten Mertz aus Erfurt geſchrieben, welchergeſtalt zu Weimar ein ſieben und ſiebenzigjähriger Mann von einem 88jährigen Weibe einen friſchen Sohn überkommen.*

§. 9.

aliarum vetularum: 50. annorum.

Aliquot feminarum quinquagenariarum & ultra parientium exempla refert Georgius Francus Annot. in Pauli Zacchiæ *Quæſt. med. legal. Lib. I. Tit. 1. Qu. 9. fol. m. 34.* ſcilicet, Conſtantia monialis, Rogerii regis Siciliæ filia, Cœleſtino III. Pontifice diſpenſante, ne regnum Siciliæ ad nothum recederet, cœnobio exempta & Henrico VI. Imperatori connubio juncta, cum elapſo tempore convenienti prægnans deprehenderetur, ne quis fraudi & ſuſpicioni locus relinqueretur, inſtante partus tempore, ſuaſu abbatis Joachimi ipſa quinquagenaria, (imo plus quam quinquaginta annos nata, teſte Villano) publice ſub tentorio erecto, in urbis Jeſi foro medio (Villanus in Miſanæ foro,

Cu-

Cuſpinianus vero in pratis Panormi) admiſſis ſpectatoribus viris & feminis, quotquot vellent, Fridericum II. anno 1194. genuiſſe referunt multi ibidem allegati autores. vid. etiam Henric. Salmuth. *Comment. in Guidon. Panciroll. de Reb. memorab. Lib. II. cap. 10. p. 188.* Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 14. p. 382.* Inſuper refert etiam ſequentes obſervationes Francus loco allegato: In urbe Zwikara Levini Lemnii patria, in nonnullis mulieribus, quæ valido erant corpore & vegeto, menſtruorum fluxum & fœcunditatem usque ad annum quinquageſimum quintum productum fuiſſe. Sic coriarii uxor cum menſtruis orbata & admodum vetula facta filium non ſine magna multorum admiratione concepit ac peperit. Item mulier *60. annorum.* poſt ſexageſimum annum habens menſtrua concepit & peperit filium, & continenter duos habuit filios, & erat in ſexageſimo ſeptimo anno, quando habuit ultimum filium. Erat autem femina carnoſa & muſculoſa & fortis. Septuageſimum etiam Da- *70. annorum.* miſellæ cuidam annum agenti, & rapida & concitatiori rheda proindeque, quæ nimis eam ſuccuteret, non ita pridem abortus contigit. Et Caſparus Schottus in Phyſica curioſa inquit: novi in Sicilia ſenem nonagenario majorem, qui mulierem *80. annorum.* octuagenariam, & virginem adhuc (ut dicebatur) duxit in uxorem, cum ſpe propagandæ familiæ; & dicebat quidem nova nupta gravidam ſe eſſe magnoque deſiderio pariendi tempus expectabat, ſed tamen ſpe ſui fruſtrata fuit. Hæc Francus. vid. etiam Joh. Bened. Sinibaldi *Geneanthorp. Tit. 2. Tract. III. cap. 13. p. 247.*

§. 10.

De vetulæ partu monſtroſo hanc obſervationem Herman- *a vetula partus monſtroſus.* nus Wernerus Engelbertus de Weſthoven communicat *Ephemerid. Cent. V. Obſ. 28. p. 46. ſeq.* Mulier ſeptuageſimum quin- *75. annorum.* tum annum agens, tertio vinculo jugali ſociata cum tertio marito plus quam quinque luſtra, non contemnenda utens valetu-

dine

dine, vivit mater quinque liberorum, ac trium filiarum, quorum duo ex primo, tres autem alios ex ſecundo, nullum vero ex tertio viro ſuſtulit. Verum an plures antea eduxerit fœtus, nec ne, me latet. Sed ante menſes aliquot de ſalute non admodum proſpera conqueri cœpit; vix caput ſuſtentat languens, vexant inſomnia & varii dolores, cum artuum, & præſertim capitis, & femoris dextri, tum vero ipſorum inteſtinorum & ventriculi. Faſtidit cibum, accedunt motus convulſivi diverſi, anxietates, nauſea, borborygmi, rugitus, commotiones in abdomine, pulſationes hypochondriorum, ſitis, ſenſationes vivi fœtus in utero, menſes obſtructi, qui alias ad eum usque diem, quod hic animadverſione digniſſimum eſt & mirum quid in ano ætate feſſa, aliaque ſymptomata plura, ludentia triſtem ſcenam, tum morbi arthritici, tum nephritidis, tum colicæ, tum hydropis, tum rurſus paſſionis, vel hypochondriacæ, vel hyſtericæ, nec non ingravidationis; ita enim ſæpe loqui amat patiens: ſi non certo ſcirem, hisve poſtremis ævis, tot obſitam annis non impraegnari, crederem me utero geſtare. Præterito anno 1714. quarto calendas Aprilis, erroris denique & damni pertæſa, conſilia illa temeraria ſpernit, me denuo ad ſe vocari jubet, adſum, & opem imploranti emaciatæ præſcribo efficaciſſimum mihi familiare medicamentum, externe illinendum; unde dolores mox evanuere, & ægrotans indies ſeſe melius meliusque habebat & recte valebat. Interim tamen quandoque conquerebatur commotiones & elevationes uteri, paſſionibus hyſtericis, & motibus vividi fœtus utero matris, jam quinque vel plures menſes gravidæ haud abſimiles, donec tandem XIII. cal. Maji labores novem menſium experta, & *ὑςέρας*, ſeu matricis moras ſolvens molliter absque multo dolore conceptum ſemen partu reddat, & inopinato in lucem det inſolens tripartitum, bicolle & triceps monſtriolum. Depoſito & a domeſticis probe luſtrato hoc novo & ſubito uteri onere obſtupeſcunt & horrent, convocantur vicinæ & obſtetrix, ut dignoſcant, quodnam id ſit prodi-

gii

gii genus, quidve id ſibi velit? Omnes ad ejus conſpectum attonitæ horrent, teſtantes & exclamantes, viſu mirabile, ſed inſolitum quid & inauditum eſſe. Id quod etiam puerpera poſt tres horas ipſi medico ad eam accedenti, contemplandum atque examinandum, quin & aſſervandum exhibuit. Feminæ Braſilienſes pudicæ non deformes ab octennio ultra ſexageſimum annum ſupra fidem fœcundæ, imo ſeptuagenariæ orbos infantes lactantes viſæ ſunt. Facili negotio & nemine obſtetricante pariunt, rariſſime abortientes. Pleræque puerperæ ſtatim poſt partum ſurgunt, ad proximum flumen properant ablutum corpus, & impigre, cum ad cætera domeſtica officia redeunt victum hinc inde conquirendum, vid. Guil. Piſon. *Hiſt. nat. & medic. Lib. I. in C. Barlæi Reb. Braſil. p. m. 606.*

§. II.

De partu quinquagenariæ ita ſcribit Conradus Philippus Hoffmannus *de inſignior. Puerper. Tempor. cap. 2. §. 24. p. 47.* Num partus a majore quinquagenaria editus ſit legitimus? inquiritur, & reſpondetur, quod ſic. Dubitabatur equidem olim de legitimitate ejusmodi partus, numve patri ſuo ſuccedere, ejusve hæreditatem nanciſci poſſet; ſed dubium hocce Imperator *L. XII. C. de legit. hæred.* affirmative decidit, ex hac ratione: quod licet mirabilis hujusmodi partus inveniatur, & raro contingat, nihil tamen eorum, quæ probabiliter a natura naſcuntur, eſſe producta, reſpui, ita ut omne jus ſucceſſionis ejusmodi liberis immutilatum ſervari debeat. *an partus ſit legitimus?*

CAPUT VIII.

De *Partu numeroſo & multiplici.*

§. I.

Quod partus humani numerum attinet, plerumque equidem unicus fœtus, interdum tamen etiam duo, tres, qua- *fœtuum pluralitas.*

tuor vel plures, & quidem unico vel plurimis proxime ſe invicem ſubſequentibus partubus, eduntur infantes, qualia exempla plurima ſine tamen ordine ex autoribus recenſere volumus.

§. 2.

Exemple. Talem fœtuum pluralitatem confirmat Ariſtoteles *Hiſtor. Animal. Lib. VII. cap. 4. fol. m. 435.* inquiens, quod plurimum, & locis plurimis agitur, mulieres ſingulos ſingulæ pariunt; ſed ſæpe & locis plerisque geminos etiam, ut in terra quoque Ægypto fieri certum eſt. Pariunt enim tres & quatuor, & quidem locis nonnullis valde ita fit, quod dictum jam eſt, ſed quinque complurimum naſcuntur; jam enim hoc pluribus eveniſſe conſpectum eſt, & quædam viginti quatuor, partubus quatuor edidit, quinos enim ſingulis partubus enixa eſt, majorque eorum pars enutriri & adoleſcere potuit. Quod autem mulieres & cætera animalia in Ægypto plures uno niſu fœtus pariant, in Niloticam aquam refunditur, juxta Jacobi Grandii Epiſtolam ad Jobum Ludolfum de Stibio. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 6. Append. p. 85.* Sequentia exempla refert Ambroſius Paræus *Chirurg. Lib. XXIV. c. 3. fol. 549.* quinos fœtus uno partu edidit Auguſti Cæſaris ancilla, brevi mox cum prole mor-
Obſervatio. tua. Tres infantes, ſcilicet duos filios & unam filiam anno 1728. die 21. Novembr. pariebat uxor capillamentarii Dresdenſis, paulo vero poſt partum ob obſtetricis & aliarum mulierCularum, cum dictis infantibus occupatarum negligentiam ipſa puerpera ab enixu nimium defatigata animam exhalabat. A. 1554. Bernæ apud Helvetios uxor Joh. Gelingeri doctoris, quinos pariter fœtus uno partu edidit, tres mares & duas feminas. Aſſerit Albucaſis, extitiſſe mulierem ſeptenis uno partu fœtibus matrem: aliam vero, quam vis extrinſecus illata abortire cogebat, quindecim, membris omnibus integre deſcriptos fœtus ediditſſe. Extare ſcribit Plinius in monumentis medicorum, uno partu duodecim puerperia ejecta: compertum quoque

aliam

aliam in Peloponeſo, quæ quinos quater enixa ſit, majoremque partem ex ejus vixiſſe partu. Proditum a Dalechampio eſt, Bonaventuram Savelli nobilis Senenſis mancipium uno partu ſeptenos edidiſſe fœtus, quorum quatuor baptismo donati fuerint. Noſtra ætate domini Maldemeræ uxor, primo, quo nupſit, anno gemellos peperit, ſecundo ternos, tertio quaternos, quarto quinos, quinto ſenos fœtus, ex eoque partu mortua eſt. In Cracovienſi agro Virboslai comitis uxor uno partu Sex & triginta vivos fœtus peperit. Et Franciſcus Picus Mirandula ſcribit, Dorotheam Italam gemino partu viginti liberos peperiſſe; primo quidem novem, altero autem undecim: adeo vero gravidam extitiſſe, ut alvum, quæ in genua procumbebat, lata & magna faſcia ex cervicibus nodata fulcire cogeretur.

§. 3.

De quatuor fœtibus ſequentem obſervationem exhibet *permulti*
Georgius Francus *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 201. p. 402.* inquiens: *fœtus.*
in noſtris terris tres ſimul naſci infantes non adeo rarum eſt. Novi exemplum in uxoris meæ avia, quæ duas filias & filium uno partu edidit, qui omnes adoleverunt: et hic Heidelbergæ in ſerici tinctoris uxore aliisque. Rarius autem eſt, ubi quatuor eduntur, cujus rei duo dabimus recentia exempla. In pago *Weinheim*, Bernhardi Ammonis uxor parvæ ſtaturæ & juvenis adhuc durante matrimonio hactenus quinque vicibus totidem filios adhuc ſuperſtites ex ordine feliciter enixa eſt. Cum autem ſexta utero gereret vice, utut difficilius prioribus, paucis retro diebus ex improviſo domi ſuæ cecidit, unde partus tormina ſentiebat, quæ tamen iterum remiſerunt, donec circa veſperam filiolum ederet admodum imbecillum, quare, ut baptizaretur ſtatim, paſtorem loci parens accerſivit. Cum autem dominus paſtor peractis ſacris audiret, adhuc plurium eſſe ſpem, commoratus eſt aliquantiſper, ſed fruſtra. Cum ergo puerpera quieti ſe daret, abiit, donec revocaretur. Sequentis

diei ſummo mane paſtorem revocat parens, enarratque poſt noctis meridiem uxorem iterum edidiſſe filiolum ſecundum vivum, & mox filiolam mortuam, quartaque vice filiolum mortuum. Ubi advenerat paſtor, & ſecundo loco natus jamjam baptizandus e vivis exceſſerat, primogenitus autem admodum erat debilis. Una omnes hi infantes parvi quidem, ſed perfecti & recte formati erant. Alterum ibidem exemplum annectit idem Francus, quod anno 1684. prope Spiram accidit, ubi minoris ſtaturæ femina intra biduum duas puellas duosque puellos feliciter peperit, qui ad ſeptimanam usque quartam vixerunt, ſed dein unus poſt alterum iterum emoriebatur. De quadrigeminis uno partu excluſis hanc obſervationem communicat Andreas *Læw M. N. C. Dec. III. An. 5. Obſ. 157. p. 352.* An 1694. mulier quædam robuſta, viginti annorum, primipara jam ſextum, poſt ingravidationem, menſem emenſa, circa initium ſeptimi, nullis prægreſſis erroribus, aut caſu, qui partum accelerare potuiſſent, difficili partu puellam mortuam, & elapſo horæ ſpatio tres puellos vivos eodem partu enixa eſt, qui a mulieribus baptizati brevi poſt obierunt. Membra alias fuerunt bene conformata, & proportionata; ſinguli ſesqui ſpithamam longi ſingulisque placentis ac ſecundinis prædití. Mulierem Comachienſem atque aliam Ferrarienſem, quæ tres gnatos uno partu peperit, ſe vidiſſe ait Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 50. p. 83.* ibidem ſimul addit, ſacerdotem jurato edixiſſe, ſe Imolæ vidiſſe feminam quandam annorum triginta quinque, uxorem cujusdam barbitonſoris, quæ anno 1688. quinque filios peperit, qui paulo temporis intervallo obierunt, quos eodem fato paulo poſt mater inſecuta fuerat. Et *Dec. III. An. 4. Obſ. 76. p. 166. ſeq.* uxorem alicujus plebeji 1696. filios quinque unica die peperiſſe, ait.

§. 4.

Alia exempla communicat Johannes Helwigius *Obſerv. phyſ. med. Obſervat. 144. pag. 387. ſeq.* Anno Chriſti 1538. femina

na perparvæ ſtaturæ, textoris uxor in pago *Kleinreuth*, prope Noribergam, uno partus nixu duos filiolos & duas filiolas ediderat, omnesque baptismate ſacro lavati. Ex Chronico MSto Noribergenſi anno 1628. Noribergæ piſtoris cujusdam filia ab Italo quodam conſtuprata tres filios uno partu enixa erat. Hoc percipiens ipſa parturiens late exclamavit, ſe quoque ab inſultatore ſuo, mercedis loco thalerum tribus iconibus maſculinis inſignitum accepiſſe. Anno 1644. matrona perhoneſta Noribergæ, cum in conjugio frequenter, & quidem ſemper unicum ſaltem fœtum protuliſſet, demum tres filiolos vivos unico partu in lucem edidit, qui omnes ſacro fonte tincti fuerunt. Anno 1648. Noribergæ lanii cujusdam uxor uno partu unicum filiolum & duas filiolas in lucem protulerat. Et anno 1670. ſartoris cujusdam uxor ibidem tres unico quoque partu filiolos ediderat. Et *Obſerv. 48. pag. 389.* idem Helwigius miram fœcunditatem narrat, inquiens: Circa annum Chriſti nati 1488. habitarunt in oppidulo *Bönninghaim* in Zabergovia conjuges, Adamus *Strozmann* & Barbara *Schmözerin*, qui ſucceſſive ex uno conjugio parentes fuerant liberorum quinquaginta trium, triginta quinque vicibus prognatorum in tali ſerie & tempore. Per vices octodecim unicum ſaltem infantem in lucem protulerat mulier; per quinque vices dein ſemper duos, quaterna vice tres. Poſtea iterum ſex ſimul infantibus prægnans, quarto menſe, eorum primo tres, in puerperio adhuc cubans die nono quartum, poſthinc hebdomade undecima quintum, atque iterum elapſis ſeptem ſeptimanis ſextum enixa eſt. Denuo & ultimo poſt nuperrimum puerperium ſeptem ſimul infantibus gravida, geſtationis hebdomade vigeſima, eorum tres, abhinc ſeptimanis tribus & dimidia rurſum quatuor edidit: ultimus horum matri parturienti ingentes dolores & angores cauſaverat, quippe hæc per triduum in partu laboraverat, ſed periculum evaſit: infans enim erat longitudine ulnæ unius ac transverſorum digitorum

 trium.

trium. Puellorum fuere generatim triginta octo, puellarum quindecim &c. Hanc hiſtoriam equidem multi meram fabulam æſtimant, ſed veriſſimam atteſtabantur quondam pictura & ſcriptura rei geſtæ in templo parochiali dicti oppiduli *Bönninghaim*, nec non delineatio ejusdem ibidem in curia, itemque manuſcriptum parentum proprium illic adſervatum; uti & Cæſar Ferdinandus primus multique Bohemiæ proceres atteſtationem manuſcriptam avide petierunt. Quam ego tam mirandæ fertilitatis conjugalis hiſtoriam, ob raritatem e manuſcripto bibliothecæ D. Gregorii Queccii, affinis mei, quondam vetuſto ac fide omni digno excerpſi. Hæc Helwigius. Hanc hiſtoriam quoque refert Georgius Hieronymus Velſchius, longe tamen ab Helwigii recenſione differentem, *Obſervat. med. Epiſagm. 75. pag. 47.* de partu multiplici cum numeroſa ſuperfœtatione, ubi omnium fœtuum nomina adduntur. vid. etiam *Syllepſilog. noſtr. Sect. III. Tit. 2. §. 4. p. 28. ſeq.* item *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſerv. 117. pag. 261.*

§. 5.

varia exempla. Varia ejusmodi exempla refert etiam Simon Majolus *Dier. Canicular. Tom. I. cap. 3. fol. 40. ſeq.* nos ipſi, inquiens, vidimus, Gregorio XIII. Rom. pontifice, inopem mulierem a mercenario agricola viro ſuo tres uno partu ſuſcepiſſe mares vivos. Fauſtam quandam ex plebe uno partu quatuor geminos, mares, feminasque totidem edidiſſe ſub Cæſare Auguſto & Lotharii II. ſeculo mulierem uno partu quatuor mares enixam eſſe &c. vid. etiam Auli Gellii *Noct. Attic. Lib. X. cap. 3. p. m. 305.* Et C. Plinius *Hiſt. nat. Lib. VII. c. 3. fol. 107.* ita ſcribit: Annis divi Auguſti Fauſta quædam, e plebe, Oſtiæ duos mares, & totidem feminas enixa eſt. Reperitur & in Peloponeſo quinos quater enixa majoremque partem ex omni ejus vixiſſe partu. Et in Ægypto ſeptenos uno utero ſimul gigni, autor eſt Trogus. Eutyche a viginti liberis rogo illata Trallibus enixa triginta partus. In civitate Schebrack, quinque milliaria Pra-

ga

ga diſtante, femina uno partu quintuplicem prolem edidit rite & plene conformatum; cujusvis longitudo ulna dimidia & quadrantis dimidium fuit, & omnes baptizati per aliquot dies vixerunt; uti ex commercio literarum amicus mihi retulit. Ex relationibus Berolinenſ. 1731. *Paris d. 3. Septembr. Zu* Perpignan *iſt eines Sattlers Frau mit 5. Mægdgen darnieder kommen, deren Schweſter vorhero 5. Knaben gehabt. Auch hat ihre Mutter 15. Kinder gebohren, deren Zwölffe in drey mahlen gekommen.* Octo fœtus ſimul editos annotavit Petrus Borellus *Hiſtor. med. Cent. II. Obſerv. 44. pag. 146.* inquiens: Anno 1650. uxor nobilis D. Darre unico puerperio octo fœtus enixa eſt probe conformatos, quod valde in hiſce regionibus inſolens eſt. Item uxor N. Fricov loci Bedarrieux quatuor ſimul viventes pueros enixa eſt. Et *Hiſt. 8. p. 292.* de partu numeroſo ait: Sexennium & quod excurrit, eſt, cum in pago *Wolsdorff* hortulani cujusdam, *Hans Fiſchers,* uxor inaudito his in oris exemplo quatuor uno partu feliciſſimo nixu enitebatur liberos, ex quibus duo filioli, totidemque filiolæ non tantum vitales in auras excludebantur, verum ſinguli quoque ſacro baptismatis ritu initiabantur.

§. 6.

Anno 1634. Franciſca Salmaza annos quatuor & viginti nata octavo menſe tres edidit filios integre formatos & bene mutoniatos vittatosque omnes; domi ſacro fonte ab obſtetrice tincti, vid. Joann. Rhod. *Obſerv. med. Cent. III. Obſervat. 56. pag. 149.* Et anno 1640. in Suecorum caſtris uxor militis quatuor filios ac tres filias enixa eſt. Petrus Paulus Pereda *Schol. in Mich. Joann. Paſchalii Method. Lib. I. cap. 69. p. m. 163. b.* ſcribit, quod 1579. mulier Saluſtra nomine, obeſa & ſtaturæ humilis novem fœtus uno partu enixa ſit. Secundum Caſpar. Bauhin. *de Hermaphrod. Lib. I. cap. 8. pag. 73.* novem quoque fœtus uno partu comitiſſa quædam Querfurtenſis enixa eſt. In Sileſiæ Annalibus ſcriptum eſt, peperiſſe mulierem quandam triginta item,

ginta ſex fœtus, uti refert Martinus Weinrichius *de monſtris cap. 74. pag. 219. b.* Idem etiam refert Caſp. Bauhinus *l. a. pag. 74.* Sc. triginta ſex filios vivos uno partu peperiſſe Margaretham comitis Virboslai uxorem in Cracovienſi agro anno 1270. d. 20. Januar. Jano Cromero & Guagnimio teſtibus. vid. etiam Joh. Lud. Gottfridi *Chronic. Part. VI. fol. 586.* De quinque fœtibus uno partu excluſis hanc obſervationem communicat Johannes Georgius Joſephus Schwallerus *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſervat. 175. pag. 264.* Vivit in pago Oberndorf muliercula ruſtica, quæ viro quamvis per ſexennium amice cohabitans, usque tamen ſterilis manſit, tandem vero præter expectationem menſes ſubſiſtere & hypogaſtrium intumeſcere cœpit, vomitus quoque communiſſimum gravidarum ſignum ingraveſcens, conceptum diu optatum confirmavit patri, de futuris hæredibus ſibi jam gratulanti, poſtquam periodus novem menſium elapſa eſſet, atrocibus doloribus corripitur miſera, moxque filium imbecillem & parvulum excludit, qui propterea a paſtore loci mox baptizatus eſt, cum plures fœtus adeſſe videret paſtor, remanſit, filiamque mox ſequentem itidem baptizavit; nec deſinunt dolores partus, ſuccedit tertius infans, & mox quartus, ſinguli ejusdem, ſed ſolita minoris magnitudinis, vita perinde gaudentes ſinguli. Jam labore nimio debilitata mater langueſcere & lipothymia frequenti tentari incepit, cum quintum, ſed non ſine vitæ diſcrimine enixa fœtum fuit, ſed mortuum, inter iterata ſuſpiria creatori ſpiritum ipſa reddens. Ibidem etiam exemplum adducit mulieris, quæ anno 1694. viginti quatuor horarum ſpatio tres filias peperit. De femina octo fœtus unica vice edente v. Joh. *Ludolffs Schaubühne der Welt Tom. I. Lib. III. cap. 15. fol. 120.* De partu quatuor filiarum vid. Mauric. Hoffmann. *Ephemer. Acad. N. C. Cent. V. & X. Append. pag. 459.* Scribit etiam Scipio Mercurius *della Commare Lib. I. cap. 14.* della moltitudine de' figlivoli, che naſcono nel medeſimo parto *p. m. 95.* queſto sò bene di certo, che gia forſe trenta anni, nella città di Forli ne

vid-

viddi io portare cinque nati in un parto alla ſepoltura; e che in Roma, patria mia, vi è la nobiliſſima famiglia de' Portii, detta dal volgo de' Porcari, le cui gentildonne hanno quaſi per coſtume di non fare mai un ſolo parto, mà di dupplicarlo alle volte.

§. 7.

Raram gemellorum hiſtoriam de partu monſtroſo annotavit Lucas Schrœckius *M. N. C. Dec. I. An. 9. Obſervat. 161. pag. 354.* in femina quadam honeſta, annorum quadraginta, undecim liberorum matre & bis abortum paſſa obſervatam. Et *Dec. II. An. 2. Obſerv. 9. pag. 26. ſeq.* idem Schrœckius inconſuetam partus numeroſi obſervationem exhibet. Anno ſcilicet 1683. Auguſtæ murarii cujusdam, Jacobi Thomas, uxor, viginti novem annorum, parvæ ſtaturæ & tenuis fortunæ femina, quatuor jam liberorum, diverſo tempore editorum, mater, in fine menſis octavi poſt ingravidationem circa horam matutinam tertiam difficili partu puellum, pedibus ſcilicet primo prodeuntibus, enixa eſt; quem doloribus, qui ab excluſione ceſſaverant, hora nona redeuntibus, alius hora ſecunda pomeridiana, & paulo poſt filiolæ totidem ſucceſſive, omnes in ſitu naturali, ſine magno parturientis niſu, imo ultimi partus ob virium delaſſationem quaſi inſciæ, exceperunt. Ipſi infantes, ſinguli ſpithamas duas longi, omnibusque corporis partibus rite ac belle conformati eodem die ſacra baptismatis unda fuerunt luſtrati, primo Andreæ, ſecundo Nicolai, Barbaræ & Mariannæ nomine femellis impoſito &c. Ex relationibus Ratisbonenſibus *An. 1730. Part. VIII. pag. 127.* ſequentia referebantur: *Unweit Cœßlin, einer Kœnigl. Preusſiſch. Stadt in dem Herzogthum Caſſuben, in Hinter-Pommern, hat eine Bauers-Frau, ſo am 26. April 1728. 4. Kinder auf einmahl gebohren, nehmlich 2. Sœhne und 2. Tœchter, welche der* Paſtor *zu Kerſtein, Herr Wagenſeil, in ſeiner Naturalien-Kammer in* Spiritu vini *aufgehoben,*

Rara hiſtoria.

ein halb Jahr darauf wiederum per abortum *3. Kinder*, *zum Vorſchein gebracht*, *ſo aber gar klein geweſen*, *und hat die Frau anfangs aus Blœdigkeit ſolches nicht geſtehen wollen. Am 16. Januarii* a. c. *aber kam dieſe Frau nochmahlen mit 3. wohlgeſtalten Tœchtern nieder, welche bishieher alle dreye recht munter und wohl auf ſind.* Quatuor fœtus abortivos, ejusdem formæ & magnitudinis, longitudine digiti, binos immaturos filiolos & binas puellas in maſſa quadam carnea inſtar pugni poſt terrorem a matre per abortum rejecta, anno 1666. facta inciſione deprehendit Cosmus Viardel, uti refert *Obſervat. de Part. Lib. II. cap. 13. pag. 69. ſeq.*

§. 8.

plures obſervationes. De partu quinque filiorum ſequentem obſervationem annotavit Gabriel Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſervat. 151. pag. 286.* Feminas noſtras, inquiens, præter geminos aliquando etiam excludere tres, imo quatuor liberos, uti ex aliorum, ita etiam e propriis obſervationibus practicis mihi conſtat; utplurimum tamen tales non ſunt plane perfecti, ideoque etiam non diu viventes, ob debiliorem virtutis ſpermaticæ imprægnantis magis diſperſæ efficaciam. Vidi tamen ſemel inter trinos tales filios binos mundum, quem vix adſpexerant, ſtatim rurſus deſeruiſſe; tertium autem vegetum ſuperſtitem, poſt longa per Germaniam Italiam itinera, ſuperato ætatis ſuæ anno ſexageſimo ſeptimo fatis demum ceſſiſſe. Hiſce quaſi obiter præmiſſis pergo ad hiſtoriam: Dum præterito menſe Aprili milites Lunæburgici Saxoniam ſuperiorem tranſibant, Hungariam petituri, ac hoſti communi Anti-Chriſtiano cum aliis ſeſe oppoſituri, nonnulli pernoctabant in pago *Kœnigshofen*, prope Eiſenbergam, Miſniæ urbem, dum hoſpita die antecedenti pepererat filiolam. Inter pocula convivalia inter alia miles magis conſultum fuiſſe dicit, ſi excluſus fuerit filiolus, ne deficerent imperato-

ratori milites neceſſarii: cui hoſpes jocoſe reponit, in poſterum pro virili virum ſeſe fore præſtiturum. Quid fit? togatus hic in caſtris venereis miles, uxorem denuo reddit gravidam, & accidit, ut illa, dictis militibus Lunæburgicis principio menſis Decembris rurſus hic tranſeuntibus, ac domum repetentibus, partu ſeptimeſtri enitatur quinque filiolos, quorum tres vivi ſacro baptismate ſtatim imbuti fuerunt.

§. 9.

Varia ejusmodi partus numeroſi exempla ex aliis autoribus adducit etiam Conradus Philippus Hoffmannus *de Puerper. Temporib. cap.* 2. §. *26. ſeqq. pag. 48. ſeqq.* v. g. de trigeminis tam veteribus, quam recentioribus in civitate Halenſi ex Strykio, quatuor puellas a matrefamilias natas eſſe, & quinquies quaternos aliquam Peloponeſi enixam, multas Ægypti uno utero ſeptenos &c. Fuiſſe mulierem Romæ, Alexandrinam ab Ægypto, quæ quinque ſimul peperit, Peloponeſi ſeptem, & novem vitales & robuſtos uno partu naſci poſſe, ex Jouberto, & uno abortu duodecim puerperia ejecta fuiſſe. Anno 1716. circa illius finem Ipræ, Flandriæ civitati, feminam quinque peperiſſe infantes, quorum tres maſculini, duo vero feminini ſexus fuere. Temporibus Caroli archiducis Auſtriæ, uxorem Græcii (*zu Gratz*) uno partu ſeptem fœtus edidiſſe. Mulierem quandam in Germania conſignatis conſervatisque jam in utero duorum & viginti infantum corpuſculis aborſum feciſſe; aliam vero ſeptuaginta, aliam ejeciſſe in pelvim embryunculorum, auricularis digiti magnitudine corpuſcula centum & quinquaginta Meſſinæ quoque anno 1430. uxorem vigeſimo ætatis anno novem partus una vice edidiſſe; In Germania uxorem quandam duodecim vicibus ſemper quinque fœtus ejeciſſe; Et Agrigenti, in Sicilia uxorem quandam, nomine Pancicam, dum puerpera triginta vicibus facta, ſeptuaginta tres liberos procreaſſe, prolixe allegat. Plura vid. in Johann. Schenck. *Obſer-* *item.*

vat. Lib. IV. fol. 583. ſeq. Caſp. Bauhin. *de Hermaphrod. §. 8. Lib. I. cap. 8. pag. 72. ſeqq.*

§. 10.

prodigioſa exempla.

Alia prodigioſa fidemque humanam ſuperantia exempla congeſſit ibidem dictus Schenckius, & inter alia Irmentrudis, Iſenberti comitis de Altorf uxoris, meminit, quæ, cum pauperculam feminam, eodem partu tres liberos mares enixam vidiſſet, & tanquam impudicam reprehendiſſet, quod ex eodem viro tres ſimul filios ſuſcipere impoſſibile videretur; poſt annum abſente viro duodecim mares enixa eſt. Quo caſu perterrita, quod jam de ſua quoque pudicitia dubitari poſſe arbitraretur, obſtetrici undecim in proximo torrente mergendos committit, unicum illa ſervat. Paret obſtetrix. Obvius fit illi comes, & quid velatum geſtet, interrogat. Illa Welfos (ſic enim lingua ſua catulos vocabant) deformes ſubmerſuram ſeſe aſſerit. Mox ille: at permitte, inquit, ut videam, ſintne aliqui, qui venationi nobis inſervire poſſint. Repugnat illa. Tandem coacta infantes undecim oſtendit, & negotium comiti, ita, ut geſtum erat, narrat. Imperat ergo comes, ut factum apud uxorem ſuam diſſimulet, & filios educari præcipit. Exacto jam ſexennio, cum omnes viverent, in arcem adduci jubet, atque illic coram omnibus amicis, imprudentia uxoris detecta, veniam illi dedit & filios porro duodecim æquali jure ſuos eſſe voluit, ſtatuitque ut non comites de Altorf, ſed ex vetulæ obſtetricis ominoſa voce, Welfi vocarentur: & gratitudinis ergo, pro divinitus ſervata tam numeroſa prole in ipſo Altorfenſi oppidulo cœnobium monialium conſtruxit. Duodecim quoque filios matrem Matthiæ Golancevii epiſcopi Uladislavienſis uno partu edidiſſe, refert idem l. a. vid. Philip. Camerar. *Hor. ſubciſiv. Cent. II. cap. 66. p. 274.* & Chriſt. Franc. Paulin. *Cynograp. p. 56.* item Lauremberg. *Acerra Philolog. Cent. III. Hiſt. 39. pag. 422. ſeq.*

§. 11.

§. II.

Huc pertinet etiam hiſtoria fere fabuloſa, varia tamen autoritate confirmata de Margarita Florentii comitis Hollandiæ filia, quæ mulierculam ſtipem petentem, gemellos in ulnis geſtantem, acerbe increpavit, neque eam uno partu duos producere poſſe, niſi duorum quoque virorum uſa eſſet commercio, affirmavit. Mendica precibus a Deo contendit, ut in ſignum pudicitiæ ſuæ comitiſſa gravida tot pareret infantes, quot eſſent in anno dies. Preces fuere exauditæ, exacto geſtationis tempore anno 1276. ætatis ſua quadrageſimo ſecundo, ipſo die Paraſceves peperit Margarita 364. & ſecundum alios 365. infantes, partim mares, partim femellas. Eos ſimul in pelvi baptizatos, maribus Johannis, femellis Eliſabethæ nomine impoſito. vid. Joh. Schenckius *l. a.* ubi varias circumſtantias & epitaphium reperies. Videatur inſuper Johann Bened. Sinibaldi *Geneanthrop. Lib. VIII. Tract. II. cap. 2. pag. 698.* Thomæ Lanſii *Conſultat. Orat. pro German. p. m. 105.* Conrad. Phil. Hoffmann. *de Puerper. Tempor. cap. 2. §. 27. pag. 50. ſeq.* ubi addit, hos infantes omnes in duabus ex ære pelvibus fuiſſe baptizatos. De hoc partu portentoſo evolvi quoque poſſunt alii autores v. g. Henric. Salmuth *Commentar. in Guidon. Panciroll. de Reb. perdit. Lib. II. Tit. 10. pag. 216.* Philipp. Camerar. *Hor. ſubciſiv. Cent. II. cap. 66. pag. 273.* Henric. Kornmann. *de Miracul. Vivor. Oper. curioſ. pag. 139.* Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirabil. Lib. IV. cap. 24. pag. 447.* in quo capite plura numeroſi partus recenſentur. Sim. Majoli *Dier. canicular. Tom. I. Colloqu. 3. fol. m. 41.* Caſpar. Bauhin. *de Hermaphrodit. Lib. I. cap. 8. pag. 74.* quo loco pleraque hactenus recenſita multiplicis partus exempla ex autoribus allegat. vid. etiam Georg. Franc. *Not. in Pauli Zacch. Quæſt. med. leg. Lib. I. Tit. 2. Qu. 8. fol. 77. ſeq.* Acerr. philolog. *l. a. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſerv. 216. p. 363.* J. de Horſt in P. Zacch. *Quæſt. m. l. Lib. VII. Tit. 1. Quæſt. 1. n. 34. fol. 572.* Mizaldi

fabuloſa hiſtoria fœtus 364.

zaldi redivivi *Cent. VII. pag. 277.* De eodem partu ita ſcribit Scipio Mercurius *della Commare Lib. I. cap. 14. pag. 94. ſeq.* Battiſta Fulgoſo, & il dottisſimo Vives narrano, ch'una Conteſſa Margarita d'Hollanda partori 366. figlioli in un parto, tutti vivi, quali havevano il corpo come piccioli ſorcetti, ben formati & organizati, con tutti li ſuoi membri, quali anco furono battizati dal Veſcovo in un bacile d'argento, & ſonoſi conſervati ſino al tempo di Carlo Quinto Imperatore, il quale gli hebbe in mano & li ammiro. vid. etiam Joh. Nicol. Pfizerus *de Natur. Mulier. Lib. I. Part. I. cap. 28. p. 222. ſeqq.* Hujus Margarethæ epitaphium communicat Chriſtophorus Lehmannus *Chronic. Spirenſ. Lib. V. cap. 90. fol. 532. ſeq.*

§. 12.

fœtus 150. Quid de ſequentibus exemplis ſtatuendum, judicet ipſe lector, ſcilicet centum & quinquaginta embryunculorum corpuſcula, auricularis digiti magnitudine quandam in pelvim ejeciſſe, ex Alberto aſſerit Bauhinus *l. a.* cujus rei facta eſt fides tuniculis, quibus obvolvebantur, conſciſſis: quorum pluribus dilatationis & conſtrictionis motus adfuit, vitam atteſtantibus: oculis tamen imperfectioribus, manuum & pedum digitis capillaribus. Sed hæc hiſtoria cum naturæ limites excedat, ad miracula potius referenda. Hanc tamen longe ſuperat ea, quam
1514. Aventinus refert; Machtildis nimirum comitiſſa ab Henneberg, filia Florentii IV. Batavini comitis, ſoror Gulielmi regis Romanorum, ſub Friderico II. imperatore mille quingentos quatuordecim pueros ſimul genuit; qui ab Othone Trajectenſi epiſcopo, avunculo ejus, in malluvio ſacra aqua luſtrati ſunt. vid. etiam Joann. Wolffii *Lect. memorab. Centenar. XVI. Tom. poſter. fol. m. 256.*

§. 13.

alia exempla. Plura adhuc alia extraordinarii numeri partus exempla hinc

hinc inde reperiuntur, pariter ſine ordine recenſenda. Obſervationem anatomicam mulieris tres filios viventes naturalis magnitudinis enixæ luci publicæ commiſit Rupertus Beslerus, vid. *Act. Erudit. Lipſ. ann. 1717. menſ. Decembr. pag. 540.* Mulier quædam uterum ferens deſiderio humeri piſtoris denudati, dum panem ad furnum defert, omnem cibum penitus faſtidiebat, præter carnem de humero dicti piſtoris. Maritus percharæ uxoris miſertus, certam pecuniam pro ſingulis morſibus pactus, fecit ut ille duos dentium mulieris inſultus ſuſtinuerit, tertium vero, doloris pertæſus, cum amplius ferre nollet, hinc mulier tergeminos eſt enixa, duos vivos, & tertium mortuum. vid. Mizald. rediviv. *Cent. VI. §. 592. pag. 261. ſeqq.* Ex relationibus ordinariis: *Copenhagen den 23. Februar. 1717. Von Helſingoer wird gemeldet, daß eine Meile von ſelbiger Stadt eine Frau 3. Kinder geneſen, und mit dem vierten todes verblichen.* Anno 1081. in Bohemia in territorio Bilnenſi, femina quædam uno partu novem filios peperit, qui omnes baptizati fuere. Tres pueri mortui, reliqui vero ad virilem ætatem pervenerunt, uti ex Wenceslai Hagecii Chron. Bohem. refert Henricus Kornmannus *Oper. curioſ. de Mirac. vivor. p. m. 138.* Partus numeroſi exempla collegit etiam Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 24. pag. 444. ſeqq.* Temporibus papæ Hadriani, mulier Romæ quatuor una vice ſuſcepit liberos, quos partus inſecutus eſt, die quadrageſimo poſt primum partum, quintus. vid. Conr. Philipp. Hoffmann. *de Puerper. Tempor. §. 33. pag. 57.* In Andr. Ottomar. Gœlick. *Medicin. forenſ. Specim. III. pag. 31.* ita ſcribitur, quod traditum ſit, quatuor pariter puellos a matre familias natos eſſe. Alioquin tradidere non leves autores, quinquies quaternos enixam Peloponneſi, multos Ægypti uno utero ſeptenos: Sed & tergeminos ſenatores cinctos vidimus Horatios. Lælius etiam ſcribit, ſe vidiſſe in palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta eſt, ut Hadriano oſtenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore nati dice-

bantur, quintus poſt diem quadrageſimum. Adami Schwarzmanni uxor admodum fœcunda poſt multos jamjam editos fœtus anno ætatis trigeſimo nono, unico partu ſeptem in lucem tulit liberos, mares quinque, qui ſacris undis luſtrati, & femellas duas, ſub ipſum egreſſum ex utero defunctas. vide Georg. Hieron. Velſch. *Obſ. med. Epiſagm. n. 75. p. 47. ſeq.*

§. 14.

trigemini. De trigeminis hæc refert Caſparus Theophilus Bierlingius *Adverſar. curioſ. Obſervat. 46. pag. 82. ſeq.* Argentinæ tres infantes ſimul in lucem edebantur, filiolus nimirum unus & duæ femellæ. Idem accidit Halæ Saxonum, ſed cum morte parturientis, ut & paulo poſt natorum. Magdeburgi etiam femina quædam duos filios mortuos & vivam filiam enixa eſt. Balneatoris Bazinienſis (*Bœſing*) Erici Frueling uxor anno 1691. d. 19. Maji incepit parturire & demum d. 21. intra quintam & ſextam matutinam enixa eſt puellam bene conformatam & viventem, media nocte vero die 24. Maji iterum puellum & puellam uno partu edidit, ita ut intra primum & ſecundum partum interceſſerint tres dies & duæ noctes cum media. Baptizati ſunt omnes tres, ſed non multo poſt obiere, quos mater difficili & per tot dies durante partu, accedente febri continua die 23. Junii ſecuta eſt, annotante Carolo Raygero *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſervat. 27. pag. 37.* De trimellorum partu ſequentia refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. IV. Hiſt. 83. p. 402.* Uxor paſtoris Hafnienſis 1646. ad annum quinquageſimum vergens octavo menſe enixa eſt puellas tres vivas, ſed brevi poſt baptiſmum defunctas. Alia mulier paupercula hic oberrat, totidem liberis uno partu productis ſtipata. Circa finem anni 1656. plebeji uxor prope portam orientalem tres quoque peperit; quorum primus totus bene formatus & vitalis ſacro fonte tinctus, alteri quoque ad perfectionem nihil defuit, niſi quod occipiti carnea maſſa, mitræ inſtar inſterneretur. Tertius infor-

informis mole molam potius, quam fœtum referens. Feminam quandam tres fœtus peperiſſe, quorum unus nigro colore fuerit imbutus, ex Caſparo a Reies allegat dictus Bierlingius. Singulis fere menſibus trimellos hic Dresdæ naſci experientia teſtatur.

§. 15.

Sub Agamundo Hunnorum rege meretrix quædam ſeptem uno partu in Germania enixa eſt, licet in lacum projectos omnes peremerit, uno excepto (cui nomen poſtea Lamiſſio fuit) quem Agamundus venatione adhuc in aquis palpitantem extrahi juſſit & ali, qui ipſi poſtea defuncto Longobardis electis ſucceſſit in imperio, ſub Benedicto I. papa. vid. Simon. Majol. *Dier. canicul. colloqu. III. fol. m. 41.* Sequentia apud Danielem Sennertum *Pract. Lib. IV. Part. II. Sect. IV. cap. 5. pag. 306.* leguntur: Albucaſis ſcribit ſe compertum habere, quandam mulierem abortiendo emiſiſſe ſeptem, & aliam quindecim, omnes formatos. Et comitiſſam quandam Querfurtenſem uno partu novem infantulos edidiſſe fertur. Et ex Cromero addit: quod anno 1270. d. 20. Jan. in Cracovienſi regione, honeſta quædam matrona, Margarita, triginta ſex pueros vivos uno partu ediderit &c. vid. etiam Johann. Jonſton *Thaumatograph. Claſſ. X. Art. 6. pag. 470. ſeq.* Exempla numeroſæ ſobolis vid. C. Plinii *Hiſtor. Natur. Lib. VII. cap. 1. fol. 109.* Mulier quædam Germana, nomine Dorothea in Italia gemino partu viginti filios edidiſſe traditur, altero quidem novem, undecim altero ob ingens pondus tumidam alvum ad genua usque propendentem faſcia collo & humeris appenſa ſublevare ſolita eſt, uti Michael Dœringius *Epiſt. de Hern. uterin. in Guilh. Fabric. Hild. Oper. fol. 895.* ſcribit. Die 1. Februarii anno 1709. Aquis-Sextiis uxor lanii cujusdam intra aliquot dierum ſpatium novem infantes utriusque ſexus enixa eſt (qui omnes ſacro lavacro adſperſi) una cum maſſa informi quatuor priores inſecuta.

multi infantes.

§. 16.

variis exempla. Referente Ludovico Bonaciolo *de format. Fœt. cap. 9. pag. 330.* mulier quædam viginti puerperia partubus quatuor, quinos partubus ſingulis enixa, edidit. Et aliam duodecim partubus ſexaginta infantes peperiſſe inventum eſt. Pari uſu in Ægypto ſeptenos uno utero ſimul genitos eſſe addit. Inquit etiam Ludovicus Cælius, Rhodiginus *Lection. antiqu. Lib. IV. cap. 23. fol. 147.* mulierem quandam in Germania configuratis conformatisque jam in utero duorum & viginti infantum corpuſculis, aborſum feciſſe: aliam vero etiam ſeptuaginta: imo, ut amplius increſcat admiratio, aliam etiamnum ejeciſſe in pelvim embryunculorum auricularis digiti magnitudine corpuſcula centum & quinquaginta.

§. 17.

12. patriarchæ. Quamvis autem ejusmodi partus numeroſi raro accidant, nihilominus tamen feminæ quandoque ingentem & extraordinariam infantum ſucceſſive editorum copiam numerantes apud autores annotatæ reperiuntur. Primario quidem non contemnendæ memoriæ numerus eſt ille duodenarius duodecim patriarcharum, qui ſimul patri matrisque convivebant legitimo matrimonio nati, in virilem ætatem provecti omnes, quorum omnium nomina *Geneſ. cap. 49.* recenſentur, & quidem Reüben, Schimeon, vel Schimon, Levi, Jehudah, Sebulum vel Zebulon, Jiſſacar vel Jiſſachar, Dan, Gad vel Gadem, Aſcher, Naphthali vel Napthali, Joſeph & Benjamin.

§. 18.

duodecim martyres. De duodecim fratribus martyribus ſequentia refert Henricus Kornmannus *de Miracul. Vivor. Oper. carioſ. pag. 140. ſeq.* Scribit Alphanus archiepiſcopus Salernitanus in Africæ urbe Adrumeto, a Bonifacio & Thecla, legitimis conjugibus, filios duodecim procreatos, quorum fuere nomina, Donatus, Felix,

Aron-

Arontius, Honoratus, Fortunatianus, Sabinianus, Septimius, Januarius, Felix, Vitalis, Satorus, Repoſitus. Vixere ii omnes ſub ſancto Cypriano, qui eos quoque adhortatus eſt ad martyrium contra ſimulacrorum venerationem ſubeundum, qui fortiter perierunt. Fuere alii duodecim filii Marcello centurioni in ipſa etiam Africa Tingi Mauritaniæ, qui omnes, poſt defunctum jam Cyprianum, cum ipſo patre egregiam ſubiere martyrii gloriam. Fuerunt & duodecim filii Tancredi Apuliæ regis, qui tametſi humana prudentia fortitudineque præditi eſſent, attamen nihil ſupereſt de eorum virtute reliqua. Duodecim autem fratres germani fuerunt in Norwegia, viri fortiſſimi, qui unanimes Haldano Sueciæ regi ſuis excurſionibus plurimum negotium fecerunt, ipſo illo ſeculo, quo Chriſtus Dominus noſter Patris verbum caro factum eſt, uti ex Kranzio Kornmannus memorat. Juxta Hieronymi Cardani *de Rerum varietat. Lib. VIII. cap. 44. pag. 569.* uxor artificis cannarum viginti quinque filios enixa eſt, eaque fœcunditas mira fuit. Ex his duos intra decem menſes ambos mutos ſurdosque, qui ambo ſupervixerunt. Primum cum tribus molis, ſecundum cum duabus non ſolum mortuis, ſed putrefactis. Dum eos in utero gereret, non, quemadmodum in aliis, ſe habuit, ſed in imo ventre pondus quaſi plumbi ſentiebat. Veriſimile eſt, adnatas molas ſua frigiditate cerebrum læſiſſe, unde auditum & vim loquendi hebetatam, maxime cum putruerint: læſo autem cerebro fœtum deſcendiſſe aliquantulum, tum ea ratione, tum molarum pondere gravatam fuiſſe admodum. Anna Maria Denglerin, Johannis Zelleri, capſarii in Illertiſſen uxor, mulier mediocris ſtaturæ & habitus, poſt cœlibatum, ſpatio octodecim annorum, quindecim liberos, decem nempe filios, & quinque filias, Deo conjugium eorum benedicente, ſatis feliciter peperit, anno autem ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto concipere & parere deſiit, referente Petro Rommelio, *M. N. C.*

Dec. III. An. 2. Obſervat. 214. p. 334. Quindecim liberos etiam peperit generoſiſſimi Jacobi Levini à Belaw uxor, nata de Gersdorf, cujus ultima filia menſe Julio 1731. denaſcebatur.

§. 19.

viginti infantes. Viginti proles ex marito ſuo ſuſcepiſſe Jodocam Feylingiam Petri Foreſti ſocrum, refert ipſe Foreſtus *Obſervat. Medicin. Lib. XVII. Obſervat. 16. & Lib. XXVIII. Obſervat. 70. fol. 748.* Victoria mater Æneæ Sylvii, qui poſtea ad pontificatum evectus Pii II. nomen obtinuit, fœcunditatis eximiæ femina duodeviginti, & ex his gemellos aliquot puerperiis edidit. Rudolphus Habspurgenſis imperator ex Anna comitiſſa de Hohemburg in Svevia ſuſcepit ſeptem filios totidemque filias. Et Albertus I. Rudolphi imperatoris filius, primus Auſtriæ dux ex Eliſabetha, filia Meinardi comitis Tyrolenſis, viginti & unum liberos ſuſcepit. Antonia Mutinenſis quadrageſimum ætatis ſuæ annum non prætergreſſa, quadraginta tres filios habuit. Lectu quoque digna eſt hiſtoria, quam cum hactenus recenſitis, ex Aventino obſervationibus ſuis medicinalibus inſeruit Johannes Schenckius *Lib. IV. fol. 582.* ſcilicet: habebat Babo illuſtris comes de Roor & baro de Abenſperg ex legitimo thoro triginta duos filios & duas filias ſuperſtites, ſicut in faſtis monaſterii Uveltemburg annotatum eſt. Cum itaque prius pater ſollicitus eſſet, quanam ratione numeroſæ ſoboli proſpiceret, atque omnes in eo ſtatu, quem ipſe a majoribus illuſtrem acceperat, conſervare poſſet, nulla via commodior viſa, quam ut eos Henrico Cæſari commendaret. Ad id etiam commoda ei oblata occaſio. Contigit enim, ut Cæſar Ratisbonæ ſuorum procerum conventum habiturum, & ſeſe poſtea cum illis in venatione oblectaturus, cum omnes admonuiſſet, ne quis procerum aut nobilium plures comites adjungeret, verum uno tantum ſervo comitatus compareret, quo locus hoſpites capere atque annona ſufficere poſſit. Itaque Babo filios ſuos juvenes

venes egregie ornatos, ſplendide inſtruit & unicuique ſervum adjungit, atque hac ratione ſexaginta ſex equis magna ſolennitate urbem ingreditur. Cæſar viſa tanta comitum magnitudine miratur atque Babonem ad ſe vocatum interrogat, qui auſus fuerit mandatum ſuum ſerio propoſitum, violare, aut quid pacis hoc tempore, eo equitum numero præparet? Tunc Babo reverentia Cæſari exhibita, inquit: Sereniſſime Cæſar, hactenus tuis mandatis diligenter obedivi, porro facturus Dei auxilio. Nunc etiam ad conventum hunc uno tantum famulo comitatus compareo. Henricus Auguſtus infert: qui igitur alii ſunt? inquit Babo: ſunt mei legitimi filii, tui famuli, quorum ſinguli uno ſervo comitati præſto adſunt, ut tuæ majeſtatis voluntate audita diligenter pareant. Eos ut ingenuam decet ſobolem, hactenus maxima cura educavi, nunc vero eos tuæ celſitudini offero, dono & commendo. Tum imperator ſubridens ſingulos appellat atque dextra & oſculo excipit, eosque ordine ſuos filios vocat atque ſecum in aula permanere jubet. Hos, quoque omnes & ſingulos Cæſar paulatim prædiis, ſtipendiis, caſtellis & vicis locupletavit. In Belgio mulieres multis aliis plurimarum regionum fœcunditate antecellere ſcribit Adrianus Spigelius *Epiſt. de incert. Part. tempor. pag. 72.* Piſtoris cujusdam uxorem tredecim antea liberorum matrem abortum bulliformem enixam eſſe, refert Georgius Hannæus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 114. p. 221.*

§. 20.

In oppidulo *Neuſtædtel* Marchiæ annis ſuperioribus vixit faber quidam ſtannarius, cujus uxor novies continua ſerie peperit gemellos, eosque propemodum ſingulos maſculini ſexus, præter unicam filiolam, ex quibus bini cum patre per incendium oppidi periere, reliquis autem in vivis adhuc agentibus. Id quod atteſtato paſtoris loci a me menſe Julio, anno 1687. lecto unice debeo, inquit Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. medic.* *alia exempla.*

dic. phyſic. Cent. III. Hiſt. 7. pag. 291. Die 20. Martii 1681. denata eſt Lugduni Gallorum honeſtiſſima matrona, ſartoris cujusdam uxor, annos nata ſexaginta, quæ valetudine ſatis commoda uſa fuerat ad annum usque ætatis undequinquageſimum, quo toto temporis ſpatio ſedecim omnino liberorum totidem diverſis puerperiis mater evaſit, quanquam ex iſto fœtuum numero duo fuerint abortivi. Combe puella in Eubœa numeroſæ prolis mater fuit; centies enim peperit, juxta Joh. Heidfeldii *Sphing. theol. philoſ. cap. 17. pag. 249.* Intra viginti quinque annorum ſpatium carcerarii Dreſdenſis, nomine *Feilenbauers*, uxor ex dicto marito viginti quatuor liberos peperit, inter quos nunquam fuerunt gemelli; Iſte vir etiam in primo matrimonio octo liberos genuit. In Actis Medic. Berolinenſ. *Vol. V. n. 3. pag. 90.* mentio fit illuſtris cujusdam baroniſſæ, ex vigeſimo quarto fœtu ad ſeptimum menſem geſtato defunctæ. Summi etiam venatoris aulici nomine de Bomsdorff, uxor viginti novem liberos peperit, quod hic Dresdæ multis adhuc in recenti memoria hæret. Vivit adhuc ſecretarii cujusdam uxor, quæ decem filios & unicam peperit filiam, quæ cum uno fratre nuper mortua eſt, ut adeo hodie die 24. Maji 1731. adhuc novem filii ſuperſint.

Obſervatio.

§. 21.

Fœcunditatis exemplum.

Fœcunditatis exemplum recenſet Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lagograph. curioſ. Sect. I. cap. 2. pag. 52.* Anno ſcilicet 1589. tempore Elibethæ, Angliæ reginæ, ab eadem in Indiam occidentalem emiſſa quædam navis, ſed infeliciter. Senſit enim mox minus benignos fluctus. Nam turbavit eam violentia ventorum & tamdiu quidem, donec ad ripas projecta diſcuſſaque eſt. Hinc homines, quos vehebat, omnes deleti, excepto uno maſculo, & quatuor feminis, qui ad inſulam, hominibus antea incognitam, plenamque ſolitudinis, ſalvi perducti. In hac cum aliquandiu commorarentur, & nulla ſpes rever-

revertendi in patriam, vel alium habitabilem locum, præſto eſſet, de manſione illic cogitandum erat. Hinc cura victus & habitaculi orta, auxilio Dei feliciter, tandem de multiplicatione cogitarunt, & vir ille, Georgius Pines, a quo inſula hodie Pines dicitur, quatuor feminas uxorum loco habuit; a quibus ipſi liberi plurimi enati, queis in timore Domini educatis novis conjugiis proſpexit pater & id ulterius ſemper continuavit, ut tandem grandævo patre & fere octuagenario numerus liberorum ad 1789. exceſſerit. Quæ auctio tamen ſpatio ſexaginta annorum contigit. Originem primam pater ipſe morti proximus literis conſignavit, ſimul cum poteſtate in reliquos filio ſuo primogenito tradidit, ut ejus rei memoria ad poſteros aliquando propagaretur, uti etiam factum. Poſtquam enim diu poſthæc inſula cum incolis fuerat incognita, appulit tandem ad eam anno 1667. navis quædam Germanica, & quidem fortuito, ac repertum eſt, incolas ejus loci e duodecim millibus fere conſtitiſſe.

§. 22.

Aliud fœcundi conjugii exemplum, refert idem Paullini *l. a. pag.33.* inquiens: Johannes comes a Witgenſtein, viginti quatuor liberorum ex una conjuge parens, ad acuendum ſingulorum ingenium, nobiliſſimum huic ſpondebat præmium, qui nitidiores pangeret verſus, eique ſtrenæ loco offerret. Omnes accenſi ſpe præmii: quisque ſuos intendit nervos. Junior tandem filius, Fridericus Wilhelmus, multitudinem prolis & fiduciam parentis in Deum altius expendens, hoſce ludit rhythmos: *Conjugium fœcundum.*

Beſcheret Gott das Hæsgen,
So giebt er auch das Græsgen.

Plauſum hic meruit & præmium. Imperatorem Cæſarem poſt bellum Africanum vehementer exhauſta urbe præmia propoſuiſ-

ſe

ſe multitudini liberorum, refert Juſtus Lipſius *Comment. ad Corn. Tacit. Annal. Lib. III. pag. m. 74.* ubi addit: Quoniam infrequens admodum urbs erat, propter cæſorum multitudinem, quod ex recenſu (eum autem & reliqua velut cenſor faciebat) & ex ipſo aſpectu animadvertebatur, iis qui multos liberos haberent, præmia propoſuit.

§. 23.

aliud. Singularis fœcunditatis exemplum annotavit Juſtus Schraderus *Obſervat. anat. medic. Decad. III. Obſerv. 6. pag. 219.* de femina, quæ ipſi retulit, ſe tres hactenus habuiſſe maritos, cumque illis novem vicibus genuiſſe liberos; ſepties, interrupta ſerie, ſimul puellum cum puella peperiſſe, octava vice tres puellos abortu excluſiſſe, nona & ultima produxiſſe unicam filiam. Ducem Saxoniæ Erneſtum, Pium dictum, cum una conjuge octodecim liberos genuiſſe refert Chriſtianus *Gerber, in der Hiſtorie der Wiedergeb. Sachſen Part. I. c. 16. p. 437.* Mulier quædam Montisbani, quæ nunquam menſtrua paſſa fuit, duodecies peperit, uti ex Rondeletio ſcribit Marcellus Donatus *de medic. Hiſtor. mirabil. Lib. IV. cap. 23. pag. 442. ſeq.* Ludovicus Vives in Hiſpania ruſticum vidiſſe teſtatur, cujus liberi, ipſo ſuperſtite, pagum plus minus centum ædium compleviſſent, ut agnationis nomina inter eos jam deſinerent. vid. Joh. Heidfeld. *l. a.* ubi ex Juſtino Hieronymum regem Arabum ſexcentos filios ex pellicibus ſuſcepiſſe, addit. Uxor cujusdam piſtoris, tredecim antea liberorum mater abortum bulliformem cum atrociſſimis doloribus excrevit, juxta Georgii Hannæi obſervationem. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſerv. 114. pag. 221. ſeq.*

SECTIO

SECTIO VII.

De Inſolitis circa partum obſervandis.

CAPUT I.

De inſolitis partus viis.

§. I.

Quandoque etiam fœtus humani per inſolitas ſeu extraordinarias vias, & quidem vel integri vel corrupti & fruſtillatim excerni narrantur, v. g. de infante per os excluſo ſequentem hiſtoriam refert Philippus Salmuth *Obſerv. med. Cent. III. Obſerv. 94. pag. 156.* Juvenis quædam femina in civitate imperiali, infantem digiti longitudine, maximis cum doloribus ſummoque periculo per os enititur. Mortuum 13. Julii 1605. mulieres adſtantes ſcatulæ includunt & ſepeliunt. Ampliſſimus vero ſenatus poſtquam hoc reſcivit, refodere infantem, eumque in honeſtorum quorundam virorum præſentia aperire jubet, quem omnibus membris humanis, tam internis quam externis vere conſtare cognoſcunt, & paulo longioris digiti longitudinem vix excedere deprehendunt. Puerpera ea de re interrogata & examinata, conſtanter affirmavit, maritum ſemper cum illa per os coiviſſe, & ſperma in fauces immiſiſſe: ſibi (utpote a natura plane ſimplici, ſicque a marito facile perſuaſæ) primo quidem de alio coeundi modo nihil prorſus conſtitiſſe, donec a vicina, quacum de eo aliquando communicaſſet, aliter edocta fuiſſet, atque ſe ita a marito deluſam poſtmodum animadvertiſſet. Vicina quidem illa & aliis hæc retulit; ſed nulla ipſi ob nimiam & quaſi fatuam mulieris illius innatam ſimplicitatem, fidem adhibere voluit, donec veritatem tempus in lucem eruerit atque eas convicerit. Mari- *Fœtus per os.*

tus ſeu impurus potius & ſceleratus ipſe nebulo (qui ſutor fuit) fuga ſibi conſulens, decem ſeptimanas ante infantis excluſionem, clam uxore (poſtquam hujus abligurierat bona) militatum abiit: alias rogo forſan impoſitus fuiſſet. Atque hæc ex literis Johannis Komeleri, in conſulis illius civitatis ædibus tum degentis, ut oculati & fide digni teſtis, ad Gothofredum Hoffmannum, affinem & compatrem meum datis, deſcripſi.

§. 2.

dubium. Huic Salmuthi obſervationi nonnulli equidem autores fidem adhibere videntur, alii tamen eandem ſuſpectam habent. Ex prioribus inquit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. V. Hiſt. 98. p. 180. ſeq.* de loco conceptionis: Uterus non ſolum fœtum concipit, ſed perficit, idque apta capacitate ad eum continendum & excludendum. Nihil embryoni præter locum & calorem contribuit. In ſemine enim latet generationis principium, quod ſe exſerit quocunque cujuscunque loci calore adjutum. Ita ſemina herbarum non in terra tantum, ſed etiam in tabulato, parietibus arboribusque ſubinde decidua germinant, ſed felicius ad florem perveniunt in terræ gremio. Par in animalibus ratio, quibus uterus commodus fuit, quia commodius & recipit ſemen & exinde formatum fœtum felicius continet & excludit. In quacunque tamen cavitate corporis, ubi vaſorum confluxus, embryo efformatur. De humano fœtu autor eſt Salmuth *Cent. III. Obſervat 94.* ex nefando congreſſu conceptum per os fuiſſe editum, ſed digiti tantum longitudine, quia diuturnioris moræ impatiens eſt ventriculus ob continuum motum & aſſumptorum impedimenta, quæ non æque ſinunt claudi, ſicut uterus a conceptu clauditur. De hiſtoriæ nefandæ veritate dubitare non auſim, quia teſtatur Salmuth, ſe ex literis Johannis Komeleri, in conſulis illius civitatis, ubi hæc acta, ædibus tum degentis ut oculati teſtis ad Hoffmannum datis ſe deſcripſiſſe. Multa quotidie, pergit Bartho-

linus,

linus, eveniunt, quæ damnare quidem poſſumus, ſed credere debemus. Quid fidem remoratur? Vaſa ventriculi pro nutritione & aliquali augmento ſufficiunt. Quis negabit erranti alieno hoc loco fœtui membranam, qua involutus domicilio iſto per tempus frueretur? Non certe ab utero membrana fœtum cingens, ſed a ſemine in fermentatione genitali enaſcitur. Deinde allegatus Bartholinus hanc ſententiam cum partu brutorum per vomitum confirmat addendo. Credat iſta qui volet. Quodſi tardior aliis ſit futura ad credendum mens, parum intererit. Liberæ hic ſunt voluntates, nec tyrannidem obſervationum exercemus. Neque tamen ideo exſibilandi, qui viſa referunt vel audita, & ex relatis, ſi a fide dignis proficiſcantur, libere & curioſe de cauſa rariorum ſoliciti ſunt. Igitur hæc ratio quærenda, ut ventriculus uteri vices ſuppleat, membranas generet, alimentum per vaſa ſanguinea vel proximum chylum ſuggerat & tamdiu foveat calore ſuo & hoſpitio, donec quacunque accedente vi & neceſſario conatu expellat. vid. etiam Bartholin. *Epiſt. medic. Cent. III. Ep. 8. p. 36.*

§. 3.

Juxta Caſparis Theophili Bierlingii *Theſaur. theor. pract. Obſerv. 31. Schol. 6. pag. 403.* huic rei lucem quandam afferre videtur formatio homunculi in vitro ex ſemine virili & ſanguine menſtruo intra fimum equinum collocato, ut Abenſina, Paracelſus & Amatus Luſitanus hoc efficere promittunt. Sed fides ſit penes autores, ſi promiſſis ſtare ipſis injunctum fuiſſet, quid, quæſo, aliud in apricum niſi vetus adagium protuliſſent: *defenditur.*

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Per hoc tamen Salmuthi hiſtoriæ fidem nullo modo abrogare volo, multa enim fiunt apud Garamantes & Indos, quæ vera eſſe poſſunt, quanquam ego vel alii illa non viderunt. De con-

ceptione in utero & fœtus tamen per os rejectione audi Juſtinum Ortolphum Maroldum Diſſert. de Abortu per vomitum rejecto *cap. 1. pag. 4.* Experientia quoque, quæ alterum medicinæ fulcrum eſt, condignam nobis hujus rei fidem facit ejusmodi obſervatione nova præmuniens, dum eam in ſolis diſcum exponendam concredidit, non multis adeo cognitam aliasque facile perituram. Mulier enim ante biennium hoc affectus genere aliquoties vexata, cujus hiſtoriam, Deum teſtor, meis auribus ex ipſius uxoris marito, parentibus & cognatis cum ſumma admiratione hauſi. Nolui fidem adhibere, niſi ipſe audiviſſem. Teſtem ſimul adduco Chriſtophorum Zehen, pharmacopœum apud Crimmicenſes prope Cygnæam, qui non ſolum audivit, ſed abortum quoque vidit. Res autem ita ſe habet: In pago Reuſt haud procul a civitate Ronneburgo vixit ruſtici cujusdam, Andreæ *Haſelbarths* filia corpore gracili & vixit virgo ſine inſigni aliqua moleſtia aut morbo ad annum vigeſimum ſeptimum aut octavum usque. Quæ excernenda erant, juſto tempore depoſuit, etiam per conſuetum fluxere locum menſtrua. Poſtea nupta anno circiter 1664. cum Chriſtophoro *Grubern*, cui muliebrem hortum irrorandum ex conjugali affectu expoſuit. Percepit quoque illico roris fœcunditatem, dum ſuppreſſis menſibus aliqualem uteri tumorem, nauſeam, vomitum, & quæ gravidarum alias ſolent eſſe pediſſequæ, mox ſenſerat. Paulo tamen graviora viſa ſunt ſymptomata, ita ut eo tempore quo prægnans, rebus ruſticis non adeo operam navare potuerit. Illud quoque mirabantur maxime agnati, quod ſanguinem quaſi menſtruum ſimul cum ſputo crebrius ejiceret. Sed quid fit? menſe ſecundo ab ingravidatione ſymptomata magis magisque incrementum capiunt, ſentit tormina ſæviſſima in utero, qualia parturienti ſolent oriri. Oboriuntur lipothymiæ & poſt ſummos dolores vomitus. Cum vomitu autem, quod ſane mirandum, ejecit partum bimeſtrem, obvolutum ſecundinis, ovi gallinacei figuram & ſpeciem referentem,

quo

facto melius habuit. Anno ſubſequenti iterum ingravidatur, & cum ſummo parentum mœrore eadem patitur ſymptomata iterumque ejusmodi ovum cum δευτέροις evomuit. Tertio anno meliora quidem ſperans permittit tertia vice impraegnari, ſed deteriora ſecuta ſunt. Spes ſiquidem fuit, dum usque ad tertium menſem utero geſſit, ſed & tunc temporis vana ſpe deluſam eadem ſymptomata ipſam invaſere, ut evomuerit quoque, non quidem, ſicuti antea, orvum, ſed integra oſſicula carniumque fruſta, caput membraque reliqua, exigua quidem magnitudine, tamen bene diſtincta, & membratim omnia &c. Hæc autem Juſtini Ortolphi Maroldi obſervatio deſumpta eſt ex *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſerv. 108. p. 245. ſeq.*

§. 4.

Alii tamen autores Salmuthi allegati fidem de fœtu per os nato in dubium vocant, & quidem cum ſecundum recentiorum principia & demonſtrationes, conceptio non ex commiſcela ſeminis marium & feminarum in utero, quæ multo minus in hoc nefando coitu ex ſeminis in os injectione fieri poteſt, ſed ſolummodo ex ovulo in ovario muliebri absque materiali virilis ſeminis contactu oriatur; hinc Chriſtianus Fridericus Garmannus *M. N. C. Dec. II. An 8. Obſ. 57. pag. 346.* inquit: quis fabuloſo aut nimium credulo Philippo Salmutho fidem habebit, fœtum per os fuiſſe rejectum? & ex his principiis concludet, ovulum femininum maſculino ſemine impraegnatum eandem abſorbuiſſe. *rejicitur.*

§. 5.

Quod autem de hominis partu miraculoſo per os recenſuit Philippus Salmuth, idem etiam de canibus & felibus refert inquit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. V. hiſt. 98. pag. 182.* frequentius inquiens contingit, ſed rarius creditur, quia rarius curioſe obſervatur. De cane quidam non ita pri- *in canibus.*

dem fœta mihi narravit amicus, ſed quia idoneis teſtibus deſtituitur, ſilentio involvam, donec certior fama certius aliquid perſuaſerit. De fele vero ſimile mihi ſuggeſſit exemplum frater chariſſimus, M. Albertus Bartholinus, quæ gravida in prædio Fridericiburgenſi, ſtupentibus qui aderant, ſuos catellos evomuit & ita exſpiravit. Devoratos antea vel projectos ex ventre, nemo adſtantium curioſorum obſervavit, qui ſancte rem actam & juramento obſignare parati ſunt; quam quidem ego illis neceſſitatem non imponam. vid. etiam ejusdem *Epiſtol. medic. Cent. III. Ep. 8. pag. 37.* Anno 1580. Hanoveræ ſartorem, Albertum Henke, in magna copia ſordium duos catulos albos, vivos repentes & adhuc cæcos evomuiſſe, refert Philipp. Jac. Sachs a Lewenh. *Schol. in Obſerv. 109. M. N. C. Dec. I. An. 1. pag. 252. &c.* ubi varia. vid. etiam *Chylolog. noſtr. cap.* 7. *§. 80.* Mulierem quandam ex morſu canis rabidi diu rabidam, aliquando ultra 18. fruſta albicantia ejeciſſe catellis nuper natis ita ſimilia, ut ovum ovo, refert Carolus Raygerus *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſerv. 58. p. 98.* Et animalculum, caniculo ſimile, anus quædam per vomitum rejecit, cum burſula, in qua hæſit, annotante Friderico Ruyſchio. vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1714. menſ. Sept. pag. 21.*

§. 6.

a felibus. De cati ex ore mulieris nativitate obſervationem refert Valentinus Andreas Mœllenbroccius *M. N. C. Dec. I. Obſervat. 109. pag. 251.* Cum anno 1647. Johannes Fridericus Bilgerus mecum Fribergam in Miſnia fodinas luſtrandi cauſa & intima terræ perſcrutandi eſſet profectus, atque Dn. D. Tobiam Matthæi practicum ibidem viſitaremus, ecce hic nobis oſtendit ſceleton cati pronuper ex ore mulieris cujusdam pronati, quod non ſolum vidimus, ſed & manibus palpavimus. Hiſtoriam autem hujus partus vir hic fide digniſſimus narrabat nobis hoc modo: Mulier hæc cum felium aliquot clamores audiret, ut

felem

felem ſuam ſibi gratiſſimam liberaret, accurrit, ſed accedens ad locum, ubi ejulatus ejusmodi audiebatur, invenit felem in puteo, quam ut eriperet, urnam demiſit, qua quoque eam extraxit: hoc labore laſſata & ſitiens ex urna aquam bibit, a quo tempore male ſe habuit, donec cruciatibus inſignibus mota jam nominatum medicum conſulere coacta ſit. Is variis remediis convenientibus nihil profecit, donec vomitorium ipſi dederit, quo accepto mulier ſæpius vomuit & tandem non ſine ſuffocationis periculo hunc catum ex ore projecit. An mulier hæc una cum aqua ex urna pota ſemen felium poſt coitum ſuper puteo excretum, relictum ſimul hauſerit, uti jam nominatus doctor putabat, & ventriculus geſtationi fœtus aptus ſit, imo annon ſpiritus genitalis ſeu potius contagium uterum fœcundans Harvejanum in aqua interea temporis evanuerit? aliis judicandum relinquo. Hanc vero felem clam fœtum unum vel alterum per uterum rejeciſſe, & quod facere plura animalia ſolent, ſecundinam cumque ea fœtum devoraſſe ac poſtea in conſpectu hominum vomitu rejeciſſe; minime vero ſecundum naturam hoc fuiſſe factum, ſubſequentem felis mortem teſtari poſſe, rationi conſentaneum judicavit Johannes Chriſtianus Eiſenmengerus. vid. Thom. Bartholin. *de inſolit. Part. viis cap. 9. p. 60.* & Eiſenmengerus *de Fœtu Muſſipont. p. 59.*

§. 7.

Muſculi vivi & depilis a femina ruſtica vomitu rejecti meminit Chriſtianus Fridericus Garmannus *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 157. pag. 341. 343.* inquiens: Cum anno 1687. apud nos (Chemnitii ſcilicet) fama percrebuiſſet, Juſtinam, Michaelis *Schüppels*, in pago Claffenbach uxorem, murem vivum evomuiſſe, illico ad juſtitiæ præfectum illius loci famam detuli & petii, ut me præſente in hujus caſus certitudinem inquireret. Aſſurgebat vir juris peritiſſimus mihique amicus, in cujus & mea præſentia prædicta Juſtina ſancte affirmavit, ſe ſanam feſto *muſculus per os.*

aſcen-

aſcenſionis Dominicæ matutina ſacra adiiſſe iisque peractis ſitim ingentem ſenſiſſe. Sumpto prandio, hora quarta pomeridiana horrore percutitur, quem inſequuntur nauſea & enormia tormina, & hæc vomitus aliquot, donec tandem magno conatu muſculum vivum, ſed depilem vomitu expulit. Vixit muſculus tumido abdomine horas viginti octo, & tandem urina excreta moritur. Deferre juſſit inſolitum hunc ventriculi partum ad in vicinia habitantem ruſticum medicaſtrum, qui egregiam & lepidam, ſi diis placet, rationem protulit: *Sie hætte etwan ſolchen (Mauſe) Schmauch mit hinein geſoffen*, muſculumque in fimeto abſcondidit. Durarunt poſt excretum hoc animalculum per aliquot dies adhuc ventris tormina, ita ut, quoties ſe erigeret, lipothymia corriperetur, tandem remanente levi ſaltem ventriculi nauſea, convaluit. Dicto autem loco Garmannus, alia adhuc murium, catulorum, felium, anſerculorum, muſtelarum &c. per os, vel alvum vel uterum excretorum exempla allegat, de quibus plura in *Chylolog. noſtr. cap. 7. §. 60. usque ad §. 82. pag. 497. ſeqq.* reperiuntur. An muſtela juxta antiquorum traditionem ore pariat? vid. Thom. Bartholin. *de inſolit. Part. viis cap. 9. p. 60. ſeq.*

§. 8.

Fœtus partes per os. Non ſolum autem integri fœtus, ſed ſæpius etiam eorundem in utero putrefactorum partes oſſeæ ac carneæ per os & alias inſolitas vias excerni ſolent, qualia exempla non pauca in Embryolog. *Sect. III. cap. 2.* ex variis autoribus recenſuimus, quibus adhuc alia annecti poſſunt; De fœtus enim putrefacti per os rejectis partibus obſervationem refert Juſtinus Ortolphus Maroldus *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſerv. 108. pag. 245.* Uxor ſcilicet ruſtici cujusdam in pago Reuſt, poſtquam duos abortus cum ſecundinis per os rejecerat, tertia vice prægnans, non ſicut antea, ovum, ſed integra oſſicula carniumque fruſta, caput membraque reliqua exigua quidem magnitudine, bene tamen diſtin-

diſtincta & membratim omnia, cum ſubſequentibus ſecundinis, per vomitum excrevit. Exemplum vituli in utero putrefacti per os & vulvam fruſtillatim rejecti refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *Obſervat. M. N. C. Dec. II. An. 7. App. 155. ſeq.* Villicus in Stormaria alebat vaccam, ultra decimum quintum menſem nunc prægnantem; quæ tandem, poſt varios languores, inutile uteri ſui pondus, totum putrefactum, non ſine magno cruciatu & abominabili fœtore, partim per vulvam, partim per os, fruſtillatim & per intervalla, intra quatriduum ſcilicet, rejecit. Hujus ſaltem, pergit Paullini, miror, qui natura per os colluviem iſtam exantlaverit? domeſtici enim id manifeſte notarant, imo particulas oſſium & alia ex ore extraxerant. Uxorem cujusdam ſervi marchionis de Mondexar poſt convaleſcentiam gravioris morbi tantam carnis & oſſium quantitatem per os depoſuiſſe, ut integram humani fœtus confabricationem æquaverint; & hominis ſive fœtus absque dubio fuiſſe in utero geniti, cum ipſa ante morbum gravida fuiſſet, nec per conſuetam aut aliam viam conceptum alias emiſiſſet, ex Bernardino Montanna ſcribit Alfonſus de Fontecha, vid. Caſp. a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Qu. XC. §. 16. p. m. 1172.*

§. 9.

Fœtus etiam in partu mortuus quinque menſes in matre vivente retinebatur nulloque modo ad partum aut expulſionem promoveri poterat. Tandem fluor uterinus, per quem putris alba fœtidiſſimaque materia profluebat, exoriebatur. Quo octo ſeptimanarum ſpatio perſeverante corpus adeo contabuit, ut nihil in ea carnoſi fere amplius præter ventrem, transverſim admodum tumentem & durum appareret: donec viginti ſeptimanarum ſpatio ſupra decimum menſem, quo uterum geſtavit, tempore exacto exſpiraret. In hujus feminæ apertura Felix Platerus veſicas geminas, lividas in latere umbilici, ubi tu- *circa umbilicum.*

mor durus inæqualis adhuc tranſverſim eminebat, deprehendit, quibus levi negotio, cum tenuiſſimæ eſſent, diſruptis, ſtatim vertebræ ipſius fœtus una cum ſcapulis & coſtis obviæ erant. Univerſus fœtus adeo putris erat, ut præter cutem & oſſa, quæ tamen levi negotio diſſolvebantur, nihil liceret cognoſcere; Item uterus una cum involucris & omenti portione aliqua muſculisque epigaſtrii illius loci deſiderabantur. vid. Felic. Plater. *Obſerv. Lib. I. pag. m. 227. ſeqq.* Ibidem etiam concubinæ ſacerdotis cujusdam mentionem facit, in cujus tertio gravidæ ventre paulo ſupra umbilicum veſica nucis juglandis magnitudine erupit. Qua adaperta faſciculus fœtum continens apparuit, qui poſtquam a chirurgo parte aliqua diſſectus eſſet, fœtus cubitus prominens in conſpectum ſe dedit; quem cum forcipe arripuiſſet, integrum fœtum, ſed ſemiputridum per foramen e veſica extraxit, vulnus autem trium ſeptimanarum ſpatio integre fuit conſolidatum ipſaque mulier adhuc ultra annum vixit. Fœtus in utero computreſcentes, negato exitu per vulvam, fruſtillatim per integumenta abdominis excluſos annotavit Johannes Conradus Brunnerus, in duabus mulieribus; harum unam Tribaldingæ prope Conſtantiam ſpectavit, quæ fiſtulam prope umbilicum, qua olim infantem fruſtillatim enixa fuerat, pretio conducta ipſi monſtravit, ſaniem adhucdum fundentem. Aliam Brunnerus Jeſtettæ prope Scaphuſiam cum Dn. Wepffero, quæ gravida pariundi tempus emenſa, cum per collum uteri reddere non potuiſſet, orta prope umbilicum macula nigra, eaque conſilio Wepferi inciſa infantem, obſtetricante chirurgo, excluſit ſuum, ipſa autem ad vivos rediit. v. *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 100. p. 223.* Mirum naturæ exemplum refert Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. XXV. cap. 33. fol. 481.* Cujusdam Venetæ matronæ, quæ cum partum legitimum excluſiſſet, alter incluſus intra uterum manſit mortuus, qui in magnis puerperæ difficultatibus tabefactus fluo-

fluore quodam profluit & naturalibus oris, demum ortis in ventre tribus fiſtulis, ex una, quæ omnium maxima erat, integra infantis calvaria extracta eſt, cunctis mirantibus, deinde ſingulis diebus reliqua oſſa dempta ſunt, unde mirabili naturæ opere ſanitati reſtituta eſt. Plura vide Franc. Roſſet. *de Part. Cæſar. Sect. IV. Hiſt. 5. p. 89. ſeq.*

§. 10.

Sequentem Albucaſis inter Arabes medicos & chirurgos excellentis hiſtoriam recenſet Guilhelmus Fabricius, *Hild. Epiſt. ad Mich. Dœring. Oper. fol. m. 908.* Vidi ego mulierem, in cujus ventre mortuus erat fœtus, & nihilominus imprægnata, poſtea mortuus etiam fœtus ſecundo conceptus. Accidit ergo ei poſt longum tempus apoſtema in umbilico ſuo, & inflatum eſt, donec apertum cœpit emittere pus. Vocatus ſum ego ad curationem ejus, & medicatus ſum ei tempore longo: & non conſolidatum eſt vulnus. Poſui ergo ſuper ipſum emplaſtrum attractivum, & exivit ex loco os; deinde poſt aliquot dies exivit & aliud os: miratus ſum ergo, cum in ventre non ſit os. Cauſam diligenter expendens, & mecum per omnia putans, deprehendi quod erant ex oſſibus fœtus mortui. Cauſa itaque morbi certo cognita medendique rationem hinc conſecutus, extraxi oſſa multa, muliere exiſtente in melioribus diſpoſitionibus, & diu poſtea vixit mulier illa: ex ulcere autem ſemper puris nonnihil fluxit. Ibidem etiam dictus Fabricius aliam hiſtoriam de fœtu putrido per umbilicum extracto recenſet. Femina ſcilicet 45. circiter annorum ætatis, corpore robuſta cum undecies utero geſtaſſet, & ſemper feliciter peperiſſet, & jam duodecimus partus excludendus eſſet, dolores maximos & conatus ad parturiendum irritos ſuſtinuit, donec poſt varia ſymptomata fœtus in utero mors ſequebatur. Ab ipſa autem decima quinta Junii anni 1608. qua die primo partus doloribus correpta fuit, usque ad ultimam Octobris anni

per umbilicum.

ni 1609. (menſes circiter ſedecim cum dimidio faciunt) quum continuis maximisque atque inauditis doloribus, conatu & tormentis defatigaretur, tumor ingens e regione umbilici paulatim exortus eſt. Ego, pergit Fabricius, prima Novembri ejusdem anni ad curationem accerſitus, jam cutem aliquomodo, naturæ beneficio contaminatam, & ratione oſſis ſcapulæ (quod ſibi exitum parabat) exulceratam eſſe reperi. Quum vero naturæ opem ferre neceſſe eſſet, cutem ex ſiniſtra parte umbilicali, ad longitudinem quatuor digitorum in transverſum poſitorum incidi, donec fœtum adeo corruptum putridumque invenirem, ut aliquibus in locis nihil præter oſſa eaque carne denudata ſupereſſet. Quæ potius ſceleton, quam quicquam aliud repræſentabant. Inde ſatis perſpicuum eſt, partes molles, item inteſtina omniaque viſcera interna, paulatim in pus converſa, per pudenda effluxiſſe. Inciſione facta, os ſcapulæ, quod primo ſeſe obtulerat, carne denudatum, ſiccum, & ab ipſo humero ſeparatum extraxi. Poſtea de die in diem, ut reliqua oſſa, unum poſt alterum extraherem, omnem diligentiam adhibui. Intra octiduum itaque truncum fœtus, qui nondum membranis, quantumvis putridis, omnino deſtitutus erat, extraxi. Quum vero ulterius progrederer, cranium, pericranio denudatum, reperi. Quod cum extrahere vellem, in partes quinque aut ſex disjunctum erat. Vertebræ omnes, tam colli, quam metaphreni & lumborum, carne & ligamentis denudatæ, omnesque ſeparatæ confuſe inveniebantur, uti quoque coſtæ & ſternum. Demum neque brachia, neque tibiæ hujus putredinis expertes erant &c. Plura exempla refert Th. Bartholinus *de inſol. Part. viis cap. 10. pag. 66.* vid. etiam Franc. Roſſet *de Part. Cæſar. p. 228. ſeq.*

§. II.

ſub umbilico. Sequens fœtus putridi ſub umbilico excreti exemplum refert Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſerv. 94.*

Schol.

Schol. pag. 230. Femina Sangallenſis, quæ ſpatio octo annorum novem infantes feliciter peperit, dum decimum utero geſtaſſet, tempuſque jam pariendi inſtaret, obambulans in horto ſalviæ folia incurvato corpore decerpens, momento citius aliquid ad uteri orificium internum prolabi magno dolore percepit, de loco ſurgere nequivit, a marito advocato in lectum deducta, pariendi conatus aliquos ſenſit, obſtetrix incitavit puerperam ad pariendum per biduum integrum, ſed fruſtra, tertio quippe die niſus omnes evanuerunt; durante hoc tempore nec lochia, nec aquæ manarunt, ut dubitarint adſtantes de feminæ graviditate. Quinta hinc hebdomada putreſcens placenta ex utero per partes ejecta eſt: potiones emmenagogæ exhibitæ ſunt, quæ magnam ventris inflationem & dolorem intolerabilem excitarunt, nec quicquam ex utero deduxerunt, ut tandem ſub umbilico rupturam natura in ventre ſponte ſua effecerit, & per vulnus putreſcentis pueri oſſa cadaveroſa aliasque partes ſenſim & diuturno tempore, octodecim videlicet menſibus protruderit: Vulnus coaluit, & femina menſium fluxum per muliebria ordinarie tenuit. Poſt abſceſſum hunc curatum anno quarto, iterum imprægnata eſt hæc mulier, geſtavit infantem per ſex menſes: ſeptimo vero menſe cutis ventris juxta cicatricem iterum ſponte rupta eſt, propendente infantis brachio per quinque dies, quod a patre cultro abſciſſum erat, ſequebantur & aliæ partes, quas omnes abſcidit. Caput vero cum pectore tam diu in ventre reliquerunt, dum putredine conſumpta ſponte, longoque temporis intervallo ſecreta fuerint.

§. 12.

Ejusmodi partus mirabilis hiſtoriam deſcribit etiam Thomas Bartholinus *Diſſert. de inſolit. Part. viis cap. 1. pag. 1. 3. ſeqq.* Anno 1643. in inſula Lalandia mulier quædam, cui nomen Ingera, trium ante liberorum mater, ad ſecunda vota *gemellorum oſſa per umbilicum.*

tranſitura nubebat Eraſmo Jani in Egholm. Eodem anno impraegnata gemellos geſtare ſe credebat. Inſtante conſueto partus tempore accita fuit obſtetrix, exorti ex utero dolores, & omnia ad puerperium comparata. Sed fruſtraneus fuit conatus, quia nihil eniti potuit. Perſtiterunt dolores conatusque parturientis per duos dies, quibus exactis evanuerunt, nec integris hebdomadibus ſex ullum de ſe indicium gemelli dabant. Poſtea tamen moveri iterum cœperunt, vivosque deinceps apud ſe quinque annorum ſpatio obſervavit. Exinde ſenſim eos inter ſe collidi ſentiit, & velut, quum panis pinſitur, comprimi ac conſtringi, moxque imminui & emori. Quam primum ſuis indiciis gemellos exſpiraſſe conſtitit, intumuit umbilicus, menſuram candelabri, qua ampliſſimum adæquans, ad digiti longitudinem protenſus & nigricans. Ita diſtentus umbilicus per medium fuit ruptus, quaſi acuto cultello diſſectus primisque diebus binis puram aquam effudit, deinde ſanguinem & pus, quos liquores ſtatim inſequuta ſunt nonnulla oſſicula puerilia. Patebat hic umbilici hiatus ad annos octo, ex quo frequenter interea oſſicula prodire viſa. Vix eo ſua ſponte conſolidato, aliud apoſtema apertum fuit, infra umbilicum, unde oſſicula quinque vel ſex conſuetis majora emanarunt. Anno ſequenti etiam hoc ulcus ex ſe ſanatum. Poſthæc ex illis ſiniſtris ruptis nil effluere obſervatum, ſed ulcus ad duorum digitorum transverſorum diſtantiam, ſub priori apoſtemate infra umbilicum ſerpit anno 1661. ex quo grandiora oſſicula ſpatio trium dierum circa Martini feſtum quamplurima egreſſa. Die 10. Martii 1662. oſſiculum prodiit ex occipite fœtus. His oſſiculis a dicta femina excretis plenam thecam ad noſtrum Bartholinum transmiſit Richardus Johannæus paſtor Herritzlovianus in Lalandia, qui ægram conſolatus eſt & omnia narrata vidit. Aliud exemplum refert idem autor *l. a. cap. 10. pag. 70.* De femina prægnante poſt ingentem ventris dolorem feces alvinas cum vermibus ſesquipedalibus

dalibus & ultra, demumque oſſiculum tenue oblongum ad latitudinem duorum fere digitorum per umbiliculum excernente, vid. Petr. Foreſt. *Obſerv. medic. Lib. VII. Obſerv. 35. Schol. fol. m. 232. ſeq.*

§. 13.

fœtus per umbilicum.

Aliam obſervationem de fœtu fruſtulatim per umbilicum exempto communicat Johannes Menradus Vorwaltnerus *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſerv. 106. pag. 222.* inquiens: Margaretha Niſslin, uxor lanionis in Sigenburg, quatuor filiorum mater, circa nonum geſtationis menſem dolores partum præcedere ſolitos animadvertens, dubia de legitimo pariendi tempore præter obſtetricem alias feminas ſibi familiares in conſilium vocavit, quæ iſtam mox ad labores ſtrenue & eousque urſere, donec omni conatu jugiter, ſed incaſſum tentato ruptis membranis fœtum involventibus, & aqua contenta effuſa, viribus jamjam deficientibus dolores omnino intermiſerint. Quo facto quædam peritior ſibi viſa cataplasma ex placenta ſeminis lini expreſſi, foliis malvæ & lacte paratum probe ſemper calefactum toti abdomini ſuperimpoſuit, quo ad tertiam diem continuato afflicta mater interea fœtum præter morem vehementer moveri ſenſit, ita ut eundem ad jugulum usque aſcendere, & accedentibus crebris ſingultibus non raro ſe ſuffocandam crederet. Abdomine proinde velut in aſcite in immenſum creſcente, parvisque copioſis tuberculis hinc inde erumpentibus cataplasma remotum, & a prædicta femina emplaſtrum ſubſtitutum ad novendecim fere ſeptimanas uſurpatum eſt, donec liveſcente circumcirca cute prope umbilicum ingens abſceſſus apparuit, paulo poſt ſua ſponte ruptus. Purgato nonnihil ulcere & hiante ſe in conſpectum dedit fœtus cum ſuis involucris & ſecundinis putridus, fœtidus, transverſim ſitus; ipſa ægra mediis deſtituta manum admovit, atque diſruptis membranis fœtum per abſceſſum fru-

ſtula-

ſtulatim eximere cœpit ; cum vero caput ob renitentiam quandam & virium imbecillitatem tollere non valeret, alia femina incauta manu tam valide extraxit, ut ægra ab oſſibus cranii inteſtina præciſa ſtatim lamentaretur &c. Et *pag. 224.* meminit autor, ſimilem ex parte caſum prope Beilngries in pago quodam ſe obſervaſſe, ubi femina octavo menſe utero gerens inſignem tumorem in regione umbilici acquiſivit, quem chirurgus ad ſuppurationem ductum aperuit & fœtum putridum fruſtillatim extraxit, ulcere poſt feliciter curato. Obſervationem modo recenſitam de Margaretha Niſſelin vid. etiam *Ephemerid. M. N. C. Cent. VII. & VIII. Obſerv. 16. pag. 42. ſeq.* Ibidem etiam *Obſ. 18. p. 46.* ſimilem caſum de fœtu putrido ſub umbilico ex vivæ matris utero particulatim & ſucceſſive cum matris reſtitutione extracto, communicat Samuel Steurlinus.

§. 17.

infra umbilicum. Ad Michaelem Bernhardum Valentini ſequentia perſcripſit Lic. Freudenbergius: Matrona ex honeſta familia oriunda, quadraginta circiter annorum, decimum gerebat fœtum: hora autem partus appropinquante nulli dolores genuini, nothi autem quamplurimi ſentiebantur & parituram ſummopere vexabant. Compellatus ego puerperam in pariendi conatibus per integrum diem verſantem tremebundam, labiis facieque pallentem, circa regionem hypogaſtricam vero intenſe frigidam, mammisque, quæ antea valde turgebant, flacceſcentibus offendi. Vix una præterlabente hora horrore percuſſa ſe motum fœtus plane non ſentire conquerebatur patiens, deque latere in latus ſe convertens partum quoque ſaxi inſtar eo delabi referebat, ex quibus & aliis fœtum infallibiliter demortuum judicavi. Ab eo vero tempore materia quædam tenuis & ſimul graveolens immediate infra umbilicum per ulcus, quod effecerat, effluebat; quod liquamen a partibus carnoſis corruptis provenire dixi, ſed aſſenſum mihi denegans

aliis

aliis ſe credebat. Materiæ putridæ effluxus non ſolum per integrum annum cum ſpatio trimeſtri perdurabat, ſed & tam adverſum tetrumque indies fœtorem ſpirabat, ut ægræ & adſtantibus moleſtisſimus & intolerabilis exiſteret. Tandem immediate infra umbilicum ex ulcere antèdicto duri quidpiam exitum moliebatur, quod dolorem intenſum, lancinantem & per abdomen ita divagantem efficiebat, ut afflicta non aliter ſibi eſſe diceret, ac ſi omnia in abdomine animata ſint, quæ umbilicum & inteſtina mox contrahant, mox extendant. Ulcus jamdum lividum inſpiciens obſervo, quod pars ſcapulæ partus retenti & os humeri aliud recipiens exitum moliatur. Quum autem vulneris diameter vix nucis juglandis magnitudinem excederet, ac neque huic, neque reliquis oſſibus exitus pateret, res difficultatis plena ſtatim primo ſub intuitu comparebat, ſpecifico tamen quodam apozemate absque ulla ſectione afflicta hæc conſervata atque duodecim hebdomadum ſpatio in integrum reſtituta fuit. Modus operandi hujus medicamenti adſtantes fere in ſtuporem dedit; quamprimum enim unum vel alterum hauſtulum aſſumpſerat, neſcio quas ſubſultationes in abdomine ſentiebat, ulceris antea exigui & anguſti orificium dilatabatur, livor ejus cum naturali colore permutabatur, alvus indies ſuo defungebatur officio, oſſaque a capite ad calcem ad unum omnia in figura ſua naturali, absque ulla inſtrumentorum ope, ſponte ſua ſine inſigni cruciatu & dolore, ex ulcere hoc infra umbilicum ſucceſſive extracta fuerunt, niſi quod cranium parte ſua convexa ulceris aperturam, obicis inſtar, claudens ſicque reliquis oſſiculis exitum denegans, inſtrumento admoto hinc inde prius movendum, & circa ſuturas in partes dividendum partitisque vicibus extrahendum fuerit &c. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. Sect. III. cap. 9. p. 399. ſeqq.*

§. 15.

Ad Johannem Langium literas dedit Achilles Gaſſarus urbis Auguſtanæ medicus, quibus ſignificat, ſuam in Gœrtzin *per ilia.*

conterraneam, quum diu fœtum mortuum in utero geſtaſſet, tandem hunc marcidum per apoſtema in iliis ſuppuratione apertum fruſtillatim ejeciſſe. vid. Joh. Lang. *Epiſtol. medic. Lib. II. Epiſt. 39. p. 671.*

§. 16.

plura exempla. Plures ejusmodi hiſtoriæ gravidarum feminarum, in quibus fœtus mortui atque putrefacti per umbilicum, vel aliud abdominis ulcus ſucceſſive & fruſtillatim propulſi & extracti fuerunt, ita ut quædam mortuæ, aliæ vero in vita conſervatæ, nonnullæ etiam concipiendi & pariendi facultate illæſæ permanſerint, hinc inde apud autores leguntur. vid. Franc. Roſſet. *de Part. Cæſar. Sect. IV. cap. 4. pag. 83. ſeqq.* item *p. 228. 232. ſeqq. 250. ſeq.* Johann. Schenck. *Obſervat. medic. Lib. IV. fol. m. 591. ſeqq.* Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 22. p. 433. ſeqq.* Thom. Bartholin *de inſolit. Part. Viis cap. 10. p. 64. ſeqq. 70. ſeqq. 89. 110. ſeqq.* Cornel. Stalp. van der Wiel *Obſ. rar. Cent. prior. Obſ. LXXI. ſch. p. 306.*

§. 17.

per alvum. Non ſolum autem per umbilicum & abdomen exulceratum, ſed etiam per alvum & uterum ſeu vulvam oſſa fœtuum in utero putrefactorum excerni atteſtantur autores. Referente enim Johanne Langio *Epiſtol. medic. Lib. II. Epiſt. 39. p. m. 670.* Andreæ Seidleri uxor fœtum aliquot menſes in utero geſtaverat, & cum jam tempus enixus appareret, ubera ejus prius turgida lactis aquoſi rore madebant, ac decreſcebant: nec puer in utero ſubſiliit, quæ ſigna fœtum mortuum teſtabantur. Tandem fœtus in matrice computruit, cujus de cruribus & cerebello oſſa denigrata & carie obſita: quum mulier ob inteſtini exulcerationem alvi profluvio laboraret, tandem anno decimo non per vulvæ oſtiola, ſed per anum oſſa excrevit. Sic femina quædam Alsfeldenſis anno 1705. diu valde intumuit, pedibus ſimul adeo œdematoſis, ut præ nimio dolore ſectionem flagitaret. Pars eandem utero gerere ajebat, pars negabat, non obſtantibus doloribus

ribus parturientium ſimilibus, a muliere ſæpe perpeſſis. Tandem diarrhœa accedit, qua pluribus ſæpe noctibus viginti ſedes habuit, prodeunte ſimul cranii particula. Præſcriptis a phyſico pellentibus ſpina dorſi cum duodecim coſtis & corculo adhærente ſequitur, ſed omnia per inteſtinum rectum. Continuato remedio crus & brachiolum excernebatur. Interim magna cranii portio adeo ſe infixerat, ut nulla ratione loco moveri potuerit, donec poſt quinque hebdomadum effluxum ſuppurato tumore & injectis plurimis a chirurgo clyſteribus, duodecim fragmenta cranii prodierint. Sic excretis ſucceſſive omnibus particulis mulier convaluit, & diu adhuc in vivis exſtitit, vid. Michael. Bernhardi Valentin. *Chirurg. Sect. III. cap. 9. p. 399.* Romæ plebeja quædam diu ægrotaverat femina febre hectica perpetua ac debili duroque imi ventris tumore. Unde ille eſſet tumor non facile inveniebatur, quando eam utero gerere nihil amplius ſuadebat. Deſperata res dicebatur. Tamen ſic inſperanti ſalus advenit, poſtquam via, qua venter dejicitur, fœtus humani carnes, in fruſta diviſæ, & oſſa ſeparata, quæ tumoris illius materies fuit, ſponte naturæ exiverunt; uti ex Marſilio Cognato refert Thomas Bartholinus *l. a. cap. 14. p. 115. ſeq.* Aliam obſervationem de Paula, Dominici Naſonis uxore, fœtum quinque menſium mortuum in utero geſtante, poſteaque ejusdem oſſicula per alvum excernente, vid. Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. c. 22. p. m. 439.* Plura exempla refert Franciſcus Roſſetus *de Part. Cæſar. Sect. IV. cap. 2. Hiſtor. 1. p. 72. ſeq.* Theoph. Bonet. *Sepulchr. Lib. III. Sect. 38. fol. m. 1381.* De muliere ejusmodi oſſa ſibi ipſi inſtrumento, caput gruis dicto, ex utero extrahente, vid. Rein. Solenandri *Conſil. medic. Sect. V. Conſ. 5. Art. 40. fol. 492.* Joh. Conr. Becker *de ſubmerſ. mort. p. 91.*

§. 18.

De fœtus in corpore materno putrefacti oſſibus cum urina excretis obſervationem annotavit Cornelius Stalpart van der Wiel *oſſicula cum urina.*

Wiel *Obſervat. rar. Cent. prior. Obſ. 71. p. 305.* inquiens: contingit nonnunquam, ut matris in corpore fœtus corrumpatur, ac carne partibusque tenuioribus tanquam pedetentim liqueſcentibus, oſſa fruſtillatim emittantur. Hujus rei exemplum in paupere muliercula videre mihi contigit, quæ diverſis vicibus ſimul cum urina oſſiculorum tantum emiſit numerum, ut fœtus trium circiter menſium ſceleton conſtituiſſet; quæ omnia accurate etiamnum ſervo. Utrum vero hæc oſſa e veſica & non potius ex utero provenerint, dubius adhuc maneo, ſiquidem, Balduinus Ronſſeus *Epiſt. medic. 1. pag. 9. ſeq.* etiam mulieris meminit, quæ totum annum fœtum mortuum in utero geſtarat, illo autem revoluto una cum lotio primum digitorum articulos excrevit, ac ſenſim alia majora oſſa, tibia, radium, coſtas, & id genus alia per poſticum cum excrementis emiſit; tandemque ſecundo a parturitione anno, maximos ante perpeſſa labores calvariam totam cum cubito, coſtis & aliis aliquot oſſibus, ejecit, nihilominus tamen ab omni accidente libera evaſit.

§. 19.

in brutis. Quod autem hactenus de oſſibus humanis adduximus, idem etiam quandoque in brutis obſervatur. Vituli enim ſceleton in vaccæ vulva repertum annotavit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. II. Hiſt. 2. p. 150.* In bubili, inquiens M. Johannis Huſungi, paſtoris Fridericiburgenſis reverendi, 1649. evanuit vaccæ domeſticæ geſtationis onus, cunctis ſtupentibus, finitis conſuetis menſibus ſubſidit abdomen, nec vitulus unquam viſus. His tractu temporis oblitis mactabatur in uſum culinarium vacca, inventaque ſunt in vulva vaccæ oſſa omnia vituli exſicca, & omni prorſus carne ſpoliata, quorum maximam partem ad me miſit frater chariſſimus M. Albertus Bartholinus, in muſeo meo adhuc monſtrandam. Caro dubio procul vel per putredinem abſumpta fuit vitulo mortuo, vel ſi gravia ſymptomata metuimus, per vulvæ calidioris exſiccationem.

Hiſto-

Hiſtoriam vituli una cum alterius ſceleto excluſi refert Felix Platerus *Obſerv. Lib. I. p. m. 230.* inquiens: Vacca quædam paritura, conatu minime ſuccedente, retento fœtu iterum concepit, & poſtmodum uno partu vitulum vivum atque oſſa pleraque prioris enixa eſt. vid. etiam Johann. Schenck. *Obſ. medic. Lib. IV. f. 598.* Sic villicus in Stormaria alebat vaccam, ultra decimum quintum menſem tunc prægnantem; quæ tandem, poſt varios languores, inutile uteri ſui pondus, totum putrefactum, non ſine magno cruciatu & abominabile fœtore, partim per vulvam, partim per os, fruſtillatim, & per intervalla, intra quatriduum ſcilicet, rejecit. Hoc ſaltem miror, qui natura per os colluviem iſtam exantlaverit? domeſtici enim id manifeſte notarant, imo particulas oſſium & alia ex ore traxerant, uti refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *Obſervat. medico-phyſic. Decad. II. Obſ. 5. in M. N. C. Dec. II. An. 7. Append. p. 155.* vid. etiam ejusdem *Obſerv. medico-phyſ. Cent. II. Obſ. 83. p. 267.*

§. 20.

Millepedas in partu non per uterum, ſed circa pedes prodire, obſervatione curioſa confirmat Philippus Fraundorfferus *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 2. p. 3.* inquiens, fabuloſum videtur, quod nonnulli de partu viperarum ſcribunt, nimirum fœtum viperinum, non niſi ventrem maternum præternaturaliter perforando, & per conſequens matrem crudeliter occidendo, in lucem prodire; ſimile tamen quid in millepedis ſeu aſellis fieri, mei oculi mihi teſtes ſunt: Ante tres annos contigit, ut dum vernali tempore libellum volvens per feneſtram proſpicerem, forte millepeda muro alicubi adhærens exanimis penes me ſupra lapidem feneſtralem deciderit; ego ſtructuræ & figuræ hujus animalculi gratia cadaverculum verto, reverto, & arrepto microſcopio per omnia luſtro, & ecce, dum eo reſupinato pedulculos conſidero, circa primum eorundem par, a capite numerando, aliquid ſeſe movere incipit, non

millepedæ circa pedes prodeunt.

Mmmm 3 multo

multo poſt animalculum, inſtar minimi pediculi celerrimo curſu prorumpit, quod mox ſequitur alterum, hoc tertium, quartum, & ſic deinceps usque ad trigeſimum ſeptimum intra brevisſimum tempus. Erant autem hæc animalcula millepedæ ſeu aſelluli bene formati, ejusdem inter ſe magnitudinis, ex eodem foraminulo, in loco ad partum cæteroquin inconſueto & quidem matre mortua egresſi.

CAPUT II.

De partu inſolito.

§. 1.

Partus inſolitus.

OCcaſione fœtuum per varias vias extraordinarie ejectorum, aliorum quoque recordamur partuum inſolitorum, quando vel homines a brutis, vel bruta ab hominibus, vel etiam differentes brutorum ſpecies ab aliis brutis generantur, vel eduntur, vel in eorum diſſectis corporibus reperiuntur, quorum varia hinc inde exempla ex autoribus colligere liceat.

§. 2.

homo a cane.

Attilæ Hunnorum regis, qui vulgo ex virgine quadam a cane ſtuprata natus dicitur, ferina capitis conformatio in Thomæ Bartholini *Tract. de Unicorn. p. 23.* ita deſcribitur: Corpore fuit brevis, ſtatura tamen juſta; lato pectore, capite grandi, oculis minutis, longis acutisque auribus hirſutis & hiſpidis, ut fere ab omnibus Canrac diceretur, rara barba, ſed more ſuo demiſſa, canis quidem aſperis; ſimus naſo, colore ſubrufus, moribus ferus, audaciæ pronus & vere originis ſuæ barbaræ ſigna vel lineamenta demonſtrans, ore parvo, latis tamen labiis, uno dentium qui foris eminebat plus juſto faciem dehoſtante quantillum. Hunc Attilam Roccus Arminenſis Patavinus, cane patre natum fingit, quem cum matre, virgine pulcherrima, ſolum ad pudicitiæ cuſtodiam incluſerat Osdrubaldus

dus rex, ſive, ut in hiſtoria Jornandis & Juvenci vocatur, Mandulchus vel Mundzuccus. Hæc tamen, quæ de Attila Hunnorum rege, vulgo flagello Dei nuncupato, antiquorum hiſtoriæ proferunt, eum nempe ex muliere ortum a cane conſtuprata, nec recipi debere, nec vera judicari, ait Caſparus a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Quæſt. 44. §. 34. p. m. 553.* ſiquidem Attilæ pater Mundizuccus, ſeu Mundiuchus vel Mundicius aut Mazuchus fuit nominatus, vid. Chriſt. Franc. Paullin. *Cynograph. Sect. I. cap. 3. p. 59.* item ejusdem *Zeitkürz. Luſt Part. II. c. 6. p. 68.*

§. 3.

De puella ex cane nata ſcribit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. V. Hiſtor. 87. p. 167.* Pro vero, inquiens, mihi narratum fuit, in aula ducis Montmoranci in Gallia ex cane filiam natam cuidam (quæ cum cane Melitenſi in lecto luſitare conſueverat) eleganti forma, & matri ſimiliorem, quam patri, nam nihil caninum præ ſe ferebat, niſi quod in lecto ſe volutaverit. Mater cum cane rogo adjudicati, filia vero viro nupſit, qui, cum inter domeſtica litigia canem ipſi patrem exprobraſſet, ad mortem compulit. Peguſianos & Sianitas Indiæ gentes a cane, qui cum muliere ſeu puella naufraga corpus miſcuerat, originem duxiſſe ait Martinus Delrio *Diſquiſit. mag. Lib. II. Qu. 14. p. 173.* Inquit etiam Claudius Ælianus *de Animal. Lib. VII. cap. 19. fol. m. 156.* canes cum mulieribus veneris conſuetudinem habere deprehenſi ſunt. Nam Romæ mulier adulterii accuſata a marito fuiſſe dicitur. Adulter in judicio canis eſſe prædicabatur. *ex cane.*

§. 4.

In Belgio fuit nefarius quidam, qui vaccæ ſe commiſcuit. *a vacca.* Poſt viſa bos prægnans & poſt aliquot menſes edere maſculum fœtum, non vitulum, ſed puerum: adfuere non unus, deque matris vaccæ cadentem utero adſpexerunt, levatumque de terra nutrici tradiderunt; adolevit puer, baptizatus & inſtitutis

chri-

chriſtianæ vitæ præceptis, pietati ſe addixit, & pro patre ſerio pœnitentiæ vacat operibus: homo quidem perfectus, ſed qui ſentiebat in animo propenſiones vaccinas, paſcendi prata & herbas ruminandi. Anno 1597. in Burgies, Hiſpaniæ loco, vacca marem & feminam, humanos fœtus, ſuis membris apposite formatos & diſtinctos enixa proditur. Quæ res omnibus & ſtupori & metui erat maximo. Eos ad ſacri fontis characterem nullo modo admittere voluit ejus loci archi-epiſcopus. vid. Joh. Georg. Schenckii *Hiſtor. monſtr. pag. 104. ſeq.* vid. etiam Caſp. a Reies *Elyſ. Camp. §. 31. p. 549. ſeq.* Anno 1618. vacca gemellos forma humana peperit, qui cum ipſa rogo fuerunt traditi, viro quodam fuga ſibi conſulente. Quæſitum autem fuit a jurisconſultis collegii Baſilienſis, num partus ille judicio tam præcipiti recte igni fuiſſet traditus? v. Joh. Rhod. *Obſerv. medicin. Cent. III. Obſ. 58. p. 151. ſeq.* Alberti Magni temporibus in villa quadam vacca vitulum ſemihominem peperit; pagani concurſu facto paſtorem quaſi tanti ſceleris conſcium in judicium rapuerunt, mox cum vacca comburendum: ſed opportune adfuit Magnus Albertus, cui propter aſtronomicæ artis multiplicem experientiam crediderunt, non humano aliquo ſcelere, ſed ſtellarum certæ conſtitutionis efficacia id generis monſtrum editum fuiſſe. Vaccam ex nefario duos pulchros puellos peperiſſe ex Gregorio Horſtio refert Chriſt. Franc. Paullini *in der Zeitverkürtz. Luſt Part. I. n. 99. p. 243.*

§. 5.

ex capra puer. De fœtu ex capra edito ſcribit Claudius Ælianus *de Anim. Lib. VI. cap. 42. fol. m. 133.* In urbe Sybari adoleſcens, nomine Crathis, cujus opera in tuendi caprini pecoris munere verſabatur, cum cupiditate libidinis flagraret, in eam amoris caprini conſuetudinem cecidit, ut ſi quando venereis rebus uti haberet neceſſe, cum omnium caprarum formoſiſſima venereo complexu jungeretur, eamque ipſam in amaſiæ numero lo-

coque

coque ducebat, donaque non capræ deſiderio abhorrentia dabat, hederam nimirum & lentiſci pulcherrimas frondes, & ſmilacem & juncum ſæpe eidem objiciebat, os illi reddens ad oſculationem ſuaveolentius, ſed & molles & teneras, ut tanquam ſponſa mollius dormiret, herbas ſubſternebat. Quod quidem ipſum ut hircus gregis dux perſpexit, rivalitate laborare, atque interea ſuum occultare animum cœpit, quoad aliquando tandem eum ſomnum capere deprehendiſſet; tum enim omnibus revocatis viribus, facto in eum impetu, cerebrum diminuit. Infantem autem puerum ex ejus cum capra conſuetudine ſuſceptum, caprina habuiſſe crura & faciem humanam ferunt. Quam hiſtoriam aliis verbis ex Ludov. Cœlii Rhodigin. *Lection. Antiqv. Lib. XXV. cap. 32. fol. 984.* in Spermatol. noſtr. *cap. 4. §. 45. pag. 209.* recenſuimus. Capram fœtum humano analogum parientem annotavit Gabriel Clauderus, *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſerv. 171. pag. 328. ſeq.* Anno ſcilicet 1688. in pago Schlehenhayn capra, quæ antea aliquoties pepererat fœtus ſuo generi conformes, modoque a natura inſtituto, excludit fœtum mortuum, humano quoad plurima ſimillimum, ſcilicet penitus nudum. & quoad cutem album; caput rotundum rotundas gerebat aures; loco oculorum foveæ præſentes aderant, ut ita plenariam nondum obtinuerint perfectionem, vel fœtus aliquot jamjam diebus in utero mortuus; ſiquidem poſtica ſui parte ad putredinem inclinabat; pedum & manuum extremitates ad caprinam fere accedebant figuram. Elapſa hora unica alius partus, genuina nimirum capra, priorem inſequebatur, & quidem vivus; pauciſſimis tamen poſt diebus moriebatur. In diœceſi Bergenſi, oppido Skaanewiig 1640. capra peperit fœtum humana facie, brachiis, oculis, naſo, ore, genis, fronte & flavo capillo capitis, plane his partibus ſimilem fœtui humano, niſi quod ungulæ in digitis manuum pro unguibus eſſent. Summa ſuperior pars corporis a diaphragmate hominem perfectum exprime-

bat; inferior vero informis veſicam referebat &c. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. I. Hiſt. 86. p.m. 123.*

§. 6.

a ſimio. De infantibus ex ſimio & muliere progenitis ſequentem hiſtoriam in Annalibus Luſitaniæ recenſet Caſtaneda: Mulier ob quoddam crimen in inſulam quandam deſertam navi deportata, cum ibi expoſita fuiſſet, eam ſimiarum, quibus frequens locus, agmen fremebundum circumſtetit, unus grandior ſupervenit, cui reliqui loco ceſſere; hic mulierem blande manu captam in antrum ingens abduxit, eique cum ipſe, tum cæteri, copiam pomorum, nucum radicumque variarum appoſuere, & nutu, ut veſceretur, invitarunt; tandem a fera ad ſtuprum coacta, facinus hoc multis diebus continuatum, adeo ut duos ex fera liberos ſuſceperit. Ita miſera per aliquot annos victitavit; donec Deus miſertus navim Luſitanam eo detulit: cumque milites in terram aquatum ex proximo ad antrum fonte exſcendiſſent, & forte fortuna ſimius abeſſet, femina ad diu inviſos mortales accurrit & ad pedes accidens ſupplicavit, ut ſe facinore & calamitoſiſſima ſervitute eriperent: illis adſentientibus & caſum miſerantibus, ea cum ipſis navim aſcendit. Sed ecce ſimius ſupervenit inconditis geſtibus & fremitibus, conjugem non conjugem revocans; ut vidit vela ventis data, concito curſu de liberis unum matri oſtentat, minatur, ni redeat in mare præcipitaturum: nec ſegniter fecit, quod minatus: tum recurrit ad antrum, & eadem velocitate ad littus rediens, oſtentat alterum, minatur & demergit, ſubſequitur & ipſe furens, tamque diu navim natatu inſequitur, donec undæ natantem vicere. Res tota, Luſitania teſte, notiſſima: & a rege Ulliſſiponæ mulier ignibus addicta quorundam precibus vita impetrata lethum cum clauſtro perpetuo commutavit, uti refert Caſparus Bauhinus *de Hermaphrodit. Lib. I. cap. 10. pag. m. 111. ſeq.* Fortun. Licet. *de Monſtr. Lib. II. cap. 68. pag. 217.*

§. 7.

§. 7.

Poſſe etiam ab urſis feminas impraegnari fœtusque parere, ex Saxone Grammatico & Olao Magno probat Chriſtianus Franc. Paullini *Cynograph. Sect. I. cap. 3. pag. 59.* inquiens, Svecicam virginem ex urſo gravidam filium peperiſſe, cui a parente urſi nomen impoſitum; hiſtoriam hanc inter Ovidii metamorphoſes reponunt quidam, credibile tamen ex urſo impraegnari poſſe virginem, ſunt enim ſequioris ſexus amantiſſimi. Juxta Fortunii Liceti *l. a. cap. 48. pag. 218.* allegata verba, Saxo Grammaticus, & Johannes atque Olaus Magnus, duo fratres, iidemque deinceps epiſcopi Upſalenſes narrant in Suecia puellam ab urſo raptam, conſtupratam ferino concubitu geſtaſſe uterum, & puellum infantem piloſum membris humanis partu edidiſſe, qui adoleſcens ex accepta uxore filium genuit nomine Tregellum Sprachaleg, a quo ulfo genitus Suenonis Danorum regis pater. Fuit autem urſi filio natura humana & figura maxime ſuperante vi materni ſeminis & imagine concupiti hominis paternam animam vehementiſſime percellente. Et *cap. 50. pag. 165.* inquit idem Licetus, in Suecia puellam eximiae pulchritudinis, ancillis comitatam, quum extra oppidum ad recreandum animum exiviſſet, ab urſo mirae magnitudinis, ancillis conſternatis, amplexam raptamque, & molliter unguibus acceptam ad ſpecum in nemore abditum delatam fuiſſe, atque in ſummo timore ab urſo amante ad concubitum expetitam, bruto commiſtam, a quo carnibus crudis quotidie venatu captis enutriebatur, utero geſtaſſe, ac partu edidiſſe monſtrum piloſum membris humanis, quem infantem, a venatoribus interfecto urſo, ad patriam delatum patris nomine urſum appellavit. Ille autem parentis necem inultam non paſſus eſt; adoleſcens enim venatores illos interemit. Poſtea vero ex accepta uxore filium genuit nomine Tregelum Sprachaleg &c. Hanc hiſtoriam Caſparus Bauhinus *ab urſo.*

de Hermaphrod. Lib. I. cap. 10. pag. 110. ſeq. ita deſcribit: Urſus filiam cujusdam patris familias in agro Suecico cum ancillis luſum egreſſam, deturbatis comitibus rapuit exceptamque unguibus præ ſe leniter ferens, ad notam nemoris latebram deportavit. Factus ex raptore amator famem concubitu ſolvit ardoremque gulæ veneris ſatietate penſavit. Bellua tandem a venatoribus interfecta, puella gravida puerum edidit, matri forma, patri pelle ſimilem, cui urſi nomen inditum. Is poſteaquam adolevit, a patris interfectoribus ſupplicia funeſta exegit. Cujus filius Tragillus Sprachaleg, nihil a paterna virtute deficiens Ulphonem genuit, qui aſtu Eſtritam, Canuti II. Danorum regis ſororem matrimonium conſecutus, Suevonem ex ea ſuſcepit. Hinc Danorum regum ſtemmata, ceu quodam derivata principio, longo ſucceſſionis ordine (teſte Saxone) profluxerunt. De hac generatione ita ſentit Franciſcus Torreblanca *de Magia Lib. II. cap. 31. pag. 260.* Quod ſi quando accidit, potius ex muliere & incubo dæmone, urſi forma, quam ex muliere & urſo natos exiſtimo; nam ex homine & fera non naſcitur homo, ſed monſtrum: quia ferinum ſemen perfectionis illius expers eſt, quæ ad tam nobile animæ domicilium requiritur. In hoc exemplo de Gothorum regibus Martinus Delrio *Diſquiſit. magic. Lib. II. Quæſt. 14. pag. 173.* hoc dicendum putat, quod dæmon in ferarum talium effigie feminam compreſſerit. Centuriatores Magdeburgenſes hiſtoriam hanc inter Ovidii metamorphoſes reponunt, addunt tamen: raptorem iſtum fuiſſe hominem, nomine Biorn, ut in Borea vocant urſum. vid. Paullin. *Cynograph. l. a. p. 59.*

§. 8.

ex equa. Pueros ex equa natos fuiſſe, ex Horſtio refert ibidem Chriſtianus Franciſcus Paullini: Fulvium Stellum muliebri odio equæ ſe commiſcuiſſe, quæ formoſam puellam pepererit, quam Hipponam, in cujus tutela equi ſunt, appellarunt, ex Plutar-

cho

cho tradit Caſparus Bauhinus *de Hermaphrod. Lib. I. cap. 10. pag. 108.* Item, in domo Periandri a paſtore infantem ex equa & homine natum allatum fuiſſe, cujus caput, collum & manus hominis eſſent, cætera equi, & ejulatus infantium recens natorum. Aliud exemplum refert Caſpar a Reies *Camp. Elyſ. Quæſt. XLV.* §. *31. pag. 550.* quendam ſcilicet fuiſſe nefarium virum Luſitaniæ, in oppido Trancoſo, qui equam habebat, turpiterque eandem inire conſueverat; quam tandem gravidam aſpiciens ſeque facti reum probe agnoſcens, quia a ſe nunquam dimiſerat, nec alias ab equo compreſſam recte noverat, propterea de partu ſolicitus in ſtabulo ſumma vigilantia aſſidue pernoctabat; quo tandem quadam die circa matutinum accedente, ecce puella humana plane forma, ac monſtroſi nil continens in lucem prodit, qua aſpecta perterritus pater fuga diligentisſime ſibi conſuluit, nec unquam deinde conſpectus eſt. Puella nutritui traditur, adolevit & more aliarum nil ab eis differre videbatur; niſi quod ab occipite per mediam ſpinam pili copioſe erumperent: hoc etiam maternæ indolis indicium commonſtrabat, quod, quoties rideret, cachinnum non omnino humanum, ſed equinum hinnitum ſatis conſpicue imitaretur. Ariſtonymum Epheſium, filium Demoſtrati, mulieres exoſum, aſinam iniiſſe, quæ ſuo tempore filiam peperit formoſisſimam, Onoſcelin nomine, quod ſonat aſininis cruribus præditam, ex eodem refert Fortunius Licetus *de Monſtr. Lib. II. cap. 68. pag. 215.* vid. etiam Reieſius *l. a.*

§. 9.

Ex ſcropha, prægreſſa coitione ſubulci, animal natum fuit, cujus caput per omnia humano capiti erat ſimile, reliquum vero corpus genitrici, referente Emanuele Kœnig *Regn. animal. Sect. I. cap. 17. pag. 76.* Porcum ore & capite humano; item ſuem humanas manus & pedes habentem, adducit Fortunius Licetus *de Monſtr. Lib. I. cap. 3. p. 13.* *ex ſcropha.*

§. 10.

ex homine canis. Sicuti autem hactenus de homine ex brutis progenito egimus, ita nunc etiam ad brutorum a feminis natorum vel in hominibus repertorum, ex autoribus adducenda exempla pergimus. De cane ex muliere nato ſequentem obſervationem annotavit Cornelius Stalpartius van der Wiel *Obſerv. rarior. Cent. prior. Obſerv. 72. pag. 309.* Eliſabetha Tomboy obſtetrix eduxit 21. Septembris, anno 1677. e cujusdam utero caniculam quandam membranis ſuis cinctam viventemque, ſed pilis carentem, nec non omnibus rite formatis abſolutam membris atque minori digito magnitudine parem. Hunc autem minus humanum abortum etiamnum calentem illa continuo ad ædes mei fratris detulit. Ipſa autem mulier (dictu mirabile) nihilominus gravida permanſit, ac poſt quatuordecim hebdomadas ſanum admodum ac bene natum peperit filium. Hujus fœtus canini conceptum conformationemque ita contigiſſe addit Stalpartius *pag. 310.* Maritus homo plebejus, rudis & potui deditus inſolito plane, inverecundo ac prorſus inhumano modo uxorem, & quidem invitam, a tergo ſubinde cognovit, fuſtibus & ferri acie ipſi minitatus, niſi perverſæ veneri obſequi vellet; quin & vel canis procreationi ſe daturum operam ſceleſtisſimo dictabat ore. Quæ deteſtanda dicta, ut & coitus vere caninus tam alte & continuo hæſerunt animo ejus, ut imaginatrix vis asſidua abominabilis hujus dicti factique reminiſcentia adeo invaluerit, ut canis hinc tandem fuerit efformata. De catulis a viro & feminis vomitu rejectis exempla vid. *in Chylolog. noſtræ cap. 7. §. 80. pag. 512. ſeq.* Chriſt. Franc. Paullini *Zeitkürtzend. erbaul. Luſt Part. I. cap. 22. pag. 75.*

§. 11.

Monſtroſam de cane hiſtoriam refert Chriſtianus Franciſcus

ciſcus Paullini *Obſerv. Phyſ. med. M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſervat. 41. pag. 49.* Dominus Joh. *Wien*, vir integerrimus & mercator olim Iſenaci, ſæpius dixit patri meo, ſe anno 1635. vidiſſe honeſtam Bavari cujusdam militis feminam, caſtra virumque ſequentem, quæ, ex fœdo moloſſorum a coitu cohærentium aſpectu inſanum territa, in pertinacem febrem lapſa, e qua tandem emergens ſumma cum moleſtia & cruciatu (præmicante ex utero luculenta flamma & ſubſecuto magno fragore, quaſi minus aliquod ſclopetum exploderetur) peperit horrendum monſtrum ſexus ſequioris, ſed extinctum. Caput erat prorſus caninum ac depile; lingua exerta, loco brachii duo pedunculi canini, cauda brevior: cetera mentiebantur figuram hominis. Opilionis femina ex moloſſo duos catulos ſuſcepiſſe dicitur ab Iſibordo, vid. ejusdem Paullini *Obſervat. med. phyſ. Cent. IV. Obſerv. 22. pag. 426.* Et *pag. ſeq.* ex Helwadero refert idem, ancillam Schwabſtetenſem in ducatu Sleswicenſi, a cane Anglico imprægnatam tres peperiſſe catulos. Secundum Simonis Majoli *Dier. Canicular. Tom. I. Colloqu. 3. fol. m. 42.* mulier anno 1471. canem peperit, ut Bergomas, qui tum, cum hæc fierent, ſcribebat. Deinde anno 1488. mulier uxorata canes duos, deinde tres alios, murium magnitudine, non tamen omnes enixa eſt vivos, idque accidit in villa Nempſcha. Volateranus quoque ſe vidiſſe teſtatur pontificium diploma in expiationem mulieris, quæ ſe vivente canem peperiſſet. Alexandro VI. in cathedra ſedente mulierem ex cane peperiſſe catulum, ex Majolo refert Paullini *l. a. pag. 427.* vid. *etiam M. N. C. Dec. II. An. 4. App. pag. 193.* item Johann. Langii *Epiſt. medicin. Lib. II. Ep. 8. pag. 534.* Hunc fœtum anno Domini 1493. ex muliere & cane natum ſcribit, & alio modo, ſcilicet villoſum, depinxit Ambroſius Paræus *Lib. XXIV. cap. 12. fol. 558.* Et Hieronymus Cardanus *de Variet. Lib. XIV. cap. 77. pag. 944.* hunc infantem expiationis gra-

monſtrum caninum.

gratia ad pontificem Romanum delatum eſſe ſcribit. In relationibus hiſtoricis Francofurtenſibus ſequens exemplum reperitur : Anno 1615. *ſoll zu Leitmariz dieſer* Caſus *ſich zugetragen haben, daß ein Weib, welche mit einem Engliſchen Hunde, wie ſie bekannt, zu thun gehabt, 5. Creaturen, ſo vom Haupte herab bis an den Nabel halb Menſch, und das andere halbe Theil, halb Hund geweſen, zur Welt gebohren, ob welchen männiglich, der es geſehen, erſchrocken. Die Kindbetterin iſt alsbald nach der Geburt geſänglich eingezogen worden.* Illuſtrisſimam dominam Bathjanianam obſervaſſe oculis propriis, mulierem ex morſu canis rabidi diu rabidam aliquando octodecim fruſta albicantia ejeciſſe, catellis nuper natis ita ſimilia, ut ovum ovo, refert Paulus Spindlerus *Obſerv. 99. p. 176.* Circa finem imperii Lotharii Cæſaris, qui fuit Saxoniæ dux, mulier partum edidit ſpecie hominis & canis, corporibus integerrime conjunctis, dorſo connexis, ac dorſi ſpina ſolidiſſime conglutinatis, uti refert Fortunius Licetus *de monſtr. Lib. II. cap. 58. pag. 182.* Et *pag. 185.* ait: Romæ puellam innuptam filium ſemicanem peperiſſe, qui ab umbilico ſurſum verſus humanam, inde vero deorſum canis exquiſitam haberet effigiem. In vico Trans-Danubiano Raickendorff puer quinque annorum torminibus ventris correptus alvum depoſuit. Accurrens mater inſpectura excrementa, annon aliquid dyſenterici ſubeſſet, nihil quidem tale, ſed fruſtum invenit canis membranoſum, albicans; illud, ut, quid contineat, videret, diſſecans, fœtum caninum, bene conformatum, cum ſtupore extraxit. Conſternata mater rem novam & inſolitam ſtatim ad dominum illius loci, illuſtriſſimum & excellentiſſ. dominum comitem Adamum Forgatſch detulit, qui hunc canem ad vivum depingi curavit, uti refert Carolus Raygerus *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſerv. 58. pag. 98. ſeq.* ubi iſta delineatio adjungitur. Catulos duos albos, vivos, repentes & nondum videntes ſartor Hanoveranus Albertus Hencke anno 1580. poſt aſſumptum lac cali-

calidum vomitu rejecit, poſtquam per ſat magnum temporis ſpatium male ſe habuerat, uti ex variis autoribus in Chylolog. noſtr. *Cap. 7. §. 80. p. 512. ſeq.* recenſui. Sequentem obſervationem ex Matthia Tilingio adducit Chriſtianus Franciſcus Paullini *Cynograph. Sect. I. cap. 3. pag. 60.* Anno 1666. opifex in Friſia orientali prope Embdam in pago Rieſum, qui aliquoties in Grœnlandiam ad capiendas balænas una profectus erat, in epigaſtrio dolores & tumores ſenſit, tandem nihil valentibus remediis extinguitur. Aperto cadavere fœtus monſtroſus, figura externa cani ſimilis & pilis refertus, in ventriculo ejus, & quidem lateri ipſius fundi firmiter ac nimis arcte annatus repertus eſt.

§. 12.

De bufone ſeu animalculo bufoni non abſimili, a femina nato, ſequentem obſervationem annotavit Lazarus Riverius *Obſervat. medic. Cent. II. Obſ. 100. p. m. 184.* Mulieri cuidam Monſpelienſi primum menſtruæ purgationes defecerunt, mox inappetentia & quorundam peculiarium alimentorum appetitus eam invaſit, præcipue vero piſcium oſtreaceorum appetentia eximia premebatur, ut iis continuo veſci cogeretur. Poſt ſecundum graviditatis menſem motum fœtus in utero perſenſit, qui deinde ſequentibus diebus & menſibus perſeveravit; quod tamen ipſi aliisque mulieribus mirum videbatur, cum ante tertium menſem lac in mammis apparuit, ſed pravo colore, ad viridem vergente, infectum. Partus ad finem usque decimi menſis protractus eſt. Quo tempore mulier doloribus parturitionis afflicta obſtetricem vocavit, & in iis doloribus per triduum integrum perſeveravit. In eo autem prædicti dolores a vulgaribus parturientium doloribus erant diſſimiles, quod ægra ſe in ventre pungi ac lancinari ſentiebat, & uterum ſibi dilaniari dicebat. Tanta autem erat doloris illius pungitivi atrocitas, ut magnis ejulatibus vociferari cogeretur. Tandem poſt plures enixos animal quoddam ſeu monſtrum peperit bufoni *Bufo.*

non abſimile, ſed plus quam viginti pedibus in toto corporis ſui ambitu munitum. A mulieris utero in obſtetricis ſinum exceptum, inde in terram proſiliit, & ſupra pavimentum ſatis celeriter curſitavit, ac tandem infra lectum ſe recepit; unde extractum ſubito evectum & in cella vinaria ſepultum eſt, ut mulieris opprobrium celaretur. In pedum extremitatibus unguiculi erant ſatis acuti, a quibus ſine dubio dolores pungitivi & lancinantes oboriebantur, quas mulier parturiens percipiebat &c. Puella quædam Duacenſis, cum inſolito quodam & prorſus exotico tumore, qui tergori ejus inſederat, aggravata diu multumque ingenti doloris ſenſu conflictata fuiſſet, ac nil proficientibus medicamentis demum in tantam atrophiam incidiſſet, ut vix oſſibus amplius hæreret; ecce mirum dictu tumor dorſu alis fœtu jamdudum animato gravidus mox ceu ex ovo quodam rupta teſta, virulentum bufonem, omnibus præſentibus rei novitate attonitis excluſit, uti ſcribit Athanaſius Kircherus *Scrutin. phyſico-medic. Peſtis Sect. III. cap. 3. p. m. 179.* Bufonem ex colli abſceſſu annotavit Paulus de Sorbait *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 103. p. 176.* inquiens: Obſervavi vinicolam, poſt ingentem ex frigida & cœnoſa aqua hauſtum, in bronchocelen incidiſſe, quæ plurimum excrevit, deinde ex abſceſſu facto exivit bufo vivus, quem meis ipſe oculis vidi, fortaſſe ſeminalis virus cum aqua ad colli membranas exſudans hujus generationis cauſa fuit. Anno 1393. in archiepiſcopatus Trevirenſis quodam pago, quem Brecham vocant, natus eſt infans, cujus inferior corporis pars erat formæ humanæ, ſuperior autem tetri bufonis, ut omnibus videntibus incuſſerit timorem & horrorem. vid. Joh. Wolffii *Lection. memorabil. Centen. XIV. fol. m. 610.* Piſtoris Serveſtani uxor prope ædes hortum colit & in eo lactucam, qua unice delectabatur, ſerit. Frequenter vero, cum circa aream illam conſpicerentur bufones, ſervus ipſam admonet, ut in poſterum lactucam diligentius abluat. Idem & maritus confirmat & addit, ſe admodum magnum

gnum nuper bufonem ibi interfeciſſe. Hinc illa exterrita paulo poſt morbo corripitur, & variis affligitur ſymptomatibus. De conſilio igitur D. Sagittarii utitur pulvere Saxonico, & bufonem excernit: ſubſequentibus quidem ſedibus ſanguinolentis, ſed nullo alio ſymptomate graviore, juxta Phil. Salmuth. *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 93. p. 106.* Idem autor etiam *Cent. III. Obſ. 1. p. 111.* meminit nobilis Georgii a Deben, qui dum ventrem exonerare conatur, in ano diutius quid hærere ſentit; tandem admota manu pro ſtercore duro magnum bufonem etiamnum viventem extrahit. De molitore cum profuſa alvi dejectione bufonem mediocris molis, eumque obeſum, ſed mortuum evacuante, vid. Adam. Brendel. *Obſerv. Anat. Dec. III. Obſ. 6. p. 29. ſeq.* Inter varia de bufonibus Johannes Bodinus *de Magor. Dæmonoman. Lib. II. cap. 8. pag. 218. ſeq.* hæc etiam recenſet: cum dominus Johannes Martinus vices præfecti Laodunenſis gerens ſagam S. Probæ condemnaſſet, ut viva igni traderetur, qui exuebant, bufones duos maximos in loculis illius invenerunt. Dum hanc hiſtoriam ſcriberem, mulier bufonem ad Laodunum dicebatur peperiſſe: quod mirata obſtetrix & quæ ipſi aderant, rem pro teſtimonio dixerunt, fuitque bufo aliis disſimilis, quem viderunt multi, delatus in præfecti ædes &c.

§. 13.

De vomitu bufonum ſequentem obſervationem refert Georgius Segerus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 56. p. m. 113.* Anno 1667. lanio Thorunenſis ſervo ſuo in mandatis dedit, ut in pago agnellum unum vel alterum coemeret. Ille cum inter eundum ſiti urgeretur, aquam ſtagnantem avide hauſit, poſt iter ſuum perſequitur. Veſperi de ventriculi doloribus conqueri cœpit, qui cum de die in diem exacerbarentur, omnem mox culpam in illum hauſtum rejecit. Poſt variorum medicamentorum irritum uſum, tandem cum matutino præſertim tempore ſe in ventriculo motum ceu vivi animalculi ſentire conque-

bufonum vomitus.

reretur, ſuſpicio oborta, hauſiſſe illum una cum aqua ſeminium alicujus reptilis aut animalculi venenati. Interea inappetentia, vigiliæ, capitis ventriculique dolores, & per vices lipothymia quoque ita exercuerunt ægrum, ut munia ſua debite obire non potuerit; donec tandem ſemeſtri poſt infelicem hauſtum elapſo, cum omnino ſe aliquid vivi in ventriculo alere conquereretur, ſuaſu neſcio cujus aſſumeret mane pinguedinem ſerpentis. Hoc epoto ad exſequenda heri ſua juſſa extra ædes ſe confert, ſed paulo poſt in platea adhuc conſtitutus urgente vomitu tres rejecit bufones. Hinc domum ſe contulit, theriacam aſſumſit, ab eo tempore melius ſe habere cœpit priſtinamque ſanitatem recuperavit. Ancilla ruſticana e pago *Kütsdorff*, nomine Catharina *Geilerin*, annos circiter triginta nata, varios in abdomine ſentiens dolores lancinatorios, atque inſolentes in eodem motus & inflationes anno 1647. aſſumta theriaca balneas ingreſſa nocte inſequente ingraveſcentibus doloribus poſt jectigationem multam, ſudores frigidos, amputationem vocis, & alia ſuffocationis ex utero, vel alioqui graviter ventriculo laborantibus familiaria evomuit bufones duos majores, quatuor minimos, magnitudine fuſci majoris, vivos omnes &c. uti ad Thomam Bartholinum ſcripſit Thomas Reineſius. vid. *Act. Haffnienſ. Volum. II. Obſ. 39. p. 110. ſeq.* Plura de hac ancilla Altenburgenſi ejusque anatome refert Henricus Vollgnadus *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 103. p. 236. ſeqq.* Ruſticum, qui bufonem in ventre alebat vivum, atque hinc inde, non ſine ſummo patientis cruciatu, reptantem, ſe vidiſſe refert Chriſt. Franc. Paullin. *de Bufon. Sect. I. cap. 3. p. 39.* De multis bufonibus vomitu ejectis vid. Petr. Borell. *Hiſtor. medic. Cent. III. Obſ. 57. p. 241.* item *Chylolog. noſtr. cap. 7. §. 20. p. 502. ſeqq.* In pago Olberau feriis Chriſti natalitiis bufonem peperit mulier, qui disruptus totam domum virulentia affecit. vid. Chriſt. Frid. Garman. *Oolog. Diſſert. II. §. 141. p. 168.* vel juxta verba Tobiæ Schmidii *in Chronic. Zwickavienſ. p. 405. P. II. Anno 1674.*

eben

eben an dem Chriſt-Tage hat in der Au, ein Dorff oder offener Flecken, in die Inſpection *Zwickau gehœrig, eines Kœhlers Weib mit groſſen Schmertzen eine Krœte gebohren, ſehr ſchrecklich anzuſehen, in der Grœſſe, wie ein groſſer Kæſenapff, hat Gifft von ſich geſpeyet, und iſt darauf zerſprungen und geſtorben. In demſelbigen Hauſe iſt eine giffige* [illegible] *hat aber dem Weibe nichts geſchadet.* vid. Johannis Prætorii *neue Welt-Beſchreib. Part. IV. c. 12. p. 300.* In villa quadam Thyringica, ad Unſtrum, a muliere bufonem caudatum natum eſſe, ex Lycoſthene refert atque depingit Johannes Georgius Schenckius *Hiſtor. Monſtr. p. 127.*

§. 14.

De ranis ex Antonio Torquemada ſequentia refert Martinus Del-Rio *Disquiſit. magic. Lib. II. Quæſt. 7. p. m. 131.* in quibusdam regni Neapolitani locis, quando feminæ enituntur, puero naſcituro præire unum vel plures ranunculos ſive rubetulas: quorum ſi quis terram contigerit (ſtatim vero incipere ſaltare huc illuc) confeſtim puerperam emori. Quapropter ſolere flores inſterni totum ſolum, & parietes undequaque auleis conveſtiri, ne funeſti anteambulones iſti, dum cadunt ex utero, vel ſubſiliunt, terram contingant; ideo etiam obſtetrices lebetes penes ſe habere ſolitas vel poculum aliud aqua plenum, in quod animalcula hæc conjiciant, & probe obturatum deferre ad flumen, ibique demergere. Hoc ille, ut certa compertum fama refert. Ancilla Altenburgenſis, cujus modo de bufonibus meminimus, poſt atrocia tormina excrevit etiam ranam muco plurimo involutam vivam, ſubinde in aquis ſuis coaxantem, & effuſis aquis in tina ſaltantem, inque ſextum diem in aquis ſuis viventem. vid. Thom. Bartholin. *Act. med. Hafnienſ. Vol. II. Obſ. 29. p. 112. ſeq.* Experientia cognovit Johannes Dolæus, ruſticum quendam ex aqua ſpermate ranarum infecta bibiſſe indeque vomitu magnum ranarum numerum reddidiſ- *Ranæ.*

Ooo o 3 ſe,

ſe. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 37. p. 108.* De ranunculis viridibus in tumore natis refert Iſibordus anno 1067. Godſchalcus de Wittorp inſigni tumore ſub læva papilla diu excruciatus, tandem juſſu Saracho Prælati, cum ferro aperiri curat, & ecce! cum copioſa materia duos minutos ranunculos prorſus virides, quorum alter po[illegible] in menſam, cui aſſedit patiens, deſiliit. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 4. Append. p. 197. ſeq.* ubi pergit Chriſtianus Franciſcus Paullini: unde ranunculi iſti? ex ovulis, e ſeminiis ſuis, quocunque etiam modo ingeſtis, atque ad hunc locum a natura devectis. Et *pag. 216.* ex Alexandro de Inſul. &c. refert idem, puellam ſedecim annorum, de doloribus uteri diu queſtam tandem una cum menſibus undecim minutiſſimos ranunculos rejeciſſe, omni dolore ceſſante. De feminis Salernitanis ex frequentiore & avariori ranarum uſu ranas parientibus, vid. Martin. Weinrich. *de Monſtr. cap. 14. p. 130. ſeq. b.* Secundum obſervationem Matthiæ Cornacis, mulier cum novem menſium ſpatio uterum geſtaſſet, omnibus, quæ in legitimo partu evenire ſolent, mirifice reſpondentibus, tandem nihil aliud, quam animalia quædam, ranis haud abſimilia in lucem edidit. vid. Franc. Roſſet. *de Part. cæſar. p. m. 257.* De femina ranam, bufonem & ſalamandram vomitu rejiciente, vid. Caſp. Bauhin. *de Hermaphr. Lib. I. cap. 8. p. 90.* Filia Johannis Gualterutii recens nupta, omnium opinione prægnans, loco fœtus quatuor animalia ranis ſimillima peperit. Item mulier Dionyſii Pinti, quum puerum pepererit, inter ſecundas animal ranæ ſimillimum ejecit, juxta Amat. Luſitan. *Cent. I. Curat. 27. fol. m. 54.*

§. 15.

mures. De partu murium inquit Petrus Borellus *Hiſtor. Cent. III. Obſ. 73. p. m. 255.* D. le Fevre regius pharmacopæus peritiſſimus mulierem vidit, quæ multoties mures partu edidit, quod mihi etiam ab aliis confirmatum fuit, nec res eſt ſine exemplo. Mulier

Mulier quædam gravida, cum tempus juſtum & debitum pariendi nonus ſcilicet menſis adveniſſet, enixa eſt quinque vivos mures, qui ex utero mulieris intra manus obſtetricis exſilientes, in hypocauſto hinc inde, aliorum murium more discurrunt. Horum quatuor ab adſtantibus ſtatim interfecti ſunt, quintum autem in angulo vel rima parietis hærentem felis, quæ tum forte fortuna in hypocauſto latitabat, comprehendit & devorat. Hæc poſtmodum, tanquam rabida in lectum proſilire in puerperam, extremum quaſi exitium illi minitans, unguibus ſuis jamjam involare, & nullo modo ab inſtituto deſiſtere, ita ut tandem adſtantes illam interimere cogerentur. Idque Egræ contigiſſe, medicus quidam Noribergenſis ad Fridericum Scroterum Jenam ſcripſit, uti refert Philippus Salmuth *Obſerv. med. Cent. I. Obſ. 62. p. 39. ſeq.* De hoc partu ita judicat Johannes Chriſtianus Frommannus *de Faſcinat. Lib. III. Part. IV. Sect. I. cap. 10. §. 16. p. 626.* Maleficio malefici ſtygii mures fuiſſe tactos, furor, in quem eſus unius felem egit, & extrema felis erga puerperam antipathia, ita ut eam ſolam, non adſtantes peteret, ſatis prodit. Absque maleficio ſi fuiſſet, & mere, ut ita loqui liceat, naturalismus, nullum ex eſu ejus incommodum felis percepiſſet. Muris craſſioris cauda carentis ex Jouberto meminit Caſparus a Reies *jucund. Quæſt. Camp. Qu. 36. §. 22. p. m. 432.* ubi addit, Camerarius ex Joannis Rubingeri relatione feminam quandam mures novem vivos edidiſſe ſcribit. De viro cunctivoro, qui inter alia duos mures viventes adhuc deglutivit, vid. Daniel. Sennert. *Paralipom. ad Lib. III. p. m. 128.* Sic etiam Coragius ſtupendo naturæ & omnia conficientis ſtomachi robore mures vivos vorare ſolebat, juxta Thomæ Lanſii *Conſultat. Orat. contra Hungar. p. m. 594.* Bononiæ anno 1626. bajulus mercede incitatus varia & mures vivos devorabat, & absque vitæ discrimine per anum omnia egerebat, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 83. Schol. pag. 201. ſeq.* De muribus vomitu expulſis vid. Chylolog. noſtr. *cap. 7. §. 76. p. 509. ſeq.* Et anno

1662.

1662. mulier Suinfurtenſis non ſine maximo conatu & dolore cum fecibus alvinis murem domeſticum excrevit. vid. Joh. Laur. Bauſchius *de Cœrul. pag. 23.* Dans le corps d'un certain payſan du coſte de Brandebourg entra une ſouris, ſans qu'il s'en apperçût pendant qu'il dormoit la bouche ouverte, dans un lieu, qui en eſtoit plein, & ou le mauvais temps l'avoit obligé de paſſer la nuit. Dés le lendemain il ſentit quelque indiſpoſition, la quelle fut ſuivie d'un grand abbatement de maux de cœur, de douleurs d'inteſtins, de cours de ventre, de ſoif & d'une maigreur conſiderable, qui augmentoit tous les jours. Tout cela fatiga egalement pendant neuf mois le malade & les medecins, qui en ignoroient la cauſe. Elle parut enfin lorsqu' au bout de ce temps-la il rendit par les ſelles, huit jours avant ſa mort, la ſouris en vie, & peu aprés comme un morceau de boyau corrode. vid. Journal des Sçavans. *Tom. XIII. p. 29.* Mulieris, quæ mures partu ſæpe ediderit, meminit Petrus Borellus *Hiſtor. med. Cent. IV. Obſ. 100. p. 350.*

§. 16.

ex cadaveribus.

De muribus ex cadaveribus enatis ſequentia refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *Oolog. Curioſ. Diſſert. II. §. 153. p. 178.* Ex cadaveribus patruorum Popieli junioris regis Poloniæ, poculo medicato exanimatorum, putrefactis enati mures inuſitatæ magnitudinis impium parricidam Popielum, cum ſcelerata uxore atque liberis, fugientem quoquoverſus per aquam flammamque proſequuntur, nec clauſtra proſunt, aut abigentium præſidia. Ad extremum diffugientibus omnibus, abſumtis prius filiis, deinde uxore, poſtremus ipſe infelix lenta morte in arte Cruswicia conſumitur. Hujus Popieli junioris ejusque peſſimæ uxoris mortem ita deſcribit Joachimus Paſtorius in Floro Polonico *Lib. I. cap. 10. p. 14. 16.* Ille Popielus, jubente ita uxore, morbum ſimulat, patruisque advocatis, quaſi morti proximus conjugem ac liberos commendat. Ipſa interim,

ut

ut fidem morbi periculoſi faceret, nulla non adhibente doloris imitamenta. Flexo in veſperam die Popielus manum, quaſi teſſeram affectus ſui ultimam, ſeceſſuris porrigit, & ſimul infelix poculum, quo paratum a muliere venenum continebatur. Clamat mulier divina aliqua vi tactos eſſe, ac recidiſſe in autores inſidias, quas marito ſuo ſtruxiſſent. Mox corpora abjici jubet, odio quaſi ipſo & ſævitia in nocentes innocentiam ſuam probatura. Et fefellerat ferme homines, ſed minime Deum, qui, ſi fides annalibus veterum, prodigioſo plane & inaudito ſupplicii genere eos, qui patraverant, reos peregit. Nati quippe e cadaveribus projectorum mures portentoſæ molis, invadunt impium parricidam, uxorem & liberos. Non aqua, non flamma, non clauſtrorum latebræ, non auxilia miniſtrorum arcere hos vindictæ divinæ ſatellites potuere. Ita tandem liberi principis, Lechus & Popielus, mox conjux, poſtremo ipſe pabulum murium facti documentum dedere poſteris, non poſſe a mortalibus tam horrenda committi flagitia, quin horribiliores pœnas iratum numen inveniat.

§. 17.

De glire a puerpera nato obſervationem refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 10. pag. 19.* Femina quædam primaria ante annos non ita multos Helſingoræ, de tempore partus certa, ad puerperium omnia componit, conducta obſtetrice, inſtructis cunis, adornatis crepundiis, faſciolis ligatis, votis Genitæ manæ nuncupatis. Sed tumidus venter ultimo menſe ſubſidere viſus, quem tamen, ne famam de ſe ſparſam imminueret, farctis veſtibus inſolitam amplitudinem auxit. Inſtante partus momento, prægreſſis conſuetis parturientium doloribus enixa eſt animalculum gliri grandiori ſimillimum, quod magno adſtantium feminarum ſtupore ingenti celeritate antra cubiculi petiit, nec amplius viſum. Nolim certam feminarum fidem ſuſpectam reddi, quia mon- *Glires.*

ſtroſos fœtus multorum experientia confirmat. Scripſit etiam Martinus Lutherus Comment. in Geneſin: Memini me puero Iſenaci formoſam & pudicam matronam eniti glirem, quod eo accidit, quia ex vicinis aliquis gliri nolam ſuſpenderat, ad cujus ſonitum reliqui fugarentur; is mulieri gravidæ occurrit, qui ignara rei ſubito accurſu & aſpectu gliris ita territa eſt, ut fœtus in utero degeneraret in formam beſtiolæ. vid. Martin. Weinrich. *Comment. de Ortu Monſtror. cap. 17. pag. m. 160. b.*

§. 18.

Feles. Cattum ex femina natum ex Iſibordo communicat Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. II. An. 4. App. p. 186.* inquiens. Anno 874. vidit Geroldus, regia proles, commonachus noſter, in villa ſua Gadelehom feminam, quæ ex dæmone peperit nigrum cattum, igne combuſtum. Cui addit ipſe Paullini: Geroldus iſte fuit Karoli M. propinquus, illuſtre Corbejæ Saxonicæ ſidus, Cur vero cattum iſtum, ſeu ater fuerit, aut niveus, dæmonis prolem dixerit, non video. Ibidem etiam *pag. 187.* feminæ meminit, quæ canem felemque peperit. De cati ex ore mulieris nativitate, vide paulo ſupra *de inſolit. Partus viis vel M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſerv. 109. p. 251.* Dicitur etiam mulier quædam Papienſis cattum edidiſſe; id quod tamen Fortunio Liceto *de Monſtr. Lib. II. cap. 68. pag. m. 216.* impoſſibile videtur, inquit enim, quomodo felis, exillimum genitale mulierem in venerem pellicere potuit? De monſtro felino ſequentia refert idem Licetus *l. a. pag. 193.* Anno Domini 1629. menſe Julio, in ditione Patavina prope oppidum Montisſilicis, in villa, cui nomen Amolaradiem uxor bubulci domini Bernardi Grifalconi (ut mihi teſtatus eſt in ſcriptis clarisſimus Laurentius Pignorius, & voce conteſtatus eruditione probitateque ſpectabilis Martinus Sandellius) peperit puellam, & exiguo tempore intercedente mox enixa eſt

mon-

monſtrum, quod erat integer felis, cui a parte poſtica dependebant duo integra crura cum partibus coxarum hominis; quam humanam appendicem catus retro poſt ſe trahebat. Monſtrum hoc in urbem Patavinam delatum projectum fuit in fluvium Medoacum, ibique demerſum; cujus effigiem videre licet *pag. 194.* vid. etiam ibidem *pag. 13.* Lugduni Bat. 1638. femina enixa eſt fœtum capite felino, cætera elegantem, & quidem ex matris impreſſione, quia felem in lecto ſuo cum horrore viderat. v. Barthol. *Cent. II. Hiſt. 44. p. 210.*

§. 19.

Talpæ in homine natæ ſequens exemplum recenſet Christianus Franciſcus Paullini *de Talp. Sect. I. §. 11. pag. 91.* Anaſtaſius *Winterſaat*, medicinæ Licentiatus, Hamburgi mihi retulit, nobilem quendam Pruſſum ad arcendam ſeu demulcendam arthritidem, quacum colluctabatur ſubinde, vagam ſcorbuticam, in frequentiſſimo & quotidiano fere uſu habuit cinerem talpinum, cum inſigni, ut putabat, levamine. Elapſis vero aliquot menſibus in inteſtinis ſenſit continuas & acutiſſimas vellicationes, punctiones, morſiones, ut nonnunquam in animi deliquium ſummo præ cruciatu inciderit, omnibus remediis, etiam a dexterrima manu fruſtra adhibitis. Tandem ſummis cum anguſtiis κάτω egeſſit vivam talpam, quam omnes omnino domeſtici, cognati & amici veneficio excluſam putabant. Et *pag. 92.* ex Wiero, talpam ſimul cum fœtu natam eſſe, addit. *Talpæ.*

§. 20.

De monſtro capræ non multum diſſimili, quod a Lugdunenſi in Batavis muliere, quæ Indias Aſiaticas petebat, productum illico per navim procurreret, vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſervat. Cent. prior. Obſerv. 72. Schol. pag. 313.* Eodem loco etiam muſtelæ vel animalis huic ſimilis, cum humano fœtu ſimul nati ex Torquemada meminit. *monſtrum capræ.*

§. 21.

Lacertæ. De lacertis ſequentia refert Thomas Bartholinus *Cent. V. hiſtor. 95. pag. 175. ſeq.* Juvencula puella ruſtici trium annorum ſpatio lacertos in ventre aluit non ſine torminibus ingentibus. Tandem unicum lacertum evomuit, ex quo in morbi ſui cognitionem devenit & in conſilium adhibito Tancredo Lælio, medico Hafnienſi, decoctis amariuſculis & potionibus contra reliquorum vim pugnavit. Miles etiam Baſileæ poſt crebra ventris tormina, adhibitis purgantibus, oſſa lacertorum ſimilia excrevit, cum pelle & filorum compage. Sic Chriſtophorus Rœslerus hanc obſervationem communicat *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſervat.* 311. *p. 530* Narravit mihi Theodorus Cunradus *Hartenberg*, *quæſtor auf dem Teiche*, fuiſſe molitorem quendam, qui aliquando poſt potum cereviſiæ Vratislavienſis ſtatim male habere cœpit & poſtea tormina & morſus in ventre ſenſit ultra novem menſes, variis uſum eſſe medicamentis, ſed fruſtra. Tandem ex quæſtoris ſuaſu aſſumſit theriacam cum vino ſublimato, & per vomitum rejecit lacertam, & quoque unam per alvum. Utramque dixit fuiſſe longam valde. Poſtea molitor plane convaluit; dixit etiam ſe ſenſiſſe quandoque utrumque concurſum. Quæſtor putabat, cum cereviſia advecta eſſet, aurigas eam deguſtaſſe, deinde dolium aqua, ne animadverteretur, impleviſſe, in iſta vero aqua ſperma lacertarum fuiſſe. Retulit etiam, quando lacte & dulcibus uſus fuerit, ipſum quietiorem fuiſſe & levamen ſenſiſſe. In multis ægrotis lacertas tres aut quatuor, a medicamento purgante dejectas ſemel atque iterum vidiſſe Gemmam, refert Johannes Schenckius *Obſervat. medic. Lib. III. fol. m. 338.* Lacertos duos exiguos auricularis digiti longitudine, craſſitudine calami ſcriptorii, vivos evomuit etiam ancilla Altenburgenſis, cujus paulo ante, de bufonum ejectione ex Act. Hafn. *Vol. II. pag. 111.* mentionem fecimus. Inquit etiam

etiam Martinus Delrio *Diſquiſit. magic. III. Part. I. Quæſt. 4. Sect. 6. pag. 430.* norunt mecum multi filium comitis Luxemburgi, qui in urina lacertulas ſatis magnas ejiciebat, quod etſi plerique uxoris ejus adulteræ (quam & occidi per ſicarium ille poſtea jusſit) veneficio tribuerent, potuit tamen naturaliter contingere, ex humorum corruptione & renum vitio. De lacertis vomitu rejectis, vid. Chylolog. noſtr. *cap. 7. §. 71. p. 504.* De partu feminæ, quæ cum fœtu lacertam enixa eſt ſequens obſervatio a Stephano Blancardo *Collectan. Medic. phyſ. Cent. VI. Obſerv. 82. pag. 317. ſeq.* refertur. Monſieur *Schwartz, der ein Steuermann auf einem Oſt-Indianiſchen Schiffe geweſen, hat mir erzehlet, daß eine Frau auf ſeinem Schiffe darnieder kommen, und zuerſt ein vierfüßiges Jüngferlein, welches eine Art von Schlangen, gebohren, dieſes hätte er ſelbſt in Händen gehabt; Nachdem er es aber los gelaſſen, hätte es ſich verlauffen, daß man nicht gewuſt, wo daſſelbe geblieben ſey. Nach dieſem Jüngferlein gebahr ſie ein rechtes Kind, welches am Leben geblieben, und mit ſeiner Mutter nach dieſem zu Amſterdam zu finden geweſen.* Sic puerpera quædam annorum viginti, trium, temperiei bilioſæ poſt enixum fœtum vivum ac ſanum ſenſit nonnullos diros cruciatus circa matricem ac paulo poſt ab utero ejecit vermem ad inſtar lacertæ, magna cum adſtantium admiratione; Vermis autem intra horæ ſpatium exſpiravit, qui longitudine palmum unum cum decenti latitudine æquabat, teſte Joſepho Lanzono *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 24. p. 72. ſeq.*

§. 22.

De piſcibus a femina natis hæc habet Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. I. Hiſt. 11. pag. 20.* narravit mihi Baſileæ Johannes Naborowsky, nobilis Polonus, amicus magnus, vidiſſe ſe in patria piſciculos duos ſine ſquamis a muliere editos, qui ſimulac ex utero prodiiſſent, in aquis vicinis aliorum piſcium natabant. Et *Cent. II. Obſervat. 44. pag. m. 209.* *Piſces.*

Pppp 3 idem

idem autor ait: Pariſiis 1645. die S. Benedicti mulier ſexto menſe gravida marem enixa eſt, capite fere piſcis carpionis, quanquam lingua major, & reliqua in facie plana. A ſummo capite dependebant moles utrinque a lateribus carneæ, ſimiles hepati piſcis. Sub Theodoſio Juniore mulierem quandam animal inſtar piſcis enixam fuiſſe, ex Miſcellaneis Nat. Cur. memorat Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. poſter. Schol. pag. 378.* Item juxta eundem locum teſtatur Gatinario, ſe Ticinenſem vidiſſe mulierem, quæ magnum fruſtum carneum cum aliis minoribus, nec non animali, tincam piſcem referente, pepererat, cujus dorſum obſcure viride, venter autem rubicundus, cutis vero adeo craſſa erat, ut gladio vix diſcindi poſſet. Illud autem, cum attingeretur, inſtar echini ſeſe contrahebat. Exempla piſcium vomitu rejectorum vid. Chylolog. noſtr. *l. a. §. 74. pag. 508.*

§. 23.

Serpentes Serpentes a feminis partu editos annotarunt autores, exempli gratia: Inter initia belli Marſici ſerpentem peperiſſe ancillam, ſcribit C. Plinius *Natur. Hiſtor. Lib. VII. cap. 3. fol. 107.* Alia exempla refert Chriſtianus Frid. Garmannus *Oolog. curioſ. Diſſert. II.* §. *142. pag. 168.* ſcilicet Margaritam Laurentii Valeſturi uxorem ſerpentem ejeciſſe alas habentem eo loco, quo manus eſſe conſueverunt. Interdum cum fœtu ſerpentes naſcuntur, quale exemplum de muliere, quæ utero fœtum cum duobus ſerpentibus geſtavit, refert Matthias Cornax *Hiſtor. 6. pag. m. 251.* inquiens: Mulier cujusdam bajuli, dicta Anna Tromperin, in xenodochio noſtro inter pupillos educata, cum jam annorum eſſet circiter triginta, enixa eſt puerum cum duobus ſerpentibus anno 1576. circa feſtum S. Johannis. Ipſa autem femina Matthiæ Cornaci fide data narravit, ſe anno 1575. circa feſtum Johannis, cum eſſet meſſis & ſumme caleret, bibiſſe ex ſcaturigine fontis, & ſuſpicatur, ſe ibi bibiſſe ſperma ſerpentum:

par-

parvo enim tempore poſt potum aquæ cœpit venter augeri: tribus dein menſibus poſt gravida reddita, una cum fœtu aucti etiam ſerpentes: tantam vero in molem abdomen excrevit, ut faſtia uti cogeretur ad geſtationem ventris. Dum jejuna eſſet, ſentiebat morſus & punctiones circa regionem ventriculi: cibo vero ſumpto melius habebat, ſolo lactis deſiderio tenebatur eoque utebatur. Tribus diebus ante partum a cibo plane abhorruit. Monuit tum ipſa, ut quam primum foret fœtus excluſus, ſupponeretur orca lacte repleta: de ſerpentibus enim, vel de vermibus apud ipſam eſſe ſuſpicionem, idque partim propter morſus, partim propter mirabilem motum, quem toto anno perſenſerat. Quare feliciter puerulum enixa, cum ad ſecundinæ excluſionem ſe præpararet, orca tum cum lacte ſuppoſita prodiit ſerpens: unde mulieres parturienti adſtantes perterritæ, arrepto puero ſeceſſere: quare & ipſa puerpera timore perculſa, elevato capite, non ſolum ſerpentem vidit, ſed & alterum prodeuntem non modo perſenſit, ſed etiam obſervavit. De ſerpentibus & viperis per vomitum rejectis varia exempla *in Chyolog. noſtr. cap. 7. §. 73. ſeq.* adduximus. Iconem ſerpentis, qui adoleſcenti Argentoratenſi interitum attulit, atque ipſi mortuo adjacens a domeſticis inventus fuit, videatur Melchioris Sebizii junioris de hoc caſu Diſcurſus medico-philoſophicus, fere circa finem. Serpentis cum fœtu exemplum adducit Johannes Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 55. pag. 90.* inquiens: Obſtetrix quædam mihi retulit, ſe vidiſſe partum a quadam femina editum, cujus ventrem juxta regionem ſtomachi inſtar balthei militaris circumdederat ſerpens, quem inde appoſito lacte ſaccharato calente abſtraxerunt, infante ſuperſtite vivo & ſano & jam adulto. Serpentum fœtus in utero depaſcentium ex Aldrovando meminit Philippus Jacobus Sachs à Lewenheimb *Schol. in Obſerv. 160. M. N. C. Dec. I. An. 2. pag. 257.* Cracoviæ anno 1494. mulier quædam enixa eſt fœtum, qui affixum dorſo ſer-

pen-

pentem vivum geſtabat, a quo mortuus iſte fœtus arroſus fuerat, annotante Ambroſio Paræo *Lib. XIX. cap. 3. fol. 424. ſeq.* etiam Fortun. Licet. *de Monſtr. Lib. II. cap. 61. pag. 201.* Mulier quædam ſerpentem in matrice habens ponebatur ad radios ſolis cum vaſe pleno lacte; ſtante autem ipſa dilatatis cruribus ſupra vas, in quo radiabat ſol, exivit ſerpens. vid. Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. II. cap. 12. pag. 222.* Temporibus Syllanis in Hetruria Cluſii materfamilias vivum ſerpentem peperit, qui juſſu aruſpicum in profluentem dejectum averſa aqua natavit, teſte Julio Obſequente *de Prodig. cap. 118. pag. m. 112.* Plura ejusmodi obſervata Johann. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. IV. fol. 624. ſeq.* Chr. Frid. Garmann. *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit. 1. pag. 911. ſeq.*

§. 24.

Cancri. De partu cancri hanc obſervationem refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. II. An. 4. App. pag. 216.* An. 1702. femina partui vicina, ex horto ſuo domum reditura, ad rivulum forte conſidet nudis pedibus limpidæ aquæ immerſis. Ita incidit in ſomnum. Interim cancer (non tamen adeo magnus) forte arreptans, ipſa plane inſcia ad uterum usque pertingit. Excitata demum ad ſuos revertitur. Altero die acutos uteri dolores ſentit, quos mulierculæ a partu vicino, medici vero ab aquæ frigore deducebant. Sequente ſeptimana parit venuſtam ſanamque filiam, tandem maximis cum doloribus verum vivumque cancrum, ut a teſtibus habeo oculatis.

§. 25.

Aſcarides. Quandoque etiam non modo vermiculi minuti, aſcarides dicti, ſed etiam alii variæ figuræ, & imprimis lumbrici, vel ſoli vel cum fœtu per uterum ejiciuntur, vel in eodem diſſecto reperiuntur. Anno ſcilicet 1629. exercitus Cæſarei Campi Mareſchallus edicto publico cavit, ne quis ex ſtationariis con-

cubi-

cubinam aleret & ſi quæ hactenus altæ fuiſſent, intra triduum ſub pœna fuſtigationis removerentur: Mandato ut pareret tibicen quidam, raptam non ita pridem per vim villici cujusdam filiam monuit, ut conſortio abſtineret; illa nexum conjugalem, quam raptor promiſerat, urgere, inſtantiusque propter ingravidationem, quam prætendebat, flagitare; hic contra acrius inſtare, mortemque, ni abitum maturaret, minitari, tandemque obluctantem gladio confodere auſus eſt. Demortuæ ventre aperto ingentem aſcaridum viventium & hinc inde obreptantium numerum in utero fuiſſe repertum, teſtatur Baldaſſar Timæus a *Güldenklee Caſ. medicin. Lib. IV. Caſ. 6. p. 204. ſeq.* Juxta Daniel. Sennert. *Pract. Lib. IV. Part. I. Sect. II. c. 9.* Johannes de Tornamira ſcribit, quod viderit mulierem, quæ ob aſcarides in matrice pruritum habebat intolerabilem, cui cum clyſterem uterinum injeciſſet ex decocto abſinthii & hiera picra, parvos vermes in magna quantitate fuiſſe ejectos feminamque liberatam. Et ſecundum Nicol. Guilielmi Beckeri obſervationem de Aſcaridibus uteri, vetula ſeptuagenaria ſalaciori quondam Meſſalinæ non abſimilis,

Quæ reſupina jacens multorum abſorbuit ictus,
Et laſſata viris nec dum ſatiata receſſit,

labiorum ac colli uteri pruritu inſatiabili laborabat. Evacuata primum, hinc clyſteribus uterinis, primo ex abrotano & lacte, dein abſinthio & tanaceto metrenchyta applicatis, ingentem, potiori ex parte adhuc viventium, ex utero aſcaridum excrevit turmam, & a pruritu liberata eſt. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 75. p. 121. ſeq.* vid. etiam *An. 9. & 10. Obſ. 7. p. 44.*

§. 26.

Eliſabetha Tomboy obſtetrix Hagienſis Cornelio Stalpartio van der Wiel juxta ejusdem *Obſerv. rar. Cent. poſter. Obſ. 29. p. 311.* ſancte aliquando aſſeveravit, ſe ante ſexennium e mulieris cujusdam, poſtquam pepererat, utero vivum quendam *vermes.*

vermem, ultra ulnæ quadrantem longum, vidiſſe prodeuntem, qui ſeſe circa funiculum infantis umbilicalem convolverat. Retulit quoque eadem, ſe paulo poſt præſentibus mulieribus ſecundum, ſed minorem monſtraſſe in ipſa placenta locatum: cumque eadem puerpera de dolore ventris per aliquot dies continuato, conqueſta fuiſſet, remedio quodam contra vermes uſa magnam cum lochiis vermiculorum excrevit quantitatem. Ejusmodi autem vermes atque lumbricos in utero gigni, non autem aliunde illuc mitti, ex Mercuriali affirmat. Meminit etiam Vitus Riedlinus, filius, *Obſ. 11. p. 20. ſeq.* matronæ honeſtæ, quæ primo pruritum vix tolerabilem & poſt hunc hoſpites tales minus gratos ſenſit, quod diu pudore femineo ſæpe nocivo ducta ſubticuit; cum autem pruritui ferendo non amplius par eſſet, tandem malum medico detexit ſancteque affirmavit, ſæpius ex ipſo utero prodire vermes longitudine dimidiam ulnam ſuperantes; imo niſi rumperentur, ſe credere multo longiores eſſe. Annotante Zacuto Luſitano *Prax. Hiſtor. Lib. III. cap. 22. Obſ. 1. fol. m. 497.* femina quædam poſt ferociſſima ſymptomata pruritum vehementem primo in utero, mox ſubſultum mirum & palpitationem quandam in ore uteri perſentiens, digitos in uteri ſinum intrepide immiſit, atque chordam ſeu funiculum craſſum inveniens magno conatu & vi extra evulſit lumbricum teretem, craſſum, colore albiſſimum, palmi magni longitudine, vividum adhuc & in ſpiras ſeſe involventem. Vidua ſeptuaginta aut plusculorum annorum cum ſanguine per muliebria non modo laceras tunicas vel lacinias, ſed etiam vermem lumbriciformem ex ſanguineo-carneo-limoſi coloris, capite preſſo & reliquo corpore terete, excrevit, qui ſpithamam longitudine æquabat, teſte Philippo Jacobo Hartmanno *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 208. p. 474.* Sequentem obſervationem ad Matthæum Johannem Fabrum perſcripſit Bergovienſis paſtor anno 1678. 27. Jul. Uxor quædam conqueritur, per uterum illi, jam a biennio, erepere vermes

polli-

pollicem longos, quotidie, imo in ſingulas fere horas, nunc ſolitarios, nunc ſimul plures vivos. Hoc intra tempus tamen filium utero geſſerat ſoſpitemque pepererat. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 9. Addend. p. 458.* Imo fœtus utero materno adhuc incluſos vel recens natos a vermibus non eſſe liberos, Johanni Dolæo videre licuit in fœtu mortuo ſtatim a partu exſpirante, & ab ipſo exenterato, in quo glomum vermium invenit, uti ſcribit *Encyclopæd. medic. Lib. VI. cap. 10. pag. 1011.* Et Carolus Schrœterus, ſe non parvam in ſectione fœtus mortui, ſtatim a partu animam exhalantis, vermium copiam adinveniſſe teſtatur *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 46. p. 123.* Ex communicatione Nicolai Fontani ſequentia refert Zacutus Luſitanus *de Prax. medic. admir. Lib. II. Obſ. 149. Oper. Tom. III, fol. m. 79.* Trigenaria quædam, poſtquam enixa eſt filiam & a lochiis recte purgaretur, incidit in animi deliquium cum febri acuta & delirio conjunctum. Vocata obſtetrix tacto ventre & ſedulo tota uteri regione perſpecta, iterum ægram parituram eſſe affirmat; paulo poſt dicta femina cum vehementi nixu & inguinum ingenti dolore, parturientium inſtar, excrevit per uterum rotundum globum, tenuiſſima membrana alba contectum, ex quo disrupto exiere duo animalia longa, anguillarum forma, viva, rubra, dorſo purpureo lanugine reſperſo, oculis vividis, dimidii palmi longitudine, craſſitie digiti minimi, quorum caput, pro corporis proportione, erat ampliſſimum Ambo poſt duas horas per domum repere viſa ſunt, quibus excretis femina placide obdormivit, & ab anguſtia immunis remanſit. Ibidem quoque adducit feram ex utero excluſam, palmo majorem, craſſitudine pollicis, cœrulei coloris, pedibus quatuor innixam, capite parvo, piloſo & rotundo, roſtro acuto. Hæc duobus diebus revixit in phiala vitrea aqua plena, magna cum adſtantium & medicorum celebrium admiratione.

§. 27.

alii. Inſuper adhuc alii vermes cum vel ſine fœtu ex utero excluduntur vel extrahuntur, ſiquidem Ambroſio Stegmanno retulit ruſtica ex pago *Helffta*, ſe octavo menſe jam gravidam ſentire in infimo ventre motum vermiculantem: *Es ſey nicht anders, als wenn der untere Leib voller Ameiſen wære.* Abſoluto nono menſe poſt varia interna & externa medicamenta hiatura uteri aliaque partus inſtantis indicia ſequebantur. Ob parientis autem debilitatem & parvam uteri aperturam obſtetrix, ſecundum medici inſtructionem, maximo molimine & longo labore unco protrahebat ſacculum, (qui membrana erat exterior fœtum includens χόριον dicta, admodum denſa & p. n. craſſa) ex quo innumera vermium progenies figuræ latæ & coloris rubri in conſpectum veniebat, qui totum fœtum, exceptis paucis oſſiculis, conſumpſerant. Poſt annum eadem femina incolumis & ſana ſanum fœtum rurſus in lucem edidit, cum quo iterum, quod mirandum, aliquot viginti ejusmodi modo dictorum vermium, abſque tamen matris & infantis læſione, ſimul excluſit. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 32. p. 54. ſeq.* Anno 1562. mulier juvenis Coloniæ puellum ad ſextum menſem lactans enixa eſt animal fibroſum ad erucæ magnæ longitudinem, dum reptando ſeſe extenderet ductaretque, unguiculis prominentibus, dorſo glabro, ventre albicante, capite corneo nigroque, oculis gagatæ lapidi ſimilibus, ore hiulco lampretæ modo aërem inſpirante. Sub initium cervicis tres viſebantur aculei, aut verius unci utrinque aſperi, quibus quæcunque vellet, amplectebatur, ſeſeque attollebat. Prodiit vero abſque humore aut humidi alicujus miſtura ex locis muliebribus ante ſeptimam matutinam, dum forte calceum prona indueret, referente Joanne Wiero *Oper. Lib. IV. cap. 16. §. 16. p. m. 319.* vid. etiam Reineri Solenandri *Conſil. medic. Sect. V. Conſ. 15. fol. 488.* A quadam femina, quolibet menſe, cum menſes inſtarent, non ſanguis

guis, ſed quamplurimi vermes per vulvam fuerunt expulſi, juxta Dominici Panarol. *Iatrolog. Pentec. IV. Obſ. 12. p. 117. ſeq.* Ancilla ruſtica anorexia diu afflicta, cum incautius ignem tractaret in culina, ideoque ab hera ſua caſtigaretur, ſummopere perterrita menſes illico effudit coram ipſa cumque iis vermiculum nigricantem, uti refert Chriſt. Franc. Paullini *de Mort. verminoſ. §. 48. p 99.* De menſibus verminoſis vid. ejusdem Paullini *Obſerv. med. phyſ. Cent. I. Obſ. 23. pag. 33. & M. N. C. Dec. II. An. 5. App. p. 13.* Poſt pulverem millepedum aſſumptum millepedum copiam ex utero proveniſſe, ſcribit Stephanus Blancardus *Collect. medic. phyſic. Cent. III. Obſ. 73. p. 437. ſeq.* Clara Anthonii anno 1653. primo parvulum quoddam monſtrum, inſtar limacis, etiamnum vivens, poſt quatuor autem vel quinque horas ſex menſium abortum edidit, uti ex Jobo Mekern refert Cornelius Stalp. van der Wiel *Obſerv. rarior. Cent. prior. Obſ. 72. p. 314.* vid. etiam Muliebr. noſtr. *Sect. III. cap. 2. §. 50. p. 297. ſeq.*

§. 28.

De avibus ab hominibus per vomitum vel uterum excretis interdum miranda recenſentur exempla; pulli enim gallinacei e ventriculo & vulva hominis excluſi obſervationes exhibet Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. II. An. 5. append. Obſ. 54. p. 34.* inquiens: vidi morionem principis alicujus, qui, me præſente, aliquando integrum & recens, non coctum, ovum una cum putaminibus prompte deglutiit, & hanc artem crebrius exercuiſſe dicebatur. Quid vero tandem fit? elapſis aliquot diebus tormina ventris ſentit. Datur ei infuſum tabaci. Vomit inſigniter ejecto ſimul pullo gallinaceo implumi & mortuo, omni tamen numero perfecto. Forte ovo huic, e nido protracto, jam tunc incubuerat gallina (erat enim tempus vernale) ut delineamenta pulli in eo fuerint, quæ demum in ventriculo conſummata, ut tandem, rupto ovo, animalculum hoc excluſum ſit. Virgini Weſtphalæ, e bilioſis & mordicantibus menſibus, impetuoſius aliquando manantibus, ulcera in pu- *aves.*

dendo plurima enaſcebantur, quæ longius ſerpentia cutim maxime erodebant, cum perpetuo pruritu. Juſſu vetulæ totam vulvam obtegit emplaſtro de lapide calaminari, quod ulcuſcula quidem exſiccavit, ſed labia pudendi ſimul conglutinari cœpit. Puella ejusdem anus conſilio, dilatatis genitalibus recens ovum gallinaceum linteolo involutum, diu noctuque aliquot ſeptimanis indidit, & ita ob vitam, quam agebat, ſedentariam, continuo in ventre geſtavit. Tandem mollius deprehendit ovum, ut rupturam metueret. Promit & ecce rimulam in eo, mox pipientem manifeſte audit pullum. Qua novitate rei perterrita ſtatim ſurgit fœtum ſuum in ſterquilinium abjectura. Detenta autem a ſocia ſua, fortius dum premeret, abſolutus prorepſit pullus gallinaceus. vid. etiam dicti Paullini *Obſerv. med. phyſic. Cent. I. Obſ. 69. p. 82. ſeq.* quo loco varia de ovorum maturatione pullorumque ex iis excluſione reperiuntur. De ave cum fœtu humano edita ſcribit Philippus Salmuth *Obſerv. medic. Cent. I. Obſerv. 66. p. 42. ſeq.* omnino ficta putavi, donec a nobiliſſima matrona, & aliis mulieribus fide dignis, quæ ipſæ interfuerunt ſuisque oculis viderunt, percepi, comitiſſam quandam a *Mansfeld*, conjugem comitis in Leiningen, gravidam conqueſtam fuiſſe, ſe perſentire quiddam in utero depaſcens. Enititur illa poſt aliquot temporis ſpatium, filiolam ab uno latere prorſum depaſtam. Mirantur mulieres adſtantes. Obſtetrix denuo, ratione ſecundinæ, manus admovit, mordetur illius digitus, ita ut exclamaret. Nihilominus animum ſumens, extrahit animal quoddam roſtro præditum & quidem avem vivam, nudam tamen & implumem; quæ, quod mulieres præ terrore eam dimitterent, ultro citroque discurrens & latebras quærens ſub ſcamno ab aſſiſtente quodam pulvinari obruta, tandem ſuffocando extinguitur & igne poſtmodum crematur. Anſerum in feminæ cujusdam utero generatorum ex Hieronymo Hirnhaim meminit Chriſt. Frid. Garmannus *Oolog. curioſ. Diſſ. II. §. 142. p. 169.* Anſerculum vivum ex utero mulieris cujus-

cujuſdam progreſſum ſereniſſimo Electori Saxoniæ miſiſſe Tobiam Matthæi, refert Valentinus Andreas Mœllenbroccius *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſerv. 109. p. 251.*

§. 29.

Referri huc etiam ſolent ab autoribus alia inſolita & monſtroſa, per uterum rejecta: Equum enim Patavii anno 1625. feminam Judaicam per uterum ejeciſſe, ex Gisbert. Voetio refert idem Garmannus *l. a.* Neuſoli in Hungaria feminam leonem vivum peperiſſe, Philippo Jacobo Sachs a Lewenheimb literis e Leutſchovia Hungarorum pro certo retulit D. Spilenbergerus; quem tamen hic nunquam niſi pictum viderit aut ſculptum, & dolendum fuiſſe, quod mulierculárum cura ſtatim fuiſſet e vivis ſublatus & combuſtus, ne altiori indagine luſtrari potuiſſet. vid *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 160. Schol. p. 258.* Mulierem Helvetiam ex leone maſculo leonem peperiſſe, refert Fortunius Licetus *de Monſtr. Lib. II. cap. 68. p. 216.* qua tamen fiducia mulier ſe leoni ſupponere audeat? ibidem quærit. *Zu Weiblingen in Schwaben ſoll Anno 1314. ein Weib einen Lœwen gebohren haben;* refert Chriſtophorus Lehmannus *in Chronic. Spirenſ. Lib. VII. cap. 13. fol. m. 650. b.* Juxta C. Plin. *Hiſtor. nat. Lib. VII. cap. 3. fol. 107.* Alcippe elephantum enixa eſt. vid. etiam Chriſt. Franc. Paullin. *Cynograph. Sect. I. cap. 3. §. 54. p. 57.* Huic tamen ſententiæ non aſſentitur Fortunius Licetus *l. a.* quia elephanti eam eſſe pudicitiam novimus ex hiſtoricis, ut cum matre coire nulla ratione valeat; & ſemel deceptum cum cooperta matre corpus miſcuiſſe; qua detecta ita exhorruit facinus, ut ſeipſum exanimarit: quin & agens venerem occultiſſime latet; quomodo ergo unquam mulierem comprimat? quomodo tam vaſtum animal cum muliere rem poſſit habere? quomodo mulier tam immani feræ ſe ſubjicere audeat? quomodo compreſſa pondere molis non ſuffocetur? Philippus Jacobus Sachſius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 160. Schol. p. 258.* recordatur, quod

varia monſtroſa.

Equus.

Leo.

in

in camera anatomica Dresdæ anno 1648. die 22. Jun. viderit & pugillaribus ſuis, poſtmodum Itinerario ſuo annotaverit, præter varia ſceleta leonum, camelorum &c. in vitrea capſula incluſum exſiccatumque monſtratum fuiſſe, abortum a femina paucos ante annos tum editum, elephantem figura repræſentantem, dimidiæ ſpithamæ longum. Anno 1651. menſe Aprili publica fide perſcriptum eſt, feminam quandam Hebræam in oppido Moraviæ, *Weiskirch* dicto, infantem mortuum pepeiſſe cum fera viva, elephantis formam referente, quæ alterum fœtus latus in utero depaſta erat. Et hanc ab obſtetricibus deinde aqua fervida enectam. vid. Georg. Hier. Velſch. *Obſerv. medic. Epiſagm. 76. p. 50.*

elephas.

§. 30.

Dæmon.

Memorabile factum de fœtu dæmonem repræſentante ex Ludovico Vive refert Martinus Weinrichius *de Monſtr. cap. 17. p. m. 159. ſeq.* Urbs eſt in Brabantia Buſcunducis, in qua ut in aliis ejusdem terræ ſtato anni die, de quo ferunt maximum urbis templum dedicatum, publice ſupplicatur ludique variis divis exhibentur: Sunt qui tunc perſonas divorum induant, ſunt qui dæmonum: Ex his unum cum viſa puella exarſiſſet, domum ſaltando ſe recepiſſe, & arreptam, ut erat perſonatus, uxorem ſuam in lectum conjeciſſe, ſe ex ea dæmonem velle gignere, dicens. Concubuit, concepit mulier, & infans, quem peperit, ſimulac primum editus eſt, ſaltitare cœpit, forma quali dæmones pinguntur. Vel juxta verba Caſpari a Reies *Camp. Elyſ. Jucund. Quæſt. 45. §. 23. p. 545. ſeq.* cum pater in ſcena diaboli figuram repræſentaſſet, horrendis prout erat indutus veſtibus domum ſe conferens, ſic cum muliere coivit, hoc per jocum addens, ſe dæmonem generare velle; quo audito perterrita mulier filium concepit & peperit eadem, qua pater figura perſonatus fuerat. Similiter de alia, cui maritus ſtomachabundus, quod gravida eſſet, ira commotus dixit: credo quod

in

in ventre dæmonium habes; quo dicto ſtupefacta mulier talem poſtea edidit, qualem cornibus & aliis deformitatibus diabolum depingere ſolent. Draconis a muliere editi ex Theatro Europæo meminit Chr. Franc. Paullin. *Cynograph. l. a.* Anno 1575. quidam non obſcuri nominis regi Hiſpaniarum apud Geldros militans, quum e familia nobili honeſtam duxiſſet conjugem, (quam & durius tractabat) intelligeretque tandem, ipſam uterum ferre, indignanter, velut ſiniſtre precatus, ait ille: Tu infernalem geſtas dæmonem, quem gladio confodiam. Non longe poſt filiolum genuit, dimidia corporis inferioris parte bene formata, verum ſuperior pars lituris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotundo, nigro, tetro, ut ſatyrus, auribus longis velut canis venatorius, in vertice duo cornua, nonnihil intorta, quæ manibus contrectata, reddebantur ſanguinea. vid. Johann. Wier. *Oper. Lib. IV. cap. 18. p. m. 324.* Fidem Bartholini ſuperat, quod ſcribit Johann. Albrecht de Mandelſlow *in Itinerar. Indic.* feminas Macaſſaranas cum pueris quoque crocodilos parere. vid. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt. 87. p. 167.* Feminam honeſtam in quadam celebri Germaniæ urbe maſſam carnis inſtar urſi cum unguibus & rictu quodam, exanimem tamen enixam eſſe, Philippo Camerario retulit matrona fide & honeſtate digniſſima, quam, licet ipſa diſſimularet, in partu præſentem fuiſſe, ille omnino putat, vid. ejusd. *Oper. Horar. ſubciſiv. Cent. I. cap. 54. pag. 239.* Ejusmodi autem partus potius pro maſsis carneis ſeu molis, tam vivis, quam mortuis habentur, atque ratione tantum ipſorum figuræ tali nomine appellantur, de quibus fortaſſe alibi agemus.

§. 31.

Licet ſecundum recentiorum phyſiologorum ſententiam ex ovo ovarii omnia animalia generentur, aliud tamen ovum mulierem quandam peperiſſe, non ſolum obſervatione, *Ova.*

ſed etiam atteſtato probat Thomas Bartholinus *Cent. I. Hiſt. 4. pag. 10.* Partus humanus, iuquiens, ſæpius ab ordinaria naturæ lege recedit monſtraque ſubſtituit. Nota res omnibus. Sed ovum ex utero loco fœtus humani excludi hactenus inauditum. Hujus tamen mirandi partus exemplum 1638. Norwegia noſtra ſuppeditat. Anna quædam Amundi filia, uxor Gutbrandi Erlandſonii, quæ ſæpius ante humanas fœtus feliciter enixa fuerat, gravida iterum maximis doloribus bina ova peperit gallinaceis ſimillima. Fractum ex illis unum, alterum vero ad ſummum virum D. Olaum Wormium, decus academiæ, transmiſſum, in cujus muſeo cunctis exhibitur viſendum. Tam ſimile gallinaceo, quam ovum ovo, niſi quod non ita candidum ſit propter temporis diuturnitatem & contrectantium manus. Non ignoro fidem huic partui denegaturos plurimos, qui vel non viderunt ovum, vel obſtetricias manus parturienti Annæ non commodarunt. In rei igitur veritatem teſtes advocamus fide dignos & religioſos, qui ſignatis literis teſtantur, quod breviter nos retulimus. Ut conſpectior ſit fides noſtra, operæ pretium duxi, avtographum illorum, lingua vernacula apud laudatum Wormium aſſervatum, hic transſcribere:

Nos infra ſcripti Ericus Weſtergard, Rotalph Rakeſtad, & Thot Venes, coadjutores paſtoris in parochia Næfs, notum facimus omnibus, quod anno 1639. 20. die Maji ex mandato domini præpoſiti in Romerige Dn. Pauli Tranii, paſtoris in Næfs, inveſtigatum iverimus partum monſtroſum in Sundby, quem peperit honeſta femina Anna Amundi filia, uxor Gutbrandi Erlandſonii, quæ hactenus mater fuit undecim liberorum, inter quos ultimus editus eſt anno 1638. 4. Martii. Hæc vero mater ægrotare cœpit anno 1639. 17. Aprilis, maximisque cum cogeretur ventris doloribus, ad ſe vicinas vocavit conſilii capiundi gratia, ſed eodem die circa veſperam, iisdem præ-

præſentibus ovum peperit gallinaceo prorſus ſimile. Quod cum fregiſſent feminæ præſentes, Anna Grim, Etin Rudſtad, Gyro Ruſtad, Catharina Sundby, vitello & albumine communi ovo prorſus reſpondere animadverterunt. Hinc 18. Aprilis circa meridiem adſtantibus iisdem ſecundum peperit ovum, figura nihil prorſus a priori differens. Retulit vero mater feminæque præſentes id confirmarunt, dolores hujus partus graviores fuiſſe omnibus, quos in aliis perpeſſa erat puerperiis, qui etiam lecto eam detinebant pari temporis tractu. Hanc fuiſſe tam matris, quam adſtantium confeſſionem in præſentia domini præpoſiti ſigillis noſtris teſtamur, in parochia Næſs, anno & die ut ſupra.

(L. S.) (L. S.) (L. S.)

Hoc ovum Olaus Wormius *in Muſæo ſuo, Lib. III. cap. 21. fol. m. 311.* ovum magicum vocat; atque ex Norwegiæ præpoſitura Næſs, diœceſis Stavangrienſis ad ſe delatum eſſe idque inter rara ſua adhuc reconditum ſervare ait, eodemque loco partum hunc nequaquam naturalem eſſe potuiſſe, ſed præſtigiis diabolicis tam excitatos fuiſſe dolores iſtos, quam ova ſuppoſita exiſtimat. Et quamvis a vulgari ovo gallinaceo hoc ovum nihil aut parum diſcrepet, ob raritatem facti, & quia vix ante tale quid auditum, delineationem ovi obſervata naturali magnitudine ibidem exhibet. De hoc ovo vid. etiam Chriſt. Frider. Garmann. *Oolog. curioſ. Diſſert. I. §. 42. pag. 35. ſeq.* Anno 1621. in agro Vicentino feminam quandam obortis doloribus parturienti conſuetis ovum perfectum edidiſſe refert Johannes Rhodius *Obſerv. medic. Cent. III. Obſervat. 57. pag. 151.* Uxor civis Hafnienſis poſt imprægnationem duodecim hebdomadum ex utero ſenſit dolores parturientium, dumque anxie ſe in lecto verſaret, ecce ovum prodit, ſed teſta molliuſcula, quo manu imprudentius fracto præter flatus nil quicquam inveniebatur. vid. Thom. Bartholin. *Epiſt. med. Cent. III. Ep. 27. pag. 101.* A

femina quadam Lipſienſi cum clyſtere maſſa quædam inſtar ovi gallinæ rejiciebatur, ſed cruſtæ admodum mollis. Ex hac baculo aperta proſiliebat vermis bipes, oculis micantibus, linguam in ore vibrans, juxta Philip. Salmuth. *Obſerv. med. Cent. II. Obſerv. 7. pag. 62. ſeq.* De cane oviparo vid. Georg. Seb. Jungius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſerv. 250. pag. 348. ſeq.* De alio cane in Weſtphalia ova per os excludente, audiviſſe ſcribit Chriſt. Franc. Paullini *Cynograph. curioſ. Sect. I. cap. 3. pag. 58.* De gallo oviparo vid. Th. Bartholin. *Cent. III. Epiſt. 52. pag. 212. ſeq. It. Cent. I. Hiſt. 99. pag. 143.* De gallo oviparo tractatum Germanicum anno 1697. edebat Eberhardus Gockelius. Varia exempla collegit Chriſt. Franc. Paullin. *Erbaul. Luſt I. Theil cap. 30. pag. 96. ſeq.* Ovum in bovis ventriculo repertum vid. Joh. Georg. Schenck. *Hiſtor. Monſtr. p. 129.*

§. 32.

Ovis parit leonem. Hactenus de homine ex brutis, & de brutis ex homine ortis egimus, proinde nobis etiam ad differentes brutorum ſpecies ab aliis brutis genitas & natas progrediendum eſt. Inquit ſcilicet Ludovicus Cælius, Rhodiginus *Lection. antiquar. Lib. XIII. cap. 14. fol. 482.* In Co inſula, rarum dictu apud veterem autorem, fidei integræ & gravitatis non dilutæ, legimus, monſtrifica & ideo mira præcipue, ut vix non ficta videatur, & de ingeniorum Græciæ afflatu producta, ratione: de grege oviarico Nicippi ovem non ritu naturæ agnum, ſed leonem peperiſſe. vid. etiam Ælian. *Hiſtor. Lib. I. cap. 29. fol. 378.* In *equa leporem.* Xerxis exercitu, quem adverſus Græciam contraxerat, equæ partu leporem editum conſtat, juxta Valerii Maximi *Lib. I. cap. 6. Extern. 1.* vel juxta Johann. Wolffii *Memorabil. Centen. VIII. fol. m. 147.* non leporem, ſed vulpem. Quo genere monſtri tanti apparatus ſignificatus eſt eventus. Nam qui mare claſſibus, terram pedeſtri operuerat exercitu, ut fugax animal, pa- *varia catulos.* vido regreſſu regnum ſuum repetere eſt coactus. De vacca

catu-

catulis impraegnata ſequentem obſervationem praebet Thomas Bartholinus *Act. Haffn. Vol. II. Obſervat. 2. pag. 3.* Prope Cronæburgum Balthici freti propugnaculum vacca una cum vitulo etiam triginta catulos in vulva (utero) habuiſſe fertur. Rei ſeriem ipſe paſtor Esbönderupenſis Axilius Jani Grove, doctus pariter & religioſus, & itinere Conſtantinopolitano inclytus, his verbis perſcripſit: In villa Bœland in parœcia Maarom vacca impraegnata, ſed quæ vitulum eniti non potuit, mortua eſt & diſſecta. In qua aperta inventi præter vitulum vaccinum naturalis conformationis, multi catuli canini, numero triginta, omnes vivi, quorum ſinguli in ſua membrana ſuoque loco latebant, ſicut videmus porcellos jacentes, & more canum aperto ore ſibi obverſantes, anterius anguſtiores, poſtica parte corporis latiores &c. Prægrandem atque robuſtam ſcropham ex canibus paſtoralibus quinque catulos, albos plerumque & villoſos peperiſſe, in quibus nihil ſuilli, niſi quod fimetum aliquando oribus ſubverterint, inque fimeto ſe volutaverint, ex Iſraelis Schmidii obſervationibus refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *Obſ. med. phyſic. Cent. IV. Obſ. 22. p. 428. ſeqq.* Ibidem etiam equam vitulum peperiſſe, ex Iſibordo refert. Videatur quoque *M. N. C. Dec. II. An. 4. App. p. 186. ſeq.* ubi inquit, ſe facilius credere, equam peperiſſe vitulum, quam quod Valerius Maximus ex Herodoto de lepuſculo, equæ filio referat. Imo totam Valerii Maximi ex Herodoto deſumtam hiſtoriam pro fabula judicat idem Paullini *Lagograph. curioſ. Sect. II. cap. 1. pag. 231.* Eodem loco etiam lepuſculi ex catello nati mentionem facit. vid. *p. 899.* Romæ e lupo canem generatum adducit Johannes Georgius Schenckius *Hiſtor. Monſtr. pag. 112.* De canibus ex tigride, ex lupo & cane, item ex cane & vulpe, vid. Joh. Bapt. Portæ *Magiæ natural. Libr. II. cap. 6. pag. m. 63. 66. ſeq.* Juxta Hieronym. Cardanum *de Variet. Lib. VII. cap. 31. pag. m. 314.* vulpes in Scotia omnino in canes degenerant, & canes in vulpes; item

ſcropha catulos.

equa vitulum.

canis leporem.

lupus canem.

canis lupum.

item ex vulpium & canum concubitu animal generatur, non jam ſterile, ut mula, ſed fœcundum; atque ita tranſit in alterum genus parentum, ſcilicet illius cum quo miſcetur: latrat *vulpis canes.* enim vulpes non ſecus ac canis. Propterea ex cane & vulpe femina, ac viciſſim ex catula & vulpe maſculo progignuntur canes; tam parum abeſt unius ab altero natura. Sed lyciſca ex lupo & catula, velut lyciſcus ex cane & lupa, cinirus ex hirco & ove, *tigris catulum.* muſſinus ex ariete & capra, hybrida ex apro & domeſtica ſue, mulus ex aſino & equa, burdo ex equo & aſina, leopardus ex pardo & leæna, ex tigride etiam & catula canis ferus generatur &c. Sequentia exempla collegit inſuper Chriſtianus Franciſcus Paul- *bos agnum.* lini *Cynograph. Sect. I. cap. 3. §. 54. pag. 57.* Bos vel vacca pe- *felis canem.* perit agnum Gobel. Perſon. Coſmodr. æt. VI. c. 4. Anno 1631. menſe Junii enixa eſt felis in Auſtria duos canes & unum felem, qui Sæc. Cæſ. Majeſtati oblati ſunt. Theat. Europ. *Tom. II. fol.* *canis felem.* *415.* Anno 1676. menſ. Jul. Hüxariæ ad Viſurgim canis una cum tribus catulis peperit felem, ſed quæ aures habuit caninas & bre- *equa leporem.* vi mortua eſt. Idem Paullini etiam ex Antonio Baucio leporis ab equa nati atque ſtatim humana voce loquentis matremque ſuam dilacerantis meminit *in Zeitkürtzender Erbaulichen Luſt Part. II. no. 14. pag. 134.* vid. etiam ejusdem *Lagogr. Sect. II. Part. III. cap. 1. pag. 231.* felem canes, vulpem ſciurum, magnam, felem feram tres vulpeculas peperiſſe. Idem *Part. I. no. 92. pag.* *felis ſciurum.* *230.* Felis domeſtica a coitu cum ſciuro parit tres catos ſui generis & unum ſciurum; dictus ſciurus ob raritatem a viro illuſtri ſummis in deliciis habitus ne minima naturæ matriſſantis indicia præ ſe ferebat, veluti quidem catuli felini ne minimum patriſſabant, annotante Gabriele Claudero *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſerv. 153. pag. 370.* Habebat in Pruſſia chirurgus quidam lepores, a quibus imprægnata catella; cum vero ob vulvæ anguſtiam *δυςοκία* ſequeretur difficillima, cæſareum ipſe elegit partum, protractis duobus catulis una cum lepuſculo. vid. Chriſt. Franc. Paullin, *Lagograph. Curioſ. Sect. I. cap. 3. p. 89.*

§. 33.

§. 33.

An gallinæ vermes vel ſerpentes parere queant, affirmare videtur Fortunius Licetus *de Monſtr. Lib. II. cap. 87. pag. 252. ſeq.* & quidem ex ea ratione, quia gallina eſt animans ejus conditionis, ut fœda quæque in terra comperta devoret, nec ab anguibus vivis abſtineat; vel quia forte alicubi terræ nuper impactum virile ſemen devoraverit, menſtruum ſanguinem ac ſerpentis ova comederit, gallove rabido vel ſerpenti ſuccubuerit. Siquidem gallinas cum viperis & aſpidibus coire teſtata ipſi fuerit Julia famula, quæ dum apud ſuos degeret, non ſemel obſervavit gallinam ab aſpide comprimi, cujus ova fota non pullos, ſed parvos excluderent ſerpentes: eam diluculo egredi e domo ad radicem quercus, ibi crocitatu maritum aſpidem vocare; totam diem cum eo commorari; frequenter illi ſuccumbere ac non niſi ſero, ad tugurium regredi: ſeque Juliam ſcilicet, ac parentem hujus hiſtoriæ teſtem profiteri. Deinde ita pergit Licetus: Gallinam ego domi alui, quinque digitos habentem in utroque pede, quæ poſt ova multa mediocria puſillum edidit, infra columbaceum, ſine luteo, in cujus albumine ſerpens, ac veluti vermis erat; in quem luteum mutatum fuiſſe ſuſpicor; etenim novi, Fabricium ab Aquapendente in ovi luteo vermem ſatis magnum inter comedendum comperiſſe; quo mire ſtomachatus ovorum eſum dilectiſſimum diutius intermiſit. Inquit etiam Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. VI. Hiſtor. 87. pag. 349.* tunc temporis, cum exercitus confœderatus in Cimbria hybernaret, in cœna chiliarchæ oblatum in ferculo ovum ſorbile, ſed duriuſcule coctum, quo diſſecto vermis ruber eximebatur. Paſſim ſimilia exempla referuntur. Deinde pergit dictus Bartholinus: Serpentes ſi quando ovo includantur, dubium non eſt, quin gallinæ anguium compresſionem ſenſerint. De gallina in Dania ſex pullos bene conformatos vivos uno excludente; item de

an gallinæ vermes pariant?

cor-

corvo pullos ſuos vivos pariente ; Et de piſce viviparo exempla ex aliis autoribus allegat Chriſtianus Franciſcus Paullini *in M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 5. p. 156.* Gallinam loco ovorum vivos pullos numero ſex una vice excluſiſſe, utut hoc ipſum cum morte gallinæ matris fuerit conjunctum, ex Lyſero confirmat Michael Ettmüllerus *Oper. Vol. I. fol. m. 161.*

§. 34.

molæ volaticæ. Qui ejusmodi inſolitorum & monſtroſorum partuum, quorum nonnulli ab autoribus molæ vitales vel volaticæ, item Harpiæ appellari ſolent, plura exempla deſiderat, evolvat Joh. Schenck. *Obſervat. medicin. Lib. IV. fol. 623.* quo loco agit de molis utplurimum vitalibus, quas barbari pecus, belluam, aquilam, accipitrem, bubonem: recentiores muſculos, talpas, ranas, bufones, echinos, lepuſculos, feles, aſtacos, tenchas, polypos, erucas, ſanguiſugas, lacertas & ſerpentes nominarunt: Quas mulieres vel cum vel ſine fœtu peperere. Harum nonnullæ levi ſaltem contractionis & explicationis ſenſu præditæ, aliæ vero ſerpere, repere, diſcurrere & volare quoque animadverſæ ſunt. Et *fol. 626.* mulieres quasdam elephantos, leones, canes, catos & porcellos enixas adducit. vid. inſuper Marcell. Donat. *de Medic. Hiſtor. mirac. Lib. IV. cap. 5. pag. 461. ſeqq.* Chriſtian. Franc. Paullin. *Cynograph. Sect. I. cap. 3. §. 54. ſeq. p. 57. ſeq. 59. M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſerv. 1. Schol. p. 12. ſeq. & Obſ. 109. pag. 252. ſeq.* Martin Del Rio *Diſquiſit. magic. Lib. II. Qu. 14. pag. 172. ſeq.* Franc. de Torreblanc. *de Magia Lib. II. cap. 32. ſeq. pag. 260. ſeq.* Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. prior. Obſerv. 72. & Schol. pag. 309. ſeqq.* Joh. Bapt. de Lamzweerd *Hiſtor. Molar. cap. 25. pag. 320. ſeq. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſerv. 157. pag. 341. ſeqq. 344. ſeq.* Caſp. a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Quæſt. 45. §. 7. pag. 538. ſeqq. pag. 541. ſeqq.* Uteri molam volatilem, in Belgio familiarem, & vulgo Suygers vocatam depingit Thomas Bartholinus *M. N. C.*

N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 160. p. 255. ſeq. De mola vivente, quæ in terram prolapſa non palpitavit modo, ſed & varie ſe commovit, ac piſcis inſtar convolvit &c. vid. Philipp. Salmuth *Obſerv. med. Cent. III. Obſ. 98. p. 159.* Varia de molis vid. Mich. Bernh. Valentini *Novell. Caſ. 14. p. 286.* Mola in virgine ibidem *Caſ. 15. p. 295. ſq.* alia v. Petr. Foreſt. *Lib. XXVIII. f. 726. ſeq.* Lemn. *de Occ. Nat. Mirac. p. 251.* Mola per pluſculos annos geſtata, Act. Hafn. *Vol. II. Obſ. 4. p. 5.* Ambroſ. Paræi *Chir. Lib. XXIII. cap. 33. ſq. fol. 520.*

§. 35.

De inſolitis atque monſtroſis hujusmodi partubus autores varias cauſas adducunt, quales ſunt heterogenea ſeminis materia, ſeminis maſculini defectus vel inertia, parentum imaginatio, conſimilis parentum natura vel conformatio, facultatis formatricis imbecillitas, uteri anguſtia, motus inordinatus. vid. Fortunius Licetus *de Monſtris Lib. II.* hinc inde, Franc. de Torreblanc. *de Magia Lib. II. cap. 32. 33. p. 260. ſeqq. 266. ſeq.* Joh. Baptiſt. de Lamzweerde *Hiſtor. Molar. Uter. cap. 25. p. 320. ſeq.* Paul. Zacch. *Quæſtion. Medic. legal. Lib. VII. Tit. 1. Qu. 2. fol. 574. ſeq.* Levin. Lemnius *de Occult. Natur. Mirac. Lib. I. cap. 8. p. m. 33. ſeq.* *Partus inſoliti cauſæ.*

§. 36.

Cum hactenus hominum ex brutis & brutorum vel aliorum animalium a mulieribus natorum mentio facta ſit, hæc autem generationis ratio variis autoribus admodum dubia ſit, quorundam ſententiam hoc loco allegare nobis liceat. De quæſtione ſcilicet, an ex virilis humani ſeminis cum brutali per nefarium coitum commixtione, aut contra, an ex brutalis maris cum muliebri humano ſeminis commixtione poſſit verus homo generari? prolixe agit Johannes Baptiſta de Wenckh *Ephem. Cent. IX. & X. Append. p. 552. ſeqq.* vid. etiam Chriſtian. Franc. Paullin. *Cynograph. Curioſ. Sect. I. Cap. 3. §. 57. p. 59.* An ex concubitu hominis cum bruto, homo, vel brutum naſci poſſit? an tertium ſemper aliquid provenire debeat? pluribus agit Caſpar *talis generatio dubia.*

a Reies *Camp. Elyſ. jucund. Quæſt. XLV. a. p. 535. ſeqq.* Quæ monſtra ex diverſis ſpecie animalibus progigni poſſint, quæ non; quæ item ex humana ſpecie posſibilia, quæ non, vid. Pauli Zacchiæ *Quæſt. medic. legal. Lib. VII. Tit. 1. Quæſt. 3. fol. 577. ſeqq.* Fortun. Fidel. *de Relat. Medic. Lib. III. Sect. VIII. cap. 465. p. 493. & 498. ſeq.* Michael. Albert. *Jurisprud. medic. cap. 5. §. 15. p. 111.*

CAPUT III.

De partu falſo.

§. I.

Mola ventoſa. ventus. INterdum adhuc alia inſolita vel cum, vel ſine fœtu ex utero expelluntur, vel naſcuntur, e. g. ventus, talem excretionem Zacutus Luſitanus *de Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 130. Oper. Tom. III. fol. m. 79.* vocat molam ventoſam, ibique feminæ ter ventum parientis meminit. Nonimeſtris, inquiens, dolore partus vexata convocatis obſtetricibus pariendi tempus expectat. At cum vehementi nixu cogitur expellere fœtum, bombum & ſtrepitum multum magna cum violentia per uterum elidit, ac ſi tonitruum exaudiretur. Aliquantiſper ſubſidente ventre, immanis dolor iterum eam apprehendit, vacuatoque per uterum flatu lenius conquievit. Tertio lumborum dolore diro poſt tres dies afflicta, cohibita reſpiratione ad vacuandos flatus ſumma vi enititur, quos cum forte præ eorum craſſitie expellere nequit, fotibus aliisque carminantibus adjuta, ut in colica ventoſa fieri ſolet, ab omni tumore & dolore immunis evaſit. Ipſa alacriter vivens poſt unum annum, & poſt duos iterum in idem infortunium incidens ſimiliter excreto flatu, & detumeſcente ventre melius habuit. Et obſervatione ſequenti *151. fol. 80.* aliud molæ ventoſæ exemplum de baronis cujusdam uxore, quæ cum utero geſtare opinaretur, in octavo menſe miro ſonitu exaudito, flatum pro expectato fœtu excluſit. Acciti medici monent, ut habitet cum viro, & poſt menſem

gravi-

gravida putabatur, ſed in octavo menſe loco infantis, ſonorum flatum dimidii quadrantis ſpatio per uterum excrevit, cum multa albæ pituitæ colluvie. Sic quædam Auguſtani textoris uxor biennio geſtavit uterum; perſuadebat ſibi primum vivum ineſſe utero fœtum; at legitimum partus tempus prætergrediens ſententiam mutavit. Elapſo autem biennio cum dolore parturientium ſimili, ter peperit, ſeu, ut ipſa expreſſit, ter cum maximo conatu flatum ex utero per pudenda excluſit, juxta verba Philippi Hœchſtett. *Obſerv. medicin. Decad. VI. Caſ. 4. p. 689.* De falſa ingravidatione & flatuum loco fœtus excluſione obſervationem annotavit Ambroſius Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 33. p. 56.* Islebiæ ſcilicet paupercula quædam a primo ad ultimum usque geſtationis temere credidit de ingravidatione. Poſt nonum menſem bis redeuntem de fœtus exitu altum oritur ſilentium, crevit tamen interim venter a die in diem majorem in molem, ut ruptionem exinde metueret miſera. Poſt elapſos autem duos annos & tres menſes a cereviſiario quodam in terram projecta a mole & falſo ſuo partu ex improviſo liberabatur. Cum enim ex lapſu poſterioribus ſuis nimium quantum conquateret terram, ex utero illius flatus quidam, bombardæ minoris ad inſtar ſonitum edens erupit, ſecutisque flatibus aliis venter paulatim detumuit, & priſtinam ferme formam recuperavit.

§. 2.

Duo ejusmodi molæ ventoſæ exempla annotata ſunt *nella Commare Oriccoglitrice di Scipione Mercurio Lib. II. cap. 41. p. m. 341.* ubi inquit: à miei giorni sò, che queſto accidente è açcaduto à due donne; una era nella città di Tivoli, che era moglie di Vicenzo Colonna, Medico Fiſico di queſta città, havendo portato il corpo gonfio per dodeci, ò quatordeci meſi, e credendo eſſer gravida, mandò fuori ultimamente per la natura un poco di flati, e ſubito torno il corpo alla ſua forma *exempla.*

naturale. L'altra donna era moglie di Abraham Hebreo habitante in Cento, il quale eſſendo à caſa, mia per altri affari, mentre io ſcriveva queſta materia, mi communicò, che le era accuduto una coſa ſimile, e che havendo portato il ventre gonfio dieci, ò undeci meſi, dopò tale tempo le ritornò all' habito ſuo primiero dopò haver mandato fuori alcuni flati. Sequentia refert Franciſcus Mauriceau *dans les Obſerv. ſur la Groſſeſſe Obſ. 105. p. 62.* une tres-petite femme, qui n'eſtant pas groſſe, rendoit aſſez ſouvent des vents par la matrice, avec auſſi grand bruit, que ſi c'euſt eſté de l'anus. Ibidem etiam ita pergit: J'ay encore vû pluſieurs autres femmes, & meſme quelques femmes groſſes, ſujettes au meſme accident, dont elles ne ſuffroient aucune autre incommodité, que l'indecence de ce bruit, qu'elles rendoient toujours involontairement en quelque compagnie, qu'elles fuſſent. Et *Obſ. 110. p. 64.* aliam adhuc obſervationem recenſet, his verbis: Le 18. May 1674. j'ay accouché une femme agée de vingt cinq ans de ſon ſecond enfant, qui vint au terme de huit mois & vingt jours. Cet enfant ſe portoit aſſez-bien, quoique la mere euſt rendu par pluſieurs fois des vents par la matrice, avec auſſi grand bruits, que ſi c'euſt eſté de l'anus, lorsqu'elle étoit au quatrieme mois de cette groſſeſſe; ce qui faiſoit, que ſon medecin, ne croyant pas, qu'elle fuſt groſſe en ce temps, luy avoit conſeillé de faire pluſieurs remedes, qui auroient pu eſtre préjudiciables à ſa groſſeſſe, ſi je ne l'en euſſe detournée, en l'aſſurant, qu'elle eſtoit effectivement groſſe d'enfant, non obſtant l'accidens des vents, qu'elle rendoit pour lors par la matrice. Nobilis etiam quædam matrona, cum gravidam ſe crederet, tempusque ipſius partus appropinquaret, rebus omnibus ad id neceſſariis diſpoſitis nil niſi flatus per pudendum exſpiravit, & tumor ipſius ventris concidit, annotante Matthia Cornace *Hiſt. 6. in Franc. Roſſet. de Part. cæſar. p. 256.* Flatus ex pudendo puerperæ poſt ſæviſſimum infimi ventris cruciatum erumpentes obſervavit

Phi-

Philippus Salmuth *Obſ. medic. Cent. II. Obſ. 57. p. 85.* In amœna inſula Mœna vidit Chriſtianus Franciſcus Paullini paupërculam vetulam extreme ſcorbuticam de grandibus flatibus, cum primis ex pudendo, cum notabili ſibilo & ſubſequente fragore, exploſis conquerentem, uti refert *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 91. p. 51.* Hujuscemodi molam ex flatu ſeu uteri inflationem efficaci remedio curatam, prodeuntibus per pudendum muliebre flatibus, veluti per anum excerni ſolent, ſe obſervaſſe ait Rembertus Dodonæus *Obſerv. medicin. XLIX. p. 119. ſeq.* Inquit etiam Daniel Sennertus *Pract. Lib. IV. Part. I. Sect. II. cap. 10. p. 59.* vivit in vicinia adhuc femina nobilis, quæ ante annos quatuor putabatur gravida, ut non ſolum omnia, quæ ad partum neceſſaria ſunt, appararentur, ſed & maritus jam feram caperet pro convivio, quod poſt baptismum cognatis & amicis exhiberi ſolet, inſtituendo. Sed præteriit non ſolum menſis decimus, ſed & decimus octavus, neque tamen peperit, ſed venter poſtea ſenſim ſubſedit, flatibus illis procul dubio ſenſim diſcuſſis. Eodem loco etiam Sennertus ex Valeſco de Taranta *Lib. VI. cap. 15.* refert, quod Ulyſſiponæ viderit quandam Judæam, quæ crediderit, ſe eſſe prægnantem, cui omnia præparata fuerunt, quæ ad partum ſunt neceſſaria. Dum vero matrix ab obſtetricibus tractaretur, magnam ventoſitatem, ſine ullo alio liquore exiviſſe a matrice. Ipſe autem Valeſcus *Lib. VI. cap. 12. p. 670.* ſcribit: intumeſcit nonnunquam uterus ob flatus, ſed talis inflatio mola uteri dicenda non eſt: imo potius ventoſitas. vid. etiam Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 25. p. 458.* Ephemerid. Acad. N. C. *Cent. V. & VI. Obſ. 55. p. 86. ſeq. M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. Schol. p. 13. ſeq.*

§. 3.

Quod autem hactenus de molis ventoſis ſeu partu flatuoſo diximus, idem quandoque etiam de molis aquoſis ſeu de utero ab humoribus aquoſis repleto, tandemque poſt varia *mola aquoſa.*

Sss s 3 partus

partus ſymptomata, cum vel ſine fœtu, ab iisdem liberato ſeu evacuato, ab autoribus narratur; vid. Guil. Fabric. *Obſ. chir. Cent. II. Obſ. 53. ſeq.* quanquam a tali colluvie ſeroſa nonnunquam etiam ipſius uteri ſubſtantia ita diſtendatur, ut tales feminæ a ſe ipſis & aliis perſonis prægnantes judicentur. Tale exemplum refert Rembertus Dodonæus *l. a. p. 120.* inquiens: aquæ in utero collectionem vidimus in vidua quadam, quæ defuncto marito, cum ſe gravidam relictam exiſtimaret, novem menſibus adimpletis, ſupervenientibus partus doloribus, non niſi aquoſos humores enixa eſt, a quibus liberata, lacte ubera repleta haud aliter, quam ſi fœtum peperiſſet. Et *Schol. p. 121.* ita pergit: Utrumque, (ſcilicet aquam cum & ſine fœtu,) nobis obſervare contigit: memini enim nonnullis una cum fœtu copioſum aquoſum humorem ex utero proceſſiſſe, fœtu debili ac non vitali: ſed vidua altera, de qua ſcripſimus, quæ exiſtimabat gravidam ſe relictam, ſolum aquoſum in utero geſtavit humorem. Et ibidem Antonius Benivenius *de abdit. Morb. cauſ. cap. 109. p. 285.* mulieris meminit, quæ, dum aqua inter cutem adeo laboraret, ut nulla de ſalute ejus ſupereſſet ſpes, de eminente loco ad terram devolvitur, & utero ad lapidem eliſo disjectoque ita prorſus omnis effuſus eſt humor, ut quæ puerum octimeſtrem geſtare videbatur, enixam crederes. Præcipua quædam matrona, non diſſentientibus medicis & obſtetricibus, ſe putabat gravidam. Inſtante autem, ut credebatur, partus tempore, plurimum aquæ ex utero prodiit, unde brevi tenuior matronæ evaſit venter, uti refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. Cent. poſt. Obſ. 28. Sch. p. 293.* ubi varia exempla allegantur. vid etiam Joh. Rhod. *Obſerv. Cent. III. Obſ. 55. p. 148.* Hydropem uterinum cum fœtu in propria uxore annotavit Guilhelmus Fabricius, Hild. *Cent. II. Obſ. 56. fol. 128. ſeq.* per cujus feminæ os uteri apertum ultra octodecim libras mercatorum aquæ limpidiſſimæ unico impetu & quidem maximo effluxere, atque in iſto motu fœtus ad exitum ſeſe paraverat. Et poſt-

poſtquam per ſemihoram quieviſſet, rurſus dolore & conatu maxime correpta eſt. Tum primo aqua, quæ fœtum comitari ſolet, ad libras novem effluxa; puellum ſimul peperit robuſtisſimum. Admirandum molæ aquoſæ exemplum refert Zacutus Luſitanus *de Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 152. Oper. f. 80.* femina ſcilicet quædam bene colorata, tumorem uteri magnum paſſa eſt, menſibus ſeptem menſtrua ſunt reſtricta, prægnantem ſe eſſe putabat, donec ad undecimum perveniens, de conceptu deſperans muliercularum conſilio ſyrupum quendam aſſumit; a quo copioſa aquæ citrinæ quantitas, pondo librarum octo per uterum eſt vacuata. Subſidente aliqualiter ventre auxilium idem iterum in majori quantitate eligit, & quidem hoc eventu, ut viginti diebus per uterum velut per perennem fontem, tanta aquæ, ſero lactis ſimillimæ, copia emanarit, ut judicio ſuo quotidie quinque aut ſex libræ profluerent, ſine dolore, ardore, pruritu aut acredine ulla. Sic referente Chriſtophoro Rœslero *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 305. p. 527.* femina quædam gravida, circa quinti menſis finem duos peperit filios eosque mortuos. Præceſſit partum magna copia ſeroſi humoris, ut magna hydria impleretur. Et quæſtoris cujusdam uxor gravida hydropem uteri incurrebat, tanto quidem cum tumore, ut ad mammas usque is ſe extenderet, & abdomen ruptionem minaretur. Tandem gemellos pariebat, unum vivum, alterum mortuum, prodibatque aqua cum impetu ad viginti quatuor libras. Juxta Gothofr. Mœbii *Phyſiolog. cap. 20. p. 540. & 578.* Nobiliſſima quoque matrona quadraginta octo annorum concepiſſe ſibi imaginata eſt, ſiquidem per integrum fere annum venter intumeſcere cœpit & ſexto menſe aquæ copioſius utero exſtillarunt. Abſoluto ſtato pariendi tempore, ſigna omnia inſtantis partus aderant, mammæ turgebant, liquores iterum copioſi utero ſecreti ſunt: Obſtetrix cum adſtantibus puſionem expectabant, at eventu lugubri, nihil

hil enim præter aquas ſecretum fuit,annotante Johanne de Muralto *M. N. C. Dec. II. An.2. Obſ.* 95. *p.*235. Plura ejusmodi exempla etiam in *Muliebr. noſtr. Sect. III. cap. 2.* §. 43. *p.*281. *ſq.* reperiuntur. Ejusmodi exemplum inſuper in Matthiæ Cornacis *Hiſt. VI. p.*256. extat de nobili matrona,in qua,cum a ſeptem menſibus ſe gravidam ſuſpicaretur, ſuppreſſis menſtruis purgationibus, aucto ventre & mammis, aqua per os uteri ſenſim effluxit. Relatio hiſtorica ab Hollingio medico Schrewsburienſi Transactionibus Philoſ. Anglic. inſerta eſt de femina quadam in provincia Schroopshire, ad oppidum Haman habitante, quæ per viginti annos gravida credita fuit, ventre tamen diſſecto, laboraſſe comperta ſpecie hydropis, quæ aſcites dicitur. vid. Conr. Phil. Hoffmann. *de inſignior. Puerper. Tempor. Cap.* 2. §. 18. *p.* 42.

§. 4.

partus hydatidum. Interdum etiam talis aqua non libere in uteri cavitate hinc inde ante excretionem fluctuat, ſed veſiculis ſeu hydatidibus incluſa cum vel ſine fœtu ex utero ejicitur. Talem obſervationem refert Nicolaus Tulpius *Obſerv. medic. Lib. III. cap.* 32. *p. m.* 247. ſc. uxor Philippi Borealis afflicta aliquandiu menſtruis inordinatis peperit tandem pinguem quandam maſſam, continentem in ſe innumeras veſiculas, refertas partim aqua crocea, partim ſolo ſpiritu. Excernebatur autem non confertim, ſed fruſtulatim. Sed partes hæ fuere tam frequentes, ut repleverint ferme integram ejuscemodi ſitulam, qua aquam hauriunt mulieres. In Claudiæ Bernard cadavere uterum plurima aqua turgentem & veſiculis quibusdam purulenta materia prægnantibus diſtinctum, pariterque abdomen multa aqua diſtentum reperit Carolus Piſo, uti refert *Obſerv. de ſeroſ. Colluv. Lib. IV. cap.* 5. *p. m.* 449. Une femme, qui croyant eſtre groſſe de ſix mois, ne vuida dela matrice, qu'une eſpece de mole plus groſſe, que les deux poings, composée de plus de mille veſicules de differente groſſeur les plus petites eſtant comme des grains de chenevy, & des pois, d'autres eſtant dela groſ-

ſeur

ſeur d'une avelline, & beaucoup d'autres de moyenne groſſeur. Il y avoit auſſi comme quelque eſpece de chair confuſe, qui ſervoit de baſe, d'ou prenoit racine une infinité de filamens, où toutes ces veſicules eſtoient attachées, ainſi que la graine des œufs paroiſt dans l'ovaire des poules. vid. Franc. Mauriceau *des Obſervat. ſur la Groſſeſſe Obſervat. 377. p. 222.* Sequentem obſervationem annotavit Nicolaus Venette *de la Generat. Part. III. cap. 4. pag. 440.* Mademoiſelle L. après des preſſantes tranchées rendit environ 200. boules, ou petits œufs ſans coquille. Chaque boule eſtoit attachée par ſe petite queue, qui tenoit à des fibres charnues. La moitié des boules eſtoient groſſes, comme le bout du doigt, & l'autre moitié comme de petits pois, &c. Mulier quædam, cui venter intumeſcebat & menſes retinebantur, conſtantisſime contendebat, ſe in utero geſtare fœtum vivum, quem moveri dicebat; ſexto vero menſe excrevit ab utero ſupra ſeptuaginta veſicas membranoſas ac membranis hærentes, aqua pallida plenas, caſtaneæ quantitatis &c. uti refert Chriſtophorus a Vega *de Art. medend. Lib. III. Sect. X. c. 13. fol. 399.* Civis Aretalenſis filia, viro nupta, ob ſuppreſſos menſes & varia graviditatis ſigna, uterum ſe geſtare exiſtimabat, poſt ſex vero aut octo geſtationis menſes, magnis obortis doloribus, ingentem peperit membranaceum globum, totum aquoſis bullis inſtar ovorum piſcium refertum. Erant autem bullæ rotundæ, tumidæ, pellucidæ, diluta ſanie plenæ, atque per omnem membranam, qua integebantur, diſſeminatæ, tanta quidem copia atque numero, ut comprehendi poſſe nullo pacto viderentur. Diſſectis ſtylo bullis, aquoſa & diluta ſanies fœtens emanabat, ad citrinum colorem inclinans. vid. Franc. Valeriol. *Obſerv. med. Lib. I. Obſerv. 10. pag. m. 103.* Sic femina trigeſimum tertium ætatis annum agens perque tredecim ſeptimanas ſe gravidam putans tandem decem ſibi cohærentes veſiculas aqueas acinorum uvarum mediocrium magnitudine, brevi poſt ingentem numerum harum veſicularum,

denſe ſibi conjunctarum cum hepate uterino excluſit, uti ex communicatione Wepfferi refert Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſerv. 95. p. 236. ſeq.* qui ibidem *pag. 238.* ſimile exemplum in pictoris cujusdam uxore animadvertiſſe annectit, quæ viginti quinqne annorum molam carneam ſemipalmarem, circa quam undique hydatides ovales conſpiciebantur, absque ullo infantis veſtigio abortiverat.

§. 5.

mirabilis. Aliam ejusmodi obſervationem ſub titulo partus mirabilis ex communicatione Antonii Vallisnerii recenſet Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſerv. 38. pag. 73. ſeq.* de muliere 47. annorum temperamenti melancholici, quæ ſe gravidam eſſe juramento credit; poſt ferocia tandem ſymptomata magno niſu ovatum corpus ſuis tunicis involutum, & ovo anſerino magnitudine proximum ex utero expulit, quam expulſionem ingens ac mira veſicularum multitudo immediate ſecuta eſt. Intentis ad ova ſeu veſiculas oculis, tam ingens earum multitudo, tam denſa implicatio viſa eſt, ut nequaquam exacte uumerari potuerint. Cum tamen ſextam ex illis partem numeraverim, quæ ad mille circiter globulos aſcendebat, fas mihi ſit arbitrari, univerſum acervum ſex millia veſicularum continuiſſe &c. Prolixe hanc obſervationem deſcribit ipſe Antonius Vallisnerius *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. III. Obſerv. 32. pag. 60. ſeq.* Aliud adhuc partus veſicularis exemplum ex communicatione Franciſci Veretti exhibet idem Vallisnerius *Ephemer. Centur. IX. Obſerv. 73. p. 164. ſeq.* ſcilicet: Nobilis mulier Ceſenatenſis, temperamenti calidi, ac ab ineunte ætate fere ſemper ſanitatis lubricæ, anno ætatis ſuæ trigeſimo viro nupta puellam peperit, quæ paulo poſt obiit. Sequenti anno rurſus ſibi concepiſſe viſa eſt: poſt largam autem hæmorrhagiam ac repetitos animi defectus, incredibilem veſicularum acervum peperit, ſuis filamentis ac canaliculis connexarum,

quæ

quæ libras quatuor ponderabant. Ovario gallinarum perſimiles erant, aliæ granum ciceris æquantes, aliæ viciæ, fabæ aliæ; quarum aliæ rotundæ, majores vero ovalis erant figuræ, omnesque lympha quadam viſcidula turgidæ. Coctis denſabatur quidem liquor & aliquantulum albeſcebat, ſed non indurabatur, ut albumen ovorum &c. De partu veſiculari ſeu acervo veſicularum, ſedecim librarum pondere, ejusdem Vallisnerii, vid. Act. Phyſ. Med. Acad. Corioſ. *Vol. I. Obſerv. 166. pag. 362.* Meminit etiam Regnerus de Graaf *de Mulier. organ. cap. 8. pag. 249.* mulieris cujusdam, quæ ſecundo vel tertio ingravidationis menſe veſiculam quandam aqua plenam per muliebria, absque placenta excrevit &c.

§. 6.

Ante triginta aliquot annos mercatoris cujusdam Dresdenſis J. G. Schucharti uxor, poſt aliquot liberos editos, denuo partui proxima, ob nimiam abdominis expanſionem nimiumque pondus, ſe gemellos vel trimellos geſtare credebat; cum vero poſt excluſionem fœtus abdomen nec detumeſceret, nec partus dolores remitterent, obſtetrix puerperam meo hortatu ad continuandos niſus ſtimulabat, ſpe alterius ſuperventuri fœtus, cujus tamen loco poſt dimidiæ horæ ſpatium, maximam ſic dictam uvam, ſive ingentem hydatidum copiam, inſtar racemorum, ſibi invicem connexorum, ex utero extrahebat. Erant autem dictæ hydatides ſeu veſiculæ utplurimum rotundæ, nonnulla etiam oblongæ ſeu ovales, atque differentis magnitudinis, ſiquidem a piſorum ad globulorum luſoriorum, nucum moſchatarum atque juglandium, imo ovorum gallinaceorum magnitudinem aſcendebant, & aqua lutea quaſi mucilaginoſa erant repletæ; totaque illa moles quatuor librarum pondus ſuperabat. De pſeudo-partu hydatidum ſequentem obſervationem refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. prior. Obſerv. LXX. pag. 301.* Civis cujusdam *Obſervatio.*

Hagienſis uxor 46. circiter annos habens, poſtquam jam novem menſes fuiſſet impraegnata, multo affici cœpit dolore, quare & obſtetricem ad ſe arceſſi juſſit. Hæc autem cum ipſi inter eos labores jam totum triduum auxilium tuliſſet, nec quicquam appareret vocata fuit alia obſtetrix, quæ poſt exactiorem examinationem nullum fœtum, ſed aliud quid, quod præſentibus ſe illico oſtenſuram ſperabat, adeſſe affirmavit. Poſtea puerperam aggreditur ejusque e corpore magnam hydatidum copiam eduxit, racemorum more ſibi invicem adhærentium, membranis extrinſecus tenuioribus, quam quibus veſtiuntur fœtus, ambientibus. Tales hydatidum racemos *l. a.* Stalpartius delineavit. Idem autor etiam *Cent. poſter. Obſervat. 28. Schol. pag. 290.* de hydatidibus varias obſervationes allegat & recenſet. v. etiam Nicol. Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. III. menſ. Octobr. Obſerv. 8. pag. 126. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſerv. 226. pag. 526. & 536.* Jean Palfyn *dela Deſcript. des part. dela femme pag. 80. ſeqq.* Ephemer. Acad. N. C. *Cent. V. & VI. Obſervat. 55. pag. 86.*

§. 7.

ſibilus crepitus. Ex hactenus adductis flatibus atque humoribus per fermentationem ex utero prorumpentibus interdum ſibilus, crepitus, ſtrepitus vel fragor, item fulgor & flamma proveniſſe leguntur, quales ventos cum ſtrepitu ex feminæ utero & fragorem inſtar bombardæ ex vetulæ pudendo exploſum ex Franciſci Mauricæi & Chriſtiani Franciſci Paullini obſervationibus paulo ante adduximus, quibus adhuc alia annectenda veniunt. Inquit enim Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mortuor. Lib. I. Tit. 9. §. 19. pag. 267.* Humorum in utero collectorum tandem impetuoſa fermentatio mortem inſequitur, tantas ciens turbas, ut aliquando, prout vidi, eorum magna per valvæ rimas egeratur copia. Hinc eſt, quod cum ſonitu aliquando fœtus prodeat, quod obſervatione probat Philippus

Hœch-

Hœchſtetterus *Decad. VI. Obſerv. 3. pag. 686.* inquiens: defecit in partu uxor balneatoris noſtri, a qua viceſima ſeptima a morte hora cum ſonitu mortuus prodiit infans. Mulier quædam nobilis cum ſecundo utero gereret & difficili partu diu laboraret, tandem doloribus victa una cum infante e vita exceſſit; poſt decem autem horas audito magno crepitu infans mortuus duos dentes anteriores in ore habens ex utero matris mortuæ prodiit, vid. Joh. Schenck. *Obſervat. medicin. Lib. IV. fol. 590.* Anno 1645. femina quædam gravida tempore partus dolorem quendam obtuſum cum ſonitu in ventre percepit; embryo vero extra locum proprium protruſus ſtatim exſpiravit, juxta Joh. Laur. Bauſchii *Schediasm. de Lapid. Ætit. pag. 4.* Mulier valens & vegeta quatuor ante partum ſeptimanis, prona & in genua cadens ſonum quendam in ventre, tanquam crepaturam audivit; a quo tempore de pondere potius, quam de dolore ventris conqueſta eſt. Præfixo partus tempore dolores ſenſit, ſed fruſtra, ac tandem ea extincta & aperta abſolutisſimus fœtus in ſanguine materno in medio abdomine natavit, nulla putredine infectus, uti refert Johannes Caſparus Fauſtus *Epiſtol. ad Laur. Strauſſ. de Fœt. Musſipont. pag. 14. ſeq.* Magnum in feminæ parturientis abdomine crepitum audiebant adſtantes, ſecundum obſervationem, quam de piſtoris uxore ſupra de uteri ruptura adduxi. Ingentem etiam crepitum, *Obſervatio.* quaſi uterus diſrumperetur, die vigeſimo Maji anno 1731. non ſolum in abdomine puerpera quædam quintum jam fœtum enixura ſentiebat, ſed obſtetrix etiam & aliæ præſentes perſonæ audiebant, quem ſonitum maximus ſtatim ſanguinis effluxus comitabatur, demumque, poſt aliquot minuta, ſana puella ſequebatur, quæ ſimul cum matre dulciſſima absque ullo extraordinario ſymptomate hucusque optime valet.

§. 8.

De fragore circa fœtus excluſionem annotato ſcribit *fragor.*

Philippus Salmuth *Obſerv. Medic. Cent. II. Obſerv. 36. pag. 75.* retuliſſe ſibi homines fide dignos, in femina quadam in partu extincta editum fuiſſe paulo poſt ingentem fragorem, & cum illo quoque fœtum mortuum excluſum. Curſoris cujusdam uxor annorum viginti in aula comitis de Schaffgotſch anno elapſo, legitimo tempore ad partum ſe accingit, qui ad viginti quatuor horas procraſtinatur; paulo poſt conatus uteri augentur & clinicæ audiunt fragorem ex utero ingentem, ſonitui bombardæ minoris ſimilem, *als wenn man einen Puffer los ſchœſſe,* mox embryonem maſculum excludit ſanum & vegetum. Obſtetrix, quæ ultra 700. mulieribus in partu auxiliatrices præbuit manus, ſe nunquam talem fragorem audiviſſe affirmat, uti refert Chriſtianus Gottlieb Reuſnerus *Ephemer. Acad. N. C. Cent. VI. Obſervat. 32. pag. 258.* quo loco ita pergit: unde fragor ille ſonorus? non immerito quæritur. Judicet benevolus lector, quicquid velit, me quod attinet, ſuppono cum Arniſæo, Pinæo, Guillemeau, Riolano, Paræo, Bauhino, Spigelio, Harvæo, oſſa pubis in partu maxime laborioſo primiparæ a ſe invicem divelli poſſe, non tam ad latera, quam antrorſum, inde fragor iſte concipiendus. Hunc tamen fragorem potius a vehementis ex utero prorumpentis flatus proruptione deducere vellem, ſiquidem Ambroſius Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſerv. 33. pag. 56.* Islebienſis feminæ meminit, quæ per duos annos & tres menſes certam ſibi graviditatem imaginabatur, ex cujus tamen utero tandem poſt vehementem in poſteriora ſeu nates lapſum flatus quidem ſeu ſonitus, ad inſtar bombardæ minoris erupuit, ac nullo ſubſequente fœtus partu venter priſtinam formam recuperavit. Imo ſi talis fragor, ſecundum Reusneri ſententiam, in primiparis tantum ab oſſium pubis divulſione oriretur, cur quæſo ejusmodi fragor non in omnibus primiparis, ſed rariſſime, auditur? cum inſuper talis etiam oſſium pubis in partu diductio ſeu dislocatio ſecundum *Sect. VI. cap. 3 §. 3. ſeq.* a multis adhuc autoribus negetur. Aliud

liud adhuc fragoris in partu cujusdam monſtri exemplum refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. II. An. 6. Append. Obſerv. 41. pag. 48. ſeq.* inquiens: Dominus Johannes Wien, vir integerrimus, mercator olim Iſenaci facile primarius, ſæpius dixit patri meo, ſe anno 1635. vidiſſe honeſtam Batavi cujusdam militis feminam, caſtra virumque ſequentem, quæ ex fœdo moloſſorum a coitu cohærentium aſpectu inſanum territa, in pertinacem febrim lapſa, e qua tandem emergens, ſumma cum moleſtia & cruciatu (præmicante ex utero luculente flamma & ſubſecuto magno fragore, quaſi minus aliquod ſclopetum exploderetur) peperit horrendum monſtrum ſexus ſequioris, ſed extinctum. Ibidem etiam ſequens exemplum recenſetur: Anno 1555. 12. Julii Nebræ in Thuringia Andreæ *Beyers* filia in ipſo partu, jamjam prodeunte infante, magnum emiſit fragorem & flammam. Vel juxta verba Burcharti *Chron. Lib. III. pag. 145. Andreæ Beyers Tochter, welche einen jungen Schuhmacher zur Ehe gehabt, nachdem ſie drey gantzer Tage ſchwerlich und gefährlich in der Geburt eines Kindes gelegen, daß man auch drey Wehmütter zu ihr hat holen müſſen, hat endlich ein todt Kind zur Welt bracht, und gleich im Gebähren unter den gröſten Schmertzen, da das Kindlein über die Helffte gebohren, iſt ein groſſer ſchrecklicher Knall im Leibe der Frauen geſchehen, als wenn man eine groſſe Hacken-Büchſe abſchœſſe, und iſt das Feuer gewaltig aus ihrem Leibe, mit des Kindes Beinen gefahren, auch am Hindern dem todten Kinde Blaſen als die Hüner-Eyer gebrant, der Kinder-Frau Kathrin Hegewalds genannt, den Backen hefftig verſehret, auch das Feuer in der Stube herum gefahren, einen groſſen Stanck, als Pulver und Schwefel gemacht, dabey viel ehrliche Matronen geweſen, auch etliche vom Adel, die ſolches geſehen und zeugen.* Hoc exemplum etiam Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. I. Obſerv. 1. pag. 5.* ex Dreſſero refert, ſcilicet anno 1555. in Thuringia duobus diebus in partu laborantem mulierem, 26. Julii hora tertia matutina puellam peperiſſe,

mox-

moxque edito partu flammam ex utero egreſſam magno ſonitu inſtar bombardæ, maximi fætoris. vid. etiam Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Lib. IV. Tr. II. cap. 3. pag. 457.* & Thom. Bartholin. *de Luce Homin. & Brutor. cap. 18. pag. 158.* ubi ex Cornelio Gemma refert, in Thuringia ex utero mulieris cujusdam, difficili partu laborantis, tam ingentem cum fragore flammam ſurrexiſſe, ut videretur bellicum tormentum excuſſum, atque pueri nates & obſtetricis manus una opera ambuſtas eſſe.

§. 9.

aliud exemplum. Fragoris in utero exemplum, & quidem ab uteri ruptura refert etiam Matthias Cornax *Hiſtor. 1. pag. 228. ſeq.* apud Franc. Roſſet. *de Part. Cæſar.* de femina Viennenſi anno ætatis ſuæ vigeſimo quarto poſt aliquot jam editos liberos denuo gravida, quæ inſtante partus tempore obſtetrice admonente, omnibus niſibus ad pariendum elaboravit, in quibus tamen nimium vehementibus conatibus fragor quidam increpuit ſatis ſonorus, quique non temere argueret, magnam vim vel fœtui, vel matri illatam fuiſſe, vel certe conquaſſatum infantis caput in partes diſceſſiſſe. Ab eo fragore vivacitas fœtus deprehendi amplius nullis argumentis potuit &c.

§. 10.

partus lapidum. Lapides interdum ex utero rejici ſeu naſci vel extrahi, nonnulli teſtantur autores; Monialis ſcilicet quædam non clauſtrata in primo ſenio conſtituta, per plures menſes uterinis cruciabatur doloribus, qui nullo unquam medicamento leniri poterant, tandem ejiciebat ſponte, nulloque adminiculante, per pudendum lapidem ſcabroſum, magnitudine & figura ovi anatini; quo ejecto ceſſarunt dolores, ſuperveniente tamen ex utero fluxione putrida & corrupta cum morte juxta Petri Salii Diverſ. *Annotat. in Donat. ab Altomar. cap. 12. p. 520.* Non

are-

arenulas tantum, ſed etiam quinque lapillos, parvula piſa referentes, cum menſtruis a femina annos quadraginta duos nata, per muliebria excretos vidit Carolus Joſephus Myllerus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſervat. 228. pag. 432.* Calculum fungiformem & ſingularis figuræ a chirurgo quodam ex utero cujusdam adoleſcentulæ extractum, dominoque Breynio, Dantiſcano, donatum annotavit Hector ex Valle. v. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. I. Obſ. 95. p. 187.* De uteri calculo e muliere gravida proſiliente ex Johannis Helwigii obſervationibus allegat Chriſtianus Frid. Garmannus *de Miracul. mort. Lib. III. Tit. 3. §. 80. pag. 1114.* De extractione calculi ex utero ſequentem obſervationem communicat Le Journal des Savans *Tom. I. p. 582. ſeq.* Le Docteur Beale donne avis, que comme on eut fait une inciſion à la matrice d'une femme, on en tira une pierre, qu'elle porte depuis huit ou neuf ans avec des douleurs inſupportables, dont elle a eſté depuis entierement guerie. Il aſſeure, qu'il a vu la pierre, & que pour lors l'ayant peſée, il a trouvé qu'elle peſoit prés de quatre onces, mais que ſon poids c'eſt depuis beaucoup diminüé, & qu'elle eſt devenuë tres-legere pour une pierre de ſa groſſeur. De ſilicibus & lapidibus murariis a puella & femina Gallica madame la Roche per uterum rejectis vel extractis vid. Joh. de Muralto *Scriptor. Chirurg. Hiſtor. 167. p. 486. ſeqq.* & Roſin. Lentil. *Miſcell. med. pract. Part. I. p. 253.* Eberh. Gockelii *Tract. von Beſchreyen und Verzaubern cap. 4. p. 54.* In Norwegia mulier quædam per vulvam calculum excrevit tanta præditum virtute, ut manibus puerperæ detentus, oborto in vola ſudore, potenter fœtum propelleret. Quem calculum ſibi Fridericum III. Daniæ Regem oſtendiſſe refert Thomas Bartholinus *Epiſt. medic. Cent. III. Epiſt. 28. p. 103.* quo loco dictus autor ita pergit: Tanta eſt clementia ſereniſſimæ reginæ, ut non paucis in partus difficultate conſtitutis felici ſucceſſu conceſſerit. An ex utero vel veſica excretus ſit, ſi dubitent ſcrupuloſi, ſciant, certam eſſe de utero

relationem, quæ probabili non caret ratione. De calculis & arenulis copioſis per totam ſecundinæ molem diſperſis vid. Theod. Zwingerus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 137. p. 238.* In agro Sueſſionenſi mulier pariens valde laborabat, confugit illa ad divina auxilia vovetque quidpiam ſeſe B. Mariæ obluturam, ſi tanto periculo eximatur; mox illa primum ab alvo emittit tres lapides, primum anſerini ovi, alterum gallinacei magnitudine, tertium quanta eſt nux, tandem infantem enixa eſt, ut refert Simon Majolus *Dier. canicular. Tom. I. Colloqu. 3. f. m. 42.* Plura de calculis in utero repertis vel ex eodem rejectis in Lithologia noſtra jamjam abſoluta benevolus lector reperiet.

SECTIO VIII.

De procidentia uteri.

CAPUT I.

De *Procidentiæ denominatione & differentia.*

§. 1.

Uteri procidentiæ denominatio.

CUm a partu difficili, de quo *in Sect. VI. Cap. 5. ſeq.* egimus, quandoque etiam uteri ſic dicta procidentia oriatur, de eadem quoque nobis hoc loco agendum venit. Ita autem propterea vocatur, quia obſtetrices ac veteres medici vulgo putarunt, quod in tali caſu uterus ipſe extra ſitum ſuum naturalem progrediatur & ita per pudenda propendeat, ut procicedere obſervetur corpus quoddam rotundum, colore carneo, in medio perforatum, nunc magis, nunc minus, qualem molem verum uterum, ſeu uteri fundum eſſe putarunt. vid. Mich. Ettmüll. *Oper. Part. II. fol. m. 1067.* Quamvis etiam ab autoribus innumera referantur prolapſus uteri exempla, plurimi tamen in eo errant, quod corpus illud extra uterum propendens ſemper verum eſſe uterum ſeu uteri fundum ſibi perſuadent;

cum

cum tamen talis extra muliebria prominens moles ſæpius ſaltem ſit interior vaginæ uterinæ tunica rugoſa; quapropter non immerito nonnulli medici inter procidentiam uteri veram ſeu exquiſitam & notham ſeu ſpuriam & aliis modis diſtingvunt.

§. 2.

Inquit ſcilicet Andreas Ottomarus Gœlicke *Hiſtor. Anatom. Obſerv. 10. p. 224.* diſtinguendum eſſe inter prolapſum uteri ſpurium atque verum, practicis non eſt ignotum; quemadmodum enim in prolapſu uteri vero fundus uteri plane inverſus extra pudendorum muliebrium labra propendet: ita econtra in ſpurio vagina uteri tantum p. n. relaxationem paſſa extra ſinum plus minus prominere conſpicitur. Juxta G. W. Wedelium eſt uteri procidentia vel interna vel externa; hæc iterum vel ſpuria, vel vera; modo vaginæ, modo ipſius uteri. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 91. pag. 181. ſeq.* Ab aliis dividuntur uteri prolapſus tripliciter, in illos, qui in partu, vel poſt partum, vel extra partum contingunt. vid. Henr. von Sanden *de Prolapſ. uter. inverſ. p. 5. & 18.* Triplici quoque modo uteri procidentiam evenire ſcribit Johannes Mauricius Hoffmannus *Disquiſit. Corpor. hum. anatom. patholog. Specim. IX. §. 20. p. 122. ſeq.* vel enim 1) uteri fundus invertitur inſtar chirothecæ & foris prominet, vel 2) cervix & uteri oſculum internum in ſinum pudoris decidunt, vel 3) tunica interna vaginæ rugoſa; nimium a rudi obſtetricis manu, aut a fœtu graviori, aut ab aliis cauſis extra pudendum propendet, & globoſa figura prominula uterum verum mentitur. De differentia procidentiæ uteri ita ſcribit Dionis des Accouchem. *Lib. IV. cap. 7. p. 341. ſq.* Il faut differencier la deſcente d'avec la chute dela matrice. La premiere eſt lorsque le fond deſcendant de ſa place, tombe jusqu'à l'entrée du vagin; & la ſeconde, c'eſt lorsque ce même fond tombant plus bas, ſort entierement dehors; de ſorte que la deſcente n'eſt proprement qu'une relaxation du corps dela matrice, & la

differentia.

chûte en eſt une precipitation. On fait deux ſortes de deſcentes de matrice, l'une quand le fond de la matrice ne deſcend que jusques ſur les caroncules; & alors on ſent une peſanteur dans le vagin: & l'autre quand deſcendant plus bas, l'orifice interne paroit à l'exterieté de la partie honteuſe. Les chûtes ou precipitations de la matrice ſont auſſi de deux ſortes; l'une quand la matrice tombe dehors ſans que ſon fond ſoit renversé: on voit alors ſon orifice interne à l'extremité d'une groſſe maſſe ronde & charnue, qui eſt le corps de la matrice; l'autre eſt, quand cette partie n'eſt pas ſeulement tombée dehors, mais que le fond eſt entierement renversé; en ſorte qu'elle ſemble n'eſtre qu'un grand morceau de chair ſanglante, qui pend entre les cuiſſes de la femme.

§. 3.

Species prima. Mihi autem circa hanc ſic dictam uteri procidentiam quatuor ſpecies annotaſſe videntur autores; quorum quidam uteri prolapſum appellant, quando modo dictæ vaginæ tunica rugoſa, (quæ juxta Pauli Barbette *Prax. Lib. IV. cap. 10. Oper. p. m. 187.* non ſolum penem in coitu amplectitur & melius ſemen ad uterum defert, ſed etiam partus tempore onere ſuo citius infantem liberat; vel potius, mea quidem ſententia, hæ rugæ fœtum egredi allaborantem protrudendo, partum facilitant perque earum plicarum explicationem fœtui ampliorem viam & transgreſſum concedunt) in partu difficili a nimio puerperæ niſu, vel etiam a rudis obſtetricis manu in extrahendis ſecundinis a partibus ſubjacentibus ſeparata vel relaxata in uno vel altero latere verſus vaginæ orificium paululum deſcendit, ita tamen, ut ſine vulvæ labiorum diductione non appareat; quale exemplum præter ea, quæ quotidie occurrunt, refert Baldaſſar Timæus a *Güldenklee Epiſtol. med. Lib. III. Epiſt. 39. p. m. 711.* Femina, inquiens, tertio poſt partum laborioſiſſimum die procidentia uteri laborare cœpit, ita quidem, ut extra vulvam nihil

pro-

propenderet, ſed ad oſtium ſolummodo alarum conſpiceretur corpuſculum glandi virili non abſimile, rima per transverſum inſigne, cui ſi digitus immittitur, retrocedit. Hanc interioris tunicæ relaxationem vulgo, ſed male, herniam uterinam vocare ſolent, mihi vero potius deſcenſus nomen placet. Juxta verba Felicis Plateri *Prax. Tom. III. de Part. Procident. cap. 2. p. 486.* interdum uterus deorſum provolutus paulo ſupra pudendum, vel in eo ſubſiſtit, nec extra illud procidit, illicque tactu cognoſcitur, vel ſaltem leviter ex eo prominet, ſenſimque, niſi ſuccurratur, magis magisque effertur, tuncque uteri deſcenſus appellari poteſt. De corpore quodam carnoſo, magnitudine ovi anſerini, feminæ cujusdam ſinum pudoris poſt partum implente, nondum tamen illius limites egrediente, vid. Joh. Jac. Wepfferi obſervationem in *M.N.C. Dec. II. An. 5. Obſervat. 150. p. 396.*

§. 4.

Deinde etiam dicta vaginæ membrana rugoſa ab utroque latere extra pudenda ſeu vulvæ labia aliquatenus deſcendit, talisque tumor interdum in tantum augetur, ut extra vulvam pendula vagina vaſculum aliquod pyriforme imitetur, & quo major eſt prolapſus, eo anguſtior ipſius radix evadit, quo in caſu non ſemper cum vagina ipſe uterus procedit. Hujus autem vaginæ rugoſæ procidentiam prolongatam ſæpe non ſolum obſtetricibus & chirurgis imperitis, ſed quandoque etiam medicis imponere poſſe, ut ipſius uteri prolapſum ſubeſſe credant, ſatis notum eſt, cujus tamen contrarium autorum obſervationes probant. *Species ſecunda.*

§. 5.

Ejusmodi vaginæ procidentiam refert Georgius Wolffgangus Wedelius *M. N. C. Dec. III. An. 6. Obſ. 91. p. 182.* de femina paupercula, quæ tumore duro quoad vaginam laborare viſa retinebat intus molem, ne prorumperet & negotium faceſſe- *exempla.*

ret, ſubdito & intruſo pomo. Monſtratura vitium medico, halitu retento verſus inferiora niſu facto exhibebat primo pomum cum impetu proſiliens, ſenſim evoluto ipſo molli corpore coriaceo, quod eodem facili obice reponebat, evitans ſic moleſtiam ordinariam, tum in ambulando, tum in corpore reliquo, appulſo frigore. Ubi conſiderandum relinquitur hoc ipſum phænomenum, quod pro lubitu extrudi poſſit aliquando ſolo niſu illo. In virgine quadam prominebat pugni minoris magnitudine uterus admodum inflatus, in ſiniſtra regione introrſum vaginæ arcte adhærens, referente Johanne Georgio Volckamero *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 73. p. 102.* De prolapſo utero ſinui muliebri adnato hiſtoriam refert Philippus Salmuth *Obſerv. medic. Cent. I. Obſ. 77. p. 49.* Mulieri ſcilicet Deſſavienſi procidit uterus & ad latera ſinus muliebris tam arcte alligatur vel adnaſcitur potius, ut nullus prorſus digitus, niſi ex ſiniſtra parte, & parumper quidem adigi poſſit. Quo ſane loco uterus, (velut obſtetrix enunciat) ſpinoſus prorſus deprehenditur. Procidentiam uteri notham affert Johannes Mauric. Hoffmannus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 181. p. 356.* nempe mulier quædam paulo poſt medium geſtationis tempus terminibus ventris forte correpta obſtetricem & matronas aliquot advocari deſideravit, atque parturiendi præſentes creditos conatus, illis annuentibus ſtrenuiſſime proſecuta eſt, ſed irritos, loco enim fœtus expectati per validiora ſuſcepta molimina tunica interna vaginæ uterinæ rugoſa nimium protenſa ſeſe in conſpectum dedit, & extra pudendum pendula adſtantes in ſtuporem abripuit. Perterritæ igitur ſingulæ, cum quid agendum eſſet, animi decem ipſis in pectore incerti, certaſſent, medici expetierunt conſilium: vocatus ego comparui, atque prædictam tunicam ſub rotundo tumore prominulam, præmiſſo congruo fomento, mediante candela cerea ad eum uſum affabre facta blande retrudi curavi. Et paulo poſt idem autor *p. 357.* ancillæ meminit paupercculæ, quæ ante aliquot annos deflorata

ex

ex intentiſſima ſpiritus cohibitione, ſub ponderis gravioris elevatione inſtituta pariter tunicam internam vaginæ uterinæ ultra modum extendit, ut extra pudendum proruperit & inflammationem ſumme dolorificam ſuſceperit.

§. 6.

In Maximiliani Preuſſii, medici Vratiſlavienſis, uxoris *alia.* poſt varios affectus uterinos demum defunctæ vagina uteri tunicam ejus poſteriorem, quaſi ſacculum pyriformem extenſam medici in ſectione viderunt, quæ interdum pondere & flatibus conatibusque alvinis deorſum preſſa prolapſum quaſi uterum, forma rotunda inſtar veſicæ inverſæ & ſummum inflatæ, ſpithamæque longitudine propendentis, repræſentabat. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 226. p. 537.* Prolapſum uteri cum urinæ incontinentia annotavit Thomas Bartholinus *Hiſt. anat. Cent. IV. Hiſt. 2. p. m. 213.* & quidem in ſtatuarii cujusdam uxore, quod vitium a difficili partu, quo quinque diebus miſere fuerat torta, contraxit, cujus curam ibidem deſcribit. De procidentiæ uterinæ præpoſtera cura ſequentem obſervationem refert Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 204. pag. 424. ſeq.* Poſtquam ſexaginta & aliquot annorum anus a multo jam tempore ex lumborum regione acerbiſſime doluiſſet, inſimul autem aliquam uteri procidentiam certis temporibus pateretur, dolores illos utcunque tolerans, huic procidentiæ remedium quæritabat. Pro quo ſcopo obſtetrix quædam globum, qualis caput crepundiorum puerilium (*den Kopff von einem Kinder-Klœpperlein*) conſtituit cera obveſtitum in pudenda mulieris, jam ætate coarctata & anguſtata, violenter intruderet & impingeret, ſperans fore, ut hoc modo uterus in ſede ſua detineretur &c. Vaginæ uterinæ prolapſum poſt partum difficilem communicat Laurentius Heiſterus *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. VIII. Obſ. 66. p. 372.* Vocatus ſcilicet ad mulierem, cui poſt partum laborioſum vagina extra pudendum ſeu orificium

uteri

uteri externum tam vehementer protuberabat, ut omnes præſentes mulieres uterum ipſum extra corpus propendere opinatæ eſſent, orificium vaginæ tantum connivebat, ut facile adhuc aliquot horis a partu quinque digiti manus in apicem conjuncti immitti potuerint. Verum circa hoc orificium vagina uteri inſtar farciminis craſſi in circulum ſive annuli formam complicati, craſſitie trium quaſi digitorum eminebat. Color hujus procidentiæ ex nigro fuſcus erat, fere ut partis ſphacelo correptæ; ad tactum vero nec mollis erat, nec durus, ſed aëre quaſi diſtentus: atque ex his ſignis ac phænomenis ſatis patebat, hanc procidentiam non uterum ipſum, ſed ſolum vaginam eſſe, quæ tamen procidentia ob magnitudinem humorumque in ea ſtagnantium copiam facile in gangrænam, ſphacelum & conſequenter mortem transire potuiſſet, niſi quam citiſſime auxilium latum eſſet. Ibidem etiam *Obſ. XCVIII. p. 459. ſeq.* exemplum de uteri vaginæ tunicæ rugoſæ procidentia, verum uteri corporis prolapſum referente, recenſet Johannes Guillielmus Widmanus.

§. 7.

item. Uteri lateralis portionem in partu procidentem obſervavit Fridericus Ruyſchius *Obſervat. chirurg. XXIV. p. 31.* Mulier, inquiens, quædam in platea Judæorum, lata vulgo dicta, in partu verſans a conatibus vehementioribus incidit in tumorem durum, minoris pugni magnitudine, idque ſolummodo in latere dextro vulvæ. Hoc viſo tumore, obſtetrix me vocari juſſit, neſciens quid eſſet. Prima fronte placentæ uterinæ portio mihi videbatur, quæ non raro exitum ante fœtum quærens, mihi fere impoſuiſſet; aſt vero re penitius inveſtigata, veram lateralem uteri portionem eſſe deprehendi: quod eventus quoque edocuit: fœtu enim in lucem edito ſtatim ad naturalem rediit locum, patiensque convaluit ſine ulla ulteriori fomentatione; qua uſi ſumus in partu, ne pars uteri prolapſa gangræ-

gangrænam conciperet. Ex magnificæ dominæ, ætatis annorum triginta, menſtruorum ſuppreſſione laborantis atque pro gravida habitæ, utero propendulo humores fœtidos excretos annotavit Nicolaus Guilielmus Beckers *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſerv. 32. pag. 58.* Tria prolapſus uteri exempla refert Guilhelmus Fabricius Hildanus *Obſerv. chirurg. Cent. IV. Obſerv. 60. ſeq. fol 334. ſeq.* Plura exempla collegit Theophilus Bonetus *Medicin: ſeptentr. Part. II. Lib. IV. Sect. I. fol. 21. ſeqq.* Mulieri cuidam uterum prolapſum totum foras ad humani capitis magnitudinem pependiſſe, ac ſic hanc aliquot annos miſere vixiſſe, meminit Antonius Benivenius *Obſervat. medicin. cap. 9. Annot. pag. 156.* Ita etiam ſcribit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſervat. med. phyſ. Lib. I. Obſervat. 20. pag. 47.* Sanavi olim Lugduni in Batavis feminam juvenculam, quæ præter mille alia incommoda, vehementi quoque & vaſta vaginæ uteri procidentia laborabat; tantum vero abfuit, ut hoc conceptum partumve impediret, ut contra ſingulis annis domum filio augeret, ſæpe etiam abortiret. Illa quamvis laborioſiſſime pareret & decretorie, non aliud remedium procidentiæ quærebat, quam graviditatem, cum hac enim ipſa lente tumor retrahebatur ſeque in alvum condebat, mox iterum ad partum rediturus.

§. 8.

De vaginæ uteri extenſione ſequentem obſervationem annotavit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rarior. 68. pag. 295.* ſcribens: Cum anno 1667. ad nautæ cujusdam uxorem Hagam inter ac Delphos habitantem fuiſſem vocatus, ipſi a partu etiamnum recenti, magnum in ipſius uteri vagina tumorem eſſe comperi, non ſine ejusdem exitu, extra corpus enim propendebat ovo ſtruthio-cameli ſimili, ac purpuraſcentis lividique erat coloris. Chirurgum itaque arceſſi, prædixique haud dubie mox gangrænam inſecuturam, atque illico *item.*

chirurgus, Nicolaus Wintercamp Riſvico veniens adfuit, qui, me præſente, dictum tumorem variis in locis incidit, ne ſentiente quidem muliere. Nos vero tumorem illum coagulato ſanguine reperimus refertum, poſt varia tamen cataplasmata fomentaque indeque factam ſeparationem carnisque accretionem dicta mulier intra menſis ſpatium convaluit, pluresque dein liberos peperit. Obſervavit etiam Carolus Muſitanus in quadam muliere hanc tunicam totaliter e ſede ſua divulſam & gangræna penitus conſumptam, in qua poſt triſte fatum culter anatomicus, quia medentes obſtinate uteri procidentia deceſſiſſe aſſeverabant, uterum minime e ſuo loco prolapſum pateſcit. vid. ejusdem Muſitani *Tract. de Morb. Mulier. cap. 7. pag. 164.* Quædam femina uteri prolapſum patiens globum cereum, magnitudinis pilæ palmariæ in uterum magna vi introduxit, eumque per decennium geſtavit, a morbo prorſus libera: quod poſt ipſius obitum ex diſſectione cadaveris, cum ex febre continua interiiſſet, fuit compertum, inventoque in utero globulo prædicto ſoror ipſius aſſeruit, eum ante decennium fuiſſe in uterum introductum & continuo geſtatum, uti refert Lazarus Riverius ex Dionyſii Pomaret *Obſerv. commun. 11. pag. m. 355.* Meminit etiam Ambroſius Paræus *Theſaur. Chirurg. Lib. XXIII. cap. 40. fol. 526.* curatam a ſe juvenem mulierem, cui ovi gallinacei magnitudine extra vulvam uterus propendebat, tantumque curatione profeciſſe, ut poſtea pluries conceperit, pepererit, nec denuo uterus relapſus ſit. Econtra Wolfgangus Gabelchoverus *Curat. Cent. II. Obſerv. 44. pag. 63.* mulieris cujusdam meminit, quæ in pariendo uteri procidentiam paſſa, convenientibus autem auxiliis ita reſtituta fuit, ut per intervalla tamen adhuc conciperet. Ab illo vero tempore in ſpatio quinque annorum ipſa nunquam amplius peperit.

§. 9.

De procidentia vaginæ uterinæ ita ſcribit Laurentius Hei-

Heiſterus *Chirurg Part. II. de Operat. cap. 144. pag. 675. Der Vorfall der Mutter-Scheide wird offt mit dem Vorfall der Mutter* confundir*t, indem die Weiber und Hebammen beydes einen Vorfall der Mutter zu nennen pflegen: welche aber leicht von ein ander kœnnen unterſchieden werden, wenn man aus der* Anatomie *die Mutter kennet. Denn der Vorfall der Mutter-Scheide iſt nur eine* Relaxation *derſelben, durch welche ſie faſt, wie manchmahl der Maſtdarm, verlængert wird, und aus der Geburt hervorhænget. Es iſt aber dieſe Verlængerung oder Vorfall zweyerley Art: Denn bisweilen verlængert ſich ſelbe in der gantzen* Circumferenz, *und hænget wie ein Krantz von rohem Fleiſch zur Geburt heraus, nun mehr, nun weniger verſchwollen: und wo ſolche Schwellung oder Entzündung groß iſt, kan der Brand darauf erfolgen; wo aber keine Verſchwellung da iſt, oder doch ohne Entzündung, tragen ſelbige die Weiber offt lange ohne ſonderbare Beſchwerlichkeit: Manchmahl aber verlængert ſich die Mutter-Scheide nur an einem gewiſſen Orte, und wæchſet alſo zu der Geburt heraus, daß ſelbige einem Vorfalle der Mutter ſelbſten gleichet, gleichwie hiervon eine* curieuſe Obſervation *bey* Meekren *cap. 55. zu ſehen, welche aber mehr vor eine* Excreſcentz *zu halten, und læſt ſich leichte von dem Vorfall einer umgekehrten Mutter unterſcheiden, weil derſelbe nur allein bey der Geburt, und zwar jæhling, dieſe Anwachſung aber oder Vorfall der Mutter-Scheide nach und nach, und auſſer der Geburts-Zeit entſtehet.* Et Johannes Mauricius Hoffmannus *Anatom. Patholog. Specim. IX. §. 20. pag. 123.* inquit: tunica vaginæ interna rugoſa aut a rudi obſtetricis manu, aut a fœtu graviori, aut gemello, aut diutius ibi ob viarum anguſtiam hærente, aut a parturiendi itemque alvum egerendi niſu validiori extenſa, aut ab humoribus ſeroſis illuc copioſe confluentibus relaxata, aut a prægreſſo diuturno fluore albo eroſo extra pudendum propendet & globoſa figura prominula uterum verum mentitur.

differentia uteri & vaginæ.

§. 10.

maxima. Sæpiſſime etiam talis vaginæ procidentia tanta eſt, ut ſimul uterus ipſe prolapſus in ea detineri videatur & judicetur, qui tamen poſt ſectionem ibidem non reperitur; quale exemplum ex Roonhuyſen recenſet Jobus a Meekren *Obſerv. med. chir. cap. 54. p. 249. ſeq.* de femina 35. annorum, cujus pudendis unitum corpus inſigne, ponderoſum fœtidumque collo tenui deorſum extenſum; quod uterus habebatur omnibus ad pedes prolapſus; in qua etiam ſententia perſiſtere placuit variis, poſtquam exſtirpatum, maxime quod uteri cornua, vaſa cœca, cum teſticulis in eo obſervaſſe ſe ſibi perſuaderent; cui tamen nobiſcum alii ſe opponebant, eo quod, ſiquidem poſſibilis eſſet uteri procidentia, partes dictæ exterius haud forent conſpicuæ, ſed in inverſo continerentur utero; alia dependens hæc, ibique *pag. 251.* depicta moles ipſius uteri corpus haud eſſet, ſed ſola ejus tunica interna, dum in ſtatu ſano reliquis unitur, variis modis rugoſa, extra pudenda, plicis variis ſolutis, ipſaque a ſubjecta tunica media ſeparata prolapſa, Jobo a Meekren probabilis videbatur. Hujus ponderis exſtirpationem ob ſummum fœtorem dicta mulier urgebat. Qua peracta poſt quartum diem Deo animam exhibuit; in anatome autem diſſectis ventris imi integumentis, nihil in utero quoad externa obſervare licuit, quod conſtitutioni morboſæ annumerari poterat. nihil hic deficiebat, non ſolum in utero ipſo, ſed & vicinis partibus generationi dicatis; coloris erat albicantis, pyri complanati figuram habens. Corpus autem quod erat exſtirpatum portio fuit vaginæ uterinæ & quidem tunicæ internæ rugoſæ. Simile quoque exemplum dictus autor *p. 248.* ex communicatione Franciſci van der Schagen recenſet, lectu dignum, de his verbis: Ante annos aliquot cadaver aperui mulieris alicujus conſiſtentis ætatis, hydrope imi ventris extinctæ, quod jam a longo tempore uteri procidentia laboraſſet, omittere haud

haud potui, quin in veram ejus conſtitutionem inquirerem, diſſecto proinde abdomine, inteſtinis ad latera inclinatis, uterum non ſolum quoad externa legitime ſe habentem reperi, ſed & loco debito collocatum; at, quod pudendi labiis continebatur, pro utero prolapſo ſemper habitum, nil niſi vaginæ ſeu colli uterini partem eo extenſam notavi, quale quid, dum laxantur tunicæ, facile contingere poſſe, quivis concedet.

CAPUT II.

De
Inverſione vaginæ cum uteri prolapſu.

§. I.

Tertio vero meliori jure uteri prolapſus appellari poteſt, quando tota uteri vaginæ relaxata invertitur atque nimis longe, interdum ad capitis infantilis magnitudinem vel ſpithamæ longitudinem extra pudenda propendet & interdum ad genua usque extenditur, quo in caſu etiam ſæpe uterus ſimul prolabitur, & nonnunquam adeo, ut ipſius uteri orificium in conſpectum veniat, licet ipſe uterus non ſimul invertatur, ſed in vagina inverſa hæreat. Ipſum autem uterum in tali vaginæ procidentia ſimul prolabi, defendit Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 10. p. m. 270.* inquiens: Reperiuntur, qui ob ſarcomata aut alias vaginæ excreſcentias aut protuberantias quandoque a ſe obſervatas, uteri prolapſum omnino negant, aut adeo raram pronuntiant, ut vix aut ne vix quidem eam unquam contingere credant; quorum tamen opinioni calculum noſtrum non apponimus; quandoquidem ratio dictet, humores a toto corpore defluentes ligamenta uteri humectare ac relaxare poſſe; & experientia confirmet, in locis humidioribus hunc morbum ſatis familiarem eſſe: meminimus namque nos uno tempore ad quatuor diverſas filias, quarum

Procidentiæ ſpecies tertia.

an uterus ſimul procidat?

virginitas innoxia habebatur, vocatos fuiſſe, quæ uteri prolapſu laborabant: quibus partim fomentis adſtringentibus, partim annuli cerei in pudenda immiſſione non vulgare attulimus auxilium. Si nobis objiciant, non uteri ſed vaginæ prolapſus, quos ſtatim retulimus; petemus, an utero in ſua ſede permanente vagina in tantum extrahi poſſet, ut extra pudendum propendeat? ſi vero uterus ſimul naturali ſuo loco deſcendat, deſcenſum hunc uteri prolapſum vocamus, qui prout major vel minor eſt, ſic uterus aliquando ad mediam vaginam, interdum ad usque vulvæ orificium, nonnunquam denique totus extra vulvam prolabitur. Scribit etiam Felix Platerus *Prax. Tom. III. de Part. procid. cap. 2. pag. 486.* Uterus ſeu matrix, cum ſua cervice per pudendum mulieris aliquousque interdum elabitur, diciturque uteri procidentia, ſeu prolapſus vel exitus. Quod cum ſit, tunc cervix ipſius inverſa, craſſa, majori ex parte albida, alicubi tantum rubens, conſpicua fit, eaque tumida pudendi rimam opplens, atque aliquando totam obturans, a qua ſacci inſtar nunc ſpithamæ longitudine, alias paulo minus dependet, uterusque illi incluſus ſaltem baſi ſua in fundo hujus ſacci ſe manifeſtat, atque orificium illius ſubrubrum & veluti cruentum labiis tumidis, illic in medio baſis prominens, apparet, ſicuti hoc diligenter conſiderans aliquoties obſervavi.

§. 2.

multi autores negant. Hunc tamen ipſius uteri prolapſum nonnulli autores penitus negant. Inquit enim Johannes van Horne *Microtechn. §. 28. p. m. 467.* circa uteri procidentiam hoc monendum habeo, vix ac ne vix quidem, imo omnino non, contingere poſſe, ut uteri corpus propendeat extra vulvam: atque proinde non adeo frequentem eſſe hunc affectum, ac vulgo creditur: cæterum decipiuntur obſtetrices, & cum iis magna pars medicorum a vagina rugoſa uteri, quæ poſt difficilem partum

tum, aut etiam ab imperita obſtetrice, a ſubjectis partibus avulſa, accedente pituitoſorum humorum affluxu ita extenditur (quod in palpebra inferiore ſæpe contingere videmus) atque in tantum ſæpe augetur hoc malum, ut extra vulvam pendula vagina imitetur vaſculum aliquod pyriforme; nam quo major eſt prolapſus, eo radix ipſius anguſtior fit: ac proinde cum ob gangrænam abſcindere eam cogimur, parvo admodum periculo idem fit. Secundum verba Michaelis Ettmülleri *Colleg. Pract. Oper. Part. II. fol. m. 1067.* uteri procidentia vocatur, quia communiter putant, quod uterus extra ſitum ſuum naturalem ferme progrediatur, exeat & ita per pudenda propendeat, ut procidere obſervetur corpus quoddam rotundum colore carneo in medio perforatum, nunc magis nunc minus; qualem molem verum uterum, ſeu uteri fundum eſſe putant. Verum illi ſane errant, quamvis illam communem opinionem defendere conetur Grafius, argumentis tamen maxime imbecillibus, nam propter firmam uteri circa os ſacrum connexionem, uterus plane eſt immobilis ejusque prolapſus impoſſibilis, & quidem a cauſa interna, niſi concurrat inſignis violentia externa, a qua potius fit uteri protractio, quam prolapſus; quæ procidentia communiter dicta minime ipſi utero competit, ſed tantum vaginam uterinam afficit. Ipſius uteri procidentiam negat etiam Johannes Baptiſta Verduccius *des Operat. dela Chirurg. cap. 35. pag. 160.* inquiens: en parlant des maladies dela matrice, nous avons fait voir contre l'opinion commune, qu'elle ne pouvoit pas tomber, & que ce que l'on appelle fauſſement deſcente dela matrice, n'eſt qu'un relachement ou un allongement du vagin. C'eſt une verité ſi conſtante, que toutes les fois, que la neceſſité a obligé d'emporter une portion de cette partie, on a toujours trouvé la matrice dans ſa place naturelle, lors qu'on a fait l'ouverture du cadavre de ces femmes. L'on voit donc par là, que ce n'étoit pas la matrice, que l'on avoit coupée, mais ſeulement une

partie

partie du vagin. vid. etiam ejusdem autoris *Suite de Patholog. de Chirurgie cap. 42. pag. 1058.* Uteri prolapſum negat etiam Johannes Dolæus *Encyclopæd. med. Lib. V. cap. 1. pag. 860. ſeq.* Uteri, inquiens, procidentia dicitur vulgo & falſo prolapſus ipſius uteri, cum potius ſit interioris & rugoſæ vaginæ a ſede ſua & loco, quo ſecundum naturam contineri debet, extenſio; nunquam enim uterum prolabi poſſe, ſequentia, evincunt argumenta, tum propter ligamenta, quibus uterus vicinis ſuis partibus annectitur, quæ ne ſumma quidem vi quandoque ab illis avelli poſſunt, tum propterea, quod uterus inverti inverſusque per ſuam cervicem & oſculum internum decidere nequeat, ligamenta enim illa ob loci diſtantiam non ad ſpithamæ longitudinem relaxari poſſunt; pleraque ergo uteri procidentia, quæ vulgo ſic dicitur, tantum vaginæ procidentia eſt; ſi enim uterus prolapſus ſit, non tam facile reponi, neque inverti, aut curari poſſit, ut nunc quotidie obſervamus. Imo ipſe, (pergit idem Dolæus) obſervavi in femina (vetula) Francothalenſi, uteri procidentia laborante, in qua etſi totus uterus prolapſus viſus fuerit, tamen ſubjecta cultro anatomico uterum ſuis ligamentis firmiter annexum inveni. Et Carolus Muſitanus *de morbis mulier. cap. 8. pag. 162.* ita ſcribit: uteri procidentiam ab omnibus fere medicis, tam antiquis, quam neotericis hactenus decantatam invenimus; verum iſti oculos glaucomate obfuſcatos habuiſſe credimus, & non mirum, ſi quid pro quo, vel pro cete cancrum aſpexerint; aſpexerunt nempe aliquid rugoſi & membranei ab interiori colli uterini parte verſus pudendum propendere, quod pro utero ipſo acceperunt, & adhuc quotidie omnes fere vulgares vana ſpe deluſi etiam pro utero habent. Reſipiſcant, quæſo, imperiti medentes, & his rationibus palinodiam canant. Modo allegatus Verduc *Tr. de l'Uſage des Parties Tom. I. Chap. 16. pag. 247.* inquit: Il eſt faux, que le fonds dela matrice tombe tout-à-fait au dehors dans les filles, & dans les femmes, qui n'ont jamais

jamais eu d'enfans; il eſt vray, qu'il y a des groſſeſſe, où l'orifice interne deſcend fort avant dans le vagin, & quelque fois dans des accouchemens laborieux, la matrice peut ſe relâcher un peu par les violences dela ſagefemme. Mais que cette partie tombe tout-à-fait au dehors, c'eſt ce qui ne peut arriver. Il n'y a ſeulement que le vagin, qui ſe relâche par des obſtructions, & qui fait cette groſſe tumeur, que l'on appelle vulgairement chûte de matrice. Le ſang, qui s'écoule dans les femmes, qui ont cette incommodité, ne vient donc pas du fonds dela matrice, puisqu'on le voit ſortir du vagin. Sic Heinricus a Roonhuyſen *Obſ. Chirurg. Part. II. p. m. 88.* ait: ſe credere non poſſe, quod uterus unquam extra prolabi queat; & quod autores talem uteri procidentiam affirmantes pauca mulierum in partu defunctarum corpora ſectione aperuerint; imo, ſi in feminis gravidis ipſarum uteri magnitudinem atque craſſitiem bene attendiſſent, nunquam ſententiam affirmativam, ſed potius negativam defendiſſent. Id quod etiam, dum ea, quæ de uteri prægnantium feminarum indies aucta magnitudine & craſſitie in Muliebr. noſtr. *Sect. III. cap. 2. §. 19. ſeq. pag. 238. &* *243.* adduximus, recte conſidero, libenter Roonhuyſio concederem, niſi probatiſſimorum medicorum autoritas & exempla obſtarent.

§. 3.

Theodoro enim Kerckringio *ad Obſerv. 20. pag. 47. Spicilegii* ſequentibus verbis reſpondet Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 25. fol. m. 138.* Uteri procidentiam ab omnibus medicis hactenus decantatam ſtrenue negat Kerckringius, & phalerato ſarcasmo nimis ſalſe invehitur in Laurentium, Veslingium & Bartholinum, quaſi hac de re admodum male judicaſſent, dicitque laxitatem quandam colli, quæ extra pudenda prominet, hæc ludibria facere. Verum reſipiſcat, quæſo, doctiſſimus vir, & palinodiam canat, nam quia *affirmatur ab aliis.*

nunquam vidit uterum prolapſum, ſatis temere & nimis petulanter irridet alios iſtius rei oculatos teſtes, ac præſtantiſſimos medicos, illo ipſo tum in praxi, tum in theoria, longe verſatiores & peritiores. Eadem judicat etiam Jean Palfyn *des part. de la femme Part. II. p. 65. ſeq.* Theod. Kerckring rejette entierement la chûte de la matrice, la quelle neanmoins tous les anatomiſtes ont reconnu jusques à preſent. Il s'emporte avec excès de chaleur ſur ce point contre Andre du Laurens, contre Vesling & Bartholin, comme ſi entre tous les autres ils avoient le plus mal jugé ſur ce ſujet, & dit, que c'eſt le relachement du col de la matrice, qui s'alonge, qui paroiſt en dehors, qui donne occaſion à cette reverie. Mais il faut que cet homme docte revienne de ſon opinion, & qu'il n'ayt point de honte de ſe dedire; parce qu'il n'a jamais vû de chûte de la matrice, il ſe moque aſſez effrontement, & d'une maniere trop injurieuſe, de ceux qui l'on vû de leurs propres yeux, & qui d'ailleurs ſont medecins de tres-grande reputation, & ſans doute beaucoup plus versés que luy, ſoit en pratique ſoit en theorie.

§. 4.

exempla. Quantum autem autorum exempla attinet, refert Fridericus Ruyſchius *Obſerv. anat. chirurg. Obſerv. 9. p. 15.* ſequentem veri uteri e corpore ſubinde prolabentis obſervationem: Mulier quædam aliquot abhinc annis per foſſam (vulgo dictam de nieuwe Zijds Achterburgwal) incedens, in uteri totius prolapſum incidit, cujus magnitudinem & figuram appoſui, ne quis poſthac anceps hæreret, aut negaret, uterum poſſe prolabi. Miſera ulterius progredi cum non poſſet, ante fores patris clariſſimi viri domini Francii, profeſſoris celeberrimi, remanſit, donec adveſperaſceret. Rogante ancilla, ecquid damni obvenerit, & quare tam diu ante ædes remoraretur, non dubitavit affectum ſuum ancillæ revelare, & hæc heræ ſuæ, dicti profeſſoris

ris matri; quæ miſericordia commota eandem in domum ſuam recepit, obſtetricemque advocari juſſit, ut uterum prolapſum reponeret; aſt incaſſum, haud enim propter magnitudinem potuit. Poſthac ego vocatus eundem ad naturalem ſitum reduxi, atque ægra, partibus rite munitis, illico domum rediit, ſine notabili incommodo. Verum autem uteri prolapſum primario exinde cognoſcere licet, quando in prolapſæ atque inverſæ vaginæ parte extrema uteri cervix ſeu internum orificium apparet, per quod nonnunquam ex ipſius uteri cavitate aliquot menſtrui ſanguinis guttulæ effluunt: Quale exemplum recenſet idem Ruyſchius *l. a. Obſ. I. p. 1. ſeqq.* de octogenaria calculoſa, præ dolore admodum emaciata, & a viginti annis propendentiam uteri perpeſſa, cum intolerabili mingendi difficultate & cruciatibus, ita ut ægra emori maluerit decies, quam hoc diutius perpeti, præſertim poſtremis duobus annis. Tandem anno 1681 Ruyſchium vocari juſſit de uteri propendentia & mingendi difficultate conquerens; Vetulæ vero querelas ipſe mirabatur, quoniam nunquam a ſolo uteri prolapſu ita dolere ſolent mulieres, verendumque eſſe adjecit, aliquid mali præter uteri prolapſum hactenus in alta nocte latuiſſe. Hiſce auditis miſera viſum & ulteriorem explorationem non renuit, oſtenditque Ruyſchio uteri juſto majoris prolapſum, eadem forma & magnitudine, qua illum per ſculptorem ibidem expreſſit. Uterus totus quantus e corpore propendebat, ſine ulla veſicæ portione. In uteri autem e corpore propendentis infima parte internum ejusdem orificium depictum cernitur. Dictus autor etiam alios ejusmodi caſus *l. c.* communicat. v. g. *Obſ. VII. p. 15.* uteri ſcirrhoſi, qui in magnam molem auctus extra pudendum propendebat. Mulieri, triginta circiter annos natæ, uteri admodum incraſſati propendentia tantam afferebat moleſtiam, ut incedere vix potuerit. Huic ægrotæ brevi poſt operationem denatæ, cadaver Ruyſchius aperuit, ipſique, quid de uteri procidentia ſtatuendum ſit, perſcrutandi locus fuit;

de qua ſequentia ſcribit: notum eſt, multos reperiri, qui perhibent, uterum ipſum nunquam e corpore poſſe prolabi. Ex iis, qui contrarium propugnant, nonnulli, in prolapſu uterum quoque inverti, alii uteri prolapſum nil niſi vaginæ propendentiam eſſe, aſſerunt. Litem diſſipavit cadaver hujus miſerandæ feminæ, aperto enim abdomine, in pelvi; qui locus eſt uteri, nil vidimus, præter unum ex ovariis, cum annexa tuba & ligamento lato. Uterus totus quantus & non inverſus propendebat, & adeo deformis, ac ingens factus, ut nunquam ante cadaveris apertionem uterum eſſe dixiſſem, niſi in extimæ partis centro oſculum conſpexiſſem, e quo levi opera guttulas aliquot ſanguineas exprimebam. Orificium uteri internum etiam in illo exemplo, cujus paulo ante ex ejusdem autoris obſervatione meminimus, ibidem *p. 16* depictum reperitur. De ore uteri in partu prolabente inquit idem Ruyſchius *Obſ. XXV. p. 32.* Placentam uterinam, imo collum (vagina dictum) in partu ante fœtum ſæpiſſime exire notum eſt. Verum enim vero mirari ſubit, os uteri internum in partu idem moliri, quod aliquoties obſervavi. Mirum dictu, quanta monſtroſitate ſeſe offerat eo tempore dictum uteri os & quanta circumſpectione opus ſit in tali partu, norunt ii, qui hiſce nobiſcum adfuerunt caſibus. Idem auctor etiam *Theſaur. anat. VI. Tab. 4. Fig. 2. p. 89.* uterum depingit, qui e corpore cujusdam mulieris prolapſus fuit.

§. 5.

alio. Ex prolapſu uteri, quo ejusdem orificium internum aliquatenus prominebat, uxor quædam a marito ſuo, homine ſimplici, pro hermaphrodita accuſabatur, quod ſecundum Baldaſſ. Timæi a *Güldenklee Reſponſ. XXXVII. Oper. p. 1068.* facillime oriri potuit, ſiquidem cervix uteri ſignum mentulæ ſive penis, fundus autem ſcroti quodammodo præſentat; unde etiam mulierum partes procreationi dicatas a virorum genitalibus ſitu

tan-

tantummodo differre exiſtimarunt veteres, quod his foris prominеant, illis vero, ob naturæ debiliorem vim frigidamque temperiem, intus lateant. Et Galenus orificium uteri internum glandi virili perſimile eſſe ſcribit. In alia muliere juvene, habitus tenuis, quatuor menſes uterum gerente, uterum cum concepto fœtu deſcendere & ex pudendis tumor inſtar ovi gallinacei erumpere ſentiebatur, qui inceſſum impediebat, ita ut non niſi divaricatis cruribus, cum dorſi dolore inſigni, ambulare poſſet; tandem quadrimeſtrem abortum fecit, levi de cauſa etiamnum prolabente utero, juxta Joh. Nicol. Binninger. *Obſerv. medicin. Cent. IV. Obſ. 38. p. 414.*

§. 6.

Ejusmodi vaginæ uterinæ inverſio ſæpe poſt partum annotatur, qualem enormem vaginæ univerſæ propendentiam refert Adamus Brendelius *Obſerv. med. Dec. I. Obſ. 7. p. 22.* Mulier, inquiens, quinquaginta, & quod excedit, annos nata poſt partum difficilem tumorem ex pudendis propendentem ſentit, quem initio negligit, paulo poſt vero tumor hic magnitudinem duorum ad minimum magnorum pugnorum æquabat, qui adeo foras propendebat, ut etiam uteri os conſpici & digitis contrectari potuerit. Inciſo poſt mortem cadavere, vaginam uteri & eam ad os uteri usque inverſam, procidiſſe, intusque aqua repletam fuiſſe, apparuit, quæ, retruſa & intromiſſa vagina, in pelvim refluebat, uterus, paululum quidem durior erat, ſed ſedem ſuam non mutaverat. Uteri procidentiam obſervavit etiam Johannes Conradus Peyerus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 84. p. 197. ſeq.* Accidit, inquiens, anno 1682. ut in xenodochio Scaphuſiano vidua decumberet, ex diuturna & gravi uteri procidentia laborans. Primum quidem, cum uxor adhuc marito frueretur, leve malum fuit, nihilque aliud, quam vaginæ laxamentum, poſtea vero conceptione & partu iteratis paulatim ita degeneravit, ut vagina omnis inverſa prominе- *item.*

ret & inter femora nutaret. Procidentiam ægra ſibi identidem ipſa repoſuit, & pila cerea utcunque firmavit, donec noviſſime difficulter parturienti uterus edito fœtu in vaginam dependulam prolaberetur. Penſilis maſſa carnis ſpithamam æquavit longitudine, craſſitiem utraque manus facile complecti non potuit, tantumque doloris & moleſtiæ ægrotanti creavit procidentia, ut ſubinde mortem præoptaret. Interne per patulum uteri orificium menſtrua ſtatis temporum intervallis promanarunt. Matricem autem extra pudenda delapſam manibus noſtris aliquoties palpavimus, quæ tamen inverſa haud erat, ut oculis conſpici poſſet, ſed latens intra vaginam propendulam tractari potuit & comprehendi manibus. Ita ſcribit etiam Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib. II. cap. 35. fol. m. 199.* Corpus uteri relaxatis ligamentis intra cervicem laxiorem & ampliorem corpore uterino devolvitur & extra orificium externum prominet atque propendet, ut ſæpe obſervavi.

§. 7.

uteri procidentia imperfecta.

Uteri procidentiam imperfectam reperit Gerardus Blaſius, defunctæ puerperæ ventrem aperiens, quæ die præcedente hora quinta poſt partum obierat, edito fœtu optime valente. Exhibuit ſe hic uteri fundus ad interiora illius converſus ſicque ad pudendum usque prolapſus, adeo ut vagina toto corpore hoc uteri inverſo repleretur, quod etiam arcte adeo a contracto utero detinebatur, ut non niſi robore ſummo atque violentia, ope per pudendum immiſſi inſtrumenti, ſurſum detrudi, ſicque in naturalem locum reduci potuerit. Imprudentiæ obſtetricis, an vero nimis arctæ cohærentiæ ſecundinarum cum uteri membrana interna, hoc malum adſcribi debeat, non meum determinare, hoc tamen addo, retuliſſe adſtantes mulieres, quæ in partu obſtetrici auxiliares fuerant, quam primum fœtus in lucem prodiiſſet, exclamaſſe obſtetricem, adhuc alium in utero hærere fœtum, ſicque extra pudendum protraxiſſe corpus

pus aliquod rubrum, ad cujus adſpectum conſternatæ adſidentes imperitiæ illam accuſarunt, ab opere deſiſteret, ſerio admonentes, quod etiam fecit, poſtquam, in quantum vel per uteri contractionem, vel per ignorantiam licuit, extra pudendum dependens, introrſum iterum compulit. vid. *Blaſii Obſerv. med. Part. III. Obſ. 2. p. 44.* Inquit etiam Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. I. cap. 25. fol. m. 138.* ſe in concubinæ ſatrapæ Leerdammenſis uterum ad duorum digitorum transverſorum latitudinem e ſinu vidiſſe propendere, quem ipſe manibus tractavit & conveniente inſtrumento verſus interiora in ſuum locum retruſit, & ægram porro ita perſanavit, ut poſtmodum illa pars nunquam amplius prociderit. In xenodochio Patavino uterum bis terve in vaginam & aliquando extra pudendum muliebre exire vidit Dominicus de Marchettis, uti ſcribit *Anatom. cap. 7. p. 74.* Uteri prolapſum poſt editos duos fœtus mortuos, ad pugni magnitudinem extra vulvam prolapſum, qui ab obſtetricibus reduci non potuit, annotavit Guilhelmus Fabricius *Obſ. chirurg. Cent. IV. Obſ. 60. fol. 232.* Ex propria experientia inquit Jean Palfyn *Deſcript. anat. des part. de la femme Part. II. p. 66.* j'ay vû, il y a environ dix ans, une fille agée de trente ans, qui avoit depuis long-tems une chûte de matrice. Le col pendoit au dehors du vagina de la longueur de deux travers de doigt, je vis l'orifice interne de la matrice fort manifeſtement, je la remis ſur le champs & luy appliquay un peſſaire, dont elle s'eſt enſuite fort bien trouvée.

§. 8.

Ipſius uteri prolapſum defendit etiam Cornelius Solingen *Embryulc. ofte Afhalinge ofte dooden Vruchts cap. 16. pag. 199.* inquiens: de meeſte zyn van opinie, dat de baermoeder ſelfs niet en kan uytſacken, uyt oorſacken van haer ſterke banden, maer hebbe in een boerinne geſien, dat de baermoeder ſo wel als de ſcheede uyt het lichaem hong, welcke baermoeder *defenditur.*

geul-

geulcereert zynde ik geneſen, en die met de ſcheede te gelyk, weder en te recht gebragt hebbe. In de baermoeder van deſe boerinne hebbe wel twee vingeren te gelijk in konnen brengen, ſoo wijdt was den mont des ſelfs geulcereert. Ende als dit gebeurd, ſo is de baermoeder noch binnen de ſcheede hard, vaſt ende niet uyt geſet, alleenlijk maer dat het bovenſte gedeelte der ſcheede uyt het lichaem, tuſſchen de dyen met de baermoeder mede in de geſeyde ſcheede neder geſakt is, in dier voegen, dat de opening, die men voor aen de uytgeſackte ſcheede ſiet, den mond van de baermoder ſelfs is. Ibidem etiam dictus autor alia ejusmodi exempla recenſet, Poſt partum gemellorum uteri magnitudine capitis infantilis procidentiam obſervavit Cosmus Viardel *von weiblicher Geburt cap. 17. pag 84.* Procidentiæ uteri inſtante partu mentionem facit Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. medic. phyſic. Cent. III. Hiſt. 3. p. 284.* Anno ſcilicet 1687. d. 25. Auguſt. uxor lanionis cujusdam Gorlicenſis ſuperioribus annis ex partu difficili experta eſt uteri prolapſum, adhibitis autem peſſario & ſubligaculo, dehinc ſic mediocriter habuit, neglecto medico, cujus conſilium implorare debuiſſet. Hæc reddita iterum gravida, die tertio ante partum experiebatur hæmorrhagiam uteri copioſiſſimam, cum vagina uteri extra pudenda magnitudine pugni prominente & cum dolore ardoreque vehementiſſimo conjuncta. Accerſitur obſtetrix, aqua parturientis bene fluit, fœtus uteri orificium intrat, absque ullis tamen doloribus ad partum ſufficientibus. Obſtetrix omni ope exitum fœtui parare ſtudet, ſed incaſſum. Noctu dolores ſenſim gliſcere hincque etiam augeri cœperunt, quare obſtetrix, ne periculum in mora ſit, caput infantis fortiter apprehendendo infantem ſic emortuum, lividum & fœtore naribus adſtantium offenſum extraxit, ſequentibus ſecundinis mole parvis & flaccidis. Puerpera vero ob vires penitus collapſas, præviis convulſionibus animam exhalavit. De uteri prolapſu inquit Johannes Nicolaus

Pech-

Pechlinus *Obſervat. med. phyſic. Lib. I. Obſerv. 20. pag. 47.* talis prolapſus non in totum utero abjudicandus eſt; compellavi ego bonæ fidei obſtetrices, quæ mihi poſt propoſitas difficultates ſancte adfirmarunt, manibus ſe ſuis uteri prolapſum palpaſſe, tum corporis, tum orificii interni; hac vero nota ſe diſtinguere uteri ac vaginæ caſum, quod ubi hæc excidit, inſertis digitis ab una parte connexio explorari poſſit, ubi ille, non poſſit, & obvium uteri orificium diſcrimen ſtatim manifeſtet; fundum enim ſemper inverti, quæ feminarum eſt credulitas, moroſæ experientiæ non reſpondet, ſæpe enim prono oſculo in vaginam inde & extra eam deſcendit, neque faciem adeo quam ſitum mutat. Nonnunquam tamen etiam importuna obſtetricis manus funiculorum umbilicalium violenta demolitione, dum orificium uteri internum adhuc hiat multaque mucilagine laxatur, fundum ipſum attraxit difficilique & laborioſæ procidentiæ anſam præbuit; clauſo enim orificio aut alias non ita patulo fundum inverti poſſe, oſtento proximum eſt.

§. 9.

Vere uterum procidere poſſe certiſſimum judicat Thomas Bartholinus *Act. Hafnienſ. Vol. II. Obſervat. 44. pag. 139.* ubi notavit, poſt partum quandoque ipſum uteri ſe explicuiſſe globum & propendiſſe, quod in præfecti cujusdam uxore acciderit. Prolapſum uteri ſinui muliebri adnatum obſervavit Philippus Salmuth *Obſerv. medic. Cent. I. Obſervat. 77. pag. 49.* Mulieri, inquiens, Deſſavienſi procidit uterus & ad latera ſinus muliebris tam arcte alligatur, vel adnaſcitur potius, ut nullus prorſus digitus, niſi ex ſiniſtra parte & parumper quidem adigi poſſit. Quo loco uterus (velut obſtetrix enunciavit) ſpinoſus prorſus deprehendebatur. Porro ſcribit Roſinus Lentilius *Eteodrom. 1709. Decembr. pag. 1335.* Conſpeximus ante annos fere triginta propendentem ex matrice mulieris, ex *ab aliis.*

partu mortuæ ipſiſſimum uterum, quem obſtetrix cum adnata alicubi ſecundina inverſum protraxerat.

§. 10.

item. De procidentia uteri cum ſterilitate ex imperitia obſtetricis Dominicus Panarolus *Obſerv. medic. Pentecoſt. I. Obſervat. 25. p. 15.* ita ſcribit: Sæpius a me animadverſum fuit, ob imperitiam obſtetricis parturientes mulieres maximos paſſas labores, præcipue prolapſum uteri ad infernas partes, cum non molliter & paulatim, ſed aſpere, ruſticoque modo illas tractent, quod contigit præcipue mulieri cuidam, quæ ob violentam obſtetricis manum uteri procidentia laboravit, adeo ut ſterileſcens nunquam priſtinæ ſanitati reſtituta fuerit. Vidit tamen Trincavellus feminam, cui uterus plurimum prociderat, gerentem in utero, quæ ex abortu mox obiit, vid. Joh. Schenckii *Obſervat. medic. Lib. IV. fol. m. 641.* D'une pauvre femme agée de quarante huit ans, qui ſouffroit une facheuſe deſcente depuis vingt-cinq ans, & de laquelle matrice eſtoit pour lors plus groſſe, que la teſte d'un enfant, eſtoit entierement tombée ſans pouvoir eſtre reduite depuis prés de trois ans. vid. *Obſervat. ſur la groſſeſſe* de François Mauriceau *Obſervat. 171. pag. 95. ſeq.*

§. 11.

Exempla. Simile exemplum refert idem Mauriceau *Obſervat. 95. pag. 56.* his verbis: Je vis une femme groſſe de quatre mois, à qui la matrice, dont elle ſouffroit une deſcente depuis dix ans, ne laiſſoit pas de tomber en partie non obſtant ſa groſſeſſe. L'on voyoit manifeſtement pour lors l'orifice interne de la matrice fort gros, mais mollet, comme il eſt toûjours dans la groſſeſſe, ſe preſenter, tout à-fait au dehors avec une portion de la veſſie, qui eſtoit pouſſée conjointement, dont cette femme ſouffroit une grande incommodité. Aliam adhuc obſer-

ſervationem recenſet dictus Mauriceau *Obſerv. 67. pag. 40.* d'une femme groſſe de cinq mois, ou environ, dont la matrice eſtoit tombée dela groſſeur du poing: Elle luy tomboit de cette maniere depuis tout le temps qu'elle eſtoit groſſe, & ne rentroit, que quand elle eſtoit couchées. L'orifice interne de ſa matrice eſtoit extremement gros & allonge. Sequentem obſervationem refert Felix Platerus *Obſervat. medic. Lib. III. pag. m. 760.* uterus poſt partum mulieri cuidam prociderat, & poſt menſes aliquot illum reponere amplius nequibat. Inſpexi illam, prominebat palmum magnum, cervix inverſa, craſſa, albida, transverſis rugis rubris notata, tumebat admodum, nam uterum intra ſe continebat: cujus infima ſede, prominebat orificium illius cruentum, tumidum, ſupra quod uterus in illius cervice contentus, facile tangebatur; cum ille prodire e ſua cervice & inverti, uti cervix, ſicut putatur, nullo modo poſſit. Implebat autem ſaccus ille propendens, circa exortum adeo pudendum, ut urinarius meatus non poſſet conſpici. Quo loco plura ejusmodi exempla dictus autor recenſet.

§. 12.

Veram totius uteri procidentiam annotavit etiam Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſervat. rar. Cent. I. Obſerv. 96. pag. 298.* inquiens: quanquam plurimi ſcriptores ac inter eos recentiores multi negent, totam vulvam procidere, ipſe tamen cum fratre meo ac Cornelio Solingio, medicis, poſt debitam inquiſitionem comperi, Martinæ cuidam Mottyn non vaginam tantum, ſed & ipſum procidiſſe uterum, qui durus admodum ac duorum pugnorum inſtar conjunctorum reperiebatur. Internum etiam matricis os quam facillime ſentire poteramus, quod extrinſecus tanquam os cyprini (carpam vulgo dicimus) nobis apparebat. De dicta uteri procidentia ita ſcribit Georgius Wolffgangus Wedelius *M. N. C. Dec. II.* *alia.*

 An.

An. 6. Obſerv. 91. pag. 182. Quamvis non dari omnino procidentiam uteri veram aliqui negare conentur, & publicis ſcriptis hæc velitata ſint, certum tamen eſt per αὐτοψίαν, procidiſſe eundem ita, ut ſpithamæ fere diſtantia, ſeu plurium ſaltim ſex vel ſeptem unciarum diſtantia ipſum orificium uteri internum extra corpus elatum menſes foris ſtillarit. Femina honeſta hoc ipſum patiens nobis id referebat primum, hinc dubitantibus, & monſtrare ſeu oculis ſubjicere non dubitabat, pluribus annis ita affecta, quæ etiamnum vivit, etſi menſes per ætatem fluere jam deſierint. Inquit etiam Johannes Guillielmus Widmannus *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VIII. Obſervat. 98. pag. 461.* hujus commatis de uteri procidentia quoque eſt ab Argentinenſi medico Dn. Friedio, amico meo integerrimo, mihi communicata hiſtoria, quâ ipſe refert, ſe Pariſiis, cum in noſocomio, quod l'Hôtel Dieu appellatur, feminis in partu laborantibus auxiliatrices manus ferendi ſtudio operam navaret, in muliere octo menſes jam gravida obſervaſſe ejusmodi verum oſculo notatum uteri prolapſum, capitis infantilis minoris magnitudine extra vulvam, cum contento, quem digitis in orificium immisſis palpare licuit, fœtu propendentis.

§. 13.

Obſervatio. Totius vaginæ uterinæ inverſionem cum ipſius uteri prolapſu anno 1716. in ruſtici C. Kirchhübelii uxore mihi obſervare licuit. Poſtquam enim maritus a primo nuptiarum die per aliquot menſium intervallum uxori ſuæ cohabitare eamque inire nunquam potuerat, in conſiſtorio divortium, ſive ut ipſorum matrimonium iterum diſſolveretur, ex ea ratione petebat, quod ipſius uxor, ſecundum quarundam feminarum ruſticarum relationem, circa muliebria naturaliter non ſit conformata, ſed hactenus pro hermaphrodita habita, vulgoque ſaccus ſeu ſcrotum vervecinum(*der Schaf-oder Stær-Sack*) appellata fuerit. Cum autem duæ obſtetrices, quibus talis inſpectio commiſſa erat, in

dicta

dicta femina poſt labia pudendorum nullum in uteri vaginam ingreſſum, ſed potius durum aliquod ineundi impedimentum reperirent, requiſitus ego procidentiam uteri cum peſſo quodam ſubeſſe ipſis prædixi, utque, annon in eodem impedimento foramen aliquod reperiatur, immiſſo digito indagarent, ſique tale quid deprehendatur, illum peſſum ſimul extraherent, admonui. Quo facto non circulum tenuem cereum, qualem obſtetrices in tunica vaginæ rugoſa dependente poſt repoſitionem applicare ſolent, ſed magnam & craſſam maſſam ceream obſtetrix extrahebat, quam ſimul totius vaginæ uterinæ atque ipſius uteri procidentia tanta extemplo ſequebatur, ut in vaginæ extremitate internum uteri orificium appareret, & aliquot ſanguinis guttulæ ex eodem prolaberentur, quas ipſa femina a menſtruatione, qua hucusque laboraſſet, provenire dicebat. Dicta autem inverſæ uteri vaginæ & uteri procidentia ſpithamæ fere longitudinem ſuperabat, vixque femina in hoc ſtatu gradum formare poterat; ſimulac vero juſſu meo poſt vaginæ intruſionem iſte peſſus cereus iterum erat applicatus, in priſtinum ſtatum redibat ipſa. De quo caſu in Gynæcolog. noſtr. *Sect. II. cap. 3.* §. *4. ſeq. p. 211. ſeq.* pluribus egimus.

§. 14.

De verâ uteri procidentia ſequentem obſervationem recenſet Gerardus Blaſius *Obſervat. medic. Part. III. Obſervat. 1. pag. 42. ſeq.* Anno 1670. menſe Januario curæ meæ commiſſa mulier viginti octo annorum, robuſta valde, in qua corpus teres, inſignis magnitudinis, ad pudendum ſe offerebat. In decumbente circa partem ſuperiorem, ubi pudendo proximum, craſſitiei illius erat, quam duplici ſpithama comprehendere non licebat, interiora verſus paulo contractius, longitudinem vero ſpithamæ habebat. Aſt quoties incedebat, elongebatur adeo, ut etiam genua ipſa attingeret extremo ſuo. Durum omnino corpus hoc ac ſcirrhoſum obſervabatur; Hæc *alia exempla.*

 mulier

mulier haud adeo firmæ mentis reperiebatur, adeoque nec de cauſa mali, nec de tempore, quo vel inceperit, vel augmentum ſumpſerit vel ullo alio, ad dignotionem curationemve ſcitu neceſſario, nos informare apta. Rei gravitatem conſiderans in noſocomium publicum eam deferri curavi. Hic exſtirpationi quod multum a multis tribueretur (licet ſummopere eam mecum improbaret Gerardus de Penijn, noſocomii medicus ordinarius) ad eam deventum eſt, at minus fructuoſa fuit, tertio etenim die ab eo, quo ligatura prima injecta, obiit ægra. In aperti cadaveris ventre uterus deſiderabatur, utpote qui totus inverſus extra corpus dependebat, intra ſui cavum teſticulos uterinaque ligamenta (excepta ala dextra, que adhuc in ventre detinebatur) continens. Prolapſus autem uteri fundus, cum teſticulis partibusque adhærentibus, non ad extremum hujus tumoris, genubus proximum, acſi fundi uterini ſupremum jam fuerit vicinum genubus, ſed detentæ partes dictæ in fundo, ad vaginam, aut potius ad orificium uteri internum prolapſo, vagina ipſa extenſa mireque incraſſata. Procidentiam vaginæ & uteri annotavit etiam Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 10. pag. 272.* Annô, inquiens, 1671. in noſocomio Delpenſi diſſecuimus mulierem procidentia uteri laborantem, in cujus uteri vagina nulla ſarcomata nullasque alias excreſcentias, ſed tantummodo ingentem cereum globum invenimus, cujus immiſſi beneficio vagina cum uteri intus detinebatur: uteri cervix autem naturalem conſtitutionem retinebat, adeoque minime invertebatur.

§. 15.

rarum exemplum. Rarioris obſervationis eſt, quod de uteri prolapſu maniſeſtiſſimo & partu ex eo conſummato recenſet Güntherus Chriſtophorus Schelhammerus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſervat. 149. pag. 259.* ſequentibus verbis: ad puerperam, quæ de uteri prolapſu prægnans etiam diu erat conqueſta, accerſitus, obſtetrice

trice turbata, quod videret extra corpus propéndere aliud corpus ipſi ignotum, totum uterum vagina inverſa prolapſum vidi, qui rigidus inſtar penis tenſi atque erecti e corpore propendebat. Embryo enim latebat intus in ipſa uteri cavitate, quæ ſub inverſa vagina extabat. Os uteri internum hiabat & caput infantis detegebatur, ut conſpici poſſet dimidii thaleri magnitudine. Obſtetrix, quid ageret neſcia, me monitore retro pellebat uteri internum hoc os & immiſſo inter illud caputve digito, ſenſim totum denudatum ampliabat; moxque repellendo, renitentis infantis caput detegebat, eo modo quo penis glandem ſolemus detegere. Sic ille ex ergaſtulo ſuo ſalvus, me inſpiciente, & tenuem membranam uteri collum referens mirante prodibat. Nullus uteri motus obſervabatur, nec puerpera dolores parturientis ſentiebat, aut conatum edebat ullum, ſed mere paſſive ſe habebat. Hæc ego, pergit Schelhammerus, hiſce oculis meis vidi, & totum infantem extra corpus cum utero prolapſum in vagina hæſiſſe, certiſſimus ſum: Quicquid etiam contradicant, rideant, nugentur aliqui, qui uteri corpus extra vulvam excidere poſſe negant, intelligendo facientes, ut nihil intelligant. Similem hiſtoriam de prolapſu uteri & partu ex eo ſine dolore communicat etiam Jacobus Auguſtinus Hünerwolffius *M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſervat. 114. pag. 188.* Puerpera, inquiens, in pago *Schmerfeld*, nono graviditatis menſe elapſo, magno parturire cœpit molimine, & uterus excidit inverſa vagina totus (hoc autem ipſi alias evenit poſt partum) quem hiſcentem manu ipſa dilatavit puerpera magis, cooperante obſtetrice, & partum extra corpus reddidit absque conamine dolorifico. Uterus autem ſupine coxis elevatis & poplitibus reflexis jacente femina, decocto bismalvæ, chamæmeli, anethi fotus & lotus, deinde roſarum rubrarum & tormentillæ pulvere aſperſus, felici reponebatur manu, atque nullius annuli retinebatur ope.

§. 16.

§. 36.

fœtus ex utero prolapſo exſectus.

Singularem quoque fœtus ex utero prolapſo exſectionem annotavit Georgius Abrahamus Merclinus *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſervat. 192. pag. 375.* de femina, cujusdam tornatoris uxore, quæ procidentiam uteri a pluribus annis ſæpius paſſa, nunc in partu, ex fortiori procul dubio niſu ex utero prolapſum utrem quaſi, hominis caput magnitudine æquantem, obſtetrici exhibet, quæ incerta, quid factu hic opus ſit, medicum ſimul ac chirurgum accerſit, qui mentis corporisque oculis videntes, in hoc utre ſive ſacco ipſum concluſum eſſe fœtum, huicque non alium niſi ſectione dari egreſſum, in conſilium adſcitis adhuc duobus medicis inciſionem neceſſariam per chirurgum Merclinus fieri juſſit: qua facta ilicet prorupit fœtus, integer quidem ſed extinctus. Tuncque vere deprehendit uterum cum fœtu cervice inverſa ex corpore procesſiſſe, ipſum uteri orificium, prout vidit, ita quidem hiaſſe, ac conniviſſe, ut digitum intrudere fœtusque caput eo attingere licuerit; nihilo tamen minus adeo arctum fuiſſe, ut fœtus per id egredi nequaquam potuiſſet, niſi ſectione fuiſſet amplius redditum. Poſthac chirurgi diligentia factum, ut uteri ex corpore prolapſa parte prius prætumida, nunc vero crebriorum fomentationum ſalutariumque medicaminum applicatione ad naturalem conſtitutionem redacta, uterique orificio ſua ſponte ſine ullis ligaturis iterum coarctato, uterum non aliter, ac in communi uteri procidentia fieri aſſolet, reponere, & geſtato annulo vel globulo in ſuo ſitu retinere licuerit.

§. 17.

alia uteri prolapſi exempla.

Huc pertinet etiam obſervatio, quam refert Franciſcus Mauricæus *Obſervat. ſur la Groſſeſſe & accouchement des femmes Obſervat. 6. pag. 4. ſeq.* de l'accouchement d'une femme, qui avoit tout le col dela matrice renverſé & tombé trois heu-

heures, ita ſcribens: Le 11. May 1669. je vis une femme, qui eſtant en travail d'enfant ne pouvoit accoucher, à cauſe que tout le col de ſa matrice eſtoit entierement renversé & tombé hors de la partie honteuſe, d'une longueur & une groſſeur ſi prodigieuſe, que ſa Sagefemme en fuſt toute étonnée, ne ſachant pas meſme, ce que pouvoit eſtre, tant la choſe eſtoit extraordinaire. Ce col ainſi tombé eſtoit dela longueur de plus d'un grand demy pied, & une fois plus gros que la teſte d'un enfant: on voyoit en ſon extremité l'orifice interne dela matrice, qui preſentoit une eſpece de gros phymoſis, dont les bords eſtoient epais, de plus de trois travers de doigts en toute ſa circonference, ce qui en étreciſſoit tellement le paſſage, que l'enfant n'en pouvant ſortir, & y eſtant arreſté, pouſſoit toûjours de plus en plus la matrice en dehors; & les humeurs y affluant en abondance, a cauſe des efforts inutiles, que la femme faiſoit, gonfloient extraordinairement ce col dela matrice, qui en eſtoit déja tout livide & diſposé à la mortification; laquelle ſeroit indubitablement arrivée dans peu, ſi je n'euſſe promptement accouché cette femme, en m'y comportant dela maniere, que je vais dire: Comme il n'y avoit pas lieu pour lors de reduire ce col dela matrice ainſi tombé non-ſeulement à cauſe de ſon extreme grandeur, mais auſſi à cauſe que la teſte de l'enfant eſtant trop avancée dans le paſſage, n' auroit pas pû eſtre repouſsé ſans une extreme violence, qui auroit eſté tres-prejudiciable à la mere & à l'enfant, j'introduiſis ma main peu à peu dans ce gros phymoſis, l'ayant trempée auparavant tout-à-fait dans l'huile d'olives; aprés quoy je fis efforcer la femme, en conduiſant la teſte de l'enfant à chaque douleur, & la faiſant ainſi avancer peu à peu dans le paſſage, que ma main luy preparoit, ſans l'en retirer, que pour la retremper de fois à autre dans l'huile, & la remettre auſſitoſt, comme auparavant: ainſi faiſant je donnay lieu à la teſte de l'enfant de paſſer par cette ouverture, ma main luy ſervant

toûjour à diſpoſer & entretenir ſon paſſage, en écartant tous les doigts les uns des autres en forme de dilatatoire, & les retirant peu à peu, à proportion que la teſte s'avançoit, jusques à ce qu'elle eſté entierement pouſsé dehors par les ſeules douleurs de la femme, qui eſtoient tres-fortes; apres quoy l'ayant priſe avec mes deux mains de coſté & d'autre en la maniere ordinaire, je tiray facilement l'enfant, qui eſtoit vivant, & delivray entierement la femme; enſuite de cela je reduiſis auſſitoſt ſa matrice en ſa ſituation naturelle.

§. 18.

item. Aliud ejusmodi exemplum extat apud Guilielmum Harvæum *de Generat. Animal. Exercit. de Part. pag. m. 519. ſeqq.* ubi inquit: Mulier quædam paupercula & linteaminum lotura victum quæritans, procidentia uteri diu laboraverat; ejusque vagina inter femora ad pugni amplitudinem propendebat, tandemque cum nulla remedia adhiberentur, tantopere invaluit malum, ut jam ſcrotum referret, cute rugoſa & ſqualida; minusque jam moleſtiæ inde perſenſit, quam in recenti prolapſu conſueverat. Succeſſit, meo conſilio, aliquantiſper ad votum curatio: verum dum ipſa præ egeſtate, quæſtus faciendi gratia, ad ſolita opera revertitur, intermiſſisque remediis diu erecto corpore obambulavit, recidivam paſſa eſt, modo intus, modo foris exiſtente utero. Elapſis vero diebus compluſculis conqueritur dicta mulier, remediorum & præſertim fomentorum uſu tumefactum uterum retineri amplius non poſſe; quamprimum enim in pedes ſurgeret & conſueta munia obiret, uterus confeſtim præ mole ac pondere moleſtiam ipſi attulit, facileque denuo prolapſus eſt. Et jam, tauri ſcroti inſtar, ad medium femur pependit; adeoque ut non ſolum vaginam, ſed & matricem ipſam inverſam eſſe, aut herniam quandam uterinam ſuſpicarer. Tandem capitis humani magnitudinem exceſſit tumor renitens & genuum tenus propendens dolorem intulit, inceſ-

inceſſumque (niſi prono corpore) impedire cœpit: atque in ima ſui parte dehiſcens madorem & ſaniem profudit. Ego (Harvæus) re inſpecta cancrum aut carcinoma uteri jam affore metuebam, ideoque ligaturam & abſciſſionem meditabar, nocte vero ſequenti ex eodem tumore infans ſpithamæ longitudine perfecte formatus, ſed mortuus protruditur; in quo fœtu cutis nondum formata erat, ſed pellicula duntaxat apparuit. Anno 1690. die lunæ, qui erat vigeſimus quintus menſis Auguſti, vietoris cujusdam uxor (quæ gravida in feria ſecunda Paſchatos e ſcalis prolapſa, ex vehementi corporis concuſſione, uterum aliquo modo exire ſentiebat) cum in partu ad excludendum fœtum magno conamine abdomen comprimebat, uteri ex utroque latere, remanente ſaltem ejus fundo, prolapſum paſſa eſt, qui e muliebribus, inſtar faliſci, verſus poſteriora acuminati, propendebat, cujus vagina etiam prope podicem inverſa conſpiciebatur, per quam infans, puerulus vivus ac ſatis corpulentus & validus egreſſus eſt; ſecundina vero, quæ prope fores hærebat, nec puerperæ niſu excludi poterat, per aſſiſtantem matronam, obſtetricibus præpoſitam, manu exempta eſt, juxta Eberhardi Gockelii *Gallicin. medic. pract. Conſil. XLIII. pag. 158.*

§. 19.

Monendum hoc loco etiam erit, quod in hactenus recenſitis prolapſi uteri exemplis nonnulla reperiantur, in quibus equidem inverſionis vaginæ uteri, nulla autem ipſius orificii interni fit mentio, ut adeo tales obſervationes potius ad vaginæ procidentiam, quam ad uteri prolapſum pertinere videantur. Quia vero in magnis vaginæ procidentiis & inverſionibus, in quibus nullum uteri internum orificium prominet, ſemper vel utplurimum uterus ſimul verſus inferiora attrahitur atque tumores unius vel duorum pugnorum, vel etiam capitis infantilis magnitudine cauſatur, nemo ſane dubitabit, ipſum *vaginæ inverſio ſive orificio.*

Aaa aa 2 uterum

uterum ſimul locum ſuum naturalem mutaſſe, licet externe oculis non incurrat; ex qua ratione dubio procul ſuperius allegati autores his obſervationibus non vaginæ, ſed ipſius uteri procidentiæ nomen impoſuerunt, id quod ipſis eo magis condonandum eſt, quod veteres medici leviſſimæ quoque & vix extra vulvæ labia propendulæ, quandoque etiam non niſi iisdem diductis apparenti vaginæ uteri membranæ rugoſæ hoc nomen tribuerant, quapropter etiam allegatorum autorum prolapſus denominationem atque verba retinere malui.

CAPUT III.

De *Uteri procidentia & inverſione ſimul.*

§. 1.

Uteri inverſionem negant quidam.

QUarto denique maximo inter medicos diſcrimini occaſionem præbet quæſtio: An etiam ipſe uterus cum vagina prolapſus, de quo hactenus egimus, inverti poſſit? ad quam multi autores negative reſpondent, & quidem ex ea ratione, quia uterus, juxta Hollerium, variis vinculis cum adjacentibus partibus, ante & retro, ſuperius & inferius, oblique ad collum & inguina oſſi pubis & ſacro per tunicam, a peritonæo, dextra & ſiniſtra parte, annectitur; vaſis etiam magnis per arterias & venas, præſertim ſpermaticas, ſpinali medullæ per nervos, recto inteſtino & veſicæ per fibras tenues &c. connectitur, nonnulli medici adeo acriter disquiſiverunt, ut etiam David van der Becke, medicus Hamburgenſis, cum Garmero diu de prolapſu uteri diſputaverit, atque præ indignatione (ut Pechlinus retulit) mortuus ſit. vid. *Ephemerid. Acad. N C. Cent. II. Obſervat. 193. pag. 422.* Quia vero experientiæ majorem fidem medici adhibent, quam rationibus, quid de uteri inverſione ſit judicandum, ex autoribus & ſequentibus exemplis benevolus lector judicare poterit.

§ 2. Ad

§. 2.

Ad dictam autem quæſtionem, an ſcilicet uterus ipſe inverti poſſit? ita reſpondet Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 10. pag. 271.* quantum ad nos attinet, exiſtimamus in difficili partu, dum placenta ei firmius adhæret, & ab imperitis obſtetricibus nimium attrahitur, id aliquando contingere poſſe, rariſſime licet eveniat. De uteri inverſione a partu ſequentia refert Fredericus Ruyſchius *Obſervat. anat. chir. X. p. 16.* inter affectus deplorandos, quibus mulieres ſunt obnoxiæ, haud infimum locum obtinet uteri totalis inverſio. Hic affectus ſi illico non profligetur, mors ſtatim ſubſequitur. Memini me bis in una ſeptimana hoc vidiſſe; nec (niſi absque ulla mora operam ferret obſtetrix) ullam, præter uxorem cujusdam Hebræi, evaſiſſe. Tantus enim utplurimum ſanguinis eſt affluxus ad uterum propendentem, ut ſtatim inflammetur, induretur & propter impeditam ſanguinis circulationem gangrænam concipiat. In hoc affectu uterus totus, quantus eſt, a partu invertitur. Quod non fit in uteri propendentia extra partum; tunc enim non invertitur, ſed procidit tantum, ita ut os uteri internum in extimo hujus propendentis uteri reperiatur. Hic vero os uteri non ſentitur, nec oculos incurrit (uti *l. a. Fig. XII.* videre licet.) Oritur hoc malum nonnunquam ab obſtetricibus minus expertis, funiculum umbilicalem plus, quam par eſt, attrahentibus, unde uterus non poteſt non ſubſequi. Aliquando etiam ortum ducit a conatibus, poſt partum remanentibus. Tempore, quo opem ferebam parturientibus, ſemel mihi contigit, cum fœtum mortuum placentamque extraxiſſem, uterum mox ſubſequentem conſpicere, quo illico reſtituto, cruribusque, ut artis eſt, poſitis, brevi fuit curata ægra. Multoties obſtetrices non ſolum, verum etiam chirurgos, imo & medicos hac in re eſſe hallucinatos, non eſt, lector benevole, cur dubites. Nuper adhuc me arceſſi juſſit chirurgus quidam, qui in eodem *affirmant alii.*

caſu conjicere haud potuerat, qualis eſſet tumor e corpore propendens. Aliquoties me quoque vocarunt obſtetrices mirabundæ, quod viderent ejusmodi tumores a partu ſeſe exſerentes. Nonnullæ mihi venienti dixere, hic videbis molam magnam, utero firmiter adhærentem: aliæ, hic habemus partum fœtus monſtroſi &c. Hunc ergo affectum delineavi, ut unicuique chirurgo, qui delineationem viderit, magis in memoria hæreret, & ne quis amplius in re tanti momenti, & ſubitam reſtitutionem expoſcente affectu, deciperetur.

§. 3.

exempla. Ipſius uteri corporis inverſionem exhibet Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſervat. rar. Cent. prior. Obſervat. 67. pag. 291. ſeq.* inquiens: Ipſe cum chirurgo medicoque Cornelio Solingen Hagæ anno 1673. 14. Aprilis ad M. J. uxorem vocatus fui, quæ pridie robuſtum ediderat partum, cujusque e corpore ignorantia obſtetricis ſecundarum loco uterus eductus erat, quem inſtar inverſæ manicæ interioribus partibus exterioribus redditis, inter femora propendentem, invenimus, infantis minoris caput æquantem magnitudine; dictam quoque puerperam poſt dimidiam a partu horam deceſſiſſe intelleximus: Altera autem paulo poſt accedens obſtetrix ſecundas cum funiculo umbilicali ab inverſo utero, cui etiamnum affigebantur, ſeparavit. Nos autem inverſum hoc corpus bene perſpectum, facto in fundo foramine, in ſuum reduximus locum, atque tum illico per dictum foramen ipſa ſenſimus inteſtina. Eandem obſervationem ſequentibus verbis refert etiam Cornelius Solingen *Embryulc. ofte Afhalinge eenes dooden Vruchts cap. 16. p. m. 202. ſeq.* Den 14. April 1673. ben ik des morgens in de poort van de wever, alhier in den Hage, op de lange graft by en wrouw geroepen, de welke van den 13. t'ſavons te voren ten tien uren, tot s'morgens den 14ten half ſes uren, in arbeydt geſeten hadden; als wanneer ſy van een levendig kint

kint verloſt was, ende bevond, dat de baermoeder geheel omgekeert was hangende tuſſchen de dijen, de helft grooter als een vogel-ſtruys-ey. Ock berichte my mayke-moeder, die als tweede vroed-vrouw by de voorſz. vrouw gehaet was, dat ſy haer een halfuur nae haer veloſſinge doot vondt, en op ſoodanige wijſe geſtelt, als ter ſtont geſeght is; als mede dat de nageboorte met de ſtreng, vaſt was, de welke ſy echter ſepareerte. De geſien ende verſtaen hebbend, ging ter ſtont nae den Heer Doctor Cornelis Stalpart van der Wiele, den welke ik dit communiceerde, en nae gedaen verſoek met my gegaen zynde, 't ſelve ook alſoo bevond. De vrienden afkeerig zijnde van t'openen van 't lichaem, ſneed ik evenwel een gat in den grondt van de omgekeerde baermoeder, door welk ik mijn hand in 't lichaem bracht, met welke ik de darmen ter ſtont voelde, ende de omſtanders de ſelver dede ſien, ſonder die nochtans uyt te trecken. Daarna bracht myn hand van binnen het lichaem nae buyten in de omgekeerde baermoeder, omſter degen de omkeringe te doen ſien, en daarna bracht de lijfmoeder weder in, en hechten den buyk toe.

§. 4.

Uteri inverſionem etiam adhuc alii autores defendunt, *alia.* inquit enim Paulus Barbette *Chirurg. Part. I. cap. 8. p. m. 28*: gravi parturientium feminarum niſu & incauta ſecundinæ extractione alii nobiſcum fundum uteri in pube plane inverſum viderunt, adeo ut pars intima extrema eſſet. Sic in Nicol. Blegny *Zodiac. Med. Gallic. An. III. Aug. Obſerv. 8. pag. 105.* mentio fit juvenculæ mulieris primiparæ, cui cum fœtu edito morarentur ſecundinæ, arctius utero adhærentes, obſtetrix tam valida manu adſtitit, ut illas indivulſas una cum ipſo utero inverſo foras eduxerit. Anno 1681. ejusmodi obſervationem ſe obſervaſſe refert Chriſtophorus Seligerus, inquiens: David Richter juvenculæ uxoris, Andreæ *Thielens*, ſcriniarii cadaver, me præſente,

ſente, aperiebat, cui ſcilicet primiparæ, alioquin robuſtæ obſtetrix incauta, ſub perſuaſione fœtus reſtitantis alterius veſana, uterum inverſum plane, ut inſtar marſupii verſi propenderet, atque cum hoc ipſam vitam violentiſſime extraxerat. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſerv. 141. pag. 344.* In femina Amſtelodamenſi uterum obſtetricis culpa inverſum fuiſſe, quæ tamen per quatuor annos adhuc miſere vixit, juxta obſervationem Alardi Hermanni Cammeni *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſerv. 130. pag. 233.* De uteri procidentia ejusque vera inverſione ſequentia ſcribit Chriſtianus Johannes Langius *Prax. medic. Cap. 24. Oper. Part. II. fol. 163.* peccant & antiqui, dum omni tempore vere deſcendere uterum credunt, peccant & recentiores, dum omnem omnino prolapſum uteri negant, dantur enim caſus, ubi vere tale quid contingit. Dabo equidem id in gravidis non fieri, nihilominus quando ſaltem vaginæ membranam interiorem deſcendere aſſero, non fluit, nullo tempore fieri poſſe veram uteri inverſionem, imprimis mox a partu difficili. Scribit etiam Franciſcus Mauriceau *Obſervat. DLXXXIX. pag. 344.* Le 26. Juin 1690. je reduiſis une deſcente de matrice à une pauvre femme, qu'elle n'avoit jamais pû remettre depuis ſix mois entiers, qu'elle la portoit tout à fait precipitée, luy pendant d'une groſſeur extraordinaire jusques au milieu des cuiſſes, avec de tres-grandes incommoditez, dont elle fut entierement ſoulagée, auſſi-toſt que je luy eûs reduit cette partie en ſa ſituation naturelle, & que je luy eûs mis un peſſaire dans le col de la matrice pour empecher la recidive de ſa chûte.

§. 5.

inverſio totalis. Totalis uteri procidentiæ atque inverſionis exemplum annotavit Johannes Adamus Genſelius *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. II. Obſervat. 193. pag. 421.* inquiens: femina, viginti octo annorum, uxor pannificis, febri maligna corripitur, cui poſt deliria immania & alia ſymptomata acceſſit procidentia uteri

tota-

totalis, cum urinæ ſuppresſione. In hoc ſubjecto uterus totaliter inſtar marſupii inverſus, non quoad orificium, ſed quoad fundum deſcendit, extra vaginam propendens tumore liveſcente, cucurbitam duarum librarum æquans, omnibus fimbriis, vinculis, ligamentis nerveis, latisque ac membranoſis & rotundis laxatis, imo quibusdam ruptis, nullo plane penitusque apparente foramine. Fuit vero hæc procidentia externa completa, quam & in Italia aliquoties in xenodochio Romano, Patavino ac Veneto obſervavi. Abſurdum itaque foret, ſenſuum teſtimonio ac experientiæ rerum magiſtræ contradicere, una quippe experientia & hic plus valet, quam centum rationes. Cauſam hujus procidentiæ ægra attribuit imperitiæ obſtetricis, vaginam intempeſtive ante aliquot ſeptimanas in partu loco ſecundinæ vi trahentis ac arripientis. Cumque talis præcipitatio uteri totalis cum inverſione, imprimis in febri maligna utplurimum lethalis obſervetur, exiguam ſpem de ſalute ægræ hujus concepit Genſelius, cujus tamen conſilio dicta ægra per gratiam Dei & ibidem deſcripta medicamenta iterum convaluit. Inverſum uterum, carneis excreſcentiis pluribus involutum molemque carnis maximam, ſpithamæ unius cum dimidia longitudinem exæquantem & ſphacelo correptam in ruſtica quinquagenariæ proxima, obſervare licuit Theodoro Zwingero. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 186. p. 413. & 415.*

§. 6.

Obſervationem de prolapſu uteri inverſi ab excreſcentia carneo-fungoſa in fundo ejus interno ex potu infuſi crepitus lupi enata edidit Henricus von Sanden anno 1722. Hiſtoria autem *pag. 9. ſeq.* ſic ſonat: mulier quædam ætatis ſuæ triginta ſex annorum, ante annos ſedecim filiam peperit, ante tres vero annos ſutori nupſit, a quo quoties imprægnata, toties abortum paſſa eſt, ſubſequente ſemper enormi hæmorrhagia uteri. Hæc pertæſa abortuum ab affine ſuo medicamen contra *ab excreſcentia a crepitu lupi.*

impraegnationem petiit, cujus infuſi uſu hæmorrhagia ſiſtebabatur, alvus vero exinde quoque ita erat conſtipata, ut cum eandem ſummis niſibus in area ſupra terram deponeret, loco fœcum alvinarum corpus pugni inſtar expreſſerit, quique niſus illius vires adeo proſtraverant, ut dorſo incurvato hypocauſtum repetere ſeque ad lectum conferre cogeretur, ubi illud, quod exciderat, in locum priorem ipſa reponere allaboravit, verum fruſtra; atque ſex ſeptimanas ſine auxilio obſtetricum & chirurgorum, manſit, prolapſum vero corpus interea indies magis magisque crevit, atque ad corruptionem putridam tetendit. In conſilium vocatus chirurgus quidam conſiderans corpus hoc, uteri prolapſum eſſe judicavit, qui adeo a ſphacelo jam fuit corruptus & exulceratus, ut cadaveroſum de ſe ſpargeret odorem, & quoties dicta femina alvum deponeret, toties uterus a chirurgo repoſitus iterum exiit, huic malo ſuperveniente incontinentia urinæ. Alii advocati chirurgi excreſcentiam carneam, ex uteri vagina natam exiſtimantes ligatura eandem eſſe auferendam judicarunt, quam vero applicatam convulſiones inſequebantur. Advenienti tandem Henrico a Sanden apparuit pendulum extra abdomen corpus illa facie atque magnitudine, quam in dicto tractatu figura I. exhibet, totum ſphacelatum, nigrum, multo pure fœtidiſſimo ſcatens, & hinc inde per lamellas decorticari incipiens. Cogitabat autem dictus autor ſtatim, corpus illud carnoſum eſſe uterum prolapſum eumque ab excreſcentia carnea inverſum, cum nullum orificium uteri internum oculis vel ſtylo exploratorio obſervare poſſet. Hujus rei ut certior fieret, explorabat intra vaginam uteri totam, num uterum ibidem cum ſuo orificio interno reperire poſſet, ſed nihil ipſi inquirenti obvenit. Facta deligatione ipſe inquiſivit in hujus mali originem & accepit ab ægrota illam, quam ſupra recenſuit, ſcilicet infuſum cum crepitu lupi, ab affine ſuo acceptum. Molem hanc.

hanc carneam chirurgi tandem corroſivis auferre concludebant, quorum ope plus indies de illa eſt ablatum, & penitus tolli potuiſſet, niſi febris aliaque ſymptomata vires exhauſiſſent, ex quarum defectu ſupremum obiit diem. In cujus ſectione patuit ad oculum, non ſolum fuiſſe uteri procidentiam, ſed & ejusdem inverſionem, ab excreſcentia carnea, ab interni uteri fundo enata, factam, ut exhibet figura I. obſervatam. Nam aperto abdomine admodum obeſo, & inteſtinis remotis, obſervatum eſt, uterum inverſum ab hac excreſcentia carnea locum ſuum naturalem, id eſt pelvim, deſeruiſſe, atque cum parte ſuperiori vaginæ relaxata extra abdomen deſcendiſſe, ſuoque deſcenſu ſimul ligamenta uteri, tam lata, quam rotunda, una cum tubis Fallopianis atque ovariis, intra cavitatem ſuam inverſam, usque ad excreſcentiam carneam detraxiſſe illasque partes incluſiſſe &c. Hiſtoriam uteri præcipitati & gangrænam jam patientis, cathæreticis conſumpti, vid. Franc. Roſſet. *de Part. cæſar. pag. 208.*

§. 7.

Sæpius a vehementi ſecundinæ poſt partum extractione ab imperitis obſtetricibus, dum funiculum umbilicalem plus juſto attrahunt, uterum ſimul inverti atque extrahi, aliquot ex Stalpartio, Solingio, Blegny &c. modo adductis exemplis probavimus, quibus adhuc ex Joh. Bohnio *de Renunci. Vulner. Sect. II. c. 4. p. 396.* aliam obſervationem annectere liceat. Juvenculæ ſcilicet Zittavienſis primiparæ placentam utero arctius annexam, dum obſtetrix imperita violentiore manu educere moliebatur, ſimul uteri portionem protrahit; quam pro fœtu peculiari ſeu gemello habens puerperam ad novos conatus urget, nec labori ipſamet in illo educendo parcit, contradicente licet illa, de illata vi & evulſione interaneorum omnimoda conquerente, ac vix elapſa a feliciore alias partu horula exſpirante: Cujus hypogaſtrii pelvis utero hujusque annexis *a ſecundinæ extractione.*

 vacua,

vacua, hic autem ex ſinu muliebri ultra ſpithamam propendens in cadaveris diſſectione cum ſtupore adſtantium cernebatur. De feminæ cujusdam utero penitus inverſo ſequentem obſervationem refert Franciſcus Mauricæus *Obſervat. ſur la Groſſeſſ. 685. pag. m. 396.* inquiens: Je vis avec un de mes confreres une femme accouchée depuis deux jours, qui avoit un entier renverſement du fond dela matrice, qui luy eſtoit arrivé dans le temps, que ſa ſagefemme l'avoit voulu delivrer de ſon arrierefaix, ſans qu'elle euſt uſé d'aucune violence, à ce qu'elle nous dit. Cependant il me parut, que ſi cette ſagefemme n'avoit point fait la faute de cauſer ce renconverſement, elle avoit du moins fait celle de ne pas reduire ellemesme le fond de la matrice, en le repouſſant au dedans auſſi-toſt qu'elle s'apperçeut, qu'il s'eſtoit ainſi renverſé. On doit remarquer, que le renverſement du fond dela matrice, qui ne ſe fait jamais dela ſorte, ſi ce n'eſt immediatement aprés l'accouchement, cauſe aſſez ſouvent une mort ſubite à la femme, par la grandeur dela perte de ſang qui luy arrive toûjours pour lors. Et *Obſervat. 355. pag. 208.* exemplum adducit d'une femme, qui mourut d'une perte de ſang cauſée par l'entier renverſement du fond dela matrice, qui avoit eſté tirée au dehors par une ignorante ſagefemme, dans le temps, qu'elle la voulut delivrer de ſon arrierefaix en l'accouchant: Et comme aprés ce faſcheux accident celle ſagefemme s'eſtoit contentée de repouſſer la matrice en dedans, ſans reduire pour lors le renverſement de ſon fond, comme elle auroit dû faire, ſi elle euſt eſté aſſez entendue en ſon art; il ſe fit un ſi fort etranglement de cette partie, vers l'orifice interne, qui eſtoit auſſi renverſé, que ce fond dela matrice s'eſtant extraordinairement tumefié la reduction, que l'on en auroit pû faire dans le commencement, devint dans la ſuite impoſſible.

§. 8.

§. 8.

Ex communicatione Pauli Mothii ſequentem obſervationem refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. II. Hiſtor. 91. pag. 292.* Nobiliſſima matrona Chilonii Holſatorum, quinque ante filiorum mater, fœtum vivum, quem quadraginta hebdomadas commode ſatis geſtaverat, ſemihoræ labore ſine ulla moleſtia feliciter excluſit, remanentibus tamen, more hujus puerperæ ſecundinis, quas cum obſtetrix, ut ſolita fuerat, ſolvere & extrahere conatur, una cum ſecundinis uterum, quamquam inſcia, extraxit. Inter operandum puerperæ ſciſcitanti, quomodo negotium ſuccederet, reſpondit, ſecundinam ſe quidem habere, ſed ſubſequi carnis partem ſibi incognitam. Adſtantes feminæ molam eſſe credentes, ſibique id ſæpius eveniſſe, obſtetricem ad extrahendam carnem exſtimulant, quæ omnia etiam validiore manu, irrito conatu & renitente carne juſſa exſequitur. Advocatus D. Mothius ſine voce, nutu & pulſu puerperam invenit mortuamque vere pronunciat; occupata deinde obſtetricis ſede, immiſſaque ſub lecti ſtragulis manu ipſum uterum integrum marſupii inſtar propendentem & ab utroque latere perforatum obſtetricis digito, deprehendit adſtantibusque monſtravit, vere tum mortuam ſero credentibus. Illuſtriſſimæ cuidam matronæ, viginti circiter annorum, uterus a partu puellæ laxatus, pro ſecundinis non procedentibus, ab obſtetrice imperita manibus magna vi attractus & præcipitatus fuit, ſuborta illius inflammatione & gangræna cum ſubſequente morte, uti meminit Petrus de Marchettis *Obſerv. medic. chirurg. Syllog. Obſ. 61. pag. m. 91.* Inquit etiam Eberhardus Gockelius *Gallicin. medico-pract. Conſil. Cent. I. Conſ. 20. Schol. p. 72.* ſæpius fuiſſe obſervatum, quod fundus uteri circa pudenda omnino inverſus, ita ut interiora veluti externa ſe exhiberent, propenderit.

alia exempla.

§. 9.

item. Sequentem obſervationem refert Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſervat. 112. pag. 278.* Anna K. e pago *Schwamendingen* oriunda & annos nata quatuor & triginta, poſtquam ante undecim ſeptimanas partum enixa eſſet, conqueritur mihi, ſe ab obſtetrice a partu ſecundinis hærentibus læſam eſſe, ut uterus nunc foras promineat cum moleſtia & ardore ſummo, imprimis dum urinam emittit aut refrigeratur. Per balneum tamen & peſſos ſanitati priſtinæ eſt reſtituta. vid. etiam ejusdem Muralti *Chirurgiſche Schrifft. Obſerv. 174. p. 526.* De procidentia uteri cum urinæ ſtillicidio ex partu difficili ab embryone prægrandi excitata videatur Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theor. pract. Obſervat. 64. pag. 829.* Uterum nonnunquam revera inverti & poſt partum ab imperitis audaculisque obſtetricibus placentam utero adhuc arctius connexam cum funiculo umbilicali violenter nimis extrahere allaborantibus quaſi evelli, caſum aliquando ſe obſervaſſe meminit Johannes Mauricius Hoffmannus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſerv. 181. p. 356.* In concubina ſatrapæ cujusdam Leerdammenſis uterum omnino inverſum foras propendiſſe refert Isbrandus de Diemerbr. *Anatom. Lib. I. cap. 25. fol. m. 139.* De violenta atque lethali uteri extractione atque inverſione hunc caſum refert Paulus Ammannus *Prax. vulner. lethal. Dec. V. Hiſtor. 1. p. 327.* Obſtetrix poſt fœtus partum, uterum ſimul cum ſecundina extractum pro ſecundo fœtu judicabat, hincque puerperam de novo ad pariendi niſus impellebat, eaque hoc modo paulo poſt mortem inducebat. Poſt ſectionem enim dictæ feminæ cavitas hypogaſtrii, ſeu pelvis quoad uterum tota erat vacua, imo nullum inter inteſtinum rectum atque veſicam urinariam apparebat veſtigium uteri, qui potius inverſus ad ſpithamæ longitudinem ab oſſe pubis propendit. Loco autem allegato *pag. 330.* etiam facultatis medicæ Lipſienſis reſponſum reperi-

peritur, atque *pag. 332.* Ammannus in cribratione, hunc caſum fuſtigationem obſtetricis mereri annectit.

CAPUT IV.

De

Procidentiæ uteri cauſis.

§. 1.

COmmuniter equidem vaginæ & ipſius uteri procidentia ab ejusdem ligamentorum latorum laxatione vel disruptione, juxta plerosque veteres & nonnullos recentiores autores, derivatur, quod confirmat Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *edit. Francof. Part. I. cap. 85. pag. 314.* inquiens: prolabitur uterus, cum ejus ligamenta aut laxantur aut a ſuo extremo reſolvuntur, idque cum per magis & minus contingat, idcirco magis & minus prolabi, devolvi ac deſcendere par eſt, ita ut interdum ad mediam vaginam, interdum ad vulvæ usque orificium, denique nonnunquam totus extra vulvam prolabatur. Vel juxta Joh. Sculteti *Armament. Chir. Part. I. Tab. 43. pag. 102.* Uteri prolapſum patiuntur feminæ quando ipſis uteri ligamenta lata & membroſa vel humoribus immodice relaxantur, vel per vim fortuitorum abrumpuntur. A violenta fundi uterini & cervicis, nec non ligamentorum tam latorum, eundem oſſibus ilium alligantiam, quam teretium ipſum partibus anterioribus devincientium, violenta inverſione, avulſione & abruptione, hunc affectum oriri, vid. Joh. Mauric. Hoffmann. *Anatom. patholog. Specim. 9. §. 20. pag. 123.* Laxantur aliquando ligamenta uteri propter vim partus, nimiam corporis humiditatem &c. ut uteri oſculum in ſinum pudoris decidat & inverſa vagina extra propendeat, uti inquit Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 10. p. m. 269. ſeq.* Et ſecundum Joh. Riolan. *Anthropogr. Lib. II. cap. 35. fol. 199.* relaxatis ligamentis uteri corpus intra cervicem laxiorem & amplio-

Ligamentorum laxatio & ruptura.

plio-

pliorem corpore uterino, devolvitur & extra orificium externum prominet atque propendet, ut ſæpe obſervavi. Quod confirmat etiam Dominicus de Marchettis *Anatom. cap. 7. pag. 76.* Ligamenta, inquiens, ſi relaxantur, uterus in vaginam, & aliquando extra pudendum muliebre, poteſt exire, ut in xenodochio Patavino bis terve mihi accidit, quem repoſui. Extenſionem & laxitatem ligamentorum, quibus uterus alligatur, anſam præbere procidentiæ, inquit Henr. a Deventer *de Art. obſtetr. cap. 4. p. 24.* Ab elevatione gravioris ponderis ligamenta uteri facile extendi & rumpi poſſe, ex Hippocrate allegat Baldaſſar Timæus *a Güldenklee Reſp. XXXVII. Oper. pag. 1068.* Juxta Carol. Muſitan. *de Morb. Mulier. cap. 8. pag. 261.* uterus non, ut imperiti putant, a ſuis ſolutus appendicibus ac ligamentis totus decumbit: nam ſi ita procideret, reſtitui minime poſſet, ſed ejus ligamenta fiunt laxiora, præſertim cum peritonæum, aut ipſius vincula diſſolvuntur, aut diſrumpuntur. Secundum Georg. Wolffg. Wedelii *Patholog. medic. dogmat. Sect. II. c. 12. pag. 405.* in prolapſu uteri laxari poſſunt ejusdem vincula, nec ſine laxatione horum (ruptio enim haud facile contingit) procidentia vera facile fit. Variant ergo hæc pro unius vel alterius vinculi æquali vel inæquali relaxatione: pro cujus diverſitate etiam prominens tumor variat.

§. 2.

alii contradicunt. Dictam tamen vaginæ uterinæ procidentiam uterique prolapſum ligamentorum latorum laxitati aut diſruptioni alii autores non aſſignant, quia non recte ligamenta vocantur, ſiquidem ab his uterum non ſuſtineri per αυτοψίαν conſtat, atque ſic dicta ligamenta cum partibus illis, quibuscum uterum connectere deberent, non cohærent, ſed libere in corpore fluctuant, hinc etiam ab eorum relaxatione aut ruptura uteri ſitum non mutari probabile eſt. Huic ſententiæ conſentit etiam Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſervat. 20. pag. 48.* poſt

poſt variorum autorum allegata verba ita inquiens: audis uterum per ligamenta veſpertilionum alas aſſimilantia oſſi ilio alligatum. Vides apud Laurentium uterum totam ventris regionem perambulantem, apud ipſum & alios procidentem & excidentem. Parcant metu viri illi, parcant & feminæ ab illis perſuaſæ, quod uterus aliquando excidat. Quamvis affirmemus illas expanſiones peritonæi, veſpertilionum alis aſſimilantes, quas perperam ligamenta ſuperiora vocant, nec oſſi ilio, nec cuiquam alteri alligari (fluctuant enim libera) tamen periculo omni, ne uterus excidat, poſthac omnes liberamus: nemo vidit, nemo ſenſit: decepti omnes imagine falſa, alios decipiunt: laxitas quædam colli, quæ extra pudendum prominet, hæc nobis fecit ludibria. Inſpice, quæſo, quisquis anatomiam & veritatem amas, conſtitutionem uteri, quantis parietibus ſit ſeptus conſidera, & mecum reipſa & oculari inſpectione convictus ſenties. Ligamenta autem illa ſuperiora nec Laurentius nec alii anatomiæ heroës unquam alligata viderunt, ſed ex opinione vulgari affirmarunt. Ignoſce, quæſo, lector, libertati meæ, quæ vidi loquor, toties examinavi, nunquam alligata, ſemper inveni liberrima. Et ſecundum Verheyeni ab Henr. von Sanden *de Uteri inverſ. pag. 13.* allegata verba, ligamenta hæc uteri non tanti ad uterum ligandum valoris ſunt, ut paſſim ſignificant anatomici. Pars enim ſuperior, quæ uteri tubam & teſticulos ſuſtentat, cæteroque validior eſt, extremo ſuo, quo utero remotius eſt, nulli parti affigitur adeoque uterum ſuſtinere nequit. Non igitur proceſſus illi vocandi ligamenta uteri, niſi gratia partis inferioris minusque firmæ. Inquit etiam Franciſcus Bayle *Diſſert. med. II. de Sympath. Uter. pag. m. 55.* cum utrorumque ligamentorum ſtructuram nuper conſiderarem, mihi viſi ſunt anatomici eorum uſus negligentius inveſtigaſſe, & parum congrue ligamentorum nomine ea appellaviſſe, cum procul dubio aliis nobilioribusque dicata ſint, quam ligandi muneribus. Et juxta Fred. Ruyſch. *Muſ.*

anat. ſive Catalog. Rarior. pag. 114. partes membranaceæ inter tubas & ovaria ligamenta uteri lata audiunt, ſed falſo; horum interventu tubæ quidem ovariis alligantur, non vero uterus peritonæo, niſi in ſtatu præternaturali. Quærit etiam Carolus Drelincurtius *Experim. anat. de Uter. pag. m. 96.* an uterus ad quatuor catenas, ceu furibundum animal in animali alligetur? hoc eſt, an quatuor ille ligamentis, ceu funiculis atque loris, infrenetur, effreno libidinis œſtro ne laſciviat? an ejus ligamenta duo inferiora dicta ipſum ſuperiorem ſuſpendent, ne procidat, uti neotericorum codices ferunt &c. vid. etiam Muliebr. noſtr. *Sect. III. Cap. 2. §. 29. pag. 258. ſeq.* Secundum Paul. Barbett. *Chirurg. Part. I. cap. 8. pag. 28.* uterus non facile laxitate, multo minus disruptione latorum ligamentorum prolabitur, uti maxima pars ſcriptorum ſibi imaginatur. Ita ſcribit Jean Baptiſte Verduc *Suite de la Patholog. de Chirurgie Chap. 42. pag. 1058.* Il eſt impoſſible, que la matrice pût tomber au dehors, comme l'ont aſſure tous les anciens practiciens, ſans en excepter un ſeul. Ils on dit, que cette deſcente étoit causée par la relachement des ligamens ſuperieurs, qui attachent la matrice, mais c'eſt une fauſſeté, & il n'eſt pas vray, comme le diſſent la plûs-part des anatomiſtes modernes, que ces ligamens ſuſpendent la matrice, & que, lorsqu'ils ſe relâchent, ou qu'ils ſe rompent, la matrice deſcend au dehors, puisque ces ligamens larges ne ſont que des productions du péritoine, qui n'ont point d'attache avec les os des iles & les autres parties voiſines; mais qu'ils ſont au contraire libres & flottans dans le ventre, de ſorte qu'ils ne ſervent en aucune maniere à ſoutenir la matrice; c'eſt pourquoy ce que l'on a toûjours appelle deſcente de matrice, n'eſt qu'un allongement du vagin, qui s'avance au dehors. De vero uteri prolapſu atque inverſione ita ſcribit Laurentius *Heiſter Chirurg. Lib. II. de Operat. Chirurg. Cap. 143. pag. 672. Dieſe Art des Vorfalls kan faſt nicht anders, als*

als in oder gleich nach der Geburt geſchehen, wenn der Mutter-Mund ſo weit iſt, daß die Mutter dadurch ſchlupffen und ſich umwenden kan: und geſchiehet ſolches, wenn man entweder die Nachgeburt zu ſtarck anziehet, daß die Mutter mit ſolcher ſelbſt heraus gehet; oder wenn die Gebæhrende nach der Geburt noch ſtarcke Wehen behalt, gleichwie manchmahl geſchiehet, und durch ſtarckes Drücken die Mutter ſelbſt durch die Geburt ausdrücket. Es erfolget aber gemeiniglich gar bald der Tod darauf, wo dieſer Vorfall nicht alſobald wieder in Leib gebracht wird.

§. 3.

Relaxationis autem ſeu rupturæ ligamentorum uteri vel uno verbo, vaginæ & ipſius uteri prolapſus & inverſionis, variæ ab autoribus recenſentur cauſæ occaſionales, v.g. vociferatio vehemens, caſus, ſaltus, fæcum alvinarum excretio moleſta, percuſſio ad nates & femora, gravioris ponderis elevatio ac geſtatio, coitus indecens, totius corporis concuſſio violenta, humor ſeroſus vel fluor muliebris, imprimis partus difficilis, & violenta ſecundinæ extractio. Ejusmodi & alia procidentiæ uteri exempla hincinde reperiuntur, ſiquidem de uteri prolapſu ex abortu vid. Bald. Tim. a *Güldenklee Epiſtol. Lib. III. Epiſt. 38. pag. 709.* Honeſtæ cuidam mulieri annorum quadraginta poſt nonnullos labores domeſticos derepente uterus totus inverſus e pudendo prolapſus narratur a Petro Poterio *Obſervat. Cent. III. Cap. 91. pag. 380.* A terrore procidentiam vaginæ annotavit Cornelius Solingen *Embryulc. Cap. 16. pag. 201. ſeq.* his verbis: Hebbe den 15. April 1673. een Lijſtemakers vrouw, my om raed vragende, geviſiteert, die een vaginæ procidentiam, ofte uytſackinge van de ſcheede hadde, in welke de baermoeder onthouden wierd; edoch was de lijfmoeder wel de helft grooter, en veel harder, als ordinaris, want alle die in de Anatomie ervaren zyn, is kenlijk, dat den uterus natürlijk hard is, te weten in die gene, die niet bevrucht en zijn. Deſe vrouw

cauſæ occaſionales.

abortus.

labor.

terror.

hadde dit ongeval door een ſchrick voor vijftien jaeren gekregen, en geduerende, dien tijt deſe party ſoo oytgeſackt gedragen, ſonder oyt deſelve ingebracht te hebben, ofte laten inbrengen, nochte ook t' ſedert die tijt van haer man vleeslij bekent te hebben konnen worden. Matrona novendecim

ſaltus. annos habens, ex carpenti ſeu eſſedi ſaltu præcipiti abortum difficilem & violentum non ſine uteri prolapſu paſſa erat. Suaſit autem medicus, ut appropriatis adſtringentibus in vino coctis foveretur, oleoſisque intruderetur uterus, atque ipſa elato tranquille cubaret podice, brodiaque analeptica per epicraſin ſumeret. Atque ita quidem intra unius menſis intervallum priſtinæ reſtituta eſt ſanitati, quotannis ſine ullo parturiens incommodo, uti ex communicatione Ægidii Euth recenſet Stalpartius van der Wiel *Obſervat. rar. Cent. I. Obſerv. 69. Schol. pag. 301.*

§. 4.

ictus vaccæ. Ab ictu vaccæ cum cornu ortam vaginæ procidentiam obſervavit Adamus Brendelius *Obſervat. anat. Decad. I. Obſerv. 7. pag. 24.* Ancilla ſcilicet, dum vaccam, a paſtu domum reverſam, in ſtabulo vinculis alligare nititur, ab eadem, muſcis irritata pungentibus, cornu abdomen, inclinato capite, petitur, ita ut cuſpis etiam cornu paulum vaginam intraverit, quam læſionem poſt non ita multo procidentia vaginæ ſubſecuta eſt, qua diu afflicta laboravit, tentatis fruſtra remediis omnibus, quia malum, pudore victa, ultra dimidium anni clam habuit, & quid acciderit illi, reticuit, quousque demum doloris acerbitate coacta & compulſa læſionem indicavit.

§. 5.

calcitratio. A calcitratione pedis ſui mariti uteri prolapſum annotavit Franc. Mauriceau *Obſervat. 171. p. 95.* inquiens: j'ay reduit la matrice d'une pauvre femme, agée de quarante huit ans, à qui la matrice eſtoit entierement tombée, dela groſſeur dela teſte

teſte de l'enfant, ſans pouvoir eſtre reduit depuis prés de trois ans, qu'elle avoit receû un coup de pied de ſon mary en cette partie, qui reſta toûjours enſuite ainſi tumefiée & pendante au dehors, avec une tres grande incommodité de cette femme &c.

§. 6.

Per flatulentam ventriculi & inteſtinorum diſtenſionem in matrona quadam honeſta annum ſexageſimum tertium agente cauſatum uteri prolapſum annotavit Andreas Elias Buchnerus vid. *Act. phyſ. med. Vol. II. Obſerv. 63. p. 152. ſeq.* *flatulentia.*

§. 7.

Ab elevatione & geſtatione magni ponderis uteri ligamenta facile extendi & rumpi poſſe, quo facto uterus prolabatur, ex Hippocrate allegat Baldaſſ. Timæus a *Güldenklee Reſponſ. 37. Oper. fol. 1068.* de qua ligamentorum disruptione paulo ante diximus. Varia autem ejusmodi hinc inde occurrunt; pudiciſſima enim & honeſta uxor, annos viginti quatuor nata, magnum imprudenter attollens pondus in uteri procidentiam incidit, uti refert Amatus Luſitanus *Curat. med. Cent. I. Cur. 14. fol. m. 37.* De prolapſu uteri ſpurio ex elevatione magni ponderis in puerpera, vid. Andr. Ottom. Gœlicke *Hiſtor. anat. Obſervat. 10. pag. 224.* Mulier quædam, cum poſt laborioſum partum ponderoſam calcis molem, marito ſuo alutario adjuvante, in officinam portaret, ex improviſo uteri prolapſum paſſa eſt, referente Eberhardo Gockelio *M. N. C. Cent. II. An. 5. Obſervat. 54. p. 103.* item *Gallicin. med. pract. Conſ. 20. pag. 71.* Ancilla quæpiam paupercula, ante aliquot annos deflorata, ex intenſiſſima ſpiritus cohibitione ſub ponderis gravioris elevatione inſtituta tunicam internam vaginæ uterinæ ultra modum extendit, ut extra pudendum proruperit, & inflammationem ſumme dolorificam ſuſceperit, ut adeo coacta ſit Johannis Mauricii Hoffmanni opem implorare, vid. *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſerv. 181. pag. 357.* Sic inquit Roſinus Lentilius *Eteodrom. medic.* *elevatio ponderis.*

pract. An. 1709. pag. 1333. Uxor triginta ſex annorum, unius maſculæ prolis ante decennium mater, onus grave ſuſtulit ante annum, & ſenſit aliquid rumpi in hypogaſtrio & ſimul ſenſim e pudendi labiis exire quid carnoſum, quod oſtendit obſtetrici, quæ non vaginæ, ſed ipſiusmet uteri procidentiam pronunciavit. Succeſſive proptoſis major eſt facta, ſic ut non ſine moleſtia incedere miſera cœperit. Mihi ipſi etiam anno 1716. die 14. Octobr. univerſam vaginæ uterinæ procidentiam & inverſionem cum uteri prolapſu, a magni oneris elevatione ortam, in ruſtici cujusdam uxore, obſervare licuit, quod malum ipſam adhuc virginem ſibi contraxiſſe referebat.

Obſervatio.

§. 8.

Tusſis & obſtructio.

De uteri procidentia a vehemente tuſſi & alvi obſtructione ſequentem obſervationem recenſet Franciſcus Mauricæus *Obſervat. 303. pag. 178.* inquiens: Le 21. May 1682. je vis une femme, qui avoit une deſcente de matrice, qui luy eſtoit arrivée par une grande toux, & par les violens efforts, qu'elle avoit faits pour aller à la ſelle, après avoir eû le ventre reſerré durant vingt jour entiers; lesquelles deux cauſes jointes l'une à l'autre avoient d'autant plus facilement contribué à luy faire venir cette maladie &c.

§. 9.

hydrops.

Hydropicas mulieres plerasque ſimul de procidentia uteri conqueri, inquit Thomas Bartholinus, vel potius ad hunc ſcribit G. W. Wedelius *Act. Hafn. Vol. II. Obſ. 44. p. 139.* ubi pergit, inprimis duæ vetulæ ſummam inde patiebantur moleſtiam ad mortem usque; & in hydropica altera memorata vidi propendens uteri corpus; quantum ob vaſtiſſimam tumentis corporis molem licebat. Cum ergo a ſero illo copioſo intra abdomen præter naturam collecto neceſſario laxentur ligamenta uteri, videtur probabile eſſe, & laxari ab humore & protrudi a copia & pondere eundem poſſe, ſicque veram

tunc

tunc dari poſſe in hydropicis procidentiam. Non tamen in omnibus mulieribus hydropicis obſervari procidentiam uteri, defendunt alii autores, qui in hydropicis uterum non prolapſum, ſed in ſuo loco ordinario firmiter detentum repererunt. Humorem etiam pituitoſum vel ſeroſum, unde procidentiam uteri evenire interdum aſſerunt, ligamenta uteri irrigando id efficere non poſſe, oſtendit Felix Platerus *Prax. med. Tom. III. pag. m. 494.* ibique comprobat, quod hydropicis mulieribus, quibus uterus cum annatis membranis, in aqua ſæpe longo tempore innatat, ille tamen nullo pacto ob eam cauſam prolabatur. Ibidem quoque dictus autor meminit feminæ, cui has membranas putredine penitus abſumptas fuiſſe, ſectio poſt mortem patefecit, dieque ante obitum hoc factum fuiſſe, effluxus præcedens ſaniei fœtentis & putris comprobavit, uterus minime a ſua ſede receſſerit, ſed firmus & ſtabilis permanſerit.

§. 10.

Procidentiam uteri ex tumore ſeroſo ſeu hydrope uteri annotavit Johannes Mauritius Hoffmannus *Ephem. Acad. N. C. Cent IV. Obſervat. 107. pag. 261. ſeq.* vixit, inquiens, Solisbaci honeſta civis uxor, quæ procidentiæ uterinæ ſpecie afflictata auxilium undique conquirere cœpit, idque eo magis, quoniam oſculum uteri internum & ab urinæ alluvie & attritu ſub ingreſſu facto excoriatione orta læſum graviter dolebat, & deorſum ruentis uteri pondus indies accreſcebat. Adhibuit medicaſtrarum conſilio balnea & inſeſſus, deinde ex medicorum præſcripto circulos & globulos ligneos cera obductos, in ſubſidium aſſumſit, peculiari inſuper ſubligaculo firmavit, ſed irrito prorſus eventu, cervici uteri cum oſculo interno turgidiori & prominentiori facto, illos reprimente; intumuit demum ſuffuſa venter ab unda atque hydrope aſcite in ſtupendam molem eum expandente. Hujus feminæ defunctæ aperto abdomine, ea ſeri turbidi fæculenti copia cum impetu proſiliit, quæ *hydrops uteri.*

amplio-

amphoras adſtantes binas adimplere potuiſſet; ſupra uteri fundum depreſſum tumor tunicatus amplus in conſpectum ſeſe dedit, ſero limpido, ſed ad contactum glutinoſo ferme ad crepaturam usque adimpletus, vaſculis ſanguiferis tenerioribus per ſuperficiem, hinc inde excurrentibus, tumori etiam dicto inhærebant quatuor hydatides lympha turgidæ, quibus viſis in apricum proferebatur cauſa morboſæ procidentiæ recenſitæ, is ipſe nempe tumor cum ſociis hydatidibus, qui uteri fundum & cervicem cum oſculo interno incumbente ſuo pondere ſede naturali cedere & prominere coëgerat, nullo adminiculo reprimendum.

§. 11.

calculi. Uteri procidentiam absque dubio etiam ſucceſſive excitavit magna calculorum (quadraginta ſcilicet & duorum) in veſica urinaria hærentium, copia & pondus, quos Fredericus Ruyſchius *Obſervat. anat. chirurg. I. pag. 2.* ex vetula octogenaria per inciſionem, ſecundum uteri propendentis longitudinem, momenti temporis ſpatio, partim inſtrumentis, partim ſolis digitis extrahi, talesque calculos loco allegato depingi curavit. Quam obſervationem rariſſimam etiam jam ſupra recenſuimus.

§. 12.

graviditas. De vaginæ uteri non niſi geſtationis tempore obſervata procidentia inquit Georgius Wolffg. Wedelius *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 91. pag. 183.* notavimus, æditui cujusdam conjugem, cui non niſi geſtationis tempore procidentia quædam contingebat, ob molem ſcilicet uteri protruſa laxata membrana. Quam obſervationem idem Wedelius etiam in epiſtola ad Thomam Bartholinum perſcripſit; mirum, inquiens, eſt, quod in vicino pago æditui conjux, quotiescunque concepit (contra morem alias affectus) procidentiam aliqualem uteri primis ingravidationis ſeptimanis experitur; hinc ſenſim is iterum contrahitur,

tur, & extra illum ſtatum nil tale patitur. vid. Act. Haffnienſ. *Vol. II. Obſerv. 44. p. 140.* vid, etiam Wedel. *Patholog. Sect. II. cap. 12. pag. 405.*

§. 13.

Non immerito quoque hic inſerenda venit excell. domini Erneſti Ettmülleri obſervatio de certo ſexus maſculini, in utero materno adhuc detentorum infantum, ex uteri prolapſu, deſumendo ſigno, quam *Ephemer. Acad. Nat. Cur. Cent. I. Obſervat. 45. Schol. pag. 116.* ſequentibus verbis communicat: Non culpandus forſan ero, ſi dixero, poſſe quandoque certo præſcire mulieres quasdam, cujus ſexus fœtum geſtent; Edoctus hoc fui exemplo materteræ meæ, quæ octies jam peperit, prima vice filiam, ſecunda, tertia & quarta filios, quinta & ſexta filias, ſeptima filium, octava filiam: Quoties igitur filias conceperat, nihil extraordinarii quoad uterum notaverat, áſt ſemper, quoties filios geſtabat, ultimis geſtationis menſibus inſignem uteri prolapſum paſſa eſt. *cum ſexu maſculino.*

§. 14.

Virginibus quoque a variis cauſis vaginæ & uteri procidentiam accidere poſſe teſtantur obſervatores, ſiquidem Sylvius Samuel Anhorn *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſervat. 37. pag. 89.* ſcribit: Eſter Riedmannin, virgo ſexaginta quinque annos nata, ab anno ætatis vigeſimo, menſibus præter naturam fluentibus, & prolapſu uteri vexata poſt thermas Badenſes convulſionibus & lancinationibus uteri fuit vexata &c. A ſerpentina quaſi incurvatione ob compreſſionem viſcerum procidentiam uteri in virgine coortam ſe notaſſe, ait Georgius Wolffgangus Wedelius *de Morb. Infant. cap. 32. pag. 124.* item *Act. Erudit. An. 1717. pag. 410.* Meminit etiam Regnerus de Graaf *de Morb. Mulier. cap. 10. pag. 270.* ſe uno tempore ad quatuor diverſas filias, quarum virginitas innoxia habebatur, vocatum *in virginibus.*

fuiſſe, quæ uteri prolapſu laborabant; quibus partim fomentis adſtringentibus, partim annuli cerei in pudenda immiſſione non vulgare attulit auxilium. Virgini cuidam, ætatis 45. annorum, teſtes per hymenem propendentes ablati fuerant, dum vero tunc uterus valde tumens vi egredi cum ſummis circa inguina doloribus conaretur, chirurgus ignarus ſpeculo matricis violentam divulſionem, remanente interim ſuumque in locum ſe recipiente utero. Poſt quinquennium ope obſtetricis cujusdam tandem prominebat pugni minoris magnitudine uterus admodum inflatus, in ſiniſtra regione introrſum vaginæ arcte adhærens &c. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſervat. 226. pag. 328. & An. 6. & 7. Obſerv. 73. pag. 102.* Sequentem obſervationem refert Franc. Mauriceau *Obſerv. 96. pag. 57.* de deux filles, à qui la matrice eſtoit entierement tombée d'une prodigieuſe tumeur. Le 14. Septembre 1673. une pauvre fille, agée de vingt-trois ans, vint chez mois me demander le ſecours neceſſaire à ſon infirmité, qui eſtoit une chute entiere dela matrice, qui luy eſtoit arrivée des l'age de ſeize ans, par un violent effort, qu'elle avoit fait en frotant un plancher; & comme elle n'avoit jamais oſé par honte declarer ſa maladie à perſonne, elle laiſſa ainſi ſa matrice tombée, ſans la pouvoir en aucune façon remettre durant ſept ans entiers. Sa matrice, qui eſtoit pour lors presque auſſi groſſe, que la teſte d'un enfant, luy ſortoit entierement hors dela partie honteuſe, luy pendant par delà le millieu des cuiſſes, & au bas de cette monſtreuſe tumeur, qui paroiſſoit comme une groſſe veſſie charnuë, laqu'elle n'eſtoit autre choſe que la ſubſtance du col dela matrice extremement dilatée & bourſoufflée, on ſentoit le propre corps dela matrice, à l'extremité duquel on voyoit ſon orifice interne tres-petit, par lequel les menſtrûës ſortoient reglement dans le temps ordinaire &c. Le 30. May 1675. j'ay encore reduit la matrice d'une autre fille de vingt quatre ans,

à qui

à qui elle eſtoit auſſi tombée entierement depuis ſept années &c. Ex propria experientia ſcribit Jean Palfyn *dans la deſcript. anatom. des part. dela femme, qui ſervent a la generat. Part. II. pag. 66.* J'ay vû, il y a environ dix ans, une fille agée de trente ans, qui avoit depuis long temps une chûte de matrice, le col pendoit au dehors du vagina dela longueur de deux travers de doigt, je vis l'orifice interne dela matrice fort manifeſtement, je la remis ſur le champ & luy appliquai un peſſaire, dont elle s'eſt enſuite fort bien trouvée. Alia puellarum uteri procidentia laborantium exempla vid. Joh. Schenck. *Obſervat. med. Lib. IV. fol. m. 641.* In tenello quodam infante procidentiam quandam vaginæ uteri, magnitudine nucis moſchatæ ſe obſervaſſe, ſcribit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. poſter. Obſerv. 34. p. 369.*

CAPUT V.

De

Variis circa uteri prolapſum obſervatis.

§. I.

Licet uteri prolapſus in genere omnibus feminis ſit admodum moleſtus, variaque ſymptomata & quidem ſæpiſſime mortem inducat, uſum tamen medicum ab eodem annotavit Guilielmus Harvæus *de Generat. Animal. de Part. p. 528.* inquiens: novi feminam nobilem a furore & melancholia uterina ultra decennium delirantem; cui, poſtquam omnia fruſtra tentata eſſent, contigit uteri prolapſus, quem ego affectum, contra aliorum ſententiam, ſalutarem illi fore prædixi, ſuaſique uterum ne reponeret, donec a frigore externo intemperies ejus deferbuiſſet: ſucceſſit res ex ſententia, brevique plane convaluit, atque uterus demum loco ſuo reſtitutus ibidem permanſit poſteaque vitam ſalubriter degit. Vidi *Prolapſus uteri ſalutaris.*

di etiam, pergit ibidem dictus Harvæus, aliam hyſtericis ſymptomatibus nulli remediorum generi cedentibus diu laborantem; quæ tandem poſt multos annos ab uteri decubitu ſanitatem recuperavit. Utrique, ſedatis ſymptomatibus, uterum felici cum ſucceſſu repoſui. Uterus namque ab acri aliqua materia ad expulſionem vehementer exſtimulatus non ſolum delabitur, ſed (inſtar inteſtini recti a tenesmo moleſtante irritati) ſeipſum foras præcipitat. Huc pertinet, quod Jobus a Meekren *Obſervat. medico-chirurgic. cap. 54. pag. m. 239.* ſcribit: Ariſtoteles uterinæ procidentiæ cauſam venereum appetitum excedentem dicit, eamque curari minime poſſe niſi gravidatione. Ipſius autem Ariſtotelis verba *de Hiſtor. Anim. Lib. VII. cap. 2. fol. m. 433.* ſonant: multis mulieribus deſiderio coitius (quo vel juvenilis ætatis ratione, vel quia longo tempore abſtinuerint, tenentur) deſcendunt uteri, & menſtrua ſæpe ter in menſe citantur, donec concipiant: quo facto aſcendunt & ſuo ſitu conſtituuntur.

§. 2.

Prolapſus non ſemper conceptionem impedit.

Uteri prolapſu laborantes feminas concipere & fœtum geſtare poſſe, ex Platero concedit Jobus a Meekren *l. a.* id quod pro conditione peſſariorum & ipſius prolapſus fieri poteſt. Refert enim Franciſcus Mauriceau dans les Obſervations ſur la Groſſeſſe aliquot ejus exempla, v. g. *Obſerv. 40. pag. 26.* agit d'une femme, qui eſtoit devenuë groſſe, non obſtant qu'elle portaſt toûjours actuellement un peſſaire, inquiens: Le 27. Juillet 1671. j'ay accouché une femme d'un fort gros garçon, la quelle avant ſa groſſeſſe eſtoit fort incommodée, depuis ſix ou ſept ans d'une facheuſe deſcente de matrice, pour laquelle m'eſtant venu conſulter, & je luy mis dans le col de la matrice un peſſaire, en maniere de petit bourelet circulaire, ouvert en ſon milieu, dont elle fut entierement ſoulagée, & meſme guerie; & non obſtant qu'elle portaſt toujours

actu-

actuellement ce peſſaire, elle ne laiſſa pas devenir groſſe, & ne l'obſta point qu'elle ne le fuſt de ſix mois, aprés m'en avoir demandé avis, ce que je luy conſeillay de faire, tant parcequ'il falloit laiſſer à la matrice la liberté de s'etendre, que parcequ' eſtant fort dilatée dans le temps avancé dela groſſeſſe, elle eſt, ſuffuſament empeſchée de tomber, eſtant pars lors ſoutenie ſur la interieure des os des Isles par ceux du paſſage. Deinde *Obſerv. 115. pag. 67.* aliam recenſet obſervationem d'une femme qui avoit concû quatre enfans dans le temps meſme qu'elle portoit actuellement un peſſaire pour une deſcente de matrice, dont elle eſtoit incommodée depuis quinze ans. Non obſtant quoy elle avoit fait quatre enfans, dont elle eſtoit accouchée heureſement à terme, n'ayant retiré ce peſſaire, qu'elle portoit ainſi continuellement, que lors qu'elle eſtoit preſte d'accoucher, & le remettant toûjours après ſes couches. Ce peſſaire, qui eſtoit fait en figure d'un petit bourlet circulaire, percé d'un trou dans le milieu, donnoit lieu à la ſemence de l'homme d'eſtre reçûë à travers ſon ouverture dans la matrice, pour la conception, & aux menſtruës, de s'en ecouler, dans les temps neceſſaire. L'uſage de peſſaire luy eſtoit neanmois ſuperflu aprés le ſixieme mois dela groſſeſſe, car la matrice pour lors ſe ſoutenoit bien d'elle-meſmé, appuyée ſur la face interieure des os des isles, par le moyen de ſa grande extenſion ſans avoir aucune beſoin de peſſaire. Aliud procidentiæ uteri in gravida exemplum refert idem autor *l. a. Obſerv. 67. pag. 40.* d'une femme groſſe de cinq mois ou environ, dont la matrice eſtoit tombée dela groſſeur du poing; Elle luy tomboit de cette maniere depuis tout le temps, qu'elle eſtoit groſſe, & ne rentroit, que quand elle eſtoit couchée. L'orifice interne eſtoit fort entr'ouvert à l'exterieur, meſme juſques à y pouvoir facilement inſerer mon doigt, jusques à la moitié de ſa longueur avant que de parvenir à la parte, in-

 terne

terne de cet orifice, qui eſtoit trés-exactement fermée. Aprés avoir reduit la matrice, qui eſtoit tombée à cette femme, je luy mis un peſſaire pour la retenir en eſtat dans la ſituation naturelle, l'avertiſſant dela maniere, qu'elle ſe devoit comporter, & de ne point retirer le peſſaire, que je luy avoit mis dans le col de ſa matrice, que vers le dernier mois de ſa groſſeſſe; ce qu'ayant executé ponctuellement, elle porta ſon enfant jusques à terme, & en accoucha heureuſement; & huit jours enſuite ayant remis ce meſme peſſaire, elle ſe preſerva par ſon moyen dela recidive dela chûte de ſa matrice. Exemplum feminæ uteri procidentia laborantis, quæ tamen ſingulis annis domum filio augebat, refert Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſervat. phyſ. med. Lib. I. Obſerv. 20. pag. 47.* Inquit etiam Michael Alberti *Syſtem. Jurisprud. med. cap. 2. §. 29. pag. 47.* notandum, quod hæc corporis mutatio, ſeu procidentia uteri non promiſcue ſterilitatem cauſetur, uti hiſtoriæ medicæ teſtantur, quales mihi etiam conſtant, quod nihilominus feminæ hoc malo laborantes impregnatæ fuerint.

§. 3.

Coitus impeditur. Quandoque tamen etiam ob dictum ipſius uteri prolapſum coitus impeditur vel ſterilitas oboritur; imo ſi pars prolapſa arte ac manu chirurgica in locum naturalem redigi ibidemque per medicamenta retineri non poteſt, matrimonium non admittitur, vel jam contractum per divortium iterum diſſolvitur. Scribit enim Paulus Zacchias *Quæſt. medico-legal. Lib. IX. Tit. 10. Quæſt. 2. fol. m. 805.* de uteri exitu dubitari occurrit, num illico matrimonium dirimere debeat? ac dicendum eſt, quod, ſi aliquo modo uterus remeare intro poſſit, in tantum, ut mulier virum admittere valeat, non debeat dare cauſam diſſolutioni matronii, etiamſi poſtmodum extra denuo ac prompte prolaberetur; nam licet generationem impedire poſſet, hoc non præjudicaret ex communi doctorum opi-

opinione validitati matrimonii, præterquam quod non careret remedio, nam recentiores medici nonnulla peſſaria fabricarunt, quæ in uterum immiſſa, illum in ſuo loco retinent, neque tamen coitum aut generationem ullo modo impediunt. Ad eum finem circuli quidam effinguntur, idem omni ex parte operantes. Porro ſi uterus ita procidat, ut intro repelli amplius non poſſit, dubio non eſt locus, quod promptiſſimam cauſam dabit irritationi matrimonii.

§. 4.

Exemplum impediti coitus a prolapſu uteri refert Cornelius Solingen *Embryulc. ofte Afhalinge cap. 16. pag. m. 201.* his verbis: Hebbe den 15. April 1673. een Lijſtemakers vrouw, my om raed vragende, geviſiteert, die een vaginæ procidentiam, ofte uytſackinge van de ſcheede hadde, in welcke de baermoeder onthouden wierd; edoch, was de liif-moeder wel de helft groter, en veel harder, als ordinaris; want alle, die in de Anatomie ervaren zijn, is kenlijk, dat den uterus naturlijk hard is, te weten in die gene, die niet bevrucht en zijn. Deſe vrouw hadde dit ongeval door een ſchrick voor vijftien jaren gekregen, ende geduerende dien tijt de voorſz. partij ſoo uyt geſackt gedragen, ſonder oyt deſelve ingebracht te hebben, ofte laten inbrengen, nochte ookt ſedert die tijt van haer man vleeslijk bekent te hebben konnen worden. *Exempla.*

§. 5.

Secundum Michaelis Bernhardi Valentini *Chirurg. med. Sect. III. cap. 9. §. 5. pag. 393.* quandoque uteri procidentia ita comparata eſt, ut cohabitationem maritalem omnino impediat, cum in minori quoque prolapſu obſtaculum quoddam, cum frigore aliquali partis prolapſæ, ſub congreſſu ſe ſentire amicus quidam mihi conqueſtus ſit. Hinc utraque vel alteru- *a prolapſu divortium.*

tra

tra pars divortium ſæpe petit, ut e ſequenti caſu aliquot ante annos mihi oblato eluceſcit. Actum Giſſæ, die 27. Octobr. ann. 1711. in dicaſterio principali & conſiſtorio eccleſiaſtico. Poſtquam haud ita pridem ab eccleſiaſte Bruckfeldenſi relatum fuit, Annam Dorotheam, Johann. Conradi Dœringii, Bruckfeldenſis, conjugem, ob invaletudinem corporis ſui, & quod a marito ſuo ejusque matre duriſſime tractetur, divortium quærere; hinc bini conjuges hodie citati comparuerunt & examinati, uxor ratione invaletudinis percepta ſequentia deponebat: Ægritudinem ſuam a binis ultimis puerperiis, quibus binos fœtus demortuos pepererat, & ita quidem obortam fuiſſe, ut uterus prolapſus ſit, nec ulla ratione in priſtinum locum reſtitui potuerit: addens urinam ſibi perpetuo præter voluntatem effluere, & omni momento guttatim deſtillare, unde non tantum excoriatio illarum partium, ſed & dolor indicibilis oriatur, adeo ut marito amplius cohabitare non poſſit.

Sequitur reſponſum Michaelis Bernhardi Valentini, profeſſoris Giſſeni: Prævia requiſitione dicaſterii Giſſeni Annam Dorotheam, Joh. Conradi Dœringii conjugem inſpectioni oculari ſubjeci & inveni eandem inſigni prolapſu uteri laborare, ita ut tumor ultra ſex digitorum latitudinem protuberans inſigniter rubeſceret & ob excoriationem ſummos dolores pareret, præſente ſimul continuo urinæ incontinentia. Quamvis autem ob ſymptomata modo dicta per inſignem hunc uteri prolapſum congreſſus & cohabitatio conjugalis non poſſit non prorſus impediri, ita ut fatente muliercula jam per integrum biennium marito ſuo debitum conjugale perſolvere nequiverit: attamen & quoniam illa, juxta propriam confeſſionem, nulla hactenus remedia adhibuit, ipſæ partes elapſæ per fotus, balnea & thermas emolliri & ſucceſſive in priſtinum ſtatum reſtitui, aut ligamenta illic ita detineri poſſint, ut debitum conjugale adhuc ſive repeti, ſive præſtari poſ-

ſit:

ſit: eaque de cauſa ante remediorum exhibitionem matrimonium propterea non facile diſſolvatur. Zach. *Quæſt. medico-leg. Lib. IX. Tit 3. Qu. 5.* Hinc morbum præſentem nondum penitus incurabilem dicere poſſum: quod ſubſcriptione propria & appreſſione ſigilli conſueti atteſtari volui. Signat. Giſſæ die 28. Octobr. 1711.

§. 6.

Cum vero in recenſito Valentini de uteri prolapſu exemplo nulla prominentis vel in oculos incurrentis orificii uteri interni fiat mentio, potius mihi in dicto caſu tunicæ tantum vaginæ uteri rugoſæ, ad aliquot digitos propendentis procidentia, quam ipſius uteri prolapſus fuiſſe videtur, quæ membrana relaxata equidem per fotus & alia medicamenta iterum conſtringi, facile reponi atque per cereos circulos firmari ita ſolet, ut membrum virile illos permeare atque per celebratam cohabitationem imprægnatio fieri poſſit, quapropter etiam in ejusmodi caſu ante omnia talis cura chirurgica ſuadenda erit. Quodſi vero cum vaginæ inverſione ſimul ipſe uterus ita delapſus fuerit, ut in illius extremitate orificium uteri internum, cum vel ſine guttulis ſanguineis, appareat, illaque moles adeo ſit ponderoſa, ut tenui circulo cereo (uti in vaginæ inverſione fieri ſolet) in ſuo loco minime retineri poſſit, tunc pro hoc ſcopo magnum atque ſolidum peſſarium cum parvo foramine, pro menſium aliorumque humorum excretione, requiritur, per quod neque mentula virilis vaginam uteri ingredi, neque congreſſus legitimus exerceri poteſt. Quia etiam in tali caſu, ſimulac ejusmodi peſſus magnus e vagina uteri extrahitur, uterus quoque eo ipſo momento prolabitur, valde dubito, an hoc in paſſu fotu vel medicamentis adſtringentibus, alias uſitatis, felix cura promittenda ſit; Et quamvis etiam pro tentanda imprægnatione loco peſſi artificialis aliquis peſſum mariti naturalem durante coitu, applicari poſſe ſibi perſuadeat, poſt ejus tamen

autoris ſententia.

retractionem uterus iterum in momento foras prodibit, atque a tali congreſſu a virili catapulta non ſolum uteri inflammatio, ſed etiam poſt factam imprægnationem fœtui & matri circa partus terminum mors metuenda erit. Quapropter in ejusmodi caſu feminæ tali uteri prolapſu laboranti non æque de medicamentis, ſed ſtatim de fugiendo & diſſolvendo matrimonio judicium ferendum mihi videtur.

§. 7.

Obſervatio. Tale exemplum anno 1716. in ruſtici, cujusdam, C. Kirchhübelii, uxore obſervare mihi contigit, cujus ſupra inter prolapſus uteri exempla mentionem feci, ſimulque plura de eadem obſervatione circa judicium meum ad certas propoſitas quæſtiones annectere promiſi. Scilicet in illa requiſitione ad hujus ruſticæ inſpectionem duæ proponebantur quæſtiones, 1) an ipſa ad cohabitationem & conjugium adhuc idonea ſit? 2) annon per medicamenta vel alia media ab hoc prolapſu liberari poſſit? ad quarum priorem ita reſpondebam, quod equidem in multis feminis, quibus vaginæ uterinæ membrana rugoſa a partibus ſubjacentibus ſeparata hoc modo parvam ſolummodo vaginæ procidentiam ſive ſemiprolapſum (qui a feminis pariter pro vero uteri prolapſu habetur) induxit, talis membranæ procidentia facillime reponi atque per circulum cereum, ſæpe etiam tenuem, retineri queat, & quidem adeo, ut, quia tales circuli ab obſtetricibus pro immiſſione membri virilis ſatis magni ſeu ampli formantur, neque cohabitatio, neque conceptio impediatur, prout quotidiana teſtatur experientia. Quodſi vero plenarius prolapſus & inverſio vaginæ uterinæ cum ipſius uteri deſcenſu, quamvis non ſimul inverſione, acciderit, ita ut remoto craſſiori peſſario dictæ partes ſtatim extra labia & abdomen prolabantur atque dependeant ipſiusque uteri orificium internum appareat, uti in dicta femina obſervabatur, tunc cohabitatio minime fieri poteſt. Quamdiu

enim

enim ruſtica noſtra peſſum (qui magnum & craſſum erat ceræ fruſtum, in media parte anguſtum vixque parvum digitum admittens, habens foramen) ſecum geſtabat, virum admittere non poterat; cum talis peſſus cereus proxime poſt vulvæ labia poſitus haſtæ virilis ingreſſum impediret; ſimulac vero feminæ peſſus extrahebatur, tota vagina cum ipſo utero procidebat. Licet etiam maritus, in ejusmodi caſu, proxime poſt remotionem peſſarii, intruſione penis prolapſum impedire coitumque celebrare vellet, talismodi tamen coitus non ſolum maxime doloroſus, ſed ob metuendam uteri inflammationem & ſubſequentem gangrænam ſumme periculoſus eſſet. Quod autem ad conceptionem attinet, notum equidem eſt, atretas ſive ejusmodi feminas, quibus partes genitales, ſive labia vulvæ & vagina adeo ſunt anguſta, ut mentulam virilem minime admittere queant, nihilominus concipere poſſe, quapropter etiam in hoc caſu fortaſſe aliquis conceptionis poſſibilitatem aliquomodo, & quidem a ſola in ſemine virili latitante ovulumque in uxoris ovario imprægnante vi plaſtica, (cum conceptio, uti ſecundum recentiores ſatis notum, non in utero, ſed in ovario fiat) ſibi concipere atque ſperare poſſet: verum enim vero in tali ſubjecto, cujus partes ad conceptionem pertinentes ac neceſſariæ, v. g. uterus, teſticuli muliebres ſeu ovaria, tubæ Falopianæ &c. non in naturali loco vel ſitu reperiuntur, mea quidem ſententia, parum ſpei conceptionis ſupererit. Imo conceſſa etiam conceptione, quis quæſo! toto geſtationis & partus tempore erit ſtatus feminæ, cujus uterus, tanquam fœtus domicilium, non in abdomine vel ſinu hæret, ſed plerumque per peſſum in vagina detineri debet? ut adeo hanc feminam in hoc ſtatu, quo ipſam deprehendi, tam quoad congreſſum, quam conceptionem pro inidonea judicare voluerim. De ſecunda quæſtione vid. *Gynæcolog. noſtr. Sect. II. cap. 3. pag. 216.* quo loco totus caſus *a pag. 211. usque ad pag. 218.* prolixe refer-

tur addito deciſo de divortio. Sciendum ſcilicet, ad meam relationem atque judicium medicum de cohabitationis matrimonialis, conceptionis atque partus, difficultate, periculo & impoſſibilitate, poſt præſtitum a marito juramentum, (quod ſcilicet ſtatim a tempore copulationis ſacerdotalis, per totum matrimonii ſpatium, ob conjugis vitioſam diſpoſitionem, præſtitis quamvis præſtandis atque tentatis tentandis opus conjugale nunquam perficere potuerit) præfatus *Kirchhübel* ſeparationem ſeu divortium impetravit.

§. 8.

cura. Cum in præcedenti paragrapho prolapſus uteri curæ mentio facta ſit, non immerito hoc loco de eadem agendum nobis eſſet, ne autem nimis evagemur, aliquot tantummodo autores allegare animus eſt. Sicuti autem pro differenti prolapſus vaginæ & uteri gradu diverſisque ejusdem cauſis diverſi quoque curationis requiruntur modi, ita etiam præter hactenus recenſitos caſus eorumque obſervatores, pro hoc ſcopo alii quoque autores evolvi poſſunt. v. g. Cornel. Stalp. van der Wiel *Obſervat. rar. Cent. I. Obſerv. 69. Schol. pag. 301.* Eberh. Gockel. *Gallicin. med. pract. Cent. I. Conſ. 20. pag. 73.* Paul. Barbett. *Chirurg. Part. I. cap. 8. pag. 28.* Joh. Scultet. *Armament. Chirurg. Part. I. Tab. 43. fig. pag. 102. ſeq.* Chriſt. Joh. Langii *Prax. med. Cap. 24. §. 11. fol. 163.* Ephemer. Acad. *N. C. Cent. V. Obſ. 63. pag. 152. ſeq.* Laurent. *Heiſters Chirurg Part. II. Cap. 143. & 144. pag. 672. & 675. ſeq.* Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gall. An. I. Append. pag. 244. ſeq.* it. *An. V. Mart. cap. 8. pag. 66.* Guil. Fabr. Hildan. *Obſerv. chir. Cent. IV. Obſerv. 61. fol. m. 335.* Jean Bapt. Verduc *des Operat. de Chirurgie Tom. I. Chap. 35. pag. m. 161.* & ſecundum verſionem Germanicam a me translatam *pag. 112. ſeq.* Joh. Hartmann. *Pract. Chymiat. Oper. fol. m. 71.* Marc. Gerbez. *Intricat. extric. Part. II. cap. 19. pag. 188 ſeq.* An hic affectus curari poſſit, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Pandect.*

Part.

Part. I. Sect. I. caſ. 10. pag. 39. Bald. Tim. a *Güldenklee Reſp. XXXVII. pag. 1068.*

§. 9.

Pro retentione autem prolapſi atque repoſiti uteri inprimis neceſſaria ſunt peſſaria, quæ vel ex cera, vel ligno, vel ſubere &c. confici ſolent; hinc Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib. II. cap. 35. fol. m. 199.* inquit: repulſum uteri corpus in ſuam ſedem non poteſt ſiſti & contineri, niſi peſſulo obdito, id eſt, peſſario amplo, ſive ovali, ſive annulari, & feneſtrato indito. Sic femina quædam uteri prolapſum patiens globum cereum magnitudine pilæ palmariæ in uterum magnâ vi introduxit eumque per decennium geſtavit, a morbo prorſus libera, teſte Lazaro Riverio *Obſerv. a Dionyſ. Pomaret commun. XI. pag. 355.* Vaginæ procidentia laborans femina paupercula retinebat intus molem, ne prorumperet & negotium faceſſeret, ſubdito & intruſo pomo; hæc medico vitium monſtratura halitu retento verſus inferiora niſu facto primo pomum cum impetu proſiliens exhibebat annotante Georgio Wolffg. Wedelio *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 91. pag. 182.* Procidentiæ uteri remedium quæritabat femina ſexaginta aliquot annorum, cui obſtetrix quædam globum, qualis caput crepundiorum puerilium conſtituit (*den Kopff von einem Kinder-Klepperlein*) cera obveſtitum in pudenda mulieris, jam ætate coarctata & anguſtata violenter, ſed maximo cum damno intruſit, referente Roſino Lentilio *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſerv. 204. pag. 424.* Ibidem etiam *Obſerv. 54. pag. 103. ſeq.* Eberhardus Gockelius de pila ſeu globo cupreo, magnitudine ſua ovum anſerinum longe ſuperante, per octodecim annos contra prolapſum uteri geſtato & e vagina feliciter extracto obſervationem cum cura communicat. vid. etiam Gockel. *Gallicin. Obſerv. 20. pag. 71.* Ovum ligneum torno elaboratum & colore rubro tinctum mulier quædam ruri vivens atque ex partu difficili uteri procidentiam perpeſſa vaginæ uterinæ intruſit, quod poſtea cruſta lapidea obdu-

peſſaria.

obductum forcipe nonnihil incurvato fuit extractum, uti refert Johannes Mauricius Hoffmannus *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VI. Obſerv. 44. pag. 295. ſeq.* De circulis ex ligno buxeo, qui poſt uteri prolapſi repoſitionem in ejus collum induntur, ne iterum procidat; item de globulis ex ſubere factis, qui in deploratis uteri procidentiis utiliſſimi ſunt, & non, veluti circuli alii, in cervicem uteri, ſed ejus fundum immittuntur, & de globulo ſphærico & ovali, qui annexum habent funiculum, ut urgente coeundi neceſſitate, extrahi poſſint, vid. Johann. Scultet. *Armament. chirurg. Part. I. Tabul. 22. pag. 31.* Ambroſ. Paræi *Theſaur. Lib. XXIII. cap. 41. fol 526. ſeq.* De peſſariis ita ſcribit Jean Bapt. Verduc *des Operat. de Chirurg. Chap. 35. pag. 162.* en general le peſſaire doit eſtre d'une grandeur & d'une figure convenables à la partie; on le fait de liege, d'une figure ronde, comme un petit bourlet percé d'un aſſez grand trou, le quel ne ſert pas ſeulement d'appuy à l'orifice interne dela matrice, mais qui ſert auſſi pour l'ecoulement du ſang & des autres vuidanges. Ce peſſaire doit toûjours eſtre enduit de cire, afin qu'il en ſoit plus doux & qu'il dure davantage. Il doit eſtre aſſez large, afinqu' eſtant introduit avec un peu de force, le vagin en ſoit plus fortement retenu. Il n'a pas beſoin d'attacher, parce qu'eſtant percé, on le peut facilement retirer avec le doigt. Les peſſaires quarrez & triangulaires, ou qui ont les angles mouſſes, tiennent mieux, que ceux, qui ſont ovaires; mais les ronds ſont plus propres à toutes ſortes des femmes; on les peut faire auſſi d'or, ou d'argent en forme de canules. Il ne faut point retirer le peſſaire, qu'on ne s'en trouve fort incommodé. Dans les vielles femmes, qui ont eu toute leur vie une chute du vagin, & qui ont des fleurs blanches, il n'y a que le peſſaire, qui puiſſe retenir cette partie à ſa place; Il faut qu'elles le portent toûjours, ſi elles veulent ſe delivrer de cette facheuſe maladie. De peſſariis vid. etiam Caſp. Bauhin. *Append. ad Franc. Roſſet. de Part. cæſar. pag. 215. ſeq.*

§. 10.

§. 10.

Sæpiſſime etiam non vera, ſed falſa occurrit uteri procidentia; excreſcentiæ enim fungoſæ, uteri prolapſum ſimulantis, exemplum refert Georgius Segerus *M N. C. Dec. I. An. 2. Obſervat. 121. pag. 199.* Molam quinquennem prolapſum uteri mentientem in uxore quadam triginta quatuor annorum & decem liberorum, totidemque fere abortuum, nec non plurium molarum fœcunda parente in ſuburbio Vratislavienſi obſervavit Johannes Jæniſch, *l. a. Obſervat. 79. pag. 153.* De excreſcentia uteri prolapſum mentiente ſequentem obſervationem refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſtor. 58. p. 239. ſeq.* Vidi, inquiens, in noſocomio Patavino 1641. diſſectam mulierem, quæ prolapſum uteri a partu difficili ante decem annos paſſa credebatur. Narravit, ſe in prato cubantem obſervaſſe deſcendere uterum, gramenque venari. Ex illo tempore indies crevit ob affluxum ſanguinis, ut diſtentus nigerque in putredinem degeneraverit. Judicabat Marchettus, non eſſe uteri procidentiam, ſed excreſcentiam aliquam in vagina uteri, adeoque abſcindendam. Alter noſodochii chirurgus familiaris pro uteri ſtetit procidentia, quum excreſcentia ſubitum ortum incrementumque habere non poſſit. Mulier interim ſecari volens, inter ambigua conſilia ad mortem properavit. In aperto cadavere, ſatis in trunco obæſo, ſed artubus emaciatis, uterum ſuo loco ſanum beneque conſtitutum vidimus, excreſcentiam vero ex uteri vagina dilacerata pendulam, cum labiis pudendi ex lue venerea forſan, inflammatis. De procidentia uteri falſa evolvatur etiam Jobus a Meekren *Obſerv. med. chirurg. cap. 54. p. 238. ſeq. 247.* *uteri procidentia falſa.*

§. 11.

De femina uteri procidentiam ſimulante ſequentem hiſtoriam recenſet Ambroſius Paræus *Chirurg. Lib. XXIV. cap. 18. fol.* *prolapſus ſimulatus.*

18. fol. 566. non ita pridem proſtituti pudoris mendica Lutetianis pauperum curatoribus ſe obtulit, rogans, ut in album pauperum ſtipendioſorum referretur, ſibi enim ex laborioſo & difficili partu uterum procidiſſe, itaque non potis eſſe aliquid operæ facere, unde victum compararet. Tum illi, eam de more a chirurgis, ei muneri deſtinatis, probari & examinari juſſerunt. Hi re tota ejus luſtrata & cognita, fraudem ſubeſſe renunciarunt. Veſicam namque bubulam inſpirato flatu ſemiplenam, & turpi ſanguine oblitam cervicis extremo, ad quod ſpongiolam attexuerat, in uteri ſui cervicem intruſerat, mox enim uteri ſolida & humida eluvie differta, & turgente ſpongiola, bubulam veſicam propendentem ſtabiliri ſic, ut ſine prælapſionis metu facilis mendicæ inceſſus eſſet, nec niſi ſumma vi revelli poſſet. Ob hæc vaframenta in carcerem conjecta eſt, & loris ante a carnifice operta in exilium relegata eſt.

CAPUT VI.

De uteri exſectione.

§. 1.

uteri reſectio, defenditur.

Circa uteri procidentiam adhuc notandum, nonnullos auctores non modo vaginæ ipſiusque uteri prolapſum, verum etiam ejusdem exciſionem ſeu exſtirpationem concedere atque defendere, quibus tamen alii contradicunt. Uterum ad capitis magnitudinem procidere atque incuria quadam putrefactum ſine incommodo exſtirpari poſſe, ſic ut etiam eo ablato concipere queat mulier, ſcribit Vopiſcus Fortunatus Plempius. vid. Job. Meekr. *Obſ. cap. 54. pag. 239.* Exempla novendecim uteri, vel ex procidentia, vel gangræna, vel aliter vitiati, totius citra valetudinem exſecti e variis autoribus refert Caſparus Bauhinus Append. ad Franc. Roſſet. *de Exſect. fœt. cap. 4. pag. 197. ſeq.* Uteri totius citra periculum abſciſſi exemplum ex Rhaſio refert

fert Zacutus Luſitanus *de Medic. princip. hiſtor. Lib. III. Hiſtor. 6. Oper. Tom. I. f. m. 464.* Et *de Prax. med. admir. Lib. II. Obſervat. 85. fol. 62.* feminæ meminit, cui poſt caſum ab arbore alta uterus pugni magnitudine extra propendit, nec ullo modo reduci potuit, ſed mali cydonei figuram in infima prolapſa parte repræſentabat. Poſt aliquot annos uterus frigore ita obduruit, & lividus eſt factus cum mollitie ſumma & horribili fœtore; quare chirurgi uterum delapſum præciderunt, ipſaque a tanto malo facta eſt immunis. Mulieri Bononienſi matricem elapſam & cucurbitæ inſtar inflatam, Carpum chirurgum ſe cooperante, novacula abſcidiſſe, hanc tamen feminam toto biennio Bononiæ crebro ſibi obviam & ſuperſtitem ſe vidiſſe refert Johannes Langius *Epiſt. medicin. Lib. II. Epiſt. 39. p. 672.* De uteri excifione ſequentia memorat Antonius Benivenius *Obſervat. medicinal. cap. 11. pag. 155.* Ingenioſus noſtri ſeculi medicus Ugolinus Piſanus me licet juniorem advocandum cenſuit, ut una cum illo mulierem quandam curaremus, quæ vulvæ ſeu uteri (quæ ipſi ſynonyma ſunt) pernicioſo ulcere vexabatur. Hæc tamen pars interim corrupta, & fruſtulis comminuta deſcendens, non prius fluere deſtitit, quam tota putreſcens decideret: at ſic mulierem ingenti malo liberavit, quæ decem annos ſana ſupervixit. Mulieri cuidam fere trigenariæ, poſt ſecundas nuptias, cum ex priore matrimonio prolem nullam ſuſcepiſſet, uterum putridum exciſum fuiſſe, ſcribit Ambroſius Paræus *Theſaur. Chirurg. Lib. XXIII. cap. 41. fol. 527.* Hiſtoriam uteri ex virgine reſecti recenſet Johannes Georgius Volkamerus *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſervat. 173. pag. 102. & pag. 103.* longæviores alias utero privatas ſæpe ſe obſervaſſe feminas addit. Vivere poſſe mulieres, quibus totus uterus aut exſectus eſt, aut alio modo defuit, inquit Georgius Francus de Franckenau *Satyr. med. 2. §. 1. pag. 36.* vid. etiam Theoph. Bonet. *Medicin. ſeptentr. Part. II. Lib. IV. Sect. I. fol. 27.* Muliebr. noſtr. *Sect. III. cap. 2. §. 22. p. 246. ſeqq.*

ſeqq. Et Gottfr. Welſchius *Ration. Vulner. lethal. Judic. cap. 13. pag. 114.* ſcribit: corrupto ex cauſis internis vel plane remoto utero ſalvam nihilominus remanere vitam, conſtat ac manifeſtum eſt cuilibet. De uteri prolapſu amputato, ita ſcribit Henricus a Moinichem *Obſervat. 4. pag. 17.* inveteratum uteri prolapſum, aliis fruſtra tentatis, amputatione non ſemel curavit Michael Angelus Rota, medicus Venetus, meus anteſignanus in praxi Antonius Molinetus, anatomicus Patavinus operationem hanc aliquoties perfecit felici cum ſucceſſu. Et in ſcholio ejusdem obſervationis annectit Joſephus Lanzonus, quod certum ſit, multos fuiſſe auctores, qui feminis uteros, vel corruptos, vel ſphacelatos evellerint; item Saxoniam Venetiis ancillam vidiſſe, quæ ſibi ipſi amputavit uterum, quia in nimiis laboribus ſæpius procidebat. Plura exempla allegat Jobus a Meekren *l. a.* Franc. Roſſet. *de Part. cæſar. Sect. IV. cap. pag. 92. ſeqq. item pag. 208.* aliquot hiſtorias de utero absque periculo vitæ ablato recenſet. vid. etiam Johann. Laur. Bauſch. *de Hæmat. Procem. pag. 72. ſeq.*

§. 2.

negatur. Hanc tamen ipſius uteri exciſionem alii autores negant, vel vaginæ tantum reſectionem concedunt; Inquit enim Paulus Barbette *Prax. Lib. IV. cap. 10. pag. m. 187.* anterioris vulvæ tunicæ rugoſæ relaxatio, quæ vulgo hernia uterina vocatur, facile ab initio curatur adſtringentibus, &, gangræna ſi metuatur, exſcindi poteſt ſine vitæ periculo metuve hæmorrhagiæ. Et *in Chirurg. Part. I. cap. 8. pag. 28.* ſcribet idem autor: experti ſumus, membranas pubis ſe eousque extendere, ut homines chirurgiæ imperiti eas pro ipſo utero ſumſerint, & etiamnum ſumant: ſed uterum ſine vitæ periculo poſſe exſcindi, quemadmodum multi doctores ſcribere auſi ſunt, perito anatomico intolerabile cenſetur. Item *Anatom. pract. Lib. IV. c. 2. p. 128.* ait idem Barbette, uteri ſphacelus incurabilis

lis eſt: quæ enim veteres de exſtirpatione uteri referunt, totum nempe eum auferri poſſe absque inſigni damno, erroribus reliquis annumerari debent. An hoc animal in animali, neceſſariam hanc partem, multis aliis partibus cohærentem, copioſisque adeo arteriis præditam absque periculo vitæ exſcindere licet? Idem hic iis obveniſſe credo, quod in procidentia uteri deſcribenda & curanda obvenit, vaginæ uterinæ tunicas extenſas pro utero ipſo, & hic & ibi aſſumſerunt. Poſſe autem tunicas has ſine gravi periculo auferri, libens concedo. At vero uteri totius ſphacelum mortis certæ cauſam exiſtimo. Sic Jobus a Meekren *Obſervat. med. chirurg. cap. 54. pag. 238.* quærit: quam pœnam non incurret ille, qui naturæ arvum, amoris omnis pudorisque fontem perarare tentat, eum imprimis in finem, ut ſententiæ antiquorum, quæ uterum muliebrem non tantum extra corpus prolabi, ſed & in totum auferri poſſe docet, falſitas declaretur, præſtare multis forſan videbitur ab incepto deſiſtere, quam clariſſimorum virorum turbæ adeo inſigni, procidentiæ exſtirpationive uterinæ poſſibilitatem probanti, ſeſe opponere. At vero non eſt quod me terreant hæc ſimiliaque, quin contra animoſus, anatomico experientiæ cultro armatus, quæ in deſtructionem figmenti dicti adferri poterunt, proponam; Et *pag. 240.* idem autor ſcribit: fabulis magis annumerari merentur, quæ de uteri exſtirpatione agentes medici varii adferre voluerunt, mulieres nempe, quibus uterus corruptus abſciſſus, non ſolum ſuperſtites permanſiſſe, ſed & liberos procreaſſe. Quamſuam ſententiam variis rationibus & infelicis curationis exemplis in ſequentibus defendit.

§. 3.

Quod uterus poſſit extra corpus prolabi, & ſic vel reponi, vel auferri, minime poſſibile, quicquid etiam multi ſcribant, inquit Gerardus Blaſius *Commentar. in Joan. Vesling. Syntag. anatom. cap. 7. pag. 100.* Scribit etiam Henricus a Deven-

ter *Art. obſtetr. cap. 4. pag. 22.* Mulier expers uteri liberos procreare non poteſt, licet nonnulli, ſed perperam, id opinati ſint, rati poſt exſectum vel abſciſſum uterum quasdam adhuc genuiſſe prolem; ſed accipientes vaginam pro ipſo utero, erraverunt: ex diverſis enim exemplis patet, uteri vaginam longe prolabentem contracta corruptione abſcindi debuiſſe, quo tamen non obſtante iſtæ feminæ curatione peracta, liberos adhuc procrearunt; At nulla unquam femina uteri expers partum edidit. Sic Thomæ Bartholino *Hiſtor. anat. Cent. II. Obſervat. 91. pag. 292.* hæc operatio ſeu exciſio videtur nimis difficilis & periculoſa, quia arctiſſime uterus per ligamenta lata & rotunda oſſibus alligatur, ut ſine ingenti dolore avelli vix posſit, præterea veſicæ & recto inteſtino firmisſime adnaſcitur, quæ ſeparari ſine damno nequeunt; Vaſa præparantia ſpermatico utero, & vaginæ plurima alia inſeruntur, quæ ſine maximis doloribus, hæmorrhagia & internorum viſcerum conſenſu dilacerantur nunquam. Refert etiam Marcus Antonius Ulmus *Phyſiol. Barb. Sect. III. cap. 22. fol. 233.* in oppido Montis clari fuiſſe obſtetricem, quæ prolapſum uterum cujusdam puerperæ miſeræ præcidit, præciſum exemit, quæ paulo poſt vitam cum ſanguine fudit; nullaque fuere adhibita præſidia; nam intervenit fere momento ipſa mors.

§. 4.

uteri infelix exciſio. Infelicis autem uteri exciſionis exemplum refert Fredericus Ruyſchius *Obſervat. anat. chirurg. VII* de utero ſcirrhoſo & deformi, qui in magnam molem auctus extra pudendum propendebat, *pag. 13.* inquiens: Mulieri triginta circiter annos natæ uteri admodum incraſſati propendentia tantam afferebat moleſtiam, ut incedere vix potuerit. Conſultum fuit, uteri extirpationem, poſt injectam ligaturam, moliri. Acu ergo tricipiti filo duplicato munita, operationem aggreſſus quidam magiſter, ligavit ſatis fortiter uterum e corpore

pro-

propendentem, aſt utinam nihil præter eam partem acu & filo comprehendiſſet! Patiens per diem unum atque alterum nihil reddidit lotii, quod nobis anſam dedit ſuſpicandi meatum urinarium ſimul acu & filo eſſe constrictum, prout eventus quoque docuit. Ægrotæ miſerandæ, brevi poſt denatæ, cadaver aperui, & conjecturam noſtram non inanem fuiſſe advertimus; ſcilicet meatum urinarium ſimul cum uteri corpore tam arcte ligatum, ut nil lotii reddere valuerit. Sic adſtitit Henricus ab Heer agyrtæ cuidam, qui uterum ad ovi anſerini prolapſum cum ſectione curaturum ſe diceret, qui aliam curandi viam proponebat, cederet. Roganti etiam, ut ſaltem in uterum prolapſa inteſtina, vel quicquid eſſet, duriſſimum enim ſe tactui offerebat, aliudque quam aquam aut flatum eſſe, certo certius affirmanti, primum loco ſuo, ſupinata muliere, reponeret; nec quicquam ab eo præter mala verba referebat; fac, inquit, itaque quod facis, mihi tyrannicam illam audaciam & imperitiam ſpectare nec libet nec licet. Nondum domo pedem extulerat medicus, cum immani clamore & ejulatu introrſum vocatur. Convellebatur ſcilicet vehementer a ſectione patiens, atque exſpiravit in fine ſectionis, in qua adſtantibus omnibus, vel fuga ſibi conſulentibus; alvina enim copioſe prodibant excrementa, utero cum contentis in aquæ adſtantem ſitulam projectis & lotis, inteſtinum colon ad cubiti fere longitudinem ſectum omnibus viſendum præbuit Heerius, uti refert *Obſervat. medic. 22. pag. 192. ſeq.*. Cum in Belgio obſtetrix poſt partum ſecundinam extrahere vellet, & ipſius loco uterum arripuiſſet extraxiſſetque, tandem quoque abſcidiſſet, eadem die puerpera naturæ ſatisfecit, uti Henricus Stapedius Guilhelmo Fabricio Hildano aliquoties affirmavit; vid. dicti Fabricii *Reſponſ. ad Mich. Dœring. Epiſtol. de Hern. uterin. Oper. fol. 904*. Varia de uteri & vaginæ exſtirpatione admonet Jobus Meeckren *l. a. pag. 242. ſeq.* De uteri procidentia, corru-

 ptio-

ptione & ablatione ſeu avulſione, menſibus poſtmodum per anum ſe repurgantibus. vid. Felic. Plater. *Obſervat. med. Lib. III. pag. 764. ſeq.* De excreſcentia carnea uterina ſeu corpore quodam ex ſinu pudoris propendente, a quo & utero ſphacelato, absque admotione cultri, digitis ſaltem, carneæ moles variæ ſine notabili dolore avellebantur, donec femina ſphacelo ingraveſcente animam redderet, Theodorus Zwingerus caſum refert *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 186. pag. 413. 415. ſeq.* Exſtirpationem uteri minus fructuoſam in muliere octo & viginti annorum, vera uteri procidentia laborante, annotavit Gerardus Blaſius *Obſ. medic. Part. III. Obſ. 1. pag. 42. ſeq.* tertia etenim die ab eo, quo ligatura prima injecta, obiit ægra.

§. 5.

vaginæ excisio loco uteri.

Sicuti autem, juxta ſupra monitum, vaginæ uterinæ procidentia ab obſtetricibus, quandoque etiam a chirurgis & medicis, pro ipſius uteri prolapſu habita fuit, ita etiam interdum uterus ipſe exſectus ſcribitur, cum tamen non niſi vagina excisa fuerit. Tale exemplum de uteri procidentia ſectione feliciter ſublata, refert Johannes Jacobus Wepfferus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſervat. 105. pag. 306:* ſcilicet 1686. Annæ Mariæ *Stœcklerin*, Thomæ Franci, piſtoris, uxori poſt abortum protinus procidentia erupit inſignis magnitudinis, etiam longe extra ſinum pudoris pendens, cum variis ſymptomatibus. Cum reponi non poſſet, de vaſti illius corporis exciſione ambiguis ſententiis deliberatum fuit; verum cum gangrænæ periculum & inſignis putrefactio inſtaret, unanimi conſilio, ut propediem ſectio inſtitueretur, concluſum fuit; quæ etiam in præſentia aliquot medicorum, methodo ibidem deſcripta inſtituebatur, molesque reſecta, tota lardo ſimilis, libras duas pendebat. Licet autem hoc loco Wepfferus uteri procidentiam feliciter ſectione ſublatam fuiſſe ſcribat, imo *An. 7. Obſervat. 54. pag. 98.* in eadem femina, uteri procidentiæ exciſæ

ſæ felicem eventum 1688. obſervatum fuiſſe referat, impoſſibile tamen eſt, quod, ſi dictæ feminæ anno 1686. uterus fuiſſet exſectus, ipſa 1688. iterum concipere atque longe facilius, quam in primo partu & poſtea in abortu, parere potuiſſet; hinc potius hoc loco non æque uteri, quam ipſius vaginæ procidentia atque reſectio intelligenda erit. Feliciter autem prolapſæ uteri vaginæ exſtirpationem fieri poſſe, non modo exemplo probat Jobus a Meekren *Obſerv. med. chir. cap. 54. p. 251.* ſed etiam *p. 257.* operationem monſtrat. vid. etiam Henr. van Roonhuyſ. *Obſerv. Lib. II. pag. m. 83. ſeq.*

SECTIO IX.

De
Fœtus mortui in utero mora ejusque extractione.

CAPUT I.

De
Fœtus in utero mora.

§. 1.

Quandoque fœtus mortui in vivæ matris utero vel abdomine ſatis diu, & quidem ſine corruptione, detinentur, indeque vel integri adhuc exciduntur, vel etiam corrupti ſucceſſive fruſtulatim prodeunt, vel caro per exſiccationem aut putrefactionem conſumitur, oſſaque poſt tempus per varias vias excluduntur, vel extrahuntur, qualia exempla quamplurima ſupra *Sect. III. cap. 2. §. 1. ſeqq.* adduximus. Ex his autem nonnulli fœtus per aliquot menſes, alii per aliquot annos in utero materno remanſiſſe, autores annotarunt; v. g. de fœtu, qui poſt mortem per trimeſtre, nullis ſupervenientibus ſymptomatibus, in utero materno contentus fuit. vid. Guilhelm. Fabric. Hild. *Obſervat. Chirurg. Cent. II. Obſerv. 51. Oper.* *Fœtus in utero mora.*

fol.

fol. m. 121. De fœtu in partu extincto & quinque menſes in matre vivente retento obſervationem refert Felix Platerus *Obſervat. medicin. Lib. I. pag. m. 227.* Fœtum in utero mortuum & ultra trimeſtre in eodem detentum, in Johannis Gellii, eccleſiæ Wuſterwicenſis paſtoris, uxore, cum quinquies jam feliciter pepererat, obſervavit Baldaſſar Timæus a *Güldenkl. Caſ. medicin. Lib. IV. caſ. 26. Oper. pag. 233.* In pago *Suhler-Neudorff* feminæ cuidam ruſticæ chirurgus, nomine Johannes Stephanus Domihard, fœtum, ultra annum in utero detentum jamque putrefactum, exſcidit, juxta Hiobi Ludolffi *Schaubühne der Welt Part. III. cap. 14. fol. m. 1351.* Per ſedecim ſeptimanas fœtum mortuum in utero geſtaſſe feminam, ait Louyſe Bourgeois *Hebammen-Buch Part. II. cap. 1. pag. 7. ſeq.*

§. 2.

per quatuor annos. Hoſpita ad inſigne cancri rubei Viennæ Auſtriæ, cum parere non poſſet, per annos quatuor fœtum mortuum utero geſtavit, ita ut uteri putridi fundo relicto ipſius corpus ulceratum inteſtina verſus pertranſierit; Cumque magnus tumor in abdomine conſpiceretur, fœtus nondum adeo putrefactus per epigaſtrii medium extractus fuit. vid. Franc. Roſſet. *de Part. cæſar. Sect. IV. Hiſtor. 1. pag. 83.* de Catharina de Fiets, quæ fœtum mortuum utero geſtavit, idque quindecim menſium ſpato, a die ipſius interitus ſupputatione facta, præter ante actos novem menſes, quibus in utero materno vixerat. vid. *ibid. pag. 73. ſeq.* De fœtu per quinque annos in matris abdomine morante ſequens obſervatio extat dans le Journal des Sçavans *Tom. XIV. pag. 265.* Il n'eſt rien de plus vray, que ce qu'on a publié d'une femme de Copenhague, qui eſt groſſe depuis plus de cinq ans. J'ay veu moy-méme cette femme, & j'ay eu tout le loiſir d'obſerver exactement la ſituation du fœtus. *per quinque annos.* Pluſieurs medecins celébres, avec qui j'ay eu l'occaſion de l'examiner, ſont dans la penſée, que le fœtus eſt ſorti par l'extremité

mité flottante de la trompe, & qu'il eſt tombé dans la cavité de l'abdomen, mais ils croyent, que le placenta eſt encore reſté dans la trompe &c.

§. 3.

De fœtu usque ad nonum annum in gravidæ matris utero remanente obſervationem communicat Salomon Reiſelius *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſervat. 23. pag. 24. ſeq.* inquiens: præterito auctumno audivi de muliere, quod ante undecim fere annos gravida demum pepererit infantem, ſed illum putridum in nono anno. Cum inſolitum & creditu mihi difficillimum eſſet, petii circumſtantias a paſtore illius loci. Sed mulier illa ipſa ſeſe ſiſtit 2. Aprilis 1695. una cum teſtimonio paſtoris, prætoris & chirurgi, nomine Agnes, uxor Jacobi Sægeri, annorum quadraginta octo, quæ antea tres enixa eſt infantes, & edicit, quod ante undecim fere annos gravida facta, & partui vicina meſſis tempore a tempeſtate grandinoſa ita terrefacta fuerit in campis ſub libero aëre, ut pene defeciſſet. Domum vero redeunti partus dolores quidem acceſſere, ſed & remiſere, remanente tamen embryone usque ad nonum annum, quando interea mater imbecilla facta doloribus laceſſita, lecto affixa miſeram traxit vitam, donec cum fœtore maximo putridum ſub umbilico ulcus ruptum fuerit, fluxeritque per trimeſtre ſpatium, a Gotthardo Schœnlin, chirurgo, cum pauca ſpe ſanitatis tractatum, ex quo denique 22. Octobris 1692. fœtus altero latere putridus quidem, ſed ita ut pro maſculo ab obſtetrice præſente agnoſci potuerit, prominens, extractus eſt. De aliis adhuc poſt decem, duodecim, tredecim, ſedecim & viginti quinque annos in utero vel abdomine materno repertis infantibus, vid. Thom. Bartholin. *de inſolit. part. viis Cap. 2. pag. 9.* Matthiæ Cornac. *Hiſtor. Geſtat. fœtus mort. Hiſt. III.* apud Roſſet. *pag. 240.* Joh. Lang. *Epiſtol. medicin. Lib. II. Epiſt. 39. p. 670.* Act. Erud. Lipſ. *An. 1703. menſ. Februar. pag. 77.* Corn. Stalp. van

ad nonum annum.

der Wiel *Obſervat. Cent. I. Obſ. 71. pag. 306. ſeqq.* & Syllepſi-log. noſtr. *Sect. V. cap. 6. de Gravidit. diuturn. pag. 480. ſeqq.* & de oſtento Dolano, ſeu hiſtoria mirabili infantis in ventre a morte matris reperti, poſt annos ſedecim & amplius graviditatis. vid. *Collectan. de diuturn. Gravidit. pag. 53. ſeq.* & Job. *Ludolffs Schaubühne der Welt Part. III. Lib. LXI. fol. 1352.* Plura v. Palfyn *des part. dela Gener. pag. 77. 79. 80.* de fœtu viginti ſex annos in matre hærente. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 134.*

§. 4.

remanentibus oſſibus nova conceptio.

Accidit etiam interdum, ut fœtus mortui, vel ipſorum oſſa in utero usque ad novam impraegnationem remaneant. Tradit enim Albucaſis, ſe vidiſſe mulierem, quæ quanquam mortuum geſtaret fœtum, nihilominus fuerit impraegnata, licet & hic extingueretur fœtus; Diu autem poſtea prope umbilicum abſceſſus intumuit, e quo aperto pus effluxit, ac procedente tempore, plurima oſſa ſeparatim prodiere. vid. Corn. Stalp. van der Wiel *Obſ. l. a. p. 307.* Exemplum feminæ cujusdam Viennenſis, quæ poſt geſtatum aliquandiu mortuum fœtum poſtque ejusdem corporis molliores partes per uterum emiſſas (concluſis interea eodem oſſibus) nihilo ſecius iterum concepit. Cum vero poſtea peſſime ſe haberet, ac veluti in mortis discrimine verſaretur, a circumforaneo quodam inciſione ipſi apertus venter, eductisque oſſibus, conſutus fuit, atque illa ſanata eſt. Poſtmodum illa non tantum debito tempore conceptum fœtum, viventemque, ſed nulla etiam parte læſum edidit, & inſuper quatuor adhuc partus enixa fuit, uti prolixe refert Matthias Cornax *Hiſtor. I.* in Franc. Roſſet. *de Part. Cæſ. pag. 228. ſeq.* vid. etiam Marcell. Donat. *de Med Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 22. pag. 434.* & Guilh. Fabric. Hild. *Oper. fol. 909. ſeq. 913.*

§. 5.

Rariſſimam hiſtoriam de muliere, quæ per ſex annos omnino conſumpti fœtus oſſa ventre ſuo geſtavit, ac interea impræ-

impregnata nihilominus vivum produxit infantem, recenſet Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. IV. Hiſt. 14. pag. 238. ſeq. 240* ſcilicet in Venda, urbe Livoniæ, civis cujusdam uxor anno quinquageſimo ſexto, inſtantibus feriis Pentecoſtes primum ventris onus ſentiit, quod ad conſuetum tempus geſtavit, inſtante vero partus termino, quum ſigna parturientium mulieribus nota eſſent, nullus tamen fœtus prodiit, quos dolores parturientium ad tertium diem pertulit, ut non tantum præſentes feminæ deſperarint, ſed & puerpera ipſa maximo angore correpta Deo ſe totam commiſerit, atque ita fœtus præſens in utero remanſit. Anno ſequenti non obſtante priore conceptu iterum gravida, anno quinquageſimo octavo circa quadrageſimale feſtum filium enixa eſt completum pinguiusculumque, inter oſſa prioris conceptus annuo fere ſpacio delitescentem, qui ne unica hora ſuperſtes fuit, quippe per octo integros dies in difficili hoc partu manſit mater dolorum plena, antequam ex oſſibus prioribus eluctari infans potuerit. Anno ſexageſimo primo ante ferias natalitias morbo gravisſimo correpta mater, quum oſſa primi fœtus in utero dimoveri cœperunt, & maximo cum dolore per partes ſenſim ex utero prolabi, primum minora, poſt majora, duravitque iſta osſium excretio a termino dicto anni ſexageſimi primi, ad quadrageſimas anni ſexageſimi ſecundi, quum ultimo loco oſſa cruris maxima tanta difficultate excrevit, ut fere in vitæ incurreret periculum &c. Inter varia ejusmodi exempla etiam rarisſimum caſum de femina duorum & nonaginta annorum in Syllepſiologiæ noſtræ hiſtor. medic. *Sect. V. Cap. 6. de Gravidit. diutur. ob fœt: mort. §. 10. pag. 490.* adduximus, quæ a quadraginta ſex annis fœtum mortuum in utero geſtaverat, intra hoc tamen temporis ſpatium bis iterum impregnata ſingulis vicibus puerum pepererat, qui tempore mortis maternæ anno 1720. uxorati in vivis erant. Wolffgangus Gabelchoverus in oppido Sindelfingen vidit gravidam quandam, fœtum mortuum non ſolum in

utero abſque ulla vitæ noxa per longum tempus retinuiſſe, ſed &, reſtitante eodem, bis concepiſſe & feliciter enixam eſſe, uti refert Gregorius Nymannus *de Vita fœt. in uter. p. 23.*

§. 6.

in vacca. Non modo autem in mulierum, ſed etiam brutorum uteris quandoque ejusmodi fœtus mortui atque corrupti poſt mortem reperiuntur, quale exemplum de vituli ſceleto ex utero vaccæ mactatæ extracto refert Thom. Barthol. *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſt. 2. pag. 150. ſeq.* inquiens: in bubili M. Johannis Huswigi, paſtoris Fridericiburgenſis reverendi, 1649. evanuit vaccæ domeſticæ geſtationis onus, cunctis ſtupentibus, finitisque conſuetis menſibus ſubſidit abdomen, nec vitulus usquam viſus. His tractu temporis oblitis mactabatur in uſum culinarium vacca, inventaque ſunt in vulva vaccæ oſſa omnia vituli exſicca & omni prorſus carne ſpoliata, quorum maximam partem ad me miſit frater M. Albertus Bartholinus, in muſeo meo adhuc monſtrandam. Caro dubio procul vel per putredinem abſumpta fuit vitulo mortuo, vel ſi gravia ſymptomata metuimus, per vulvæ calidioris exſiccationem. Et, juxta modo allegatum Nymanni locum, obſervavit Felix Platerus aliquando vaccam, cum ob certas cauſas vitulum in lucem edere non valeret, nihilque inde gravius pateretur, paulo poſt iterum concepiſſe, & exacto certo tempore alium vitulum vivum cum prioris ſceleto ſimul peperiſſe.

§. 7.

per ſemiannum. Embryonis per ſemiannum in utero mortui & ſine matris detrimento excluſi exemplum annotavit Chriſtianus Gottlieb Reusnerus *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. V. Obſ. 11. pag. 26. ſeq.* Generoſi domini de Landscron in Obſendorff uxor cachectica, annorum triginta, multorum liberorum mater, anno 1709. ſigna ingravidationis omnia more ipſi conſueto ſentit, circa decimam nonam ſeptimanam, ab ipſius computatione, motum

tum embryonis in utero percipit ad unam alteramve ſeptimanam, aſt ſubſequentibus hebdomadis nullum motum amplius obſervat. Quoniam vero ordinarios menſes nunquam habuit, parum quoque eſt ſolicita, rata, obſtructionem fluxus menſtrui fore in cauſa, nec in ſtatu eſſe ingravidationis, nullis utitur remediis. Quid fit? decima nona a termino motionis embryonis (quam habuiſſe credebat) ſeptimana, inſtant conatus uteri; & nobilis hæc femina parit embryonem, unius ſpithamæ longitudine, teterrimo cum fœtore, referente matre & obſtetrice, nec ungues in digitis fuerant conſpicui. Ex quibus omnibus penſitatis penſitandis collegit Reusnerus, embryonem novendecim ſeptimanarum mortuum, & viginti fere hebdomadas ſine detrimento matris ſingulari, in utero deliteſcere potuiſſe. Rationem poſſibilitatis ſi quæras, reſpondet idem, denegatum aëris acceſſum ad uterum, & aquam, cui innatat embryo, fuiſſe in cauſa, ne putredo reliquis partibus corporis fuerit communicata & nociva.

CAPUT II.

De Fœtus in utero vivi & mortui ſignis.

§. 1.

CUm vero non modo in hactenus recenſitis caſibus, ſed etiam interdum in partu difficili, fœtus ex utero materno extractio atque exciſio ſeu partus cæſareus requiratur, talis autem operatio ſine vitæ fœtus cognitione, ſive an tunc temporis fœtus in utero adhuc vivat, an vero animam jamdum efflaverit, absque periculo fieri non poſſit, non immerito ejusmodi fœtus vivi & mortui ſigna his operationibus præmittenda erunt. *Hæc ſigna ſunt neceſſaria.*

§. 2.

Si enim fœtus vita caret, nullus illius motus obſervatur, qui *ſigna fœtus mortui.*

juxta Lommium. qui antea frequens fuit: venter gravis eſt, & quaſi procidere velle videtur, nihiloque ſecius, acſi hydrope urgeretur, intumeſcit, diſtenditurque & cadaveris pondere oneratur: item ſimulque latera refrigeſcunt, quæ ante caluerant: ingens dolor circa umbilicum verſatur: ſtomachus mordetur: ſpiritus male olet, oculi minuuntur calentque, nares atque aures frigidæ ſunt: totus vultus pravo colore fœdatur: ipſa mulier crebro inhorreſcit, & in animi labitur defectionem: interdum convulſionibus quaſi comitialibus diſtenditur: fere autem ſemper gravi vigilia urgetur, juxta Jodoc. Lommii *Obſerv. medic. Lib. II. edit. Amſtel. pag. 222.* In Chriſtiani Johannis Langii *Oper. med. Part. III. Diſput. 42. fol. m. 567. ſeq.* tam ratione puerperæ, quam ipſius fœtus ſigna mortui ſequentia adducuntur, v. g. ubi ultimis geſtationis temporibus & inſtante partus hora flaccidas oſtendit mammas, cum uteri intumeſcentia ſolito irregulari, teneſmo, urinæ incontinentia conjuncta; dolore circa pubis regionem, os coccygis, & lumbos continuo. Item ſi puerperæ labia, aures, navis, item genitalia frigent, aut horror ſeu contremiſcentia ſupervenit. Hæc tamen ſymptomata minus certa ſunt. Ratione fœtus deſumitur mortis ſignum, ſi commota matre de latere in latus ruat fœtus inſtar lapidis; item ſi fœtus motus & calcitratio deſinit; ſi fœtus linguam non commovet, nec ſugit, ſi ori ejus digitum immiſeris; ſi meconium intra uterum depoſuerit; ſi ante infantis exitum ſecundina ab uteri parietibus ſeparata & enixa fuerit. Quia vero contra recenſita ſigna ab autoribus dubia moventur, ex collective ſumtis certius ſignum judicari poterit: interim alia adhuc ſigna, demonſtrative mortem fœtus indicantia, *l. a. fol. 569.* referuntur: primum eſt, ſi nullus pulſus in fœtu, nec in ejus arteriis temporum, nec in funiculo umbilicali amplius deprehendatur, deinde ſi ipſius corpus frigidum ſit ac flaccidum, & epidermidem amittant partes. Porro id etiam pro matris cer-

juxta Langium.

to

to ſigno habetur, cum aqua fœtida ex utero ante & in partu ef-
fluat &c.

§. 3.

Scribit etiam dominus de Goſey *de Generat. Fœt. p. 119:* nihil magis in praxi arduum eſt ac difficile, quam exacte diſtinguere ſtatus infantis in utero adhuc incluſi, an ſit debilis admodum, an vero mortuus; inter ſigna enim, quæ fœtum debilem, & quæ fœtum non ita pridem mortuum declarant, parva admodum eſt differentia, interim tamen multum importat, noſſe illam, præcipue tempore partus, cum alias neque juſtum prognoſticum formari, neque adſtantes de periculo admoneri poſſint, neve hi occaſionem arripiant, cauſam mortis in eos devolvendi, qui feminæ in illo actu conſtitutæ ſuccurrere debuiſſent, & ne fœtus progreſſu temporis putreſcat ſimilemque labem utero matris communicet. Signa fœtum mortuum indicantia ſequentia ſunt: Femina nullum amplius infantis motum ſentit, halitus progreſſu temporis fœtet, partes circa uterum, non, uti prius, calidæ ſunt, atque ex vagina liquor quidam fœtidus exſtillat, mammæ flacceſcunt & molleſcunt, deliquia, cephalalgiæ, cardialgiæ atque convulſiones aliaque plura ſuperveniunt. Si ſecundinæ primum prodeunt, ſignum eſt mortis fœtus prægreſſæ. Infantem in utero matris mortuum eſſe, patet ex eo, ſi nempe mater ſentit, fœtum, globi inſtar, omnes motus a matre factos imitari illudque in latus cadere, in quod mater inclinet. Si funiculus umbilicalis frigidus ac flaccidus ex utero prodit, ſignum eſt infantis mortui. Tandem effluxus meconii ex ipſa matrice infallibile infantis mortui ſignum præbet. Cuncta tamen ſola ac ſibi relicta nullam vim & certitudinem habere, monſtrat Daniel Hoffmannus *Annotat. in Hypotheſ. Goveyan. p. 120. ſeq.* quapropter pro meliori certitudine plura ſigna collective ſumantur.

juxta Goſey.

§. 4.

§. 4.

item. Feminæ cuidam, cujus facies pallore ſqualebat & inflata videbatur, anhelitus graviter olebat, ardore ſtomachi animique deliquio ſubinde languida, febrili quoque horrore crebro incerta periodo contremiſcebat, venter calore deſtitutus algebat, nec capitis oculorumque aberant dolores; ex his ſignis fœtus in utero mortui ſignum, vere prædixit Johannes Langius *Epiſt. medic. Lib. II. Epiſt. 39. pag. 669. ſeq.* Juxta Alex. Benedict. *de Re med. Lib. XXV. cap. 23. fol. m. 475.* ſi partus vivit, octavo menſe vulva ſeu uterus deſcendit, ſed ſi mortuus eſt, neque deſcendit neque dehiſcit, idque indicium eſt, fœtum vitalem non eſſe. Femina quædam vix una poſt aquæ effluxum præterlabente hora horrore percuſſa ſe motum fœtus plane non ſentire conquerebatur, deque latere in latus ſe convertens partum quoque ſaxi inſtar eo delabi referebat. Ex his & aliis fœtum infallibiliter demortuum judicavit Michael Bernhardus Valentini *Chirurg. med. Sect. III. cap. 9. §. 9. p. 400.*

§. 5.

juxta Dolæum. Signa fœtus mortem manifeſtantia ſecundum Joh. Dolæi *Encyclopæd. Chirurg. Lib. IV. cap. 5. pag. 943.* ſunt vel antecedentia, vel concomitantia. Inter antecedentia potiſſimum eſt hæmorrhagia uteri nimia, ſi partus tempus inſtet: Concomitantia petuntur aut a fœtu, aut a matre. Quoad fœtum ſunt ejus motus ceſſans, quamvis etiam fœtus ſatis debilis, ut ut parum aut nil moveatur, vivus adhuc exiſtere queat, quare digito utero immiſſo explorari debet, an cerebrum vel potius arteriæ illius pulſent, quorum illud circa fontanellam, hoc in temporibus, carpo, flexura genuum & umbilico rite notari poteſt. Porro ſi eodem digito fœtus ori immiſſo nulla ſuctio linguæque motus obſervetur. Si ventri matris calida & ſpiri- [illegible] aromaticis ac volatilibus impoſita aut propinata fœtum

tum haud commoveant, nec ſi mater ſpiritum ſeu anhelitum cohibeat; ſi funiculus umbilicalis diutius extra uterum propendeat, ut ſecundina fœtum præcedat. In matre autem mors fœtus innoteſcit, ſi hæc a cauſa nulla externa rigorem ſubitaneum & vehementem patiatur, ſi circa umbilicum & inguen dolorem percipiat, ſi de frigore interno conqueratur, ſi conatu mejendi & alvum deponendi corripiatur item, meconium in utero & cervice percipiatur. Quodſi vero diu infans in utero fuerit mortuus, omnia ſymptomata exiſtunt pejora; olet enim tunc mater cadaver putridum. Vel juxta verba de Jean Bapt. *juxta Verduc.* Verduc *des Operat. de Chirurg. Chap. 36. pag. 168.* les ſignes qui ſont connoitre, que l'enfant eſt mort, ſe prennent de la mere & de l'enfant; de la mere, comme une perte de ſang, qui arrive aſſez ſouvent un peut avant l'accouchement, des convulſions & des defaillances, qui les font quelque fois mourir, & pluſieurs autres cauſes externes; de l'enfant, comme quand il ceſſe de ſe mouvoir, & qu'on ne ſent plus battre le cerveau & le ſinus longitudinal, ou lorsqu' après luy avoir mis le doigt dans la bouche, on ne ſent point qu'il ſucce; ou que le cordon ſort de la matrice &c. La mere ſent un friſſon par tout le corps, elle ſe plaint de ſentir du froid dans les parties naturelles, elle fait de grands efforts en piſſant & en allant à la ſelle; il y a quelque fois du meconium dans la matrice & dans le vagin &c. vid. etiam editionem Germanicam meæ verſionis *p. 117. ſeq.*

§. 6.

Hæc & adhuc alia fœtus in utero ante partum mortui *juxta alios.* ſigna ab aliis quoque autoribus adducuntur. vid. Dan. Sennert. *Pract. Lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. 7. pag. 420.* Stephan. Blancard. *Chirurg. Lib. I. cap. 19. pag. 110. ſeq. it. Oper. Tom. II. Inſtit. chirurg. cap. 21. pag. 367.* ubi addit: panis albi fruſtum ſupra umbilicum applicatum, & prius vino Malvatico intinctum, fœtum in motum concitat, ſi in vivis ſit, cujus particulæ

juxta Barbette. penetrantes eum movere faciunt. Et Paulus Barbette *Chirurg. cap. 23. Oper. pag. 59.* inquit: fœtus mortui motum mater non amplius percipit, etiamſi hauſtus corroborantes adhibeat, ſed ut hoc in caſu, cum fœtus quaſi defatigatus ſe parum moveat, multo certius ſignum habeas, medulla panis vino Malvatico irrorata matris umbilico imponenda, & levior in pede venæſectio inſtituenda; hiſce peractis, ſi infantis motus non ſequatur, malum ſignum eſt. Omnium certisſimum ſignum, pergit ibidem Barbette, ſi membrana capitis fœtus, jam in ipſo excluſionis puncto verſantis, haud amplius tenſa obſervetur: nam quamdiu tenſa manet, tamdiu etiam vita fruitur. Hoc tamen a flaccida in interſtitio oſſium cranii membranula deſumtum infallibilis partus mortui ſignum, perpetuæ veritatis probat Michael Bernhardus Valentini *Chirurg. Sect. III. cap. 9. §. 9. pag. 400.* quo loco tamen in primogenito ſuo, aſt demortuo partu, ab uxore ſua recens nato, hanc membranam, quam fontatanellam vocant, poſt obitum adhuc tenſam vidiſſe addit.

§. 7.

ab aqua ſignum. Fœtum in utero extinctum eſſe, juxta Franc. Joelis *Oper. Tom. IV. Sect. IV. pag. 302.* oſtendit inter alia hoc ſignum, ſi prægnans ambas manus in calentem aquam imponat in eaque aliquamdiu teneat fœtumque non ſentiat. In conſultatione pro muliere gravida, ubi dubitabatur, an fœtus mortuus, an vivus eſſet, ſecundum Thom. Bartholini *Hiſtor, anatom. Cent. V. Hiſt. 78. pag. 150.* Johannes Dominicus Sala manu aqua frigida madida ventrique impoſita experimentum fieri juſſit, quo facto fœtus deprehendebatur vivus, ob motum, quo noxium ſibi ex impoſita manu frigus evitare conabatur: Aliud etiam experimentum, an mulier gravida ſit fœtumque vivum geſtet, ibidem addit Bartholinus: Roſa nobilis, inquiens, ſeu alia moneta aurea capitur; ignitum aurum in vino lymphato extinguitur, quo hauſto, gravida manu ſupra ventrem poſita ſentiet fœtum

juxta Bartholinum. *ab auro;*

mo-

moveri, ſi in vivis ſit. Quibus tamen ſimilibusque tuto non eſt fidendum.

§. 8.

In infante ante extractionem jam mortuo Johannes de Muralto ſequentia ſigna obſervavit: fœtus neque ſe movebat amplius, & mater in hypogaſtrio ſenſit pondus cum frigore, brachiumque infantis prominens frigidum & lividum erat ſine motu & pulſu, etiamſi variis liquoribus foveretur, dolor præterea matri circa umbilicum adfuit cum frequenti deſidendi & mingendi ſtimulo, ac extenuatione mammarum. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſervat. 102. pag. 243.* Et Ambroſio Stegmanno recenſebat paupercula, gravidam a primo ad ſeptimum usque menſem bene, aſt poſt hunc male ſe habuiſſe. Nam ex improviſo terrore prorupiſſe inſolita menſtrua, fœtum a motu antehac vegeto plane abſtinuiſſe, ventris accesſiſſe frigiditatem, dolorem circa umbilicum ſenſiſſe gravem, partes extremas lividas ac frigidas apparuiſſe, faciem & labia palluiſſe, mammas flaccidas extitiſſe, ſpiritum fœtidum ſe a die in diem majorem exhalaſſe, horrorem febrilem corpus ſuccusſiſſe, animi deliquia, ſtomachi ac capitis dolores continuos eſſe paſſam, ante aliquot horas profluxiſſe ab utero aquam fœtidisſimam & ſentire jam dolores partus vehementisſimos; paulloque poſt tum ſecundinæ, tum fœtus ex toto putrefactus fruſtulatim excludebantur. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſerv. 31. pag. 53. ſeq.* *Exempla.*

§. 9.

De ſignis vero fœtus in utero adhuc viventis ita ſentit Monſieur Dionis *des Accouchemens Liv. III. chap. 7. p. 232.* Le ſigne le plus certain, que l'enfant eſt vivant dans la matrice, c'eſt lorsque la mere le ſent remuer; ce n'eſt pas pour cela une conſequence, qu'il ſoit mort, lorsqu'il a été quelque temps ſans remuer; on a vû des femmes aſſurer n'avoir point ſenti *ſigna fœtus vivi.*

mouvoir leurs enfans pendant pluſiers jours, & des ſemaines entieres, & qui neanmoins étoient vivans. La plenitude & le trop de ſang les empêchent queque fois de remuer; & aprés une ſaignée ils reprennent leurs mouvemens ordinaires, & ſe ſont ſentir comme auparavant. Dans un travail, ou les eaux ſe ſont percées promptement, il arrive quelque fois, que l'enfant ceſſe de remuer, parceque les eaux, dans lesquelles il nageoit, lui donnoit la liberté de s'etendre, & qu'étant écoulées, les parties dela matrice s'affaiſſent & compriment l'enfant, qu'il n'a plus la liberté pour lors de ſe mouvoir comme il faiſoit; la mere s'en allarme, & croit, qu'il eſt mort, ce qui peut retarder ſon accouchement. Le chirurgien doit la raſſurer, en lui en explicant la cauſe, & pour en être plus ſur, il doit tâcher de couler doucement ſa main dans la matrice, pour pouvoir toucher le cordon; s'il ſent battre les arteres umbilicales, il eſt certain, que l'enfant eſt vivant; ou bien s'il trouve la main de l'enfant, en luy touchant le poulx, il connoitroit, s'il eſt encore en vie: & en cas, que ſa main paſſa par deſſus le viſage de l'enfant, en lui mettant le doigt dans ſa bouche, s'il le ſerroit, il feroit certain, qu'il n'eſtoit pas mort. Les ſignes au contraire, qui marquent, que l'enfant eſt mort, ſont, qu'il ne fait plus aucun mouvement, qu'il ne ſe ſoutient point, qu'il tombe comme une maſſe peſante au bas de l'hypogaſtre & que comme une boulle la groſſeur du ventre panche du côté que la femme ſe couche. Qu'en touchant la tête de l'enfant on la ſent mollaſſe, que les ſutures en ſont tout-à-fait ſeparées, que la femme a des foibleſſes & des ſincopes, & qu'il ſort dela matrice des humiditez cadavereuſes & puantes. De ſignis tam vivi, quam mortui in utero fœtus vid. Guil. Fabric. Hild. *Obſerv. Chirurg. Cent, II. Obſerv. 51. fol. 122.*

CAPUT

CAPUT III.

De fœtus extractione.

§. 1.

SI proinde ex adductis ſignis de fœtus in matris adhuc vivæ utero contenti morte ſufficienter conſtet, omni ſtudio allaborandum, ut vel medicamentis fœtus expellatur, vel prudenti manus applicatione extrahatur, ſique fœtus ſitus ſit nimis vitioſus, ita ut talis extractio ſola obſtetricis manu fieri nequeat, matre adhuc viva, inſtrumentis, ferreis hamis ſcilicet & uncis opus eſt. Quodſi vero, mortua jam matre, fœtus adhuc in utero vivere per ejusdem motum deprehendatur, neque paulo poſt matris obitum excludatur, tunc mediante diſſectione uteri ex carcere ſuo liberatur; quæ operatio partus cæſareus & hyſterotomotocia, illa autem embryulcia appellari ſolet. *Fœtus excluſio.*

§. 2.

Extractionem vivi fœtus e matre viva unco ſtateræ annotavit Chriſtophorus Schrœdterus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſervat. 106. pag. 205.* ſcilicet Conradi *Wegner*, ruſtici Bruderdorffenſis uxor, quadraginta annos nata, primipara 1685. conatum pariendi, absque ulla, ob viarum anguſtiam, promotione, per triduum ferme cum doloribus partus ſuſtinuit quam atrociſſimis. Copioſæ adſtantes cum obſtetrice mulierculæ de vita matris & fœtus deſperant, triſti præſagio feſtinant, maritum anxium ad patienter ferendum animum deponunt, quod mater poſt inſignem totius corporis diu durantem horrorem nec conatum nec motum fœtus ſibi amplius ſupereſſe affirmaret. Exhorruit miſer hoc triſti prognoſtico obſtetricem querula voce alloquitur efflagitans, ut fœtum, quem putabant mortuum, unco ſtateræ manu apprehenſo, ope iſtarum muliercularum, *fœtus vivi extractio matre viva.*

uxorem ſuam, hac via quamvis dubia, ab onere per Dei gratiam diſſolvat. Hinc deſiderio toties reiterato, in extremo miſeræ vitæ periculo morem gerens obſtetrix, uncum ſtateræ ſingulari divina providentia, caſu nuchæ fœtus tam provide applicat inſcia, ut eundem fœtum vivum & innoxium, leviter quamvis vulneratum raro & inaudito exemplo extraxerit ſatis robuſtum, ita ut poſtea diu ſupervixerit. Obſtetricem quandam fœtus extractionem manubrio hamato candelæ penſilis feliciſſime in actum deduxiſſe ait Michael Bernhardus Valentini *Chirurg. Sect. III. cap. 9. § 11. p. 404.*

§. 3.

fœtus mortui. De extractione fœtus mortui decenter in utero poſiti ſequentem obſervationem refert Johannes de Muralt. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſervat. 101. pag. 236. ſeq.* Uxor R. L. quadraginta annorum parturiens dolores magnos pertulit, quibus tandem infans vivus decente figura usque ad oſculum uteri internum depulſus eſt. At primipara tantos dolores ferre recuſans viribus cohibitis, naturæ conatum obſtinate ſuppreſſit, donec die undecimo obſtetrix auxilium meum imploraret. Adveniens gravidam ad ſuſtinendos labores Muraltus hortabatur, ne periret proles. Sed nulla pariendi vis ſupererat & infans ſpatium inter veſicam & alvum ita occuparat, ut nec excrementa, nec urina emitti poſſent. Femina tandem ad labores vi adacta caput infantis emortuum exitum moliri cœpit, quod cum apte ſub mento comprehendiſſet Muraltus, hiatuique calvariæ digitos deſuper inſeruiſſet, fœtum maſculinum integrum ſenſim eduxit. Plura fœtus ex utero extractionis exempla in allegatis Miſcellaneis Muraltus recenſet v. g. de directione & extractione fœtus mortui præter naturam in utero poſiti, poſt dextri brachii ſphacelo tacti, in articulo abſciſſionem. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1.* *fœtus vivi.* *Obſervat. 102. pag. 240.* De directione & extractione fœtus vivi ſyncipite ad pubem compulſi manumque ſiniſtram exſerentis

ris, quam juxta oſculum uteri repertam Muraltus molliter repoſuit, faciem ſurſum ſpectantem & frontem cum ſyncipite pubi adſtantem non attigit, ſed occiput inteſtino recto incumbens prehendit, & vel tantillum loco dimovit, quo facto frons lubricata & puer ſalvus feliciſſime in lucem editus eſt. vid. *Dec. II. An. 2. Obſervat. 90. pag. 210.* Extractionem fœtus mortui, pedibus usque ad axillas ex utero propendentis ſiſtit ibidem *Obſervat. 91. pag. 215. ſeq.* Et *Obſerv. 92. pag. 219.* extractionem fœtus in utero putreſcentis & manum dextram exſerentis refert. De fœtus ſemiputridi ex utero extractione, vid. Joh. Jac. Harder. *Apiar. Obſerv. 90. pag. 336. ſeqq.* *mortui.*

§. 4.

Ejusmodi fœtus tam vivi, quam mortui, ex utero extractiones a pluribus autoribus recenſentur, imo quotidie fere ab obſtetricibus & chirurgis obſtetricantibus exercentur; quod ante paucos dies, dum hæc ſcribebam, accidebat in femina, cui admodum jam debilitatæ chirurgus noſtras K. fœtum, quem mulierculæ adſtantes pro mortuo habebant, absque inſtrumentis extrahebat. Dum autem poſt fœtus extractionem ipſe obſtetricator circa relictæ ſecundinæ ſeparationem adhuc occupatus erat, femina quædam fœtui recens nato aſſidens, ipſum ex improviſo os aperire obſervat, unde ſtatim præſens adhuc obſtetrix infantulo aërem ſeu ſpiritum inflando ipſi ſemimortuo vitam reſtituit. De poſſibilitate non tantum movendi, ſed & extrahendi fœtum una cum ſecundinis, vid. *M. N. C. Dec. II. An. Obſervat. 124. pag. 255.* Hanc extractionem Hildanus ſe plus quam quadragies propriis manibus feliciter adminiſtraſſe ſcribit *Obſ. Chirurg. Cent. VI. Obſ. 64. f. m. 579.* *aliæ.*

§. 5.

De fœtu mortuo a chirurgis ſalva matre feliciter extracto exemplum annotavit Johannes Laurentius Fehrius *M. N. C.* *item.*

Dec.

Dec. III. An. 7. & 8. Obſervat. 67. pag. 115. Uxor ſcilicet civis Suinfurtenſis anno 1695. partu difficili laborabat, & licet dolores partus urgerent omniaque ad partum inſtantem ſigna adeſſent, tamen ſucceſſus ex voto non reſpondebat; tandem poſt multos labores brachiolum fœtus prodibat, obſtetrix cum aliis harum rerum peritis feminis in brachiolo reponendo & reprimendo omnia, quæ factu opus eſſe videbantur, tentabat, ſed fruſtra. Hinc duo chirurgi, artis periti, accerſebantur, qui conſideratis omnibus circumſtantiis, fœtum jam mortuum deprehendentes non adeo crudeli, ut vulgo ſolent, ſed ſatis provida ſequenti operatione a matre liberabant. Primo brachiolum extrahebant, & circa caput oſſis humeri a corpore ſeparabant, eoque remoto digitis funiculum circa collum ducebant, collumque fœtus nonnihil fortius ligabant, atque deinceps ſub ligatura verſus dorſum collum a trunco ſejungebant, poſtmodum binos fœtus pedes digitis apprehendebant, eosque cum reliquis corporis partibus educebant, tandem per funiculum extra uterum propendentem, collo alligatum, cooperante ſimul matre, caput extrahebant, ſicque matrem a præſentisſimo mortis periculo liberabant, quæ poſtea rurſus filiolam feliciter enixa eſt. De fœtus mortui extractione, vivente matre, vid. etiam Joh. van Horne *Microtechn. §. 29. p. 470. ſeq.* & Joh. Guil. Pauli *Annotat. in eundem locum p. 471. ſeq.* De l'extraction d'un enfant mort. vid. Dionis *des Accouchemens Lib. III. cap. 8. pag. m. 235. ſeq.*

§. 6.

extractio reiterata. De reiterata fœtus ex utero in eadem muliere feliciter facta extractione Georgius Abrahamus Mercklinus ſequentem obſervationem communicat *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſervat. 191. pag. 373.* Lanificis uxor gravida, appropinquantibus partus doloribus obſtetricem familiaresque accerſit mulierculas, quæ ſolicite faciebant, ſuarum quod erat partium; nullus tamen partus ſequebatur. Jamque tertius a primis partus doloribus

ribus agebatur dies, quo fœtus in utero extinctus ſentiebatur. Hinc ut mulier ſervaretur jamque imminentis mortis faucibus eriperetur, chirurgus peritiſſimus, implorato ante omnia divino auxilio, & inſtrumentis, ut cultello acuto, unco, forfice, aliisque neceſſariis rebus, ſpongia nempe, linteaminibus &c. in tabula ordine expoſitis & parturiente, divaricatis cruribus & infimo ventre nonnihil exaltato appoſite in lecto locata in ipſum ejus uterum totam manum ſuam dextram complicatis ſecundum longitudinem digitis, inſinuavit, brevique illo, ſed, acuto ſcalpello intra digitorum complicaturam occultato fœtum in partes diſcidit, easque poſt membratim vel manu vel unco extraxit, relicto in utero ſolo capite, quod non niſi ſumma vi, unco oculi cantho adacto evellere licuit. Atque ſic exemtis fœtus & ſecundinarum omnibus particulis uterum eluit chirurgus injecto decocto abſtergente, non neglectis cæteris, & intra ſex circiter ſeptimanarum ſpatium integre convaluit puerpera; præterquam quod ſubinde de urinæ incontinentia conquereretur. Non multo poſt eadem femina iterum utero concepit, & elapſo cum paucis ſeptimanis anno eandem partus ſortem idemque extractionis fœtus periculum ſubire neceſſe habuit, niſi quod hæc ſecunda felicius priori ſucceſſerit operatio, capite nempe una cum trunco extracto, nulloque graviori relicto ſymptomate, etiam ſine ulla urinæ incontinentia. Tertio enixa eſt prolem ſine omni difficultate quidem, ſed quæ paulo poſt iterum obiit. Quartum recte quidem peperit filium, ſed ſumma rurſus cum difficultate eumque jam mortuum. Simile exemplum prolixe deſcribit Fridericus Ferdinandus Illmer a Wartenberg *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſerv. 49. pag. 145.* de muliere forti & generoſa, cujus fœtus in partu difficillimo quaſi duplicatus, reclinato capite ſurſum foras porrexit brachium, ſicque cum diu in hoc ſitu vivere ſit impoſſibile, tandem in utero ſuffocatus eſt. Tunc extractionem fœtus per manus artificis & inſtrumenta ſuadebat dictus medicus, &

parturiente conſenſum ſubito præbente, brachium propendens, ne operationem impediret, prius per novaculam reſecabat, fœtumque in tres partes disruptum, ſine ulla uteri ac matris læſione, eum maſculum una cum ſecundinis extrahebat matremque ab inſtantiſſima morte, auxiliante Deo, liberabat. Sequenti anno eadem mulier impraegnata, ad idem infortunium redacta, eodem modo adjuta, extracto fœtu femello, tertio anno rurſus uterum gerens feliciter & cito filiolum viventem & vivaciſſimum enixa eſt.

§. 7.

Obſervatio. Bis etiam in una eademque femina hanc operationem obſervare mihi licuit; & quidem ante triginta aliquot annos ſaponarii aulici, Schindleri, uxor ſatis robuſta & elegans, aliquot jamjam liberorum mater, legitimo partus tempore ob ſumme vitioſum fœtus ſitum laborioſiſſimos pariendi patiebatur conatus, fruſtraneos tamen, ſiquidem poſt fœtus in utero obitum ejusdem corpuſculum a chirurgo noſtrate Webero ſeniore, diſſectum atque disruptum, ſine ulla puerperæ, neque ratione uteri neque veſicæ ſuperveniente læſione vel alio ſymptomate, unco feliciter extrahebatur, ut poſt aliquot dies in hypocauſto obambulare poſſet. Vix autem finito integro anno, eundem graviditatis ſtatum idemque, infelicius tamen adhuc, fatum dicta femina experiebatur; defuncto enim, poſt aliquot pariendi dolorum horas, in utero matris fœtu, puerperæ vires adeo erant conſumptæ, ut repetitæ extractionis operationi ferendæ, tam ſecundum propriam confeſſionem, quam chirurgi ſententiam impares eſſent, ipſaque incepta vix operatione animam Deo redderet. Mirum autem mihi videtur, quod ſcribit Johannes van Horne *Microtechn. § 29. Oper. p. 470.* extractionem fœtus mortui, vivente matre, nunquam a ſe viſam eſſe.

§. 8.

§. 8.

Subinde in ejusmodi fœtus extractione caput a trunco avulſum in utero remanere, non modo in præcedente paragrapho, ſed etiam ſupra *Sect. VI. cap. 3. §. 14. & 15.* exemplis & propria experientia probavimus. De modo autem ſeu ratione fœtus caput a reliquo corpore divulſum ac ſolum in utero ſuperſtes extrahendi, vide Theoph. Bonet. *Polyalth. Tom. III. Lib. V. cap. 26. fol. 299. ſeq.* Et D. Keiſerum Kittingæ phyſicum caput taliter relictum exhibito fortiori ſternutatorio excusſiſſe, Georgius Abrahamus Mercklinus *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſerv. 191. pag. 374.* ſcribit. *caput in utero remanens,*

§. 9.

Ante extractionem fœtus, ejusdem vitæ & mortis ſigna bene eſſe obſervanda, paulo ante diximus, ratio autem hæc eſt, ne obſtetrix aut alia perſona obſtetricans loco fœtus mortui vivum adhuc & ſine motu latitantem inſtrumentis ſuis lædat vel interficiat, quale exemplum refert Franciſcus Mauriceau *Obſervat. ſur la Groſſeſſ. Obſ. 584. p. 341.* d'un enfant vivant, qui fût malheureuſement tiré du ventre dela mere avec les crochets. Le 12. Avril 1690. je vis une femme, qui avoit eſté accouchée, il n'y avoit que quatre jours, par un chirurgien, qui ayant crû, que cet enfant eſtoit mort en ſon ventre, & s'eſtant malheureuſement trompé, l'avoit tiré avec des crochets; ce qui fut cauſe dela mort de ce pauvre enfant, qui veſcut encore un jour aprés avoir eſté tiré dela ſorte avec trop de precipitation; parce que cette femme avoit eû auparavant, à ce que l'on me dit, un accés de convulſions, mais comme il n'y avoit pas un jour, qu'elle eſtoit en travail, & que c'eſtoit ſon quatrieme enfant, & qui venoit naturellement, je crûs autant que j'en pûs juger, par le recit, qui m'en fut fait, qu'elle auroit bien pû en accoucher d'elle-meſme, ſans la cruelle précipitation, qu'eût ce chirurgien, de luy tirer ainſi ſon enfant du ventre. *infelix fœtus extractio.*

Lorsque je fus appellé pour voir cette femme, je la trouvay ayant une fieuvre continuë avec une grande oppreſſion, & un petit poulx fort frequent, pour lesquels accidens ſon medecin l'avoit fait ſaigner depuis les quatre jours, qu'il y avoit, qu' elle eſtoit accouchée, quatre fois du bras & deux fois du pied; mais elle ne laiſſa pas de rechaper & de ſe bien porter dans la ſuite. Le cruel & malheureux exemple de cet enfant fait bien voir, que l'on ne peut apporter trop de precaution, pour connoiſtre certainement, ſi un enfant eſt mort au ventre de la mere, devant que de ſe ſervir d'inſtrument pour l'en tirer; afin de ne pas traiter comme mort celuy, qui eſt vivant; car quel horrible ſpectacle aux yeux de tout le monde devoir ce pauvre enfant vivant, à qui cet imprudent chirurgien avoit fracaſsé toute la teſte, avec les crochets, dont il s'eſtoit ſi malheureuſement ſervi, pour le tirer du ventre de ſa mere, en un eſtat auſſi affreux qu'il eſtoit pitoyable.

§. 10.

extractio immaturi fœtus. De immaturi fœtus ex utero extractione ſequens conſilium dedit Joh. Hadrianus Slevogtius *Programmat. de Partus retardati nocumentis:* neceſſum eſſe aliquando feminæ utero gerenti, ut, niſi ipſa perire velit, embryonem, nondum enixui maturum, ex utero trahi patiatur, ſi ex hæmorrhagia & aliis ſignis prudenter penſitatis conſtet, placentam intempeſtive avulſam eſſe ab utero. Nam ſi per ignorantiam atque negligentiam obſtetricum medicorumve extractio negligatur, matri ac fœtui pereundum eſſe; aut ſi ambo absque ope chirurgiæ mortem effugiant, matres diu infirmas, fœtus minime vivaces eſſe pronunciat. vid. Nov. Literar. German. *1705. menſ. Septembr. pag. 342.* Talem fœtus vivi ex utero extractionem in partu difficili concedit vel ſuadet etiam Johannes Riolanus *Enchirid. anatom. Lib. II. cap. 38. pag. 197. ſeq.* inquiens: Si fuerit partus difficilis & laborioſus, febris exoritur, intumeſcunt partes geni-

nita-

nitales, ex labore & pariendi conatu irrito: Interdum vires deficiunt, aliquando convulſiones emergunt; tum detrahitur ſanguis e brachio, e pede, foventur partes genitales fomentis emollientibus, laxantibus, intus inunguntur oleis calaſticis, & butyro recenti: deinde mergitur fœta in ſemicupium aquæ tepentis, clyſmatis acrioribus ſollicitatur alvus, ut irritetur uterus: potionibus aperientibus & ſtimulantibus partes inferiores excitantur ad apertionem. Tandem iſtis omnibus irritis, ſi mulier exegerit duos tresve dies in iſtis tormentis, ſi moribunda & exanimis appareat; ſi gangrænæ in partibus pudendis indicia compareant, etiamſi certo non conſtet de morte infantis, unco extrahitur, ut conſervetur mater, præſtat unum interire, quam duo, vita matris præferenda infanti. Non debet mori mater, ut ſalvetur infans: ideoque non eſt tentanda cæſarea ſectio, quæ matrem jugulabit conſervando fœtum. Hæc tamen Riolani verba, ſecundum Hermann. Frid. Teichmeyer. *Inſtit. medic. legal. Cap. 10. §. 4. pag. 71.* ſane nimis dura & obſtetricandi artis regulis minus convenientia eſſe videntur: Ipſe enim chirurgus & medicus non ſemper certus eſſe poteſt, an ita ſalvetur mater, dum non ſufficit, extractionem fœtus, interdum ſatis horrendam, uncis aliisque in chirurgia uſitatis inſtrumentis, ſuſcipere, fœtumque in fruſta diſcindere, ſed conſcientiam ſuam ſervare potius debet medicus, ac ideo caute atque circumſpecte in ardua hac operatione procedere, juxta regulas eorum, qui fœtum ſine inſtrumentorum ſecantium adjumento extrahere docent.

§. 11.

De fœtus extractione admonet Johannes van Horne *Microtechn.* §. *29. pag. 471.* Quia ſæpius contingit, miſeras mulieres mortis aleam ſubire ob inopiam & inſcitiam chirurgorum, qui extractionis operationi non ſunt adſueti: propterea non poſſumus ſatis laudare prudentiam ampliſſimi magiſtratus *cautela.*

reipublicæ Amſtelodamenſis, cujus juſſu ſemper adeſt publico ſtipendio conductus chirurgus, qui ejusmodi ægre parturientibus ſuppetias ferre, & manum auxiliarem præbere, obſtrictus eſt. Interim tamen de fœtus tam vivi quam mortui extractione evolvi poſſunt libri de obſtetricandi arte editi, e. g. Henric. a Deventer Operationes Chirurgicæ novum lumen exhibentes obſtetricantibus, Ambroſ. Paræi *Theſaur. Chirurg. Lib. XXVI. fol. 513.* de P. de Dionis *Traité general des Accouchemens Livr. III. chap. 8. pag. 235. ſeq.* Idem *des Operations de Chirurgie Demonſtr. III. p. 198. ſeq.* La *Commare oriccoglitrice* di Scipion Mercurio, & hujus verſio Germanica, ſive *Gottfried Welſchens Hebammen-Buch pag. 83.* Marguerite de Tertre *de l'Inſtruction des ſage-femmes.* Louyſe Bourgeois *Hebammen-Buch.* Cosmus Viardel *von der weiblichen Geburt.* Joh. *von* Muralt *Kinder-und Hebammen-Büchlein.* Ejusdem *Anatomiſches Collegium.* Franc. Mauriceau *von Kranckheiten ſchwangerer Weiber.* Ejusdem *Obſervations ſur la Groſſeſſe, & l'Accouchement des femmes*, item *editio Germanica a me translata. Chriſtoph Vœlters Hebammen-Schule. Juſtin. Siegemundin Brandenburgiſche Wehmutter.* Cornelis Solingen *Ampt ende Plicht der Vroedvrouven*, item ejusdem *Embryulcia ofte Afhalinge eenes toden Vruchts. La Pratique des Accouchemens ſoutenuë d'un grand nombre d'operations composées* par Paul Portal.

CAPUT IV.

De

Fœtus ex utero matris exſectione ſeu de partu cæſareo.

§. I.

Sectionis cæſareæ denominatio.

CUm hactenus in fœtus ex utero extractione aliquoties etiam ejusdem ex utero exſectionis mentio facta fuerit, ad hanc ſtatim progredimur, quæ etiam hyſterotomia, hyſterotomotokia, embryotomotokia & partus cæſareus appellari ſolet.

§. 2.

§. 2.

Eſt autem partus cæſareus ſecundum Roderici a Caſtro *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 3. pag. 442.* ſcita ac dextra vivi aut mortui infantis extractio ex utero matris, quæ fœtum aliter excludere non poteſt, idque citra vitæ diſcrimen amborum, aut alterius, ſervata etiam concipiendi facultate. Alii vero autores inter fœtus ex utero extractionem ſeu embryulciam, & inter ejusdem exſectionem ſeu partum cæſareum diſtinguunt, talemque fœtum non extractum, ſed exciſum nominant. v. g. Paulus Zacchias *Quæſt. medico-legal. Lib IX. Tit. 2. fol. 750.* inquit: Fœtum exſectum voco, qui ex prægnante muliere viva vel mortua per ventris ſectionem vivus eximitur. Joanni Varandæo *de Morb. Mulier. Lib. II. cap. 6. Oper. f. 614.* eſt partus cæſareus infantis, in utero exiſtentis, extractio per cæſum ſeu ſectum abdomen & ipſum uterum, ſuperiori ejus parte, qua reſpicit muſculos epigaſtrii, quando nulla ſpes eſt, fœtum per viam conſuetam, id eſt, per collum matricis, exire aut extrahi poſſe. Juxta Thomæ Fieni *Libr. Chirurg. Tract. VIII. cap. 1. pag. 60.* partus cæſareus vel hyſterotomotokia eſt ſectio fœtus vivi ex utero matris viventis, qua matre adhuc viva exiſtente, & fœtu vivo, abdomen ſecatur & per foramen fœtus vivus educitur, ad illum finem, ut & fœtus & mater ſupervivere poſſint. Dicit autem Fienus, ad illum finem, nam aliquando medicus fine ſuo fruſtratur, & fieri poteſt, ut aliquando uterque, & mater & fœtus, moriantur, interdum alter tantum; ſed tamen ſectio fit, ut uterque ſalvetur, ſicut aliquando factum legimus.

deſcriptio.

§. 3.

Ante omnia tamen monendum venit, ſubinde quæſtionem moveri, annon præſtet, quod fœtus ex utero matris vivæ exſcindatur, quam quod poſt crudeles & diuturnos dolores atque

an præſtet partu diuturno?

que conatus fruſtraneos ex illo ergaſtulo materno cum vitæ periculo extrudatur, ſeu annon partus cæſareus aliquando ordinario ſit tutior? ſi præprimis prudentis artificis manu talis operatio exerceatur, ſicque aliqua ex parte partus dolores ſubleventur. vid. Chriſtian. Franciſc. Paullin. *Lagograph. curioſ. Sect. I. cap. 3. pag. 89. ſeq.* item ejusdem *Zeitkürtzende erbaul. Luſt Part. II. cap. 91. pag. 505.* qui autor *Lagogr. pag. 96.* hanc ſectionem ſine matris fœtusque detrimento tuto fieri poſſe defendit. Inquit etiam dominus Gofey *Hypotheſ. de fœtus generat. pag. 125. ſeq.* varia obſtacula partui naturali & felici ſeſe exponunt, & quo plures & fortiores niſus ac conatus ad excludendum fœtum in tali caſu inſtitueret mater, eo magis vires perderet, vitæque periculum una cum infante incurreret. Lithotomiam haud minoris periculi eſſe, quam operationem cæſaream credo, interim tamen ſæpius illa felici cum ſucceſſu exercetur. Juſtiorem comparationem inter has operationes inſtituere non poſſum, ſiquidem matrix & veſica cavitates ſunt membranoſæ, in alia cavitate incluſæ: Textura matricis carnoſa magis eſt, quam illa veſicæ, per conſequens magis apta ad reunionem. Hinc in ejusmodi caſibus operationem cæſaream inſtituere præſtat, præcipue ſi femina modo ordinario ac naturali partum excludere non poſſit.

§. 4.

an exercenda? alii dubitant.

Eſt autem hæc ſectio cæſarea operatio difficillima & periculoſæ aleæ plena, & quamvis fatendum ſit, ejusdem ſectionis adminiſtrandæ ſæpe neceſſitatem incidere, tamen juxta Johan. van Horne *Microtechn. Sect. II. Part. II. §. 30. pag. m. 473.* tot tantæque circumſtantiæ ſunt obſervandæ, ut interim in ancipiti caſu nullus audeat manum operi admovere, metuens calumniam; quod enim notatu dignum eſt, nullus poſt Franciſcum Roſſetum, (qui in hujus ſectionis gratiam opus univerſum ſcripſit) inventus eſt oculatus teſtis, omnes auriti tantum,

uno

uno excepto Michaele Dœringio, qui in epiſtola ad Fabricium Hildanum teſtatur ſe præſente uterum in inguen dilapſum diſſectum fuiſſe extractumque fœtum ſatis vegetum, matrem tamen tertio a ſectione die ad plures abiiſſe. Ob metuendum itaque periculum, imprimis ſi ex matre viva fœtus vivus vel mortuus eſt exſcindendus, talis operatio rariſſime exercetur, licet a recentioribus quandoque commendetur: hinc etiam Dionis *des Operations de Chirurg. Demonſtr. II. Fig. XII. pag.* 113. ſcribit: Il y a quelques auteurs modernes qui epouſant ſon ſentiment, nous rendent ce ſemble, cette operation ſi aiſée, par la deſcription, qu'ils en font, que ſi nous les en croyions, nous la practiquerions des que l'on trouveroit les moindres difficultez dans un accouchement: mais s'ils avoient été temoins d'une telle operation, ils changeroient bientôt d'opinion, & ils conviendroient, qu'un chirurgien doit n'avoir pas d'humanité pour l'entreprendre. Son idée ſeule feroit trembler les plus intrepides. Jugez auſſi quelle reſolution il faut avoir pour aller à une femme vivante luy ouvrir le ventre, & lui faire une inciſion de plus d'un demi pied de long; enſuite feuillant dans la capacité de l'abdomen, faire une ſembable playe au corps de la matrice; puis percer les membranes & tirer un enfant par toutes ces ouvertures: Cette operation effraye le chirurgien, quand même il l'execute après la mort de la mere. Quelle horreur ne doit-elle point imprimer, quand elle eſt accompagnée des cris d'une mere, que l'on fait ſouffrir avec une cruauté ſans exemple, & d'une quantité de ſang prodigieuſe, qui ſortant par de ſi grandes playes peut faire perir la mere dans l'inſtant & entre les mains de l'operateur &c. Et *pag.* 117. inquit idem autor: Ce n'eſt pas ſeulement la cruauté de cette operation, eſt la mort presque inevitable, qui la ſuit, qui nous doit ôter la penſée dela faire; mais encore la religion, qui la defend: car ayant été mis en queſtion, lequel de deux l'on devoit ſauver, ou dela mere, ou de l'en-

fant, lorsque les accoucheurs ou les ſages-femmes ſe trouvoient dans l'impuiſſance de conſerver la vie à l'un & à l'autre enſemble. Meſſieurs les Docteurs de Sorbonne & les plus fameux caſuiſtes ont decidé, qu'il falloit plutôt ſauver la mere, que l'enfant. Sur ce principe il faut bien ſe donner de garde de tenter ſur celle une operation, qui la tueroit infalliblement. Il y a en qui nous diſent, qu'elle a été faite à Londres & à Amſterdam, & l'on entend tous les jours de bonnes femmes, & des hommes auſſi credules qu'elles, ſoutenir, qu'on l'a faite a leurs voiſines, ou à leurs commeres. Je mets toutes ces hiſtoires au rang de celles, que l'on debite ſur les eſprits & ſur les ſorciers, je n'en crois rien du tout. L'on publié tant d'extravagances, qu'un honnéte homme doit ſe mefier de tout, & ne croire, que ce, qui eſt rapporté par des gens dignes de foi; & comme il n'y a pas un de nos celebres chirurgiens qui osât la pratiquer, je ſuis en droit de l'improuver à leur exemple. Contra hanc vero doctorum regulam ſeu ſententiam, ratione matris & fœtus, peccaſſe Henricum VIII. regem Angliæ, ita ſcribit idem Dionis *l. a. pag. 113.* Henry VIII. Roy d'Angleterre, auteur de ſchiſme de ce Royaume avoit épouſé en troiſiemes nopces Jeanne Seimer, Demoiſelle d'Anne du Boulen, ſa ſeconde femme: la Reyne étant dans les douleurs de l'accouchement de ſon premier enfant, on vint demander au Roy, lequel il vouloit, que l'on ſauvât, de la mere, ou de l'enfant, parce que l'on voyoit point de moyen, de les conſerver tous deux? l'enfant, répondit il; car pour des meres j'en trouveray aſſez. Cette réponſe ne laiſſa pas que d'etonner &c.

§. 5.

alii admittunt. Licet autem multi medici talem ſectionem cæſaream abhorreant, alii tamen ejusdem adminiſtrationem cum diſtinctione admittunt atque defendunt. Inquit enim Johannes Va-

Varandæus *de Morb. Mulier. Lib. II. cap. 6. fol. 614.* quæri ſolet, utrum deſperato naturali partu cæſareus tentandus ſit, nempe quando fieri nequit, ut per vias conſuetas educatur, debeat medicus conſulere iſtam ſectionem uteri, vel poſſit exerceri ſine opprobrio & artis infamia. Multi enim exiſtimant, ſalva & matre & fœtu hanc operationem fieri poſſe, inter quos Roſſetus hanc ſententiam pluribus rationibus, experientiis & autoritatibus confirmare nititur. Sed ut libere dicam, quod cenſeo, ſupponit hic & alii autores, extincta matre aliquando ſuperſtitem eſſe poſſe adhuc in utero puerum, cujus ſervandi cauſa hæc ſectio inſtitui debeat: quod omnino eſt impoſſibile: quandoquidem fœtus in utero exiſtens non alia vita, quam materna ſubſiſtit, unde ea extincta illum etiam ſtatim mori neceſſe eſt. Ac proinde in hoc caſu inutilis eſt iſta ſectio. Quando vero fœtui mortuo ſuperſtes adhuc eſt mater, non videtur illa via capeſſenda, quæ interitum matri certum inferre videtur. Ubi autem uterque eſt ſuperſtes, exiſtimo ego quidem tentari poſſe ad ſervandum puellum, ſi alio modo exire nequeat, quamvis matris interitus ſubſequatur, quia melius eſt ſervari unum, quam utroſque ſimul perire; vel quia aliquando magis intereſt reipublicæ ad illuſtrioris familiæ conſervationem, ut puer ſalvus, quam mater. Et Andreas Laurentius *Hiſtor. anat. Lib. VIII. Quæſt. 32. fol. 336.* inquit: quando partus ſperabilis eſſe nequit, aut moritur infans aut mater, aut uterque ſimul. In hac rerum omnium deſperatione quid moliendum? ſi extincta ſit mater, vivat autem adhuc infantulus, ſtatim nullaque interpoſita mora, ſecandus eſt matris uterus. Quod ſi ſuperſtes adhuc ſit mater, puellus autem nulla arte prodire poſſit, eadem ſectio adminiſtrari poteſt. Nam muſculorum epigaſtrii & peritonæi vulnera lethalia non eſſe, docet quotidianus rerum eventus & veterum medicorum ſuadet auctoritas. Uteri vero vulnera lethalia non eſſe, docet Paulus ex Ægina me-

dicus. Secundum Pauli Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib. VIII. Tit. 2. Quæſt. 4. n. 41 f. m. 711.* hæc ſectio ſeu operatio circa extractionem fœtus vivi ab utero matris viventis aliquando a nonnullis in uſum protracta eſt felici cum ſucceſſu, ac de ea videnda, quæ ſcriptis conſignavit Roſſetus. Sed quia operatio hæc difficillima eſt & periculi plena, non videtur a medico tam prompte proponenda, aliaque ex parte nullum in hoc intervenire peccatum ægrotantis, ſi obedire recuſaret, ob remedii immanitatem ac præſentaneum vitæ periculum. Quibus tamen non obſtantibus, quando & in quibus caſibus mater teneatur vel non teneatur admittere hujusmodi remedium, ſumma diligentia & exquiſite, ac perdocte, docuit Theophilus Raynaudus, quem omnino videre, qui de hujusmodi argumenti veritate certiores fieri volunt, debent.

§. 6.

ſententia Alberti. De hoc dubio, an ſcilicet hæc ſectio cæſareo exerceri debeat nec ne? Michael Alberti *Syſtemat. Jurisprud. medic. c. 7. §. 26. pag. 164.* ſequentia ſcribit: de fœtu, qui ob gravidæ & parientis diverſas circumſtantias partu legitimo in lucem edi haud poteſt, quæritur, an per exſectionem neceſſario ſalvari debeat? Olim quidem hoc experimentum ſine culpa intermitti non poſſe judicabant; dum vero hoc auxilium, utpote anceps, ubi e decem vix duæ aut una ſalvari poſſunt, magis innotuit, tunc non ſemper a medicis probatur, præcipue ſi femina jam valde enervata fuerit: quare hic proceſſus non niſi ad certas circumſtantias reſtringi debet, quoniam medici bene norunt, quantum ſpei collocandum ſit in hoc ultimum refugium: Si vero fœtus in demortua gravida ex certis circumſtantiis adhuc vivus agnoſcitur, tunc illius exciſio ex utero nunquam intermitti debet; & ſi caſus occurrit, ut gravida non perfecte mortua ſit, ſed pro mortua habeatur, fœtus vero adhuc vegetus exiſtat, tunc neque in hoc caſu exſectio negligenda eſt, quoniam in dubio

eſt

eſt, an gravida ad ſe redeat, & vicisſim major præſumptio & fiducia de conſervatione fœtus valet & affulget: de reliquo in tali caſu quæſtio illa legalis movetur de partu cæſareo, an perfectus ſit: de qua conſideratione in præcedentibus aliqua monita fuere, ita ut hoc loco illud tantum addam, quod hujus perfectionis dijudicatio nitiatur tempore perfectionis, an illud maturum, aut immaturum fuerit.

§. 7.

Liceat etiam Johannis Dolæi ſententiam & verba, ex ipſius *Encyclop. Chirurg. Lib. IV. cap. 5. pag. 977.* annectere, ubi inquit: Hyſteromatocia neceſſaria videtur, ubi fœtus & mater vivunt, nec a ſe invicem alio modo liberari valent, ſeu matris, ſeu fœtus culpa hoc pariter contingat. Interim utut hæc omnia ita ſe habeant, manet tamen dubium, an ſectio cæſarea in matre vivente absque ſummo hujus periculo adminiſtrari queat, quod negant Paræus, Guillemeau, Rolfinc. Affirmant idem alii, & quidem per exempla talia, quibus operationem hanc feliciter ſucceſſiſſe teſtantur. vid. Cornar. *Hiſtor. admir. 6. & 7.* Roſſet. *de Part. cæſ. Sect. I. cap. 5.* & Roonhuyſ. *Part. I. Obſervat. chir. pag. 56.* quorum tamen poſteriorum argumentis & quidem primo hoc licet reponere, quod una hirundo non faciat ver. Roſſetus eam nunquam & vix ullus poſt eum vidit. Teſtatur ſiquidem Guillemeau, bis quidem operationem illam ſe celebraſſe, & aliquoties ab aliis celebratam vidiſſe, aſt omnes periiſſe: ac Rolfinc ſe ſemel tantum cum infauſto ſucceſſu eam aggreſſum fuiſſe refert. Periculoſiſſimam proin & nunquam exercendam in matre viva hanc dicimus operationem. Num autem mortua jam matre operatio hæc conveniat, vel alicujus uſus ſit, dubitare videntur nonnulli, pro impoſſibili & abſono habentes, matre mortua fœtum ad momentum ſupervivere poſſe, cum hujus vita ab illius incolumitate dependeat, quales ſunt Varandæus & Bauhinus. *Dolæi.*

Imo Rodericus a Caſtro *de Morb. Mul. Lib. IV. cap. 3.* præcipit, ut operatio hæc, antequam mater plenarie exſpiret, adornetur; quæ tamen præceptis ac obſervationibus anatomicis refragantur, quibus fœtum propria vita vivere conſtat, ita ut horæ, imo diei fere ſpatium intra uterum matris is aliquando ſuperſtes obſervatus fuerit. Matrona quædam gravida apoplexia illico extinguebatur, fœtus altero die ſe adhuc movebat, me ipſomet obſervante. Ipſam ergo operationem antequam aggrediatur chirurgus, in omnibus caute procedat, ne fœtum lædat. Hactenus Dolæus.

§. 8.

in tribus caſibus.

Imprimis autem ab autoribus partus cæſareus in tribus caſibus admitti ſolet, & primo quidem quando matre mortua fœtus adhuc in utero vivit, ſecundo ſi matre adhuc viva fœtus in utero obiit, & tertio quando vivus fœtus in partu difficili ex utero per viam ordinariam a matre viva excludi non poteſt; qualia horum trium caſuum exempla ex autoribus adducemus.

§. 9.

Fœtus vivus ex matre mortua exciſus.

Fœtus vivi e mortuæ matris utero exciſi obſervationem ſequentem refert Horatius Augenius *de Miſſion. ſanguin. Lib. VI. cap. 15. fol. m. 184.* vidi ego anno præterito villicam quandam evſarcam & optimi habitus, nono menſe laborantem gravi morbo ventriculi ſcilicet exulceratione, quæ diebus viginti ſine cibo potuque permanſit, cum quicquid devorabat, ſtatim vomitu ejiciebat, affectusque ſævitia tandem mortua, diſſecto utero puerum extraximus vivum, qui Fortunatus ad fontem ſancti baptiſmatis vocatus fuit. Enecta parente Scipionem Africanum priorem natum fuiſſe, primumque Cæſarem a cæſo matris utero dictum; ſimilique modo Manlium, qui Carthaginem cum exercitu, intravit natum fuiſſe, refert Plinius

Hiſtor.

Hiſtor. Nat. Lib. VII. cap. 9. fol. m. 108. Anno 1646. Patavii a viro illuſtri Johanne Veslingio ex utero matris, febris ardentis malignitate mortuæ fœtum exiguum vivum exſectum ſe vidiſſe ait Georgius Hieronymus Velſchius *Obſerv. med. Epiſagm. 74. pag. 17.* D'une femme groſſe de huit mois & demi, à laquelle eſtant morte de maladie on tira du ventre, par l'operation Ceſarienne, ſon enfant, qui eſtoit encore vivant. Aliam obſervationem recenſet François Mauriceau *Obſervat. 315. pag. m. 184.* quam ſupra *Sect. IV. cap. 1. §. 6.* recenſuimus. Sic etiam Coſmus Viardel *von der Weiblichen Geburt cap. 24. pag. m. 101. ſeq.* ſe chirurgi cujusdam, nomine Guillaume Filet, uxori gravidæ proxime poſt obitum, fœtum & quidem puellum dimidii pedis magnitudine, omnibusque membris bene formatum, qui ultra dimidiam horam ſupervixiſſet atque baptiſmum accepiſſet, ex utero excidiſſe refert variaque circa eandem exciſionem obſervanda ibidem annectit. Anno 959. Burcardus comes de Linzgow, Buchorn & Monteforti, liberalitate in pauperes præſtans, poſt Cratonis obitum abbas Sangallenſis deſignatus eſt, confirmatione ab Othone Magno per baculum & ferulam accepta. Dictus vulgo ingenitus, eo quod ex mortuæ matris alvo exſectus eſt. vid. Joh. Schenck. *Obſervat. medicin. Lib. IV. fol. 602.*

§. 10.

In caſu, quo mater, vivo adhuc ſuperſtite infante, mortua eſt, operatio tantis non onuſta eſt circumſtantiis, cum ſola infantis ex carcere illo liberatio intendatur, quo aquis baptismi conſpergi poſſit, ait dominus Govey *de Generat. Fœtus pag. 127.* Hinc, quamvis huic extractioni contradicere videantur illi autores, qui ſtatim poſt matris obitum fœtum quoque neceſſario mori ex ea ratione ſtatuunt, quod fœtus in utero non alia quam materna vita ſubſiſtat, puerpera autem extincta, ſtatim etiam fœtus vita ceſſet; Quia tamen huic ſententiæ con- *hæc operatio eſt facilis.*

tra-

tradicendo jam ſupra *Sect. II. cap. 1.* & alibi de partu poſt matris mortem, fœtum in utero non materna, ſed propria vita gaudere, ex variis autoribus probavimus, cur talis fœtus vivi ex defunctæ matris utero exſectio fruſtranea ſit, non video. Quod confirmat etiam Johannes Conradus Beckerus *de Paedioction. inculpat. ad ſervand. matr.* §. *41. p. 55.* non eſt, inquiens, quamobrem quis cum antiquis credat, ſpiritum fœtus ita ex matre pendere ejusque venerabili ore trahi, ut ceſſante hujus reſpiratione illius quoque vita primis momentis pereat, ac omnem ſpem extrahendi fœtus vivi in illo ipſo temporis ictu conſiſtere, quo mater animam exhalat, propterea os demortuæ pariter inſerto ligno, ac oſtium uteri manu obſtetricis apertum ſervandum, quoad peracta ſectio fuerit, ac ſi per os ac uterum maternum infans vitali aura aſpergendus, ſuam diutius vitam conſervet, hæc vero iſtis omiſſis ceremoniis abbrevietur. Quis credet hodie, viris hanc dignam eſſe opinionem? ſuam fœtum vitam vivere, propriaque gaudentem circulatione, per aliquot horarum, quinimo diei ſpatium vivere poſſe, præter modo dictam rationem experientia confirmat. Mortua matre fœtus aliquandiu obſervatum fuiſſe motum, aliquoties ex mulieribus audivi. Ne igitur homines ſive infantes, quos eo in caſu e morte in vitam vindicare perfacile eſt, noſtra ſinamus negligentia interire, ſpemque parentum & animantis una cum gravida tenebris damnari, id quod haud raro evenire vereor, reipublicæ intereſſe & ad magiſtratus pertinere officium credo, ut gravidas demortuas, vitalitatis fœtus conjectura ancipite, lege faciat inſpici, quo ſectione uteri omnis eximatur ſcrupulus.

§. II.

Fœtus mortuus e viva matre.

Difficilior vero atque periculoſior eſt talis fœtus ſecundi gradus, exciſio, quando nimirum fœtus mortuus ex viva matre excinditur; Quamvis enim non omnis in utero materno moriens fœtus tali ſectione indigeat, ſed vel paulo poſt obitum

tum medicamentis expellatur vel inſtrumentis chirurgicis, paulo ante dicto modo, ex utero extrahatur, quandoque etiam diu poſt partus niſus per putrefactionem corruptus a natura particulatim expellatur, qualia exempla *Sect. III. cap. 2.* recenſuimus, dantur tamen etiam apud autores fœtuum in utero mortuorum atque per aliquot ſeptimanas, menſes & annos moratorum demumque exſectorum obſervationes.

§. 12.

Huc pertinet Matthiæ Cornacis hiſtoria geſtationis fœtus mortui per annos plus quatuor, qui tandem opera & conſilio medicorum ex utero ita per alvum, Deo adjuvante exſectus eſt, & membratim exemptus, ut mater viva permanens integræ reſtitueretur ſanitati: ac poſt biennium denuo conciperet. Fuit autem hæc femina filia Wolffgangi Karlingeri civis Vienneniſs, & uxor Georgii Wolczeri, hoſpitis ad ædes rubri cancri appellatas. vid. Franc. Roſſet. *de Part. Cæſar. pag. 228. ſeqq.* Diomed. Cornarii *Hiſtor. admirand. VI. pag. 13. ſeq.* & Rembert. Dodon. *Medicinal. pag. 306. ſeq.* Hiſtoriam de fœtu mortuo & putrido exciſo ex ventre matris vivæ a medico Günzburgenſi communicatam refert Philippus Hœchſtetterus *Obſerv. medic. Decad. VI. Caſ. 3. Schol. pag. 687.* Ulmanni Fabri incolæ Leinheimenſis in marchionatu Burgavienſi uxor, nomine Barbara, gravida facta, nonum complevit menſem, eo dolores parturientis ſenſit, ſed invalidos, nec labor parturientis, nec diligentia obſtetricantis quicquam promovit, manſit in utero quod enitendum erat. Nec ardentes preces, nec ſuſpiria lacrymis conſperſa Deum expugnarunt, niſi quod animam fœtus ad ſe vocarit. Cadaver uterum in tumorem ſuſtulit & abdomen turgeſcere fecit, jacens in cavo transverſim. Octo tranſierunt ſeptimanæ, in quibus nil conaminis in excludendo moleſtum ſenſerit, nec dolores, nec parturientium nixum. Vires matris interim labefactatæ a fœtu putrido, & fœtente hecticum corpus dederunt, ac ſi oſſa incluſa cuti eſſent. Adflicta ſingultien-

Exempla.

gultientibus votis mortem inclamavit & ardenter efflagitavit. Conclamatis ſic & deploratis jam omnibus, miſericordia Dei eam reſpexit, & marchioniſſam Burgavienſem movit, ut ejus miſerta in noſocomium reciperet Güntzburgi, ut ibi exſcinderetur putridum, quod matri necem minitaret. Duo igitur chirurgi, conſilium ſubminiſtrante Adamo Hebich medico, ventrem infra umbilicum transverſim ad pubem verſus aperuerunt, in qua regione jam ſigna apertionis in ventre a putredine conſpiciebantur. Infans putridus, & ſolum oſſibus ac calvaria cognoſcendus exemptus fuit, locus vulneratus mundatus, conſutus & convenientibus medicamentis tractatus & curatus eſt.

§. 13.

alia. De partu cæſareo oppido raro ſequentem obſervationem communicat Chriſtianus Vaterus *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſerv. 17. pag. 24.* Civis nimirum ac fullonis conjux anno 1690. menſe Julio primum puerpera, laborioſiſſime parturire cœpit, ut obſtetrices etiam fœtum jam in utero emortuum manu violenta extrahere coactæ fuerint: ex quo non ſolum vagina, ſed etiam veſicæ ſphinctere graviter læſo, vaginæ ulcus & incontinentia urinæ ſecuta. Ope circumforanei adhibita calloſus inſuper tumor in vagina ſuccreſcebat totusque fere canalis, relicto ſolum foraminulo piſi magnitudinem & rotunditatem adæquante, replebatur. Sed quid fit? altera nihiloſecius vice gravida facta & partui proxima impoſſibilem oneris ſui excluſionem ipſamet intelligit, indeque domini a Lankiſch conſilium & auxilium implorat: Qui perſpectis & collatis prudenter omnibus circumſtantiis unicam in ſectione cæſarea ſpem relictam eſſe prædicit; & parturiente, marito aliisque amicis conſentientibus, die 16. Martii operationem ipſam aggreſſus inciſionem in latere ſiniſtro, pollicis latitudine, e regione umbilici deorſum verſus ad ulnæ circiter quadrantem ducit; dehinc

dehinc utero ipſo decenter aperto, fœtum jam mortuum cum ſecundinis ſuis propria manu educit & obſtetricum manibus offert: Quo feliciter ac nullo quidem graviori ſymptomate, ne lipothymia quidem, interveniente, peracto reliqua celeberrimus vir chirurgis peritis committit, commodisque ægræ adeo proſpicit, ut vix elapſis ſex ſeptimanis eadem ſalva in publicum prodire potuerit, poſtea perfecta ſanitate gaudens. De hac partus cæſarei obſervatione vide etiam *Act. Erudit. Lipſ. 1693. menſ. Maj. p. 229. Einer Bauers-Frau in dem Dorffe Subler-Neudorff, ſo bey der ihres Gewehr-Handels wegen berühmten Stadt Suhle, in der gefürſteten Graffchafft Henneberg lieget, hat ein geſchickter* Chirurgus *zu Suhla, Johann Stephan Dombart, ihr über Jahres-Friſt im Mutterleibe verhaltenes und bereits verfaultes Kind (wodurch ſie in einen jämmerlichen Zuſtand gerathen geweſen) dermaſſen glücklich, durch Oeffnung des Leibes bey dem Nabel, durch einen Creutz-Schnitt, Stückweiſe heraus gezogen, daß nicht allein die Mutter zu voriger Geſundheit gelanget, ſondern auch lange gelebet hat.* vid. *Hiob Ludolffs Schaubühne III. Theil Lib. LXI. fol. 1352. ſeq.* Vixit etiam Lutetiæ Pariſiorum chirurgi uxor, quum ibi degeret Thomas Bartholinus, cui quater & amplius partus ex ventre fuit exciſus, nullo relicto detrimento, uti dictus autor *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſt. 8. pag. 159. ſeq.* refert. Concubina ſacerdotis cujusdam tertio gravida per octiduum pariendi conatus fruſtra perſenſit; ſed cum ceſſantibus conatibus diu ægra permanſiſſet, paulo ſupra umbilicum veſica nucis juglandis magnitudine erupit, qua poſt triduum pertuſa & disrupta faſciculus fœtum continens apparuit: qui poſtquam a chirurgo parte aliqua diſſectus eſſet, fœtus cubitus prominens in conſpectum ſe dedit. Quem cum forcipe arripuiſſet, integrum fœtum, ſed ſemiputridum, per foramen e veſica extraxit. Vulnus autem trium ſeptimanarum ſpatio integre chirurgi conſolidarunt, mulierque a partu recte & decenter, ut alias fieri ſolet, purgata, ab anno 1583. quo hæc facta ſunt, ad anni 1584. diem 24. Augu-

ſti, quo extincta primum eſt; miſere vixit, referente Felice Platero *Obſerv. Lib. I. pag. 229. ſeq.*

§. 14.

tertius caſus. Tertius hyſterotomotokias caſus eſt, ſi fœtus adhuc vivus e viva matre ſectione extrahitur; id quod faciendum, cum *fœtus vivus e viva matre.* partum alias nullum ſecuturum certum eſt. Tum enim, juxta Johan. Scultet. *Armament. Chirurg. Part. I. Tab. 42. pag. 96.* ne vel mater, vel infans, vel mater & infans ſimul de vita periclitetur, ad hoc extremum auxilium accedendum eſt. Poſſe autem hanc operationem ſalva manente matre & fœtu adminiſtrari, multæ hiſtoriæ docent, quarum varias Franciſcus Roſſetus in peculiari libello *de Exſection. Fœtus vivi ex matr. viva &c.* ex aliorum autorum & propria obſervatione collegit *Sect. I. cap. 5. pag. 10. ſeqq. a p. 161. usque ad p. 183.* vid. etiam Paul. Zacchiæ *Quæſt. med. leg. Lib IX. Tit. 2. Quæſt. unic. n. 28. fol. 756.*

§. 15.

Exempla. Exempla autem ejusmodi exſectionum tam ſimplicium, quam frequentium, in una eademque femina, hinc inde repeiriuntur; De obſervationibus Roſſeti ita ſcribit modo allegatus Scultetus: Poſſibilitatem hujus operationis probat hiſtoriis variis, primo quatuor ab aliis relatis, quarum prima eſt de muliere quadam, quæ ſexies, cum aliter parere non poſſet, ſectione ejusmodi fœtus viventes ſemper eſt enixa. Septimo vero gravida, cum chirurgus, qui priores ſectiones obierat, mortuus eſſet, nec alius eſſet, qui ipſi ſubveniret, mortua eſt; Secunda de alia, cui tres infantes vivi e latere extracti; Tertia de Mareſio chirurgo, qui e propriæ conjugis latere inciſo filium extraxit; quarta ſimilem caſum recenſet &c. Sic etiam Roſſetus ex Caſparo Bauhino ſequentem hiſtoriam *pag. 162.* refert. Cum circa annum ſalutis 1500. Eliſabetha Aleſpachin, Jacobi Nufer ὀρχοτόμȣ in pago Sigershauſen uxor primo utero geſtaret, & jam doloribus partus per aliquot dies divexaretur, ad ſe obſtetrices

trices tredecim & aliquot lithothomos vocavit, a quibus, fruſtra tamen, opem ſperabat, cum nec fœtus excludi, nec etiam dolores mitigari poſſent. Quare jam deſperata ſalute maritus uxori conſilium ſuum communicat: quodſi conſentiret, velle ſe, annuente domino, felicem ſucceſſum in ipſa ſuam experiri induſtriam. Annuente ergo ipſa ad Archipræſidem Frauenfeldenſem abiit, rem uti ſe habebat, expoſuit, conatum aperuit, licentiamque ſibi dari rogavit. Re intellecta Archipræſes primum quidem difficiliorem ſe exhibuit, dein vero fiduciæ mariti confidens, annuit. Quare licentia impetrata domum redit, obſtetrices alloquitur & hortatur, ut, quæ cordatiores ſint, ſibi & uxori in hypocauſto aſſiſtant, timidiores ex conclavi recedant: moliturum enim ſe aliquid, quo, benedicente Deo, ſalutem uxoris ſperaret. Obſtetrices ergo, conſilio magna cum admiratione intellecto, ex ipſis undecim e conclavi receſſere, duæ cordatiores cum lithotomis mulieri parturienti adſtitere. Quare maritus, implorato primum divino auxilio, & janua diligenter clauſa, uxorem menſæ imponit, abdomini vulnus (non ſecus quam porco) infligit. Verum primo ictu ita feliciter abdomen aperuit, ut ſubito infans absque ulla læſione extractus fuerit. Vulnus hoc veterinario more conſutum poſtmodum, absque alio ſuperveniente ſymptomate, feliciter coaluit. Eadem enim poſt hancce τομοτοκίαν, ſecundo gemellos, & poſt hos adhuc quatuor alios enixa eſt. Exſectus vero infans anno ſalutis ſeptuageſimo ſeptimo diem ſuum clauſit.

§. 16.

Paupercula quædam Hafnienſis, annis obſita & pannis ſimulque epilepticis convulſionibus afflicta mulier Thomæ Bartholino retulit, ſibi id eſſe malum poſt puerperia difficilia ortum, ne ſcire ſe accurate, a qua parte corporis venientis acceſſionis ſenſus incipiat, credere ſe tamen, a ventre fieri ini- *alia.*

tium, tres enim ſibi filios ex abdomine exſectos, quorum unus caſtra ſequeretur. Rogata, in rei fidem Bartholino cicatrices oſtendit, ætate jam imminutas. vid. Bartholin. *Epiſtol. medic. Cent. IV. Epiſt. 41. pag. 237.* Scribit etiam Gofey *de Generat. Fœtus pag. 128.* præfectum quendam navium ſibi aliquando faſſum eſſe, ſe per operationem cæſaream ex utero matris extractum eſſe, ipſiusque matrem ſexies hanc operationem ſuſtinuiſſe, in ſeptima autem diem ultimum obiiſſe, idque, ut putabat, ex ignorantia chirurgi ſeptimam illam operationem ſuſcipientis, priore, qui ſex primas feliciter peregerat, mortuo. Item, pergit idem autor, in vicino pago, la Crique, femina quædam feliciter operationem cæſaream ſuſtinuit, illa cum infante diu ſuperſtite.

§. 17.

aliud exemplum. Sequentem obſervationem refert Dionis *des Operat. de Chirurg. Demonſtr. II. pag. 118.* Le Sieur Raleau maitre chirurgien de Xaintes nous dit, qu'en l'année 1689. il fit l'operation ceſarienne à la femme d'un marchand de cette ville, qui n'avoit pas pu accoucher aprés trois jours de travail; qu'il executa en preſence du Sieur Jolain ſon confrere. L'enfant vécut deux jours, & la mere en guerit. En paſſant par Xaintes avec le roy d'Eſpagne & les Princes, j'allay loger chez M. Moreau, habile medecin, de qui je m'informay, ſi cette hiſtoire éſtoit veritable; il me dit, qu'il n'avoit point été preſent à l'operation, qu'il avoit vû la malade quinze jours après avec trois ou quatre de ſes confreres, & qu'ils l'avoient trouvée en état de gueriſon; que cette femme en étoit demeurée boiteuſe; qu'elle n'avoit point eu d'enfans dans la ſuite, & qu'après la mort de ſon mari elle s'etoit retirée de la ville pour aller demeurer en une maiſon de campagne. Et pagina antecedente aliam obſervationem, ſibi tamen dubiam atque periculoſam adducit ſequentibus verbis: Un autheur moderne, qui conſeille & qui approuve celle operation, dit pour l'autoriſer

riſer ſon procedé, qu'une femme de Château-Thierry vint a l' Hôtel-Dieu de Paris, pour ſe faire traiter d'une hernie ventrale exceſſivement groſſe; qu'après avoir pensée pendant trois mois elle mourut, & que cette femme ayant aſſuré de ſon vivant, qu'on lui avoit fait autrefois l'operation ceſarienne, les chirurgiens de ce lieu eurent la curioſité de l'ouvrir après ſa mort. Ils trouverent, que la playe du ventre n'ayant pas été bien réunie, avoit donné occaſion à cette hernie de ſe former; & l'on remarqua au corps dela matrice, tant exterieurement, qu'interieurement, des lignes qui deſignoient l'endroit, où la cicatrice s'etoit faite. Je repons, que la playe du ventre pouvoit avoir été causée par quelque grand abſcés à cette partie,& que ſi cette femme aſſuroit, qu'on luy avoit fait cette operation, qu'elle n'etoit pas la premiere, à qui après avoir accouché dans des convulſions & ſans connoiſſance, l'on avoit fait accroire, qu'on lui avoit tiré ſon enfant par le côté; & enfin je conclus, que, quand même une telle hiſtoire ſeroit veritable, elle prouve, que cette operation doit être miſe au rang de celles, qui tuent les perſonnes, ſur lesquelles on les pratique,puis que cette femme n'a fait que trainer depuis ce temps la une vie miſerable &pleine d'incommoditez, qui l'ont à la fin conduite dans un hoſpital, où elle a trouvé la mort. Hæc obſervatio absque dubio eſt eadem, de qua Johannes Guilielmus Pauli annotat. in Joan. van Horne *Microtechn. §. 30. pag. 475.* ſequentia ſcribit: in femina quadam ex inſigni hernia ventrali, quæ ſectioni cæſareæ aliquot ante menſibus cum fœtus emolumento adminiſtratæ ſupervenit, in noſocomio Pariſienſi mortua atque diſſecta cicatricem uteri non minus internam, quam externam oculatus advertit Saviardus. Quam obſervationem Jubertus non ſolum confirmat, ſed & feminam aliam in ſcenam producit, hyſterotomiam quæ bis, fœtus primum vivi, poſt mortui, hernia tantum abdominis ſuperveniente,animoſe ſuſtinuerit. Admirandam etiam hiſtoriam de hernia uterina

partu

partu cæſareo in Martino Opiz, vietoris Wittebergenſis uxore, tanquam inauditam recenſet Daniel Sennertus *Inſtitut. Medicin. Lib. II. Part. I. cap. 9. pag. m. 177.* item *Practic. Medic. Lib. IV. Part. I. Sect. II. cap. 17. pag. 164.* Aliud exemplum de femina Norimbergenſi, tornatoris uxore, quæ a fortiori partus niſu utrem quaſi hominis caput magnitudine æquantem ex utero prolapſum patiebatur, cui ſacco ſimul fœtus erat concluſus, facta autem pro ejus egreſſu a chirurgo neceſſaria inciſione ilicet integer quidem, ſed extinctus prorupit, communicat Georgius Abrahamus Mercklinus *M. N. C. Dec. II. Annotat. 3. Obſerv. 192. pag. 375.*

§. 18.

ex abdomine. Præter hactenus adductos tres, fœtus ex utero materno excidendi, caſus, alii adhuc quandoque occurrunt hoc loco recenſendi, & primo quidem, quando fœtus non in ipſo utero, ſed extra eundem in abdominis cavitate reperitur, id quod duobus modis fieri poteſt; ſubinde enim poſt conceptionem ovulum imprægnatum non per tubas Fallopianas ad uteri cavitatem protruditur, ſed vel in ipſo ovario ad perfectam usque fœtus formationem permanet, vel ſi quando fimbria tubæ Fallopianæ, ordinarie ovulum ex ovario ſuſcipiens, illudque per tubam ad uterum deferens, plane non, vel non legitimo tempore, ovario ſe applicet, unde ovulum disruptis ovarii membranulis neceſſario ad abdominis cavitatem prolabitur; vel etiam ſi ovulum equidem a tuba Fallopiana excipitur, a quacunque vero cauſa a ſuo ad uterum tranſitu impeditur, ut ad maturitatem usque ibidem permanere neceſſe habeat.

§. 19.

in ovario. Intra teſticulos autem ſeu ovaria perfectos conceptus formari teſtantur autores, ſiquidem ſecundum Johannis Bohnii *Circul. anatom. phyſiol. Progymn. I. pag. 12.* intra teſticulorum clauſtra veſiculas illas genitales fœcundatas & in completum

tum evectas legimus ; dum v. g. conceptus extra uterum & tubas non laceratas, per conſequens in teſticulo, productos, Jacobum Grandium Venetiis vidiſſe Caſparus Bartholinus *de Ovar. mulier.* innuit. Ipſius autem Bartholini verba *pag. 36.* ſic ſonant: Elegantem obſervationem Venetiis a Cl. Jacobo Grandio factam, delineatam mihi monſtravit Franciſcus Nazarius, in naturæ ſcientia verſatiſſimus, ubi non ſolum fœtus extra uteri cavitatem, ſed & ovum delapſum, in quo primum rudimentum fœtus viſum aſſerit; Et Johannes Fridericus Ortlob *Hiſtor. Part. Diſſert. 35. §. 5. pag. 275.* inquit, anno 82. D. de S. Mauritio Pariſiis in feminæ cujusdam, alias octo liberorum matris, teſticulo dextro fœtum plenarie formatum inventum eſſe publicavit. In mulieris cujusdam, viginti ſeptem annorum, quæ non ſemel gemellos pepererat, jam undecim liberorum matris cadavere non tantum extra teſticulum ſiniſtrum ovum aliquod hæſit, membranis ſingularibus involutum, verum etiam ex ipſo teſticulo ovorum par fuit ſeparatum, quæ arcte ſibi cohærebant, teſtante Gerardo Blaſio *Obſervat. medic. Part. V. Obſervat. 4. pag. 66. ſeq.* De fœtu in ovario reperto teſtimonium Dn. Littre v. Act. Eruditor. *An. 1706. menſ. Jun. pag. 295.*

§. 20.

In tubis etiam Fallopianis quandoque ovum fœcundatum perſiſtere, fœtumque ibidem majus incrementum vel etiam totam perfectionem acquirere, non ſolum varii teſtantur autores, in Syllepſilog. noſtr. *S. Ɛt. I. c. 5. §. 7. & 8. p. 84.* allegati, ſed etiam rariſſima Abrahami Cypriani obſervatio de fœtu humano poſt unum & viginti menſes ex uteri tuba, matre ſalva ac ſuperſtite exciſo, quæ ibidem *§. 9. p. 87.* contracte recenſetur. De qua ipſe Cyprianus epiſtolam ad Thomam Millington perſcriptam anno 1700. Lugduni Batavorum edidit. vid. etiam le Chirurgien d'hoſpital de Belloſte *edit. Amſtelod. 1707.* De em- *Fœtus ex tubis exciſus.*

bryonibus ex tuba uteri erumpentibus agit Thomas Bartholinus *de inſolit. Part. viis cap. 11. pag. 74. ſeq.* ubi inquit: embryones ex tubis uteri in cavitatem abdominis exire, ſuſpicio mihi prima exorta ex fœtu Muſſipontano, qui extra uterum inteſtinis & omento incumbens fertur repertus, utero prorſus integro nulloque cicatricis veſtigio ſuperſtite. Nam quia nonnunquam etiam tubæ uteri fœtus humanos concipiunt, probabile inde mihi viſum fuit, ſiquidem uteri ruptura nuſquam comparuit, tubas uteri conceptum fœtum, maturum jam & loci anguſtia laborantem vi naturæ & fœtus ruptas, in abdomen vicinum eructaſſe. Denique etiam ſubinde fœtum extra uterum in abdomine reperiri, & quidem vel ob eandem cauſam, quod ſcilicet ovulum ex ovario in abdomen prolapſum ſit, vel quod fœtus in partu difficili per diſrupti uteri foramen in abdominis cavitatem deſcenderit, pariter in noſtra Syllepſilogia *l. a. cap. 6. §. 1. ſeqq. pag. 91. ſeq.* item in præſenti tractatu *Sect. III. cap. 3.* de fœtu extra uterum, allegati autores confirmant. Qui caſus omnes pro fœtus extractione vel ſolius abdominis vel hujus & ipſius uteri inciſionem, ſeu partum cæſareum requirunt.

§. 21.

Lepores ex catella.

Non ſolum autem in feminis humanis talis fœtus vivi ex viva matre exſectio fuit obſervata, ſed etiam in brutis, uti de lepuſculis refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lagograph. Curioſ. Sect. I. cap. 3. pag. 89.* inquiens: habebat in Pruſſia chirurgus quidam lepores, a quibus impraegnata catella. Cum vero ob vulvæ anguſtiam dyſtokia ſequeretur difficillima, cæſareum ipſe elegit partum, protractis duobus catulis una cum lepuſculo. Item in Holſatia ex lepore aliquot horas mortuo cujusdam generoſi domini venator duos exemit fœtus adhuc vivos, quos etiam educavit iſtius nobilis familia, uti refert Johannes Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſervat. 53. pag. 141.*

§. 22.

§. 22.

Sicuti autem ſupra paragrapho ſeptimo vivi fœtus ex mortua matre exciſionis exempla adduximus, ita etiam nonnunquam mortuorum fœtuum ex mortuæ matris utero exciſorum obſervationes apud autores leguntur, & quidem non ſine cauſa; etiamſi enim non ſemper, extincta matre, in vivis ſit infans, poteſt tamen ſæpisſime accidere, ut vivus reperiatur, quemadmodum ex Gv. Fabric. Hild. *Reſponſ. ad Dœring. fol. 906.* citatis hiſtoriis apparet. Præſtat itaque centum cadavera prægnantium fruſtra incidere, quam ſemel permittere, fœtum vivum in utero materno tam miſere perire atque ſuffocari. Fœtus mortui exemplum refert Felix Platerus *Obſer. Lib. I. pag. m. 227.* Sartoris cujusdam uxor, annorum circiter triginta, quæ quater prius pepererat, quinto gravida facta exactis decem menſibus, cum jam pariendi tempus inſtaret, atque in ipſo labore fœtus quandam convolutionem levesque aliquot pariendi conatus ſentiret, tandem iis omnibus ceſſantibus, fœtum mortuum, uti poſtea apparuit, antequam exſpiraret, adhuc quinque menſes retinuit. Quo tempore, cum, an gravida eſſet, ex eo, quod ſupra uteri geſtationis tempus, tam diu ſuperſtes maneret mulier, nec graviora pateretur accidentia, in quæſtionem veniret, & de mola aliove aliquo tumore, inter obſtetrices conſultaretur, tandem conſilio Plateri habito, ipſe de fœtu mortuo pronuntiavit. Verum cum poſt medicamenta propinata nullus ſequeretur abortus, nullusque eſſet omnino fœtum excludendi conatus, tandem viginti ſeptimanarum ſpatio ſupra decimum menſem, quo uterum geſtavit, tempore exacto, femina exſpirabat. Rogatus Platerus, cum corpus aperiret, vertebræ fœtus una cum ſcapulis & coſtis, obvia erant. Transverſim enim collocatus & ſupinus dorſo inflexo, & in orbem convolutus jacebat fœtus & verſus exteriora prominebat. Qui exemptus diductusque adeo putris erat, ut præter cutem & oſſa nihil alias lice-

fœtus mortuus ex mortua matre.

ret cognoſcere. Hoc ſaltem manifeſtum erat, transverſum illius ſitum atque eximiam magnitudinem, quam longitudo illius & capitis amplitudo, prolixis admodum capillis conſtans, declarabant, impedimento fuiſſe, quo minus in partu prodire potuerit: ſicque retentum, viginti ſeptimanarum ſpatio computruiſſe, & ſimul vicinas partes undique infeciſſe. Quodſi proinde ſectio ante extremam illam viſcerum corruptionem facta fuiſſet, forte fœtus eximi, materque ſuperſtes manere potuiſſet. Fœtum mortuum poſt matris mortem ex utero exciſum annotavit etiam Adamus Brendelius *Obſerv. anat. Decad. II. Obſerv. 8. p. 24. ſeq.*

§. 23.

fœtus extra uterum. De infante extra matricem reperto hanc operationem annotavit Johannes Joſephus Courtial *de Nouvelles Obſervations anatomiqu. Obſervat. 10. pag. m. 68. ſeq.* Un chirurgien de cette ville fut appellé pour faire l'operation ceſarienne à une femme enceinte, qui venoit d'expirer. Il fit ſon inciſion vers le côté droit, qui lui parût le plus élevé de l'abdomen, & ayant trouvé la matrice il l'ouvrit. Elle étoit grande, ſchirrheuſe & épaiſſe de quatre travers de doigt, ſa cavité étoit tres-petite, remplie de quelque ſang noirâtre & grumelé, & n'y trouva point de fœtus. Comme les parens aſſuroient, que la femme étoit enceinte, il ouvrit tout l'abdomen; & fut fort ſurpris lorsqu'il vit vers le côté gauche ſous l'epiploon un enfant parfait. Comme il fut frappé par cette nouveauté, il envoya à l'ecole de medecine, ou je faiſois alors leçon, pour me prier de le venir joindre. Je ne fus pas plûtôt arrivé, qu'il m'expoſa le fait. Alors mettant moi-même la main à l'œuvre, j'examinay la ſituation de cet enfant. Il étoit couché la tête en bas le long de l'épine de côté gauche, occupant les trois regions du bas ventre, ayant ſes pieds ſous l'eſtomac & le colon, & le reſte du corps recouvert de l'epiploon. Il avoit

ſon

ſon cordon autour du col, & il étoit ſorti de ſes envelopes. Je coupai le cordon, & je retirai cet enfant du ventre de ſa mére, ou il étoit mort depuis peu de temps. Il étoit mâle, parfaitement bien formé, bien nourri & dans toute la maturité d'un enfant de neuf mois. Je crûs, que cet enfant s'étoit échapé de la matrice, ou de ſes trompes, & je m'attachai, à découvrir, d'où il étoit ſorti. J'examinai la matrice dans toute la ſuperficie externe, & je la trouvai par tout fort unie, ſa cavité le fut de même, les trompes dans l'étát naturel, & les teſticules auſſi &c.

§. 24.

Item de fœtu poſt mortem matris ex utero exciſo ſequentem obſervationem annotavit Adamus Brendelius *Obſervat. anatom. Dec. II. Obſervat. 8. p. 24. ſeq.* in pago quodam femina gravida molem farinæ ſecalinæ domum apportat, ſed inter eundum pes vacillat, quo fit, ut a mole farinæ, quam ſuſtinere non poterat, proſtrata ſiniſtrum latus vehementer in terram allideret, & brevi poſt, profuſa hæmorrhagia hancque inſecuta lipothymia tentata, quia nihil remediorum, quibus obortis ſymptomatibus proſpici potuit, in promptu poſitum erat, exſpiraret. Fœtus qui proxime a partu aberat, poſt mortem matris ſuo quidem motu vitam prodit, ſed quia tam vehementis injuriæ lapſus in eum pariter redundaverat, nemoque aderat, qui illi auxiliares confeſtim manus admovit, extinctus eſt. Secto deinde gravidæ abdomine apertoque utero, in cavo amnii multum ſanguinis fluctuabat, fœtusque in globoſo & convoluto ſuo quidem poſitu conſtitutus, ſed ita conquaſſatus erat, ut ſanguis ex ore & naribus manarit &c. Huc pertinent etiam exempla fœtuum per uteri rupturam in abdomen prolapſorum, quorum varia ſupra *in Sect. III cap. 3. §. 5.* allegantur. vid. etiam Henr. a Roonhuyſ. *Obſervat. Lib. II. Obſ. 1. p. 15. ſeq.* *alia obſervatio.*

§. 25.

Operatio. Quod partus cæſarei operationem attinet, fit illa, uti hactenus vidimus, duplici modo, nimirum vel per ſolius abdominis ſectionem, quando fœtus extra uterum jacet, vel per abdominis & uteri inciſionem ſimul, ſi fœtus ipſi utero adhuc eſt incluſus. De ſectionis autem modo, de quo hoc loco prolixe agere nolumus, videantur autores. v. g. Joh. Scultetus *Armamentar. Chirurg. Part. I. Tabul. XLII. pag. m. 98. ſeqq.* Dan. Sennert. *Pract. medic. Lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. 8. pag. 437. ſeq.* Petr. Dionis *Cours d'Operations de Chirurgie Demonſtrat. II. fig. 12. pag. 120. ſeqq.* Ejusdem *Traité general des Accouchemens Liv. III. Chap. 28. pag. m. 316. ſeq.* Coſmus Viardel *von der Weiblichen Geburt cap. 24. pag. 101. ſeq.* Thomæ Fieni *Tract. VIII. cap. 4. pag. 64.* Steph. Blancardi *Kunſt-Kammer der Chirurgie Lib. II. cap. 20. pag. 122. ſeq.* Roderic. a Caſtro *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 3. pag. 444. ſeq.* Laurentii *Heiſters Chirurgie Part. III. cap. 1031. p. 579.* Roonhuyſ. *Obſervat. Lib. II. Obſervat. 1. pag. 16. ſeq. Chriſteph. Vœlters Hebammen-Schule Part. III. cap. 13. pag. 271.* Abrah. Cypriani *Epiſtola de fœtu humano poſt 21. menſes ex uteri tuba exciſo pag. 7. ſeqq.* Exhortatio ad chirurgos de ſectione cæſarea, quomodo quave ratione adminiſtranda ſit, vid. Franc. Roſſet. *de Part. Cæſar. p. 149. ſeq.* Gofey *Annotat. de Generat. fœt. pag. 126. ſeq.* an ſutura ad curam ſit neceſſaria? vid. Guil. Fabric. Hildan. *Op. f. 900.*

§. 26.

Operatorum perſuaſio. Ante hanc ſectionem equidem operatores feminis difficulter parturientibus varia tam ratione doloris, quam hæmorrhagiæ & periculi mortis perſuadent, quæ tamen non ſemper præſtare poſſunt. Unde inquit Dionis *des Operations de Chirurgie Demonſtrat. 2. pag. 114.* S'il eſt vray qu'une egratigneure faite par un coup d'ongle à la matrice y cauſe desinflammations & ſouvent la mort, & qu'un ulcere pour petit

qu'il

qu'il ſoit y devient preſque toûjours incurable ; quelle ſuite facheuſe ne doit on point attendre d'une inciſion longue de ſix ou ſept pouces ? Ceux qui l'approuvent, avancent deux choſes, qui ne s'accordent point avec l'experience ; l'une que la femme reſſent tres-peu de douleur, quand on lui coupe la matrice, & l'autre, que l'hémorrhagie, qui en arrive, n'eſt point ſi grande, qu'on ſe l'imagine. La ſenſibilité dela matrice detruit le premier prejuge, puiſque de l'aveu de toutes les femmes les douleurs, qu'elles reſſentent à cette partie, ſont inſupportables, & un leger ulcere y eſt infiniment plus douloureux qu'en aucun autre droit du corps : le grand nombre de vaiſſeaux, qui arrouſent l'uterus & leur groſſeur dans le temps, qu'il renferme un enfant, condemnent la ſeconde raiſon, qu'ils alleguent ; car s'ils avoient ouvert une femme, morte dans cet etat, ils ſeroient ſurpris d'y voir tant de veines, & d'arteres ; & ces vaiſſeaux, qui l'ors qu'une femme n'eſt pas enceinte, ne paſſent point la groſſeur d'une petite corde de Luth, ont ſur la fin dela groſſeſſe acquis le diametre d'un gros tuyau de plume à écrire : le moyen donc de couper tant de canaux remplis de ſang, & d'empêcher en même tems que cette humeur n'en ſorte en une abondance terrible ; Ce qu'ils répondent à cet article n'eſt nullement recevable ; ils diſent, que l'enfant n'eſt pas plûtôt tiré dela matrice, qu'elle commence à reprendre ſon volume ordinaire, & qu'en ſe retreciſſant elle bouche les orifices des vaiſſeaux que l'inciſion a ouverts ; mais cet organe ne ſe reſſerre que peu-à-peu, & il lui faut deux ou trois jours au moins pour revenir dans ſon état naturel ; & dans l'eſpace d'une demie heure au plus une femme pourra perdre tout ſon ſang juſque à mourir.

§. 27.

Quandoque etiam operatoris ignorantia mortem inducit ; inquit enim Gofey *l. a. pag. 128.* ante annos duodecim *eorum ignorantia.*

cim chirurgus quidam operationem cæſaream in femina quadam juniore robuſtaque inſtituit, cum vero artis ſuæ non ſatis fuerit gnarus, per longum admodum temporis ſpatium vulnus illud ventri inflictum conſolidare non potuit, unde ob paupertatem in noſodochium, quod a charitate nomen habet, transportata fuit, ubi creſcente ſemper in vulnere exteriore gangræna animam exſpiravit. Aperto poſt mortem cadavere vulnus matricis optime conſolidatum apparuit.

§. 28.

Magiſtratus conſenſus.

Talem ſectionem cæſaream absque præſcitu & conſenſu magiſtratus exerceri non debere admonet Heinricus a Roonhuyſen *Obſervat. Part. II. Obſerv. 1. pag. 13.* & Johannes van Horne *Microtechn. §. 30. pag. 472.* hanc operationem ſine magiſtratus conſenſu aggredi non licere ait; hinc etiam Godofredus a Lanckiſch, medicus Vratislavienſis, ejusmodi fœtus mortui e viva matre exſectionem invocato numine præſcituque magiſtratus nobiliſſimi inſtituiſſe ſcribitur Act. Erudit. Lipſ. *1693. menſ. Maj. pag. 230.* Cum vero in ejusmodi caſu fœtus non ſemper tantis polleat viribus, ut pro impetrando magiſtratus conſenſu tempus ſupervivere queat, imprimis ſi puerpera nocturno tempore moriatur, talisque conſenſus non ſtatim impetrari poſſit, tunc mihi potius talis ſectionis retardatio periculoſa, ideoque dicta operatio absque magiſtratus præſcitu acceleranda videtur; & absque dubio etiam alii autores ob eandem cauſam ſtatim poſt mortem dictam exciſionem exercere ſuadent; v. g. juxta Johann. von Horne *l. a. pag. 473.* oportet, ut ſectio fiat in ipſo fere puncto, quo mater exſpirat, aut, quamdiu infans adhuc movetur & ſubſultat. Imo Thomas Fienus *Libr. Chirurg. Tract. VIII. c. 1. p. 60.* inquit, aliquando fœtus viventes, matre in puerperio agoniſante, vel mox mox moritura exſecantur. Illa ſectio fit, vel antequam mater mortua eſt, ſed agoniſat: vel poſtquam mortua,

&

& tunc debet medicus morituræ mulieri aſſidere, ut mox, cum animam exſpiraverit, fœtum exſecet, antequam ſuffocetur, vel etiam moriatur, vid. etiam Viardel *l. a. pag. 102.* Joh. Scultet. *l. a. p. 95.* Paul. Ammann. *Irenic. p. 59.*

§. 29.

De ejusmodi exciſorum exemplis ſcribit Gregorius Nymannus *de vit. fœt. in uter. pag. 33. ſeq.* Eodem modo mundum hunc intraſſe Scipionem Africanum, qui Carthaginem expugnavit, Plinius recenſet, & idem autor *Hiſtor. natural. Lib. VII. cap. 9.* memorat, Æſculapium medicinæ reſtauratorem laudatiſſimum ab Apolline ex matre Coronide exſectum fuiſſe. Eſtque communis opinio, primum imperatorem Romanum Julium inde nomen Cæſaris indeptum fuiſſe, quod cæſo matris utero mundum hunc intraverit, quamvis multi id negent, & imprimis Joachimus Fortius oſtendat, Julium Cæſarem matrem ſuam Aureliam, ſingulari judicio & pietate feminam, tum demum amiſiſſe, cum bellum gereret Gallicum. Alii volunt etiam, ante Julium, Cæſaris nomen, vel dictatori ſummo vel conſuli ipſi, imo primo Scipioni Africano aſſignatum fuiſſe. Plinii verba *l. a. fol. m. 108.* ſic ſonant: auſpicatius enecta parente gignuntur, ſicut Scipio Africanus prior natus, primusque Cæſarum a cæſo matris utero dictus: qua de cauſa & Cæſones appellati. Simili modo natus & Manlius, qui Carthaginem cum exercitu intravit. Id confirmat etiam Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. VI. fol. 363.* inquiens: legimus Julium Cæſarem cæſo & aperto matris utero prodiiſſe; quin etiam ipſum Æſculapium medicinæ repertorem ita natum, cecinit Ovidius *Lib. Metamorph.* vid. etiam Henr. a Roonhuyſen *Part. II. Obſ. 1. p. 3.* Eduardum Angliæ regem ſic quoque in viventium hominum cœtum protractum fuiſſe, narratur, inquit Gerhardus Feltmannus *de Cadav. inſpiciend. cap. 27. §. 5. p. 107.* & juxta Henr. Kornmann. *Oper. Curioſ. Tr. I. de Mirac. vivor. pag.* 167.

exempla exciſorum.

167. Eduardus rex Angliæ, Henrici VIII. filius, ex utero matris cæſus regnum adeptus anno ætatis nono, reformabat eccleſias conſilio & ope Thomæ Cromeri, archiepiſcopi Cantuarienſis anno 1547. Gebhardus, Othonis comitis de Bregenz filius, ex matris utero exſectus Conſtantienſis epiſcopus factus eſt anno 1001. & monaſterium Petershuſium, item templum Circiacenſe, in emporio nobili Helvetiæ Zurzach dicto, exſtruxit. v. Joh. Schenckii *Obſerv. medic. Lib. IV. fol. m. 602.* Tales fuiſſe etiam Don Sancho Garziam, regem Navarræ, Eduardum VI. Anglum, S. Gebhardum, epiſcopum Conſtantienſem, Ulricum, comitem Würtembergiæ, Burchardum, comitem Buchhornanum, Ferdinandum Albanum, alioſve plures, refert Conradus Philippus Hoffmannus *de inſignior. Puerper. Tempor. Cap. 1. §. 16. p. 19.* Et ſecundum Roderic. a Caſtro *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 3. de partu cæſareo pag. 445.* hac ratione in Hiſpaniæ annalibus regem Navarræ Sanctium ſervatum legimus; hunc enim matre a Saracenis inter venandum trucidata, per vulnus in ventre acceptum exertam manum oſtentantem, ſuperveniens nobilis Gevarra extraxit, ac clanculum enutrivit, eumque poſtea de principis electione diſceptantibus proceribus obtruſit, controverſiasque ſedavit, a quo mirifico latrocinio nobilis latronum familia in Hiſpania nomen accepit. Gregorius XIV. pontifex maximus e mortuæ matris alvo ſeptimo menſe extractus fertur juxta Gerhard. Feltmann. *Tract. de Cadav. inſpic. Cap. 27. §. 11. p. 109.*

§. 30.

Fœtuum vivorum ſepultura.

Supra equidem *Sect. II. cap. 1. §. 3.* de fœtu vivo ex matre mortua nato prolixe egimus, cum vero ejusmodi fœtus non ſemper tantis polleant viribus, ut pro felici exitu clauſtrum uterinum perfringere valeant, ſæpe per aliquot horas, interdum etiam per unum & alterum diem in utero adhuc ſupervivunt demumque pariter defuncti cum matre, ipſius utero adhuc incluſi,

cluſi, ſepeliuntur. Quamvis autem fœtus in utero vivi ſignum primario ab ejusdem motu, mortui autem a motu ceſſante deſumatur, nihilominus tamen etiam quandoque fœtus absque motu in defunctæ matris utero ſupervivunt, ut in tali caſu fœtus adhuc vivus terræ mandetur, quem tamen humandi modum olim a legislatoribus promulgata maximeque laudanda lex prohibuit, ſiquidem juxta Johannis Riolani *Anthropogr. Lib. VI. Præfat. fol. m. 363.* in codice Juſtinianeo lex extat *Lib. II. ff. 51.* de mortuo inferendo & ſepulchro ædificando, quæ illum necis reum judicat, qui gravidam ſepelierit, non prius extracto fœtu, quod ſpem animantis cum gravida peremiſſe videatur. Utinam ea lex nunc vigeret noſtroque ſeculo renovaretur. Sæpius extinctæ mulieri fœtus ſalvus & incolumis eriperetur, qui cum matre vivus infertur tumulo infanda cæde, more illius tyranni facta, qui mortua corpora vivis jungebat. Secundum Gerhard. Feltmann. *Tract. de Cadav. inſp. cap. 27. §. 6. pag. 107.* hæc ſectio non tantum in cadavere reperto inſtituenda, ſed & nunquam prætermittenda, ſi femina in ipſo puerperio enecta vel partui proxima defuncta ſit. Nam & is homo, qui exciſo utero edi poteſt, qua in re tamen Iliacos peccatur intra muros & extra. Et multi hodie reperiuntur, qui, dum uxores amittunt, non modo non ſolliciti de partu, quem tamen in utero vivere & ſummis conatibus in lucem prodire velle obſervant, ſed & eum extingui patiuntur, præſertim proletarii & viliores, quod ipſis natus infans multo oneri futurus eſſet. Et §. *12. pag. 109.* ita pergit: Si maritus vel neceſſarii mulieris mortuæ negligant dolo malo iſtam ſectionem, quando fœtus ad id tempus pervenit, ut vivere poſſit, aut id ex motu percipitur, ne cauſentur, ſe tempus ignoraſſe, atque liquido de morte matris conſtet, tunc ea pœna tenentur, quæ legibus moribusque conſtituta in eos, qui abigunt partum viventem. Quodſi ex ruſticitate id omiſſum, relegatio aut gravior pœna pecuniaria locum habere poteſt.

 §. 31.

§. 31.

Lex regia. Bernenſes legem illam regiam, qua cautum erat, prægnantem mortuam, niſi prius exciſus eſſet fœtus, ſepelire, olim obſervaſſe ait Guilhelmus Fabricius Hildanus *Epiſtol. ad Mich. Dœring. Oper. fol. 905.* Et *fol. ſeq.* ita pergit: Hujus legis hæc ſunt verba: Negat lex regia, mulierem, quæ prægnans mortua ſit, humari, antequam partus ei excidatur. Legem autem hanc non ſolum per excellentiam regiam appellant juriſconſulti, verum etiam, quia a Numa Pompilio, ſecundo Romanorum rege, ſancita fuiſſe creditur. Quæ ſi a Chriſtianis ubivis obſervaretur, multi procul dubio infantuli, qui nunc extincta matre miſere in utero ſuffocantur, conſervarentur, multique parentes quietiorem conſcientiam conſervarent. Non enim immerito autor ejus legis addit, quicunque contra fecerit, ſpem animantis cum gravida peremiſſe videtur. Multoties etiam infantulos, mortua matre, vivos exciſos fuiſſe, exempla apud autores inveniuntur multa, ex quibus videre eſt, fœtum non ſemper in eo ipſo temporis articulo, quo anima ex matre emigrat, mortem obire, ſed nonnunquam ad tempus in ipſo utero ſupervivere poſſe. Ideoque minime audiendi ſunt illi, qui fœtum extincta matre, e veſtigio quoque animam efflare autumant, ac propterea ſectionem inutilem, fruſtraneam, & quod majus, crudelem eſſe, clamitant. Notatu quoque dignum eſt, fœtum maturum tempore partus aliquando per diem unum aut alterum in utero materno ita quieſcere, ut ipſum extinctum eſſe cuncti exiſtiment, quod & ipſe Fabricius aliquoties obſervavit. vid. etiam Conrad. Philip. Hoffmann. *de Puerper. Tempor. Cap. 1. §. 16. p. 18.* item Roder. a Caſtr. *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap 6. p. 462.* ubi inquit: ſi mater in partu moriatur, fœtu intus vivo ſuperſtite, quod ex motibus & ſubſultationibus infantis conjicitur,

tunc

tunc poſthabita matris ratione, expedit ejusdem matris os, & genitalia patentia ſervare, ut per has vias anhelitum recipere infans poſſit, deinde hypochondrium ſiniſtrum inſcindere oportet, quippe dextrum latus liberum ingreſſum non ita præbet, ob ſubjectum epar, proſpiciendum tamen, ut, dum extrahitur fœtus, ſpina tota obſtetricis palmæ incumbat, ne exarticuletur.

§. 32.

An denique in Corpore Juris de hac materia lex reperiatur? quærit & ſequentibus reſpondet Hermannus Fridericus Teichmeyerus *Inſtit. Medicin. legal. Cap. 3. Qu. 1. pag. 15. ſeq.* utique & quidem *Lib. XI. Dig. Tit. 8. L. 2.* ubi lex regia, a Numa rege religioſiſſimo data, expreſſe præcepit, quod mulier prægnans mortua prius, quam partus ei exſcindatur, non ſit ſepelienda, qui contra fecerit, ſpem animantis cum gravida peremiſſe videatur. Hoc pium, juſtum & utile præceptum legislatoris hactenus plane tam a theologis, quam JCtis, imo tandem medicis ipſis, neglectum fuit, & dolendum, quod lex illa ſaluberrima, humana pariter ac divina, non ſanctius hodie colatur, & in praxi obſervetur. Cum vero magiſtratus ſevere puniat meretrices, quæ, ob negligentiam & concomitantem anxietatem, funiculum umbilicalem infantis debita ligatura non conſtringunt, & ita infantem interficiunt: non video, quare non puniat & illos, qui ex intermiſſa matris mortuæ ſectione fœtum, adhuc vivum, in utero materno interficiunt. Præſens quidem tempus hancce ſectionem, olim neglectam, reſtituere videtur, dum legum interpretes & DD. ſint in ea opinione, quod illi, qui fœtum, ex matre mortua exſcindendum, neglexerint, eadem pœna ſint puniendi, quam qui alio modo ei damnum intulerint. *pœna.*

§. 33.

Triſte infantis nondum nati fatum annotavit Güntherus

funeſtum exemplum. Chriſtophorus Schelhammerus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſervat. 14. pag. 28.* Brunſuici ſcilicet femina in partu difficili diem obiit ſupremum; poſt hujus obitum deprehenſus eſt infans in utero adhuc vivere validoque motu exitum quærere. Hunc miſerrimum infantis ſtatum oculis atque animis immotis adſpexerunt mulieres adſtantes: cumque admonerentur, ut facta ſectione mortis faucibus fœtum eriperent & in viventium conſortium protraherent, nulla opera potuerunt ad id impelli. Itaque miſer hic infans unam atque alteram horam matri ſic ſupervixit, & intra ipſum cum morte luctatus eſt, tandem vero fractis viribus, nemine opitulante obiit & ipſe. Eo vero momento non venter tantum matris, ſed & univerſum corpus ingenti quaſſatione contremuit: accuſante quaſi defunctæ amicarum deteſtandam crudelitatem, quod perire prolem ſuam ſcientes volentesque ſiverint, ipſis exprobrans, & iſta ſua commotione poſt mortem facta ipſis horrorem incutiens. O animadvertendum facinus! & graviſſimis pœnis ulciſcendum! Quod enim eſt, quo ab homicidio diſtat?

§. 34.

fœtus in utero baptiſmus. Porro tam ratione extractionis fœtus, quam partus cæſarei, adhuc monendum venit, quod, cum ejusmodi operatio non ſemper feliciter ſuccedat, ſed quandoque fœtus utero adhuc incluſus periculoſe ægrotet vel penitus moriatur, ejusdem ante obitum a pluris autoribus baptismus exercendus ſuadeatur; ante cujus tamen adminiſtrationem de fœtus vita certi eſſe debemus, ſiquidem vivo tantum fœtui, minime vero defuncto baptismus conceditur. Quia vero, uti paulo ante diximus, ſubinde equidem ob fœtus debilitatem nullus in utero motus ſentitur, ille tamen nihilominus adhuc in vivis eſſe poteſt: ideoque nonnulli medici aut chirurgi in ejusmodi caſu dubio hoc baptismi ſacramentum fœtui adhuc in utero moranti conferunt.

§. 35.

§. 35.

Ita enim ſcribit Dionis *des Operations de Chirurg. Demonſtr. II. p. 123.* L'on connoit, que l'enfant eſt vivant ou mort en touchant ſon cordon, ſi l'on y ſent un battement, c'eſt ſigne, qu'il eſt en vie, & alors il le faut baptiſer, & ſi l'on n'y en ſent point, il y a tout ſujet de croire, qu'il eſt mort. Sur quoy l'on fait alors une queſtion: Sçavoir ſi l'on doit baptiſer ou non, parce qu'il y a des caſuiſtes, qui veulent, que l'on ait des ſignes certains dela vie pour adminiſtrer le baptême, diſant que ce ſeroit profaner ce ſacrement, que de le donner à une charogne. Pour moi je les baptiſe tous, & cela pour deux raiſons: l'une eſt qu'il peut arriver, qu'un enfant ſoit en vie, & qu'il lui reſte encore quelques ſoûpirs à rendre, quoique l'on ne ſente point de pulſation manifeſte à ſon cordon ombilical; au quel cas ce ſeroit tomber dans un inconvenient facheux, que de refuſer le baptême à un enfant vivant parcequ'il n'auroit pas aſſez de force pour donner des ſignes certains de ſa vie. L'autre raiſon eſt, que dans ces ſortes d'operations la chambre eſt toûjours pleine de parentes ou de voiſines, qui ont la plûpart une imagination timide & occupée des prejugez les plus déraiſonnables. J'en ay vû qui prenant un enfant, qu'on venoit de tirer du ventre de ſa mere, où il avoit ceſsé de vivre depuis pluſieurs jours, le rechauffoient auprès du feu; & qui au moindre mouvement, qu'ils lui voyoient faire, comme d'ouvrir tant ſoit peu une paupiére, de remuer la levre &c. s'ecrioient & aſſuroient qu'il étoit vivant, ſans conſiderer, que ces petits mouvemens étoient des effets de ceux qu'elles faiſoient faire à la tête de l'enfant en s'efforçant de le re animer. Si dans une pareille occaſion un chirurgien ne vouloit pas ondoyer l'enfant, il s'attireroit la haine publique, & toutes ces femmes ne lui pardonneroient jamais. Il y a encore un expedient, qui remedie à tout, c'eſt qu'en donnant *defenditur.*

nant

nant le baptême à l'enfant, il le faut faire ſous condition, en diſant ces paroles, en intention de faire ce que l'egliſe Chrétienne ordonne en pareille rencontre: ſi tu es vivant, je te baptiſe, au nom du Pere, & du Fils, & du Saint Eſprit, ainſi ſoit il. De cette maniere, ſi l'enfant eſt vivant, il eſt bien baptisé; s'il eſt mort, on ne baptiſe point un cadavre, & les plus ſcrupuleux ne peuvent point blâmer un tel procedé, puisque l'egliſe même ne baptiſe les enfans ondoyez dans une neceſſité preſſante, que ſous condition, & qu'en cas qu'ils ne l'ayent pas été, lorsque l'on a été obligé de les ondoyer.

§. 36.

impugnatur. Attamen ad quæſtionem, num fœtus in utero materno exiſtens baptizari queat? quod non, reſpondet Conradus Philippus Hoffmannus *Schediasm. de Puerper. Tempor. Cap. 3. §. 16. p. 84.* Equidem pro fœtu militare videtur, quod jam pro nato habeatur, ubi de ejus commodo agitur, ſed quia baptismus abſolutam requirit perfectionem, quæ in nondum nato deeſt, inde ejusmodi fœtus neutiquam baptizandus, quod & negat Iſidorus, a Gratiano relatus, ex ea ratione, quod is renaſci dici nequeat, qui nondum eſt natus. Equidem hodierni moralium apud Pontificios Doctores, teſte Zieglero *ad Lancellot. Lib. II. Tit. 3. §. 8. in Not.* voluit, in caſu, quo fœtus edi non poſſit, mortisque periculum immineat, poſſe, imo debere fœtum illum quocunque & quacunque corporis parte conſpicuum baptizari, ita ut ſufficiat, ſi vel manus, aut pes aut digitus, imo crines etiam & ſecundina, nulla alia ex utero parte apparente, ſalutari lavacro adſpergatur. Sed cum S. Literæ perfectam & abſolutam nativitatem in eo requirant, qui baptizari debet, vid. Dedekenn. *Conſil. Theolog. V. Lib. II. de Baptism. n. 1. ſeq.* inde recte in ejusmodi caſu baptismus partui denegatur, egreſſusque totalis infantis expectatur. Imo & ipſi defenſores ſententiæ affirmativæ conſultius ducunt, ut, ſi deinceps fœtus

editus

editus fuerit, de novo ille baptizetur. Ziegler *l. c.* Wildvogel *de Jur. embryon. cap. 2. th. 38.* Muller *de Jur. prægn. cap. 4. th. 5. & de juſt. Ætate cap. 3. §. 4.* Ex qua ratione etiam ejusmodi baptiſmus variarum eccleſiarum conſtitutionibus prohibitus. Inde ſancitum *in Conſt. Elect. Sax. Eccl. gen. art. Lib. VI. cap. Von der Noth-Tauffe ibi. Demnach die H. Tauffe ein Werck der Wiedergeburt, erfordert die Natur des Sacraments, daß das Kind, ſo das Sacrament der Wiedergeburt empfahen ſoll, zuvor an die Welt gebohren ſey.* Ranger *l. a. cap. 2. th. 16.* Wildvogel *de Jur. Gemell. cap. 4. §. 4.* Idem & ſtatutum *in Ordin. Eccleſ. Vinarienſ. cap. 12. Von der Noth-Tauffe verſ. Es ſollen aber die Kirchen-Diener die Wehmütter aufs fleißigſte vermahnen, erſtlich, daß ſie kein Kind, ſo noch im Mutterleibe und nicht gantz in die Welt gebohren iſt, nothtauffen. Denn nachdem die H. Tauffe ein Sacrament der Wiedergeburt iſt, erfordert die Natur deſſelben, daß das Kind, welches die Tauffe empfahen ſoll, zuvor an die Welt gebohren ſey.* Plura de quæſtione, an infantis in partu conſtituti pes aut brachium aliave pars emiſſa & foris apparens poſſit baptizari? collegit Michael Albert. *Jurispr. medic. cap. 6. §. 3. pag. 125.*

§. 37.

Baptiſmi in utero adhuc hærentis ibique poſtea morientis fœtus exemplum refert Fridericus Ferdinandus Illmer a Wartenberg *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſervat. 49. pag. 145.* Viri, inquiens, cujusdam literati in urbe Viennenſi caſtiſſima conjux devenit ad partum difficillimum, & p. n. fœtus quaſi duplicatus, reclinato capite ſurſum], foras porrexit brachium, quod licet ab obſtetrice reponeretur ſæpius, tamen usque redibat: omnes denique modi adhibiti, quibus fœtus ad ſitum naturalem debitum & convenientem pro partu poſſet reduci, ſed fruſtra omnia; ſuffocatus tandem eſt in utero, cum diu in hoc ſitu vivere ſit impoſſibile. Prævidendo ergo pericu- *Baptiſmi exempla.*

riculum jubebam, ut baptizaretur, antequam moreretur, ſecundum brachium more noſtro. Interim ante extinctionem vitalis auræ mater urgebatur enormibus doloribus, qui ſine ulla ceſſatione, poſt mortem fœtus miſeram & afflictam adeo tormentarunt, ut clamor ejus per longa ſpatia exaudiretur, quare fœtus per manus artificis & inſtrumenta extractionem ſuadebam. Ex Pauli Portal Praxi ſequentia de fœtus in utero baptiſmo referunt Acta Eruditorum Lipſienſium *Ann. 1686. menſ. Jun. pag. 305.* Quæcunque fœtus pars ſe primo exhibuerit, non aliam, arripere fas eſt quam pedes, quos ad orificium perducere oportet, atque eo momento, quo hi in conſpectum veniunt, baptizandus eſt infans aqua puriſſima, & hanc ſuperfundenti talia verba proferenda: Infans, ſi tu vivis, ego te baptizo in nomine patris, filii & ſpiritus ſancti. Atque hoc fundamento innituntur obſervationes ſubſequentes, quarum memorat auctor, quod ſemper extrahere primo pedes laboraverit, & vel unico horum extracto ſtatim ſub conditione infantem baptizaverit.

§. 38.

in fœtu hydropico. Pro fœtus hydropici in utero adhuc viventis baptiſmo aquam per ſyringam injicere ſuadet dominus Govey *de Generat. fœtus pag. m. 125.* inquiens: Infans ſi in ipſo utero fuerit hydropicus magnitudoque ventris exitum prohibuerit, ille in utero matris parvula aliqua ſyringa aquis baptiſmi conſpergendus eſt, cultelloque dein incurvato venter aperiendus (cavendum tamen ne uterus lædatur) ut eductis aquis ſubſidenteque ventre pedibus protrahi poſſit. De hoc tamen baptizandi modo ſcribit Daniel Hoffmannus *Annotat. in h. l. p. 115.* mirabile ingenioſumque hoc inventum eſt baptiſmum conferendi infanti hydropico adhuc in utero hærenti, quam etiam methodum B. Peu commendat in caſibus ſimilibus; credunt

enim

enim ex ſectæ principiis ac præjudiciis laudem omnem mereri hunc baptizandi modum recenter excogitatum.

§. 39.

Inquit etiam Michael Alberti *Syſtemat. Jurisprud. med. cap. 6. §. 3. pag. 126.* ſe noviſe caſum, ubi in patria obſtetrici cuidam propterea, quod ſuaſu parientis, quæ, ob pudorem paſtorem (putabat enim eum advenientem baptizaturum eſſe partum) admittere recuſabat, fœtum nondum totaliter ex ventre egreſſum, baptizaverat, pœnam carceris ad aliquot dies dictatam fuiſſe. Quod idem (ſcilicet fœtum baptizandum eſſe) etiam obſervandum eſt in eo caſu, ubi partus quidem perfectus, ab utero tamen puerperæ ob alia impedimenta ſeparari non poteſt. *aliud exemplum.*

§. 40.

Ad quæſtionem, num ii, qui exſecto ventre editi eodem cum liberis legitimo tempore natis, jure fruantur? Conradus Philippus Hoffmannus *de Puerper. Temporib. cap. 2. §. 22. pag. 45. ſeq.* reſpondet, quod ſic. Intelligendum vero hic, per fœtum exſectum, qui ex prægnante muliere, viva vel mortua, per ventris ſectionem, vivus vel mortuus eximitur, quem partum medici cæſareum vocant, & fœtus ſic extractos cæſones. Quamvis enim ejusmodi cæſones proprie nati haud vocari poſſint, attamen mulier, quæ exciſo ventre partum edidit, filium habere creditur ſecundum Ulpianum, ita & idem eundem rumpere teſtamentum & natum eſſe accipiendum ſcribit, & admitti ad legitimam matris hereditatem; & ſi qua prægnans deceſſerit; & utero exſecto partus ſit editus, partum illum in ea eſſe conditione, ut matris ſuæ bonorum poſſeſſionem accipere poſſit, imo eum, qui poſt teſtamentum matris factum exſecto ventre extractus eſt, querelam inofficioſi inſtituere poſſe, modo fœtus vivus extrahatur, cum alias mortuus pro non nato habeatur. *de exſectorum jure.*

SECTIO X.

De fœtu recens nato.

CAPUT I.

De

Fœtus recens nati ejulatu & loquela.

§. 1.

Fœtus ejulatus. DE fœtus utero materno adhuc incarcerati vagitu ſupra *in Embryolog. noſtr. Sect. II. c. 4.* prolixius egimus, hoc loco autem de ejusdem ex utero excreti ejulatu pauca adducemus. Scilicet circa partum notandum, quod ſimulac fœtus ex matris utero in mundum ingreditur, ipſo partus momento nativitatem ſuam vociferatione ſeu ploratu annunciet, vitamque ſtatim ab ejulatu auſpicetur, quod ſecundum Joh. Riolan. *Anthropograph. Lib. VI. cap. 11. fol. 403.* cum propter ambientis aëris contrarietatem, tum ut vagitu ſuo miſerrimum vitæ genus, quod ingreditur, teſtetur. An vero illi fœtus, quos mater in navi parit, uti ſecundum Plutarchi ſententiam, non vociferentur, fabuloſum non immerito dictus Riolanus putat.

§. 2.

quid ſignificat. Talem fœtus ejulatum ſanitatis ſuæ ſtatum indicare ſtatuunt mulieres ac medici, ſiquidem ſecundum Mich. Alberti *Introd. in univ. Medic. cap. 2. §. 121. p. 41.* ſanus infans cum clamore & vegeto ejulatu in lucem editur, debilis vero vel ſilet vel debiliter ejulat. Et Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mortuor. Diſſert. prælim.* §. 55. *pag. 39.* inquit: Quodſi vinculis uterinis ſolutus vitale lumen aſpexit fœtus, auras etiam vitales haurire incipit, ſubita vociferatione, niſi ſit debilis nativitatem ſuam annunciat, quod ab irrumpentis in fauces ac pulmones externi aëris impulſu tam valido ac inconſueto re

adeo

adeo inſolita, ipſo præſertim aëre inter exſpirandum primum reflexo arteria aſpera & fauces irritentur ac ſollicitentur, adeoque pulmones in perpetuo hactenus otio conſtituti & a ſanguinis craſſioris nutrimento purpurei, denſi & graves a ſuſcepto aëre albicant & leviores redduntur, perpetuoque damnantur motui.

§. 3.

De hoc fœtus ejulatu ita ſcribit Ludovicus Bonaciolus *item.* *de Fœt. format. cap. 8. pag. m. 312.* infans, quem inter tot animalium genera natura nudum & in nuda tellure ad vagitus natali die abjecit, mox cum exiit, nec antea, nempe quam egreditur, (tametſi cum difficulter foris caput, corpus totum intus fuerit) ab hoc lucis rudimento vocem emittit, flet atque vagitat, manus in os quamprimum inſerit: quippe quia ſuppliciis (ob hanc duntaxat culpam, quia natus ſit) vitam infeliciter infelicem auſpicetur. Et Michael Scotus *de ſecret. Natur. cap. 11. pag. m. 135.* inquit: Vir natus voce clamat o a, femina vero o e, quaſi maſculus dicat o Adam quare peccaſti? quia pro te patior miſeriam infinitam; & femina dicat in ſuo lamentabili cantu, o Eva quare peccaſti? nam tuo peccato paſſura ſum miſerabilem vitam in hoc mundo. Sic Claudius Deodatus *Panth. hygiaſtic. Lib. I. cap. 9. pag. m. 73.* vitæ humanæ miſeriam ita deſcribit: vigiliæ, mœrores, melancholiæ, libidines venereæ vitam abrumpunt totumque hominem tantis curis conficiunt, totque morbis ab ineunte ætate afficiunt, ut a prima ſui origine totus morbus videatur, unde prima naſcentium vox, vagitus eſt, cum lætitiæ ſenſus in quadrageſimum diem differatur. Sequens diſtichon extat in Johann. Rudolph. Camerarii *Syllog. Memorabil. Medicin. Centur. XI. pag. 875.*

Principium vitæ lachryma mediumque dolores,
Dicere vis finem, dixeris heu lachrymas.

§. 4.

fœtus reviviſcens clamat.

De fœtu mortuo in partu & ſemihorulæ ſpatio poſt reviviſcente atque clamante obſervatio extat apud eundem Camerarium *l. a. §. 27. pag. 877.* Uxor mea, quæ feliciter & facile alias pariebat, cum novam prolem paritura eſſet, quod obſtetrix ab ipſo partu alio avocabatur, ab opere feriari aliquot horas cœpit, & convocatis aliis duabus obſtetricibus difficillime pariebat filiolam mortuam, ad quam viſendam me mulieres vocant. Ego ſalvam puerperam cum gaudio, miſeram infantem filiolam mortuam, hinc & inde lividam triſtis intueor, & me colligens dico, malvaticum, quod habetis, calefacite, & ſeorſim tum hoc, tum aquam calidam adferte, addam aliquid, quo forte vita & calor nativus refocilletur. Infantem mortuum (ſemihorula ſane a partu elapſo tunc dicitur) jubeo in lavacrum, partim ex aqua, partim ex malvatico mixtum immitti, lavari ſenſim & pulverem cordialem, in cochleari, malvatico pleno diſſolutum, jubeo in os ſumere obſtetricem, & vehementi ac propiori afflatu in faciem infantis inſpuere. Factum & ſtatim clamat, reviviſcit, & diu poſtea vixit.

§. 5.

Ejulatus cauſas.

Hujus infantum ex utero prodeuntium ploratus cauſas multiplices collegit Caſp. a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Quæſt. LV. n. 3. pag. m. 684. ſeq.* Alii ſcilicet cœleſtium orbium motiones, quibus tenella corpuſcula commoveantur, tradiderunt: Soranus Epheſius, quod inſuetam tangat terram, & ſpiritus a luce concutiantur: alii, quod a lumine exterreantur: alii terræ revolutiones ridicule crediderunt, ac ideo mari & naſcentes non flere; quod tamen dubio procul fabuloſum docet experientia. Hujus etiam ploratus in infantium ortu cauſam, ſed nullo modo credibilem, afferre conatus eſt falſus ille Saracenorum propheta Mahomedus ſcribens, omnes in ortu plo-

plorare, quia Satanas illos tangat, cum primum naſcuntur, ideoque vociferari & plorare; addidit vero ſanctisſimam virginem, & illius filium Salvatorem noſtrum a tali Satanæ contactu ex omnibus, qui nati ſunt, tantummodo immunes fuiſſe. Tandem hoc inde provenire dixerunt alii, quod anima cœleſtium regionum extorris, terrenum quia corpus inhabitet, in fletum erumpat. Sed qui melius dixiſſe viſi ſunt, naſcentium ejulatus potiſſimam cauſam nullam aliam eſſe, quam ambientis aëris alterationem ab illo, qua in utero fruebantur, diverſam; cui ploratui multum adjuvat, quod ſpiritus ille ad illam usque horam in utero coërcitus, jam velut a carcere exeundi conceſſa facultate, impetu quodam feratur, ac ſubito proſiliens a luce exterritus, vagitum emittit.

§. 6.

Quandoque tamen etiam absque ejusmodi ploratu fœtus in lucem prodire teſtatur Henricus Smetius *Miſcellan. medic. Lib. X. pag. 530.* de filiolo ſuo Henrico, qui absque vagitu, mortuo ſimilis in lucem editus, quarto ab ortu die plures quam viginti paroxyſmos epilepticos, leves tamen, intra quindecim horarum ſpatium patiebatur. Fortaſſe autem dictum filiolum, dum naſcebatur, ſimilis affectus invaſit, quo ligatis ſenſibus & oppreſſa animali, nec vagire, nec cauſas, quæ hujus ploratus in ipſo partu omnibus infantibus communes aſſignantur, percipere potuit; unde nihil mirum, ſi a ſenſibus abſtractus, aut præ debilitate, caſuve alio impeditus, vagitum edere non potuerit. vid. Caſp. a Reies *loc. alleg.* *non ſemper obſervatur.*

§. 7.

Miraculis vero adſcribendum, quod nonnulli autores de loquela infantum referunt; de infantibus ſcilicet locutis ſcribit Heinricus Kornmannus *de Miracul. vivor. pag. 94.* miracula fuere, quando infantes, quibus nec mens aut rerum ulla *fœtus loquens.*

cogni-

cognitio ineſt, nec linguæ ullus uſus, locuti ſunt magno hominum commodo. Sicuti de Daniele abbate contigiſſe narrat Sophronius Prat. Spiritus *cap. 114.* Cum enim Daniel inſimularetur, ab adverſariis adulterii, quoniam cum quidam prolis ſterilitatem paterentur in conjugio, ac per Danielis orationem prolem ſuſcepiſſent, retorquebant adverſarii quidam turpitudinem in ipſum beatum virum. At ipſe accedens ad infantem jam viginti quinque diebus tantum in lucem editum, interrogat coram omnibus: num ego pater tuus ſum, an alius? infans apertis verbis & nutibus patrem verum oſtendit. Cui rei & alia accedit, cum Britius epiſcopus ejusdem criminis inſimularetur, ſimili interrogatione ab infante apertis verbis purgatus eſt. Item pepererat ex inceſtu mulier quædam, æmuli Sergii papæ in eum culpam referebant, caſtitati ejus labem inurentes, at ſanctus Anshelmus, epiſcopus, pontificis Romani famam labefactari minime paſſus, ita ad domum infantis, nonum diem nondum agentis, interrogat jubetque ut aperiat ſuis verbis, ſi ſit Sergii pontificis Romani filius? Reſpondit infans abſolutiſſimo ſermone: Sergium pontificem Romanum eo ſcelere immunem eſſe, nihil illum cum venere commercii habere. Inquit etiam Lazarus Riverius *Obſervat. medic. Cent. II. Obſervat. 100. pag. m. 181.* apud Schenckium quasdam hiſtorias proponi infantium per biennium in utero geſtatorum, qui ſtatim ac in lucem editi eſſent, & loqui & incedere cœperint. Haſce tamen hiſtorias fabulas eſſe aſſerit, quia nemo neſcit, loquelam eſſe ex diſciplina. Et ſecundum Caſpar. a Reies *l. a. n. 22. pag. m. 693.* quod ajunt de infantibus, ab ortu ſtatim loquentibus, quod naturaliter loqui aliquando potuerint, & non ſemper ex miraculo, probabile aliquo modo non videtur; cum ſi ſtatim, ſive intra ſemeſtre ſpatium naturaliter loqui impoſſibile ſit, quousque advertere & aliqua verba addiſcere queant, ut illa proferre poſſint; quod adhuc in præcocioribus, & in illis, in quibus natura actiones ſuas accelerat, rariſ-

rariſſime ante annum viſitur, nec balbutiendo quidem aliquid proferre articulatum, ut propterea merito pro miraculo habeatur, ſi non ſolum ab ortu, ſed primis diebus aut menſibus, usque ad duodecimum loqui accidat: quare non immerito apud Esdram *Lib IV. cap. 6.* inter ſigna miraculoſa venturi judicii hoc annumeratur, quod anniculi infantes vocibus ſuis loquentur; quæ ſane loquendi præcocitas prodigioſa erit, & totius orbis tragœdiæ omen infauſtum. Hanc hiſtoriam de infante loquente allegavit etiam Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirabil. Lib. IV. cap. 13. pag. 373.* inquiens: Albertus Kranzius in confutatione legum cujusdam Germanicæ in calce hiſtoriæ eccleſiaſticæ meminit ex duce Baruch Vandalo uxorem concepiſſe & biennio prægnantem fuiſſe, & parturiiſſe infantem gradientem & loquentem. Et Conradus Philippus Hoffmannus *de Puerper. Tempor. Cap. 2. §. 18. pag. m. 42.* de hac hiſtoria ſcribit: Sub Henrico V. feminam per biennium partum in utero geſſiſſe, qui poſtquam editus mox articulatas voces protulit, refert anonymus quidam medicus *im Hiſtoriſchen Schauplatz allerhand wundernswürdiger natürlichen Curioſitæten.* Sed hæc ex anilibus fabulis deſumpta eſſe videntur, nec ullam veri ſpeciem habent.

§. 8.

Aliud exemplum fœtus die quadrageſimo per miraculum loquentis, recenſet Christophorus Lehmannus *Chronic. Spirenſ. Lib. III. Cap. 14. fol. m. 189.* his verbis: *Kœnig* Dagobertus Magnus *hat zween Sœhne verlaſſen,* Clodoveum, *von ſeinem Gemahl* Mathilde, *Sæchſiſchen Geſchlechts, und den andern von ſeiner Concubin Regintruden, Sigebert genannt, welcher gebohren im Jahr 633. und ſchreiben* Regino *und* Sigeb. *als er vierzig Tage alt geweſen, und von* Amando, *Biſchoffen zu Utrecht, in* Caſtro Rubeaquenſi *im Schloß Eiſenburg getaufft, und nach dem Gebet ausm Umſtand niemand Amen geſagt, habe das Kind mit aus-* *aliud exemplum.*

drücklicher Stimme Amen geſprochen. Reginonis *Worte ſind dieſe:* finita oratione, cum nemo reſpondiſſet Amen, aperuit Deus os pueri, qui non amplius, quam quadraginta dies habebat, & cunctis audientibus reſpondit, Amen. Plura exempla recen-

& alia. ſet etiam Johannes Rudolphus Camerarius *Syllog. memorabil. medicin. Cent. XI. n. 25. pag. 876. ſeq.* it. Lud. Cælius Rhodig. *Lection. antiqu. Lib. XXIX. cap. 14. fol. 1123.*

§. 9.

fœtus reviviſcens. Accidit etiam interdum, ut, licet fœtus poſt excluſionem vita fruatur, nullum tamen ploratum edat, ſed quaſi mortuus per tempus deprehendatur, nihilominus tamen reviviſcat, ſed variis modis obſtetricium & adſtantium muliercularum, vel etiam medicorum ope in vitam revocetur, quale exemplum filiolæ quaſi mortuæ atque hincinde lividæ, paulo poſt per aquam & vinum malvaticum, pro balneo & propiori in fœtus faciem inflatu & inſpuitione adhibitum, ad vitam excitatæ, ex Johann. Rudolph. Camerarii Memorabilibus, in paragrapho quarto adduximus.

§. 10.

per ſuctionem. Alium infantis a partu difficili quaſi emortui in vitam reſtitutionis modum refert Johannes Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſerv. 121. pag. 242.* inquiens: quotidiana experientia probat, ſæpius infantes in partu adeo, ut nec vitæ minimum indicium ineſſe appareat, debilitari: inque ejusmodi caſu, ut puſioni vitam reſtituant, nihil intentatum mulierum grex relinquit; aſt vix medium eo præſentius ſuppetit, quo vitæ, qua talis infans privatus videtur, reſtitui queat, quam ſi nutrix in infante debilitato ſugat papillam ſiniſtræ mammæ, hoc facto illico infans ad ſe redit vitæque indicia præbet. Accidit hic Kiliæ anno 1686. die 24. Junii Heinrichii Wancken, civis & ſartoris, conjux filium maſculum adeo in partu debilitatum (quoniam tres integras horas in partu humeris

meris innixus hæſerat) enixa ſit, utque penitus mortuus videretur, & quicquid etiam molirentur præſentes prudentesque matronæ, ſive vellicarent, ſive ſetis pungerent, ſive afflarent inflarentque, omnia incaſſum tentata, nullum vitæ teſtimonium præbuit. Tandem cum nutrix papulam ſiniſtræ mammæ in infante ſugeret, illico vitæ reddi viſus. Idem remedium etiam ante in quodam ejusdem feminæ infante dextra ſucceſſerat, hocque conſilium primo dedit quædam vetula ruſtica. Hujusque remedii ætiologia (Hannemanni arbitratu) in hoc ſita eſt, ſcilicet ſuctione illa aperiri poros mammæ, per quos datur exitus vapori, qui cor obruit & angit, & ſanguis, qui circa cor hæret, illudque premit, ab eo evellitur, ſimulque calore ſuctionis liqueſcit, ne prorſus grumeſcat. Aliud ſimile exemplum recenſet Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſerv. 59. pag. 145.* ſcilicet uxori cuidam gravidæ accedunt dolores partus ſat acerbi, protracti ad duodecim horas: infans hærebat in collo uteri, & ob viarum anguſtiam exire prohibebatur: tandem, benedicente Deo, & omni opera adhibita, prodibat infans, ut videbatur, exanimis. Obſtetrix cum adſtantibus omnia in hoc caſu conſueta advocant & applicant, ſed fruſtra, tandem tribus vicibus papillam ſiniſtram puelli, fœdati licet impuritate uterina, valide ſugit, & tertia vice motus in abdomine & veluti flatulentia ſe exerit cum acceſſu vitæ. Digna hæc eſt obſervatio, ut omnibus obſtetricibus notificetur. Eadem felicitate in alia adminiſtravit femina obſtetrix noſtra. Modo allegatus Hannemannus etiam ibidem *An. 7. Obſerv. 67. pag. 126.* obſtetricis meminit, quæ cum ab ipſo interrogaretur, quomodo ejusmodi debilitatis puſillis ſubveniret, reſpondit, ſuctione papillæ ſiniſtræ mammæ, eaque methodo jam paucis ante diebus duos ferme emortuos in pago *kleinen Flinbeck*, reſtituiſſe vitæque aſſeruiſſe dicebat. Si deliquium patiatur infans recens natus, ut ſe recolligat, juxta Henric. a Deventer *Art. Obſtetric. Cap. 28. p. 125.* omnia adhibenda ſunt, utpote ſetaceo plantam fricare, ce-

pam contuſam naribus admovere, vinum faciei, naribus, oculis auribusque inſpergere, & ſi qua alia adhiberi ſolent.

§. II.

fœtus balneum. Ordinarie vero fœtus in lucem editus mature a funiculo umbilicali per obſtetricem liberandus, & congrua deligatione atque abſciſſione in vita conſervandus demumque ab adhærentibus ſordibus mucidis per balneum abluendus eſt, ne in cutis ſuperficie exareſcentes ſordes varias eroſiones cauſentur. Circa quod fœtus recens nati balneum, imprimis ſi prægnans mater morbillis vel variolis laborans infantem per totum corpus morbillis vel variolis contaminatum peperit, (qualia exempla ſupra *Sect. III. cap. 1. §. 4.* adduximus) Guilhelmus Fabricius Hild. *Obſervat. Chirurg. Cent. IV. Obſervat. 56. fol. m. 328.* admonet, tales infantes recens editos aqua tepida non eſſe abluendos, ſiquidem ejusmodi fœtus tali modo cerebrum humidiſſimum acceperit & catarrhis obnoxius fuerit; id quod præcipue inde accidiſſe Fabricio Hildano veriſimile eſt, quod obſtetrix & adſtantes mulierculæ (quemadmodum mater ipſi retulit) infantulum aqua tepida ſtatim poſt partum abluerunt. Aqua enim, (pergit idem autor) cum ſit potentia frigida, materiam morbillorum verſus interiora, non ſine maximo damno, repulit. Quodcunque enim corporis malum ab exterioribus & ignobilioribus partibus verti ad interiora ut ad partes principes, atteſtante Hippocrate, periculoſum eſt & aliquando mortem adfert: humor enim morbificus ad partes principes propellitur. Hinc videre licet, quam pernicioſum, infantulos recenter natos, aqua quamvis tepida abluere. Scribit etiam Eberhardus Gockelius *Gallicin. medic. pract. Conſil. med. Cent. II. Conſ. 14. pag. 426.* infans poſt partum in aqua, cui vinum & lac permixtum ſit, lavetur, & a ſordibus repurgetur, & poſt unumquodvis balneum caput & cervix panno ſcarlato, vel laneo rubro, in vinum calidum intincto, fricetur. Balneum vero

vero ex vino infantibus a quacunque cauſa eroſis vel excorticatis, noxium eſſe, probat Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſervat. 117. pag. 296. ſeq.* quo loco de infante agit, cui a balneo vini gangræna fuit inducta. Scilicet obſtetrix imprudenter manum utero admovit & dextrum fœtus brachium ab axilla usque ad digitos excoriatum eduxit, qui tamen fœtus poſtea dictum brachium intra uterum retraxit & quatriduo poſt doloribus ingraveſcentibus feliciter in lucem prodiit; hunc puſionem excoriatum mulierculæ balneo e vino fortiori immiſerunt, unde inflammatio & puſtulæ ac convulſiones obortæ, ut triduo poſt accedente gangræna occubuerit. Et in Scholio ejusdem obſervationis *p. 299.* idem Muraltus de infantum recens natorum balneo ſequentia addit: Infantes nuper nati, poſtquam umbilicus ligatus abſciſſus eſt, in balneum immittuntur, ut cruſta mollis & caſeoſa corpuſculi ſuperficiem obducens abſcedat, & infans in partu nonnihil refrigeratus, fotu iſto calefiat viresque recuperet: paratur balneum e lacte, aqua & vini modico, ut blanda contingat alteratio. Si abraſa fuerit cuticula aut excoriata membra, oleo roſaceo ſuccurrendum eſt, vel emplaſtro gryſeo: nam vinum tunc non conducit, quia calore & acrimonia ſua tenellum corpuſculum affligit, & dolorem, inflammationem, convulſiones, tandemque gangrænam funeſtam excitat &c. Lacedæmonios puerorum corpora aqua frigida ad tolerandos æſtus atque algores obduraſſe, ait Henricus Salmuth Comment. in Guidon. Pancirol. *Rer. memorab. Lib. II. Tit. 10. pag. 197.* ita pergens, unde Virgilius:

Durum a ſtirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus ſævoque gelu duramus, & undis.

Id quod & Seneca confirmat inquiens: Eurotam amnem, qui Spartam circumfluit, pueritiam indurare ad futuræ militiæ patientiam. Germani recens natos pueros Rheno immergebant,

bant, & ipſi quidem; ſed hoc fine, ut matris pudicitiam ita explorarent. Nam id Rheni prædicabatur ingenitum, ut legitimos partus in tremulas genitricis manus ſubveheret illæſos, tanquam intemeratæ pudicitiæ teſtis; adulterinos vero vel ſpurios, veluti juſtus adulterii vindex abſorberet &c.

CAPUT II.

De *Funiculi umbilicalis deligatione.*

§. 1.

Funiculi umbilicalis ligatura.

Cum funiculi umbilicalis, de quo jam ſupra *Sect. I. cap. 3.* pluribus egimus, ex duplici arteria & una vena &c. conſtantis, uſus in eo conſiſtat, ut juxta J. Frid. Ortlob. *Hiſtor. Part. Diſſert. XXXVI. §. 10. pag. 285.* embryoni alimoniam a placenta uterina adducat, arteriæ vero ſuperfluum ſuccum alibilem reducant, talis autem uſus poſt fœtus excluſionem penitus ceſſet, ideo dictus funiculus juxta paragraphum antecedentem abſcindendus, atque, ne lethalis hæmorrhagia ſubſequatur, bene deligandus eſt.

§. 2.

modus obſtrictionis juxta Deventer.

Licet autem talis recens nati infantis venæ umbilicalis conſtrictio atque abſciſſio ſatis nota ſit, atque ad omnes obſtetrices non ſolum, ſed & vulgares feminas pervulgata, de ea tamen Henricus a Deventer *Art. obſtetric. cap. 28. pag. m. 125.* ita ſcribit: Conſtrictio fieri poterit quadruplici vel ſextuplici filo lineo craſſiore, vel hoc non ſuppetente, lino aliquantulum contorto; ſed cavendum, ne miſceantur fibræ lini inæquales, quæ nimis inciderent; neque nexus nimium conſtringantur, ne vena umbilicalis tenerorum præcipue aut præmature editorum infantum perſecetur: probe curandum, ut vena arcte ſatis conſtricta ſit; ſi enim adhuc aliquid ſanguinis exſtillet, denuo liganda foret, ſive eodem loco, ſive propius infantis umbi-

umbilicum, quare præſtat filum circumvolvere non proxime corpus infantis, ſed ad minimum ſpatium duorum digitorum latitudine intercedere convenit. Quædam ſanguinem prius e vena umbilicali in ventrem promovent infantis, quod malum inferre poterit, ſi forte ſanguis concretus fuerit, ideoque tutius omittitur. Quædam haud abs re nolunt venam conſtringi ante editum ab infante vagitum, aut redditam urinam, at vero nimia mora interpoſita non ceſſandum eſt. Si vena umbilicalis jam conſtricta flatibus turgeat, relaxanda, flatibusque emisſis denuo conſtringenda eſt, neque proxime nexum, ſed poſt unius pollicis duorumve digitorum latitudinem vena abſcindenda; longiore enim non opus eſt, cum non niſi perfrigeret infantem: optime omnium agunt, qui venam duobus locis conſtrictam intermedio diſſecant, a fruſtranea ſanguinis effuſione tuti. Neque vena nuda nudo corpori infantis imponenda, ſed duplici vel quadruplici panno involvenda, quo a frigore infans & dolore ventris tueatur.

§. 3.

Secundum Chriſt. Joh. Langii *Phyſiolog. Theſ. XLI. Oper. Part. I. fol. 254.* poſt ſecundinarum extractionem arripitur digitis funiculus umbilicalis, ſanguisque omnis intra vaſa ejus hærens a placenta verſus fœtum pellitur, vinculoque ex filo cannabino duplicato aut quadruplicato leniterque torto ſpatio ab inſertione in abdomen latitudine pollicis relicto conſtringitur, duplicique nodo, non tamen nimium arcte, ne diſſecetur penitus funiculus, nec nimium laxe, ne ſanguis exſtillet, firmatur. Supra hanc ligaturam vero portio funiculi adhuc relinquitur ad ſpithamæ longitudinem, ubi forfice reſecatur. *juxta Langium.*

§. 4.

De hac operatione ita ſcribit P. Dionis *dés Operat. de Chirurgie Demonſtrat. II. p. m. 63.* L'on prend du fil, que l'on *Dionis.*

ploye

ployé en cinq ou ſix doubles, & dela longueur d'environ un pied; l'on fait un nœud a chaque bout de ces fils pour les tenir enſemble, & empêcher, qu'ils ne s'entremêlent en faiſant la ligature; de ce fil ainſi apprêté on lie le cordon à deux travers de doigts prés du nombril de l'enfant, & l'on fait un double nœud d'abord: puis retournant le fils de l'autre côté, l'on y fait encore un ſemblable nœud que l'on recommence une troiſiéme fois pour plus grande ſureté; enſuite l'on coupe avec de bons ciſeaux ce cordon à un doigt au-delà dela ligature, en ſorte qu'il ne reſte du cordon au ventre de l'enfant, que la longueur de trois doigts. Cette ligature doit être mediocrement ſerrée, car ſi elle l'étoit trop, elle pourroit couper le cordon, principalement, quand on la fait avec du fil fin; ce pourquoi l'un prend ordinairement de gros fil: il ne faut pas auſſi qu'elle ſoit trop lâche, de crainte que le ſang ne s'échappe; ce qui cauſeroit la mort à l'enfant, avant qu'on ſe fut apperçu de cet ecoulement; parceque l'enfant ſe trouve alors emmaillotté, & cela n'eſt arrivé que trop ſouvent. L'on obſerve donc une milieu entre ces deux extremitez, & l'on examine après la ligature faite, & le cordon coupé, s'il ne ſort point de ſang; ce qui ſera une preuve evidente, que l'operation eſt bien executée. vid. etiam Fr. Mauriceau *des Malad. des femmes groſſes Lib. III. cap. 16. p. m. 507. ſeq.*

§. 5.

a ligaturæ laxatione mors. Ab ejusmodi autem funiculi umbilicalis deligatione non ſufficienter conſtricta modo periculoſam, modo etiam lethalem oriri hæmorrhagiam, multi confirmant autores; Poſt ſanguinis ſcilicet ex umbilico infantuli profluvium totius corporis imbecillitatem ac tandem mortem obſervavit Guilhelmus Fabricius Hildanus *Obſervat. chir. Cent. I. Obſ. 52. fol. 44.* inquiens: Obſtetrices parum exercitatæ ſolent nonnunquam infantulorum vaſa umbilicalia aut nimis ſtricte ligare, ut citius abſcindantur: aut nimis laxe, ut ligatura non ſatis

ſatis retinere poſſit ſanguinem. Id quod Coloniæ in duobus infantulis nobilisſimæ matronæ accidiſſe memini; quorum vires naturales, vitalesve, ex hujusmodi hæmorrhagia adeo fuerunt exhauſtæ, ut nullo modo refici potuerint, donec tandem languidi e vita deceſſerint. Erunt itaque filo ſæpius duplicato diligenter liganda vaſa illa.

§. 6.

Quamvis etiam ſtatim poſt partum funiculus umbilicalis ab obſtetrice optime fuerit deligatus, minime tamen talis infans ſequentibus diebus ſemper ab hæmorrhagia manet immunis, ſiquidem ipſe infantis cujusdam & quidem puellæ memini, quæ primum ſatis vegeta tertio demum a partu die poſt baptiſmum puerperæ ſeu matri tradita, pallida admodum ſummeque debilis videbatur, quod procul dubio a primæ funiculi umbilicalis ligaturæ, in nova ante baptiſmum infantis involutione, facta relaxatione indeque ſucceſſiva ſanguinis profuſione oriebatur; ſiquidem cum ſtatim a partu requiſitus eſſem, extemplo faſcias ſeu lintea revolvi curabam, in qua revolutione dicta lintea cruenta nimis erant, ipſaque funiculi deligatio a priori ligatura differens & relaxata apparebat. Licet etiam eundem de novo & legitime per præſentem obſtetricem fieri juberem, ob præcedentem tamen ſanguinis profuſionem admodum debilitata filiola poſt tres circiter horas animulam efflabat. *Obſervatio.*

§. 7.

Talem hæmorrhagiam umbilicalium vaſorum in recens natis lethalem annotavit etiam Jacobus Wolffius *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſervat. 193. pag. 365. ſeq.* inquiens: Non procul ab Altenburgo anno 1672. D. M. J. P. natus fuit infans ſatis firmus ac vitalis; qui more ſolito poſt tractationem ab obſtetrice rite peractam, faſciis atque pulvillis involutus *exempla alia.*

quieti commiſſus fuit. En vero poſt longius aliquanto tempus revolutus pauliſper involucris iſtis, undique ſanguis effluens conſpectus, & infans penitus poſtea detectus vita privatus fuit obſervatus, quin inſperato, & nemine opinante ex corpuſculo ipſius ſanguis prorupit intra ligaturam aliquanto remotiorem, in vaſis umbilicalibus inſtitutam. Idem illud dictum pene accidit Altenburgi d. 8. Octobris 1678. in filiola nuper nata ; poſt obſtetricis enim operationes legitime peractas, ſtragulis & lectulo, mediantibus faſciis, illa involuta, & penes fornacem poſita fuit, proximo die ad ſacri baptiſmatis lavacrum promovenda. Monuit vero ſingulari (& fortaſſis divino) inſtinctu mota matrona quæpiam pia & alioquin puerorum tractatione erudita, ut infans iſta probe obſervaretur, ne periculum paterentur vaſa umbilicalia ; cui deſiderio vel præcepto tandem mulierculæ reliquæ (nihil plane mali ominantes) annuerunt. Verum ſimiliter, propter cauſam antea dictam, hanc recens natam detectam ſanguine circumfuſam, valde languentem, vitamque ipſius admodum vacillantem deprehenderunt ; unde parentes coacti fuerunt noctu accerſere ſacramentum baptiſmatis. Deinde pergit idem autor: hoc licet rarius contingat, attentionem tamen meretur ; ſuaderem itaque, ut recens natorum vaſa umbilicalia, & quidem diſtinctis in locis bis aut ter ligarentur, præcipue etiam prope umbilicum, ne ſemel ſolum vaſa iſta in parte extrema ligata rupta forſan in medio poſtea ſanguinem cum vita emittant. Imo linteola munda ſicca, & ſubinde repetita, vel ſola, vel pulvere quopiam mox dicendo, conſperſa circa vaſa iſta volvi poſſent, quo citius exſiccarentur eadem vaſa, pro metu dicto melius declinando. Inſpectione crebra atque curata itidem magiſque indiget nuper natus, & nondum quidem baptiſmatis ſacra unda regeneratus, quam denati funus, qualis corporis exanimis tam ſæpe major cura habetur, quam animati illius

lius & animæ ipſius. Imo opus foret, ut obſtetrices inter alia etiam ſtypticum pulverem ex terra ſigillata, cornu cervi uſto, ceruſſa, radice tormentillæ &c. vel fungum chirurgorum iſtiusmodi pro necesſitate in promptu haberent. Sequentem pulverem pro hoc ſcopo commendat Guilhelmus Fabricius, Hild. *l. a.* ℞. Aloes, thuris, ſanguinis draconis ana ℨj. Cornu cervi uſti, terræ ſigillatæ, farinæ volatilis, ana ℨij. Pilorum leporum minutisſime inciſorum ℨß. M. f. Pulvis.

§. 8.

De hac funiculi umbilicalis deligatione atque reſectione, ſequentia refert Johannes Zellerus *Diſput. de vit. human. ex fune pendent. cap. 2. pag. 10.* Non ligato funiculo umbilicali humano, vel laxata tantum ejus ligatura, culpa vel vinculi, vel obſtetricis, vel funiculi, *wenn er zu maſt*, ut loquuntur, ut ordinarium vinculum non ſufficiat &c. vel parte ejus aliqua tertio aut quarto demum die abſciſſa, mox magis vel minus pro rei circumſtantiis prorupiſſe ſanguinem, ſequente deliquio animi, pallore &c. aliquot hoc expertæ teſtatæ mihi ſunt feminæ. Factum eſt e. g. inter alia, ut, ubi obſtetrix Bacchi nectare nimium irrigata ſui officii oblita nullum injecerat funiculo vinculum, paulo poſt puerpera infantem vultu palleſcere obſervarit, neſcia quidem neglectæ ligaturæ; jubet tamen mox adſtantes proſpicere de funiculo, quem illæ inſpicientes deprehendunt non ligatum, inſignemque jam profuſam ſanguinis copiam, e veſtigio ergo iſtum conſtringunt, ſicque adhuc novellum huncce periculo eripiunt. Aliud novi exemplum, ubi non arcte ſatis conſtricto funiculo tantum ſanguinis brevi effluxit, ut jamdum mors immineret. Aliud, ubi per noctem ſenſim ſenſimque tantum exſtillavit, ut mane infans fere ſuo innatarit ſanguini. Jurata etiam obſtetrix Tubingenſis ſancte mihi affirmavit, ſe meminiſſe, duos fœtus unius obſtetricis culpa eodem modo, neglecta ligatura *item.*

 nimia

nimia hæmorrhagia fuiſſe extinctos. Item pergit idem autor *pag. 11.* cum aliquando obſtetrice hujus loci (Tubingæ) fœtum ſinu (nondum ligato funiculo) excipiente, & ſcabello, cui inſidebat, improviſo ſubducto, in tergum humi recidente, adeo tenderetur funiculus, ut prope abdomen fere diſrumperetur, impetuoſe mox exſiliit ſanguis, cita autem ligatura repreſſus. Refert etiam Franciſcus Mauriceau *l. a. pag. 509.* quod, cum aliquando detumeſcente funiculo umbilicali aliquantum craſſiore laxatum fuerit vinculum, ſecundo a partu die, ſanguis ea effluxerit copia, ut natus una cum ſanguine vitam amiſerit.

§. 9.

Funiculus infra ligaturam reſectus.

A nimia umbilici reſectione infantis mortem oriri, ex Ammiano Marcellino probat Daniel Beckherus *Microcoſm. medic. Lib. I. cap. 8. pag. m. 27.* & quidem exemplo fœtus, cui vaſa umbilicalia juxta erant præciſa. Helena ſcilicet ſoror Conſtantini, Juliani Cæſaris conjunx, cum in Galliis marem genuiſſet, infantem hoc perdidit dolo, quod obſtetrix corrupta mercede, mox natum præſecto, plusquam convenerat, umbilico, necavit. Infantem quoque, cui obſtetrix funiculum umbilicalem infra ligaturam diſciderat, ob hæmorrhagiam quaſi ſubito exſpiraſſe, recenſet Jobus a Meekren *Obſervat. med. chir. cap. 47. pag. 202.* admonens, non eſſe abſciſſionem ejus inſtituendam ſpatio eo, quod eſt inter ligaturam & abdomen fœtus, ſed eo, quod eſt inter ligaturam & ſecundinas, ne, apertis vaſis umbilicalibus, ſanguinis ſequatur fluxus nimius, hinc mors ipſa. Facit huc obſervatio, quæ in puerpera quadam, rerum circa partum agendarum imperita, occurrit, hæc ex alio imprægnata, inſcio viro, imo nulla præſente obſtetrice, aut muliere alia, ſarcinam hanc deponere conſtituerat, prodit fœtus, reſecandum eſſe funiculum umbilicalem, ligandumque quam probe cognoſcebat, ita, quo loco id inſti-

tuen-

tuendum, plane ignorabat; forficis enim ope diſſectionem inſtituebat ſpatio eo, quod eſt inter vinculum injectum & ventrem fœtus, mox ſanguine rivuloſe effluente, interibat fœtus. Et pagina ſequenti dictus autor ita pergit: ligatura laxior ſi fuerit, ſic ut ſanguis ad exteriora moveri aliquo modo queat, licet non ea quantitate, ut ejus ſequatur exſtillatio, non raro excreſcentiæ exoriuntur carneæ, quæ ſæpius magnitudinem craſſitiemque inſignem aſſumunt, niſi inhibuerit chirurgus. Ad harum ſublationem ligatura injicienda, hinc vitriolum cyprium applicandum; & hac methodo non ſolum in recens natis, ſed & adultioribus cum fructu proceſſimus. Puerulo cuidam, mercatoris cujusdam Angli filio, ex laxiore umbilicalis funiculi conſtrictione in tantam longitudinem crasſitiemque umbilicus excreverat, ut virgæ virili ſimilior quam umbilico; hic abſcisſione præmiſſa, vitriolo primo utebamur cyprio, hinc plumaceolum, quo adſtringens pulvis erat exceptus, applicabamus, ſuperim poſito emplaſtro vulgari. Et horum mediorum ope brevi curatio peracta. Magnitudinem, crasſitiem & longitudinem funiculi umbilicalis indurati, abſcisſi, figura ibidem appicta adumbrat. De ligaturæ funiculi umbilicalis in homine necesſitate, & de quæſtione, cur in brutis omiſſam ligaturam nulla ſequatur hæmorrhagia, pluribus agit Joh. Zellerus *l. a. cap. 3. pag. 14. ſeqq.*

§. 10.

Quandoque funiculus umbilicalis tam proxime a corpore avellitur, ut nulla ejusdem deligatio fieri queat, quale exemplum in Act. Medicor. Berolin. *Dec. I. Vol. II. pag. 121.* legere licet: Anno ſcilicet 1717. menſe Decembri die 24. in curia Friderico-Werderiana infans, puellus completus & recens, rubicundus, partus Mariæ Pulman, ætatis 26. annorum, quem mortuum in ciſtam ſcriniariam abſconderat, judicialiter inſpiciebatur. Involutus erat infans in nonnullis ve- *Funiculus a corpore abruptus.*

tuſtis & laceris linteis, mundis tamen, involucris, quæ a ſanguine, ex ipſo umbilico effuſo, undique maculata erant. Funiculus enim umbilicalis tam prope ab ipſo corpore abruptus erat, ut neceſſariæ deligationis inſtitutio locum habere penitus non poſſet. *obſervatio.* Quamvis autem juxta locum allegatum & experientiam ejuſmodi funis umbilicalis a corpore avulſionem, hincque impoſſibilem deligationem lethalis hæmorrhagia inſequi ſoleat, memini tamen ante viginti aliquot annos in orphanotrophio ſeu potius illa domo, qua recens nati & expoſiti infantes ſuſcipi ac educari ſolent, (*im Findelhauſe*) puerum quendam, octo circiter annorum vidiſſe, in quo nullum umbilici ſignum ſive ejusdem conſtrictio apparebat, ſed ſolummodo læves duæ membranæ, inſtar chartæ non adeo craſſæ ſibi quaſi invicem conglutinatæ ibidem loci videbantur; cauſam vero hujus umbilici defectus, an a funiculi avulſione vel alio caſu acciderit, a nemine reſciſcere nec explorare potui.

§. 11.

ab umbilici reſeratione prolapſus inteſtinorum.

Non autem tantummodo in recens natis, ſed adultioribus quoque infantibus umbilici reſeratio periculoſa excitat ſymptomata, ſiquidem annotante Jobo a Meekren *Obſervat. medico-chirurg. cap. 6. pag. 50. ſeq.* laxior debito vaſorum umbilicalium conſtrictio cauſa fuit in filiolo Danielis Kliſteri octo annorum infante prolapſus inteſtinorum extra ventris cavum, ſpectaculo ſane horrendo; Reſerato enim umbilico inteſtina tenuia omnia extrorſum dimota, ſic ut abdomini incumberent; res ſane curationis difficillimæ, ſi ullius. Augebatur malum, quoties enema carminativum injiceretur. Per viginti quatuor horas in hoc ſtatu vixit, miſere admodum, infans hic, at tempore hoc elapſo, relictus ab omnibus, interiit.

§. 12.

Cutis circa umbilicum fœtus defectum eſſe lethalem, ait

ait Fredericus Ruyſchius *Obſervat. anatomico - chirurg. 71. p. 92.* his verbis : Multoties infantulos vide in lucem editos, quibus abdominis cutis & muſculorum pars in ambitu funiculi deerant, magnitudine ſolidi argentei (Belgice een Schelling) ita ut inteſtina eo loco tenuiſſima tantum pellicula tegerentur : vide *Fig. 59.* Hunc affectum ſæpius a me viſum, aſt nunquam curatum memini. Omnes enim ab utero ad tumulum delati fuere quinto, ſexto, ſeptimo, octavo aut nono die. Iſte affectus ab aliis audit hernia umbilicalis, antequam umbilicus exiſtat, quemadmodum in recenter natis, in quibus nullus umbilicus, niſi in tam larga ſignificatione hanc ſumſeris vocem, uti nonnulli fecere, qui funiculum umbilicalem ſubinde umbilicum nominarunt. Umbilicus proprie loquendo eſt rugoſa illa particula cutanea in abdominis medio prominens, quæ poſt nativitatem decidente funiculi particula remanet ſæpisſimeque ſummopere extenditur, & hernia umbilicalis audit. Hic vero habemus morbum in numero; cutis enim & cuti ſubſtrati muſculi in funiculi umbilicalis ambitu deficiunt, unde funiculus umbilicalis ſeſe quoque circa inſertionem in abdomen ita extendit, ut pellicula tantum videatur inteſtinaque tranſpareant. Hic affectus omnem perfectam curationem eludit, itaque palliativa inſtituenda, ſolo emplaſtro diapompholigos, aut ſimili, quod nullam obtinet tenacitatem, ne nimis parti teneræ adhærens viſcerum eruptioni occaſionem præbeat. *Cutis circa umbilicum defectus.*

15.

De funiculo umbilicali non corrupto in fœtu ſano ab obſtetrice per imprudentiam in partu diſrupto ſequens obſervatio in Jacobi van Hervelt *Geneeskundige Anmerchingen Obſervat. 8. pag. m. 20.* refertur, van een Vrouw, by welke de Navel-ſtreng in 't baaren door onvoorzichtigheid van Vroed- *funiculus diſruptus.*

vrouw

vrouw gebroocken, de vrouw met na-geboort deed ſterven. Een zeeker Vrouw daar ik gehaald wierd, was voor eenige uuren van een gezond en levend Kind verloſt, waar na ſluks de Mœder sloot, en de heele na-geboorte by de Vrouw bleef, na dat de Vrœd-vrouw de Navel-ſtreng aan twe had getrokken, ſœkende my en de Vrouwen wys te maaken, dat de ſtreng verrot en van ze zelfs gebrooken was; doch als ik haar zeide, ſalks in een gezoond en welwaarend Kind abſoluit onmogelyk te zien, en dat het Kind gezond en leevend zynde, den ſtreng geenzins kon verrot zyn, zo ſtondze bekaayt. Alia funiculi diſrupti exempla recenſet François Mauriceau *Obſervat. ſur la Groſſeſſe, Obſervat. 158. pag. m. 88.* Le 27. Fevrier 1676. je vis une femme accouchée depuis trois jours, qui reſſentoit de tres grandes douleurs dans le ventre, & particulierement vers la region dela matrice, qui eſtoit fort tumefiée & tres-douloureuſe, à cauſe dela violence, que ſa ſagefemme luy avoit faite pour la delivrer de ſon arrierefaix, dont le cordon s'eſtoit rompu &c. Plura exempla idem autor refert *Obſ. 200. p. 114.* d'une femme, à laquelle le cordon eſtoit rompu, item *Obſ. 262. p. 153. Obſ. 305. p. 179.* d'une femme, laquelle fut difficile à delivrer de ſon arrierefaix, dont le cordon ſe rompit. *item Obſ. 578. p. 338. Obſ. 601. p. 350. Obſ. 626. & Obſ. 684. p. 369.* Ob infantis pondus diſrumpi aliquando umbilicum ex improviſo, ait Joann. Varand. *de Morb. Mulier. Lib. II. cap. 6. Operum fol. 616.*

§. 14.

Vaſa umbilicalia extracta.

De vaſis umbilicalibus fœtui extractis hanc obſervationem refert Philippus Salmuth *Obſ. medic. Cent. I. Obſerv. 54. p. 33.* Uxor D. N. K. parit. Obſtetrix cæca fere vitio ætatis infantem in cunas repoſitura, aberrat, & in pavimentum procidere facit. Clamant mulierculæ. Conatur illa illum rurſus attrahere per vaſa umbilicalia, quæ manibus ad huc tenebat, atque illa prorſus extrahit. Infans altera die moritur. Obſtetrix mœrore ſequenti ſeptimana extinguitur.

§. 15.

§. 15.

Ex procidentia funiculi umbilicalis varia oriuntur incommoda quorum, juxta Henr. a Devent. *de Art. Obſtetric. cap. 38. pag. 163.* præcipue ſunt quatuor: primum eſt anguſtia meatus, unde infanti tranſire, & obſtetrici funiculum removere, vel eundem ſimul cum infante excludere difficilius eſt. Secundo inde oritur retentio in meatu, quia ſcilicet reliqua funiculi pars tanto brevior fit; vel tertio obitus infantis, ſi ſcilicet funiculus frigore rigeſcit aut interpremitur, unde motus ſanguinis præpeditur vel penitus aboletur: vel tandem quarto abruptio placentæ. Meatum ſive os uteri & vaginam a funiculo procidente obſideri & anguſtari certum eſt: quicquid enim illuc illabitur, citra ſummam neceſſitatem, non poteſt non præpedire tranſitum: non adeo craſſus quidem eſt funiculus umbilicalis, attamen ſemper duplicatus procidit, ac ſi diutius ita propendet, intumeſcendo craſſeſcit, tumque multum ſpatii occupat, unde infanti via anguſtatur, & obſtetrix impeditur, ut infanti promovendo operam tribuere non poſſit. Funiculum umbilicalem procidentem brevitate ſua infantem retinere poſſe, intellectu facile eſt; nonnunquam enim procidit funiculus, quousque per longitudinem ſuam licet, quod ſi tum infans juxta penetret, funiculus ſubinde magis detrahitur, & quum longius non poteſt dimitti, aut ipſe rumpitur, aut placentam abrumpit, unde infans retinetur. Nonnunquam etiam funiculi procidentiam infanti mortem offerri poſſe, obſtetrices ſatis ſuperque experiuntur, imprimis quæ negligunt eundem protinus in locum ſuum redigere; Funiculo enim diu excluſo infans non poteſt in vivis manere, quia motus ſanguinis aut frigore aut compreſſione ſuffiaminatur, quippe frigus funiculum prolapſum corripiens ſanguinem facile coagulat & ſiſtit, potiſſimum ſi compreſſus ſit funiculus, ſive coarctatus. A tali funiculi umbilicalis, ante fœtus excluſionem, ex utero propendentia, infantis in utero mortui ſignum præter alios autores

Funiculi prociden-tia.

deſumit Cornelius Solingen *de Embryulcia ofte Afhalinge eenes doden Vruchts cap. 7. pag. 91.* inquiens: den Chirurgijn kan ook regart nemen op de ſtrengh, als die voor 't kint geboren is; welke in dien een tijt lang buyten het lichaem gehangen heeft, een ſeeker tecken is, dat het kint doot is.

§. 16.

umbilici uſus medicus.

De funiculi umbilicalis uſu medico varia narrantur, ſiquidem ſecundum Joann. Riolan. *Anthropograph. Lib. VI. cap. 5. fol. m. 380.* præciſum umbilicum nonnulli valere dicunt adverſus colicos dolores: ejusmodi remedium Rhaſes & Trallianus commendarunt eoque tanquam amuleto utuntur. Alexander Benedictus memoriæ prodidit, umbilicum infantis ſponte deciduum quoquomodo in cibo vel potu ſumptum, reſtibilem fœcunditatem conciliare: In brachio geſtatum conceptum inhibere. Umbilici fruſtulum tandem ab infantibus delapſum, ſi ciſtulæ argenteæ includatur & de collo ſuſpendatur, ad coli cruciatus commendatur, uti inquit Emanuel Kœnig *in Select. Remedior. Sect. II. Art. 2. pag. 36.* in Regn. vegetab. Exiſtimant alii particulam illam pulveriſatam plurimum valere epileptico puero exhibitam, inquit Daniel Beckherus *Medicin. Microcoſm. Lib. I. cap. 8. pag. m. 28.* quo loco etiam ſequentia annectit: Retulit mihi aliquando jurisconſultus Megapolitanus, ibidem loci portionem illam umbilici deciduam recentem adhuc ſupra bacillum duci, ut cavitas conſpicua maneat, per quam poſtea conſpiciendos ſæpe infantes cogunt, quo ſic acutiorem videndi facultatem contrahant. Ex Poppio etiam addit, contra maculas puerorum, quas ex utero prodeuntes ſecum ferunt, *Mutter-Mæhler*, dicit valere, ſi ſumatur umbilici decidua pars eaque cum aqua viciorum *Feldwicken* deſtillata miſceatur & indies ter locus inungatur, & relinquatur ibidem, donec ſicceſcat; tamdiu quoque id continuetur, quamdiu mater te geſtavit ſic affecta. Nonnullæ etiam matres magna

gna ſuperſtitione umbilicum delapſum curioſe aſſervant exiſtimantque, ſi in pulverem redactum viro juveni propinent, eum protinus amore captum iri: At o fabulas pueriles! Allegoricum tamen, & ſecretiorem interpretationem ſi iis adſcribas, forte ſuccedet: ſi ſcilicet puellæ eo deveniant familiaritatis, ut ſcilicet palpandum viro umbilicum ſuum vel ſpectandum offerant, dubium nullum eſt, quin igniculum ii concepturi ſint, & facile deſcenſuri in placidum amorem &c. Pro fabula anili etiam judicat Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An.* 7. *Obſerv. 209. pag. 393.* quando feminæ infantes, vel etiam adultos, quibus inſciis umbilici portio exſiccata ad devorandum fuit propinata, vel ſerico incluſa amuleti inſtar collo ad geſtandum adpenſa, docilitate, imaginaria felicitate, & a periculis præſervatione, viſus itidem, ſi infantes per umbilici exſiccati cavitatem, tanquam per tubum opticum perſpiciunt, majori acie gaviſuros ſtatuunt.

§. 17.

Huc pertinet etiam, quod juxta Joh. Daniel. Mylii *Baſil. Chym. Lib. VII. cap. 1. pag. m. 10.* peritæ obſtetrices natis infantibus ex vena umbilicali jamjam reſecta guttas ad minimum tres, ſtatim per os infundunt, ſecuris poſtea & per omnem vitam ſuam ab inſultibus epilepticis liberam judicatis. Id quod etiam credulis noſtris obſtetricibus admodum familiare eſſe ſolet. Nonnullæ etiam mulierculæ contra dolores poſt partum duas vel tres ſanguinis guttas e funiculo umbilicali reſecto expreſſas puerperis propinant, vid. Louyſ. Bourgeois *Hebammen-Buch Part. I. cap. 15. pag. 103.* De uſu ſanguinis ex funiculo umbilicali ſcribit etiam Johannes Riolanus *l. a.* experientia obſervatum fuit, cum nato infanti ſecatur umbilicus, & e venis ſinitur ſanguis copioſus effluere, prout vires ſuadent & tolerant, illum puellum poſtea variolis paucis rariſque ac ſalubribus tentari, de quo obſtetrices monendæ eſſent, ut à morte pue- *ſanguinis ex umbilico uſus.*

ros vindicaremus. His tamen fabulis contradicit Paulus Ammannus *Irenic. pag. 102.* inquiens: Solent quædam ex nugivendulis poſt partum, recens nato ſanguinem ex umbilicalibus evacuare, prout vires tolerant, ut poſtea variolis paucis variſque & ſalubribus tentetur. Pari ratione, pergit Ammannus, Juffr. Labadie miſero Walliæ principi tres guttas ſanguinis ex umbilico propinavit, tanquam prophylacticum morbi herculei, d. 10. Jan. 1688. verba ſunt hæc avtenthica: *Da nun Juffr.* Labadie *das Kind auf ihre Arme genommen, hætte ſie gemercket, daß das Kind ſchwærtzlich, hætte ſie, Zeugin, den D. Waldegrave gebeten, daß er es beſehen mœchte, indem ſie meynete, es wære unbæßlich, bezeugete auch, daß ſie geſehen, das Nabel-Band abſcheiden, woraus man ihm 3. Tropffen Blut eingegeben wider die Sucht.* Quæ omnia ſunt fabulæ, quas ne Clotho quidem, dum colum bajulat, effingere poſſet inſulſiores.

CAPUT III.

De
Variis circa umbilicum & ſecundinam occurrentibus.

§. 1.

funiculus nullus. RESTANT adhuc nonnulla de umbilico proponenda, exempli gratia, nullum funiculum umbilicalem in fœtu quodam repertum fuiſſe, ſupra *Sect. I. cap. 3. §. 17.* adduximus, plane nullum autem umbilici veſtigium in cercopitheco a Thoma Bartholino *Actor. Hafnienſ. Vol. I. Obſ. 36. pag. 67.* deſcripto atque depicto apparuit. In gulone etiam ſeu polyphago, cujus deſcriptionem in Chylolog. noſtra *Cap. 1. §. 22. ſeqq.* exhibuimus, ductum umbilicalem nusquam apparuiſſe, ex relatione Johannis de Lait, qui tale animal voraciſſimum a P. Pavio ſecari vidit, recenſet Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. IV. Hiſt. 30. pag. 293.* In puero autem octo circiter annorum nullum

lum quoque umbilici veſtigium me obſervaſſe, in capite antecedente §. *10. p. 862.* adduximus.

§. 2.

Quod autem ratione umbilicali protoplaſtorum plerique pictores & ſtatuarii peccent vel errorem committant, dum Adamum atque Evam cum umbilicis depingunt talesque in ſtatuis ſiſtunt, cum tamen non ex utero materno cum funiculo umbilicali extracti, ſed a Deo creati fuerint, ut adeo neque ligatura, neque reſectione funiculi, a qua umbilicus dependet, neceſſe habuerit, nonnulli ſtatuunt autores, e. g. Louys Bellefontaine dans la Medecine dogmatique mechanique *Exerc. 20. pag. m. 95.* non putat, in Adamo & Eva fuiſſe umbilicum, quippe qui creati erant a Deo, neque matri alligati; & ſecundum Actor. Erudit. *Supplem. Tom. I. Sect. VI. p. 281.* in Thom. Brown *Oper. Lib. V.* virgula ſtringitur in pictores, qui Adamo ac Evæ umbilicos, Iſaaco immolando vultum ſtaturamque puerilem, aſpides duas, easque non adeo magnas Cleopatræ Ægypti reginæ morienti, Cajo Julio Cæſari equitanti ſtapedas, appingunt aut affingunt. Prolixe autem de tali Adami & Evæ umbilico agit ipſe Thomas Brown *in Pſeudodox. epidem. Part. II. Lib. V. cap. 5.* editionis Germanicæ Chriſtiani Peganii *p. 793.* *von den Gemæhlden, darinnen Adam und Eva mit Nabeln gemahlet werden.* ubi inquit: *Es findet ſich ein Verſtoß in der Abbildung unſrer erſten Eltern, welche auf eben die Weiſe, wie ihre Nachkommen alle beyde gemahlet werden mit Nabeln. Und findet man dieſes nicht allein in gemeinen und obenhin geſudelten Stücken: ſondern ſo gar in den eignen Stücken, ſo von des* Angeli Urbini *Hand ſelbſt, und andern vornehmen Künſtlern herkommen. Welches gleichwohl nicht kan zugegeben werden, wir wolten denn der erſten Urſache etwas ſolches beymeſſen, welches wir nicht gern den andern aufdencken; das iſt, daß der Schœpffer in ſeinem erſten und vollkommenſten Wercke überflüßige Dinge ſolte verordnet und Sachen darein geſetzt ha-*

ben, die weder Gebrauch noch Nutzen haben. Denn der Gebrauch des Nabels iſt, daß dadurch das Kind an die Mutter befeſtiget und demſelben durch deſſen Adern die Nahrung zugebracht wird. Zur Zeit der Geburt bleiben dieſe Geæder gantz, und vermittelſt deren bleibet das Kind an der Mutter befeſtiget, nicht nur vor, ſondern auch eine Zeitlang nach der Geburt. Die Hebamme aber ſchneidet ſolche hernach entzwey, und knüpffet ſolche nahe an dem Leibe des Kindes zuſammen; und daher kommt hernach dieſes gewundene knotigte Weſen, welches wir insgemein den Nabel nennen &c. Et Paulus Ammannus *Irenic. pag. 102.* inquit: ſtringendi ſunt pictores, qui protoplaſtos depingunt umbilicatos, qui tamen umbilicis caruerunt in ſtatu paradiſiaco, quoniam creati ſunt, non vero per vaſa umbilicalia nutriti. Proſtant tamen Lipſiæ in æde S. Nicolai, juxta archetypum, *nach dem* Original depicti, Adam & Eva, *ἀνόμφαλοι.*

§. 3.

umbilici hernia. Interdum etiam infantum recens natorum funiculus ex negligentia obſtetricum non bene conſtringitur, ut penitus coaleſcat & occludatur, unde non modo in diverſæ ætatis & ſexus hominibus varia oriantur ſymptomata, quandoque etiam varia per eundem excernantur. Tumorem enim umbilici ſeu herniam umbilicalem vel omphalocelen, qui ſecundum Theodori Zwingeri *Theatr. Prax. med. p. 513.* ab ejusdem tunicarum ac funiculi laxatione tanta provenit, ut intra illas tunicas nunc omentum, nunc inteſtinorum portio elabi, nunc etiam ſerum ibidem colligi, vel carnoſa quædam excreſcentia propigni poteſt; qualia exempla quotidie fere in praxi & apud autores occurrunt. vid. Petr. Foreſt. *Obſerv. Lib. XXVII. Obſerv. 28. fol. m. 621.* De monſtroſa umbilici procidentia vid. Gu. Fabric. Hild. *Obſerv. chir. Cent. III. Obſerv. 63. ſeq. fol. 246.* Feminæ ſexagenariæ inteſtina ex vena umbilici ſubito prolapſa obſervavit Antonius Benivenius *de abdit. morbor. cauſ. cap. 5. pag. 144. & cap. 6.*

filii

filii octimeſtris meminit, cujus umbilicus digitis quatuor excreverat ad penis ſimilitudinem. Vetula quædam, acicularii uxor, exomphalo aut ramice umbilici affligebatur tanto, qui caput infantis recens nati adæquabat. vid. Henr. Smetii *Miſcell. med. Lib. X. pag. 524.* Tali exomphalo etiam ſocrus mea a partu difficili laborat. De felici herniæ umbilicalis, ſeu tumoris in umbilico juglandis magnitudine cura per ſectionem in ruſtici filia obſervationem communicat Joh. de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſerv. 128. pag. 264.* Aliam herniam umbilicalem diu neglectam, tandemque ligatura alleviatam annotavit Johannes Laurent. Fehr *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſerv. 97. pag. 213.* De hernia umbilicali e ruptura ultro accidente lethali vid. Joh. Petri Lotich. *Obſerv. med. Lib. VI. cap. 3. Obſerv. 8. pag. 511.* Prægrandem atque ſtupendam herniam umbilicalem, quæ a ſterni cartilaginis enſiformis extremitate incipiebat atque ad genua fere propendebat, in femina quadam triginta circiter annorum, in ultimi laborioſi partus negotio in regione umbilicali doloroſam crepaturam obſervante, annotavit atque depinxit Johannes Fridericus Bauerus *Actor. phyſico-medicor. Vol. II. Obſerv. 94. pag. 204.* Plura de umbilici hernia, abſceſſu, exulceratione &c. hinc inde reperiuntur.

§. 4.

Per umbilicum etiam extraordinarie varia excernuntur v. g. de excrementis alvinis ſequentem hiſtoriam refert Philippus Salmuth *Obſerv. med. Cent. I. Obſerv. 88. pag. 54.* Studioſus quidam, inquiens, annorum novendecim vel viginti me conſuluit, de affectione ſibi admodum moleſta; quod nimirum per umbilicum indies quidpiam fecibus ſimile, liquidum & fœtens excerneretur; unde non tantum induſium maculabatur, ſed & odor moleſtus exiſtebat. Multa ejusmodi in Chylolog. noſtr. *Cap. 9. de viis ſtercorariis p. n. §. 42. ſeq. p. 679.* adduximus v. etiam Corn. Stalp. van der Wiel *Cent. I. Obſerv. 58. p. 247. 254.*

per umbilicum excrementa.

Unde

Unde patet, non ſolum in infantibus, ſed etiam adultis vaſa umbilicalia interdum eſſe aperta, quale exemplum de dictis viis in viro triginta annorum adhuc perviis refert Mauricius Hoffmannus *Ephemer. Acad. N. C. Cent. X. App. pag. 441.* inquiens: Menſe Martio anni 1649. in viro triginta aliquot annorum, fato violento defuncto, vaſa umbilicalia, vena & arteriæ geminæ umbilicales facile ſtilum admittebant, & canalium reliquorum vaſorum inſtar adhuc cava erant, quæ ipſa in infantulo a me privatim diſſecto, per corpuſcula quædam lumbricalia ſuccreſcentia ab epate & iliacis internis verſus umbilicum protracta, hunc tamen non attingentia, repleta obſervavi.

§. 5.

ſanguis in adultis.

Largam, interdum etiam lethalem per umbilicum exortam hæmorrhagiam in infantibus recens natis in capite antecedente adduximus, tales tamen etiam quandoque in adultioribus utriusque ſexus perſonis ſanguinis effluxus apud autores leguntur. e. g. Menſtrua cum calculis ex umbilico excreta annotavit Carolus Joſephus Myllerus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſerv. 228. pag. 431.* inquiens: femina annos quadraginta duos nata, liberorum trium mater vegeta & ſana, ſtato tempore menſtrua locis ordinariis cum pruritu & dolore effluere ſentit; at, quod ſtupendum, ſanguis ſimul per umbilicum ei exſudat, quantitate circiter unciarum duarum: Adhæc induſio ejus adhærent parvulæ arenulæ cum ſanguine per umbilicum prodeuntes. Idque a quindecim annis abſque incommodo pertulit, niſi quod erumpentibus illis ardor circa umbilicum & naturalia eam vexet ſubinde tam atrox, ut curvato corpore ingrediatur. Umbilicum ſanguinem diu leviter ſudantem obſervavit Philippus Hœchſtetterus *Obſervat. medic. Cent. II. Caſ. 8. pag. 169.* in puella nobili duodecim annorum, ab incunabilis habente umbilicum, qui ſanguinis guttula leviter induſium ſeu linteum proximum commaculabat, ſine ulla alia noxa, niſi quod

color

color ei eſſet pallidior. Sanguinis vero ea paucitas erat, ut non transſudaret ſuper ſtratum etiam tenue linteum. De mirabili quadam hæmorrhagia umbilici in viro quodam oborta obſervationem communicat Guilhelmus Fabricius Hild. *Obſerv. chir. Cent. III. Obſervat. 37. fol. m. 218. ſeq.* Apothecario ſcilicet Solodurenſi, Danieli Schertlero, negotiorum ſuorum cauſa occupatiſſimo, cum ſupra modum incaluiſſet, apertus fuit umbilicus, ita ut ad libram unam & ſemis ſanguis efflueret, per ſe tamen & nullo adhibito medicamento ſubſtitit. Et Joſephus Lanzonus anno 1702. ſimilem ſanguinis effluxum in quodam viro annotavit, qui febri continua correptus die morbi undecima, ſponte ſanguinis fluxione per umbilicum excitata, per quam libræ duæ cruoris emanarunt, & nullo alio tentato ad febres remedio, nec ope remediorum hæmorrhagia cohibita, ſed ſponte ceſſante perfecte convaluit. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſerv. 143. pag. 267.*

§. 6.

Dominus Mery fœtus duos gemellos maſculos a ſe viſos deſcripſit. Amborum unica tantum erat placenta, funiculus vero umbilicalis & involucra cuique propria. In utroque horum infantum umbilicus extrorſum elevationem 3. aut 4. linearum formabat ſupra ſuperficiem ventris, & foramine 7. aut 8. linearum diametri hiabat. Inteſtinum colon ad hanc prominentiam umbilici terminabatur, eamque foramine lineæ 1½. aperturæ, quod loco ani infanti erat, perforabat. Fundus veſicæ itidem foramen habebat, cujus exitus æque ac ille in colo, in prominentiam umbilici terminabatur, ita ut urina immediate in membranas placentæ exiret. v. Hiſtor. Acad. reg. Scient. *Obſervat. anat. 16. pag. 281.* Sic etiam Dn. Littre tam puerum duodecennem diſſecuit, quam hominem triginta annorum cognovit, a quibus urina per umbilicum unice fuit reddita. vid. Act. Erudit. Lipſ. *An. 1706. menſ. Jun. p. 265.* *urina.*

§. 7.

aqua. Interdum venam umbilicalem & cætera vaſa umbilicalia a ſalſis & acribus humoribus præter naturam iterum aperiri ſolent, quod Daniel Horſtius in viro nobili ſexagenario, cui ſingulis menſibus exinde effluebat; & in puero ſeptenni, cui modo ſanguis, modo ſerum exſtillabat, obſervavit, juxta Gothofr. Mœbii *Phyſiolog. cap. 14. §. 8. pag. 321.* qui Mœbius etiam hydropicum vidit, cui ex hiſce vaſis ſponte apertis copioſa aqua evacuabatur. Item Riolanum venam umbilicalem in hydropica conſpexiſſe fiſtuloſam, aquam intra peritonæum & muſculos abdominis effundentem. Vir obeſus aqua intercute ad deſperationem medicorum obſeſſus expetiit obnixe, prominentem umbilicum ſcalpello ſibi incidi, quo exitum inveniret aqua impendio nimis moleſta. At illi operi antequam ſe accingerent medici, livere jam tum cutis, perrodi peritonæum, ac locus ſectioni deſtinatus tam late per ſe hiare cœpit, ut facile plus aqua ſponte effluxiſſet, quam vel medicis acceptum vel ægro ex uſu eſſet, juxta verba Nicolai Tulpii *Obſerv. medic. Lib. IV. cap. 42. pag. 364.* Quadragenaria aſcite mirabili oppreſſa perforato naturæ vi umbilico integre fuit curata, juxta Zacuti Luſit. *de medicor. princip. Hiſtor. Lib. II. Obſervat. 24. Oper. Tom. I. fol. m. 406.* De muliere hydropica, cui nocte intempeſta, nihil tale opinanti, ſponte ſolutus eſt umbilicus, & maxima ſtatim effluxit aquarum copia, vid. Johann. Schenck. *Obſervat. medic. Lib. III. fol. m. 452.* ubi plura reperiuntur. Hydropem per umbilicum evacuatum communicat Guilh. Fabricius Hildanus *Obſervat. chir. Cent. I. Obſerv. 47. fol. m. 42. ſeq.* In viro ſcilicet quadragenario, poſt febrem tertianam aſcitico, cui venter in monſtroſam fere magnitudinem erat elevatus, umbilicus ad ovi anſerini magnitudinem aqua plenus propendebat, qui abſque inciſione ſua ſponte ruptus: inde per trimeſtre maxima copia ſeroſi humoris effluxit: ipſe autem hydropicus

picus tandem pleniſſime convaluit. Poſtquam autem poſt aliquot annos obiit, ipſius vena umbilicalis, quæ in adultis in ligamentum ſolet coaleſcere, adeo fuit dilatata, ut facillime pennam anſeris per eam immittere liceret. Alia hydropicorum per apertum umbilicum liberatorum exempla collegit Marcellus Donatus *de med. Hiſtor. mirab. Lib. IV. c. 21. p. 424. ſeq.* Juveni cuidam aſcitico umbilicus mire tumebat, hydromphalus dici meruiſſet, totus pellucens, a remoto emplaſtro, quod chirurgus adpoſuerat, apertus fuit, ſtagnavit ſtatim ſerum ſanguine tinctum, copioſum, poſt clarum inſtar cereviſiæ albæ ad libras triginta circiter, ſeu menſuras Auguſtanas quindecim &c. teſte Philippo Hœchſtettero *Obſervat. med. Dec. V. Caſ. 10. pag. 172. ſeq.* Inquit etiam Caſparus Bauhinus *Theatr. anat. Lib. I. cap. 11. pag. m. 42.* ſæpius ſe in aſciticis ob aquarum concurſum umbilici tumorem, veſicæ inſtar pellucidum obſervaſſe, qui etiam in aliquibus ſponte fuerit reſeratus, horumque aliqui ſanitati fuerint reſtituti.

§. 8.

Umbilicum etiam in cælibe quodam puris viridioris menſuram unam & ſemis, id eſt, libras tres eructaſſe, refert Philippus Hœchſtetterus *l. ſa. pag. 175.* In femina quadam viginti quinque circiter annos nata poſt febrem continuam, tumor quidam non absque inflammatione ſupra umbilicum apparuit, ita ut cataplaſma anodynum ei imponendum fuerit. Poſt cujus uſum umbilici tumore rupto magna bene cocti puris pars non ſine maximo laborantis levamine effluxit &c. annotante Cornelio Stalpart van der Wiel *Obſervat. rar. Cent. I. Obſerv. 58. pag. 247.* Mulier quædam Jannetje Jochems infantem pepererat, nulla præſente obſtetrice; poſt partum doloroſum venter inſignem in molem intumeſcere cœpit, tandem circa umbilicum protuberantia occurrit, e qua cultro aperta plusquam pinta integra puris fœtidiſſimi effluxit, vid. Job. a Meekren *Obſ.* *pus.*

med. chir. cap. 25. pag. m. 116. vid. etiam *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 287. pag. 505. item Obſerv. 335. p. 574.*

§. 9.

alimenta. Alimenta interdum per umbilicum excerni, teſtatur Johannes Baptiſta a Lamzweerde *Append. in Joh. Scultet. Armam. chirurg. Obſervat. 65. pag. 267.* Puer ſcilicet quidam novennis pertinaci luctatus malo magnam humorum colluviem in regione umbilicali perſenſit, qui ibidem collecti in apoſtema degenerantes ipſum umbilicum & inteſtina perforarunt, ut ſingulis paſtibus aſſumpta alimenta, per foramen exeuntia diſcerni poſſent; qui tamen puer aptis remediis, ibidem deſcriptis feliciter ſanatus eſt.

§. 10.

oſſa fœtus. De oſſibus fœtus in utero putrefacti per umbilicum rejectis varia exempla ſupra *Sect. III. cap. 2.* adduximus, vid. etiam Corn. Stalpart van der Wiel *Obſervat. rar. Cent. I. Obſervat. 71. Schol. pag. 307. ſeq.*

§. 11.

vermes. Ex umbilico cujusdam infantis trium annorum egreſſos lumbricos vidit Johannes Baptiſta Laballaria, juxta Omniboni Ferrarii *Act. med. Infant. Lib. IV. cap. 13. pag. 243.* Vermes numero octo, illis lumbricis ſimiles, qui in inteſtinis generantur, ex umbilico, nullis tamen ea in parte abſceſſus apparentibus indiciis, erumpentes legimus apud Nicol. Blegny *Zodiac. Medic. Gallic. An. 1. menſ. Jun. Obſervat. 3. pag. 98. ſeq.* Puella quædam quatuordecim annos habens ac ventre admodum tumens per integrum quadriennium continua laboraverat febri, poſt quod tempus prominere valde cœpit umbilicus, ac cum ultro rumperetur, per decem menſes continuos plurimum inde emanavit puris, ac tres denique vermes, ſpithamam ſin-

gu-

guli longitudine, digitumque minimum craſsitie æquantes inde prodiere; quæ tamen puella poſtea ſatis feliciter convaluit, uti ex Barthol. Cabrolio refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſervat. Cent. prior. Obſ. 58. ſch. pag. 253.* Sequentem obſervationem recenſet Chriſtianus Gothardus Williſch *Ephem. Acad. N. C. Cent. V. Obſervat. 48. pag. 70.* Virgo quædam nobilis ſedecim circiter annorum, per ſemeſtre fere ſpatium laborabat laſſitudine totius, pallore faciei, anorexia cum ſempiterno vomendi conatu, alvi conſtipatione, & interdum gravibus ventris torminibus, cauſam hujus mali in depravato ventriculo ſitam exiſtimabat ægra. At enim brevi poſt motibus corripitur convulſivis, finito vero paroxyſmo ſemper triſtis evadit, effundit lacrymas & tragicis geſtulationibus mirandum adſtantibus cauſatur ſtuporem. Tandem horrenda iſta ſymptomata oriri facile poſſe a vermibus penſitavi, cum præ cæteris corporis partibus poſteriora mirum in modum moveret una cum aliis medicamentis etiam clyſterem ex anthelminticis, præcipue vero tanaceto adhibere juſſi, cujus optatum ita ſenſit effectum, ut non ſolum innumeros excreverit aſcarides, ſed & graviſſima remiſerint ſymptomata. Ægra gaudiorum quidem plena rodentem quendam denuo umbilici ſentit dolorem, cum motu non obſcuro viventis cujusdam, quem ſequitur vomitus. Hos intenſos admodum cruciatus viginti circiter horas paſſa eſt, donec vermis duas ſpithamas ad minimum longus & roſtratus ſeſe proriperet. Umbilicum deinde perforatum chirurgica manus conſolidavit. Plurima per umbilicum erumpentium vermium exempla in Helminttologiæ noſtræ, jamjam abſolutæ prelumque expectantis *Lib. I. §. 43.* collegimus.

§. 12.

De oſſe gallinaceo deglutito & ſuper umbilicum exitum quærente hanc obſervationem annotavit Chriſtianus Fri- *os ſic[illegible]lum gallinaceum.*

dericus Garmannus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſervat. 185. pag. 361.* Matrona quædam Chemnicenſis dum in prandio coctæ gallinæ alam comedit, & hujus extremitatem in ore tenens mandit & exſugit, osſiculum triangulare, in alæ extremitate conſtitutum ex improviſo deglutit. Terretur ſibique incommodum inde futurum ominatur, ſed fruſtra. Nihil inde mali, nec osſiculum illud per aliquot dies in ſcybalis quæſitum comparet. Metu libera tandem omnem hujus memoriam & curam abjicit. Quid fit? Poſt tres menſes tuberculum, furunculi inſtar, pruritum magis, quam dolorem acutum concitans ſuper umbilicum ſentit, quo aperto, osſiculum illud incorruptum plane oculis intuentium ſe objicit, quod ſancte aſſervabat, & curioſis ſubinde exponere ſolebat.

§. 13.

Chirurgia infuſoria.

Circa umbilicum ejusque vaſa curioſam hanc quæſtionem movet idem Garmannus *Epiſt. 2. pag. 31.* an chirurgia infuſoria in fœtu in lucem edito adminiſtrari posſit per vaſa umbilicalia, ut ita non tantum a morbis futuris præſervetur, ſed & ab hæreditariis liber degat? Ad quam ſequentibus reſpondet: Multa ſuadent hanc operationem; venularum patentia, via recta, qua ad epar, & ab hoc ad cor fertur ſalutaris hic liquor, prout ſanguinis circulatio a Maurocordato tradita id confirmat. Poſſet & hæc adhiberi, quando fœtus exanimatus fere lucem adſpicit, ſi non tantum balneetur in vino, ſed & vini malvatici aliquot guttulæ hoc modo ipſi infundantur. Tentavi hanc operationem, quamvis difficillime in hoc procedit, in catello, qui modo in lucem editus erat; Infundebam ipſi aliquam portiunculam ſpiritus vini Rhenani, & præter ſolitum incaleſcebat; paulo poſt ſuperinjiciebam aliquot guttulas liquoris narcotici, & en! horrore percutiebatur, & ſtupidus evadebat. Elapſa ſemihorula de purgante paululum inſperſi, & alvo ſoluta ad ſe redire videbatur.

§. 14.

§. 14.

Sicuti funiculo umbilicali adhæret ſecundina ſeu placenta uterina, ita etiam hoc loco de eadem pluribus eſſet agendum. Quia vero jam ſupra *Sect. I. cap. 4.* allata fuerunt, pauca tantummodo de ejusdem ex utero excreti, atque a funiculo ſeparati uſu, imprimis medico, quædam adducere libet. De ejusdem devoratione ita ſcribit Guilielmus Piſo *Hiſtor. Nat. & med. Lib. I.* in Caſpar. Barlæi *Reb. Braſil. p. m. 610.* ubi mulieres Braſilienſes pepererunt, ſecedunt in ſylvam, & infanti umbilicum concha præcidunt, & una cum ſecundinis coctum devorant. *ſecundinæ devoratio.*

§. 15.

Secundinæ torrefactæ pulvis, mulieris primiparæ, filium enixæ, adverſus epilepſiam, ſtrenuum eſſe auxilium, ex Finckii Enchiridio refert Zacutus Luſitanus *de Medic. princ. Hiſtor. Lib. II. Dub. 62. Oper. Tom. I. fol. 379.* Ipſe autem Johannes Vincentius Finckius *Enchirid. dogmat. hermet. cap. 5. pag. 33.* inquit: ſpecificum egregium contra epilepſiam ex cerebro, ventriculo & matrice obortam permulti pulverem ſecundinæ ſolum exſiccatæ eſſe tradunt, cui tamen appropriata alia ad augendam ejus virtutem merito alii adjiciunt, ut: ℞. Secundinæ mulieris torrefactæ primiparæ filium enixæ ℥ß. Pulveris pullorum corvi, menſe Martio torrefacti ʒij. Coagul. Lepor. ʒj. Raſur. Cornu Cervi ʒij. Caſtor. ʒß. Succin. albiſſ. ʒij. Gran. & Rad. Pæon. Viſci querc. luna decreſcente collector. ana ʒß. Ambr. Moſch. ana ℈ß. Spec. Dianth. Diaplir. archon. lapific. Gal. Corall. & Margar. præp. ana ℈j. M. & pulveriſ. omnia ſubtiliſſime. Spiritum ſecundinæ humanæ medicamentis antepilepticis annumerat Chriſtianus Johannes Langius *Prax. medic. cap. 21. Oper. Part. II. fol. 137.* De pulvere ſecundinæ pueri ex primipara parato, vid. Roſin. Lentil. *Miſcell. med. pract. Part.* *uſus medicus contra epilepſiam.*

Part. I. pag. 37. Secundinæ humanæ primiparæ ſpiritu, putrefactionis ope prolecto, regem Poloniæ epilepticum curaſſe fertur Knœphelius. vid. Eman. Kœnig *Regn. animal. Sect. III. Artic. 2. pag. 258.*

§. 16.

in mania. Pro uſu interno ſecundina humana etiam in mania uſurpari ſolet; referente enim Chriſtiano Franciſco Paullini *de Theriac. cœleſt. Sect. II. Part. I. cap. 5. pag. 91. ſeq.* Cortummius pulverem ſecundinæ primiparæ (ſi partus maſculinus ſit) cum *in philtris.* nitro perlato & laudano opiato dabat. Contra philtra aſſumta ſequentem pulverem ſpecifica qualitate prodeſſe ſcribit Caſparus Theophilus Bierlingius *Adverſar. Caſ. 94. p. 245.*

℞. Pulv. Secundin. præpt. Cran. human. ana ʒj.
Corall. rubr. prt.
Margarit. orient. ppt. ana ʒß.
Pellicul. interior. Ventric. Gallin. ppt. ℈ij.
M. F. Pulvis.

Licet etiam nonnullæ feminæ ſecunda pro philtro utantur, hanc tamen virtutem negat Elias Henricus Henckelius *de Philtr. §. 19. p. 31.* nullam, inquiens, vim in inducendo amore ſecundina habet. Experientia enim non vulgaris doctrinæ medicorum comprobatum eſt, tam ſpiritum ſecundinæ, quam poſt ſpiritus deſtillationem reſiduum combuſtum pulverem magnam vim habere contra philtra.

§. 17.

in partu difficili. Ad partum difficilem ſecundina humana adhiberi ſolet. Inquit enim Johann. Nicol. Martius *de Magia natural. cap. 4. §. 6. p. m. 61.* ſi femina ſtatim a primo partu fruſtulum ſecundinæ magnitudinis avellanæ, in vino diſſolutum ſumſerit, libera futura dicitur in omnibus ſequentibus partubus a colica &

ven-

ventris dolore. Sequentem pulverem præſcribit Joſephus Jackſon *Enchirid. medic. Cap. 44. p. 166.*

℞ Secundin. human. Succin. ppt. Borac. Venet. ana gr. vj.
Ol. Cinamom. gt. iij. M f. Pulvis.

Secundum Michael. Ettmüller. *Oper. Tom. I. fol. m. 492.* Secundina humana beneficio putrefactionis exhibet ſpiritum in pellendo fœtu, tam vivo, quam mortuo, certiſſimum, quique non habet ſibi parem, propinari autem poteſt ad guttulas 30. vel 40. in cereviſia miro cum effectu: ſic quoque in lochiis ſuppreſſis; unde eſſentia ad partum ex hoc quoque conflatur ſpiritu. A pulvere ſecundinæ in vino calido ad ſcrupulum unum ſumpto ad placentæ expulſionem bonum effectum vidit Jacob van Hervelt *Aanmerking 81. pag. 153.* Idem autor etiam *Obſerv. 64. pag. 123. ſeq.* Puerperæ contra lochiorum ſuppreſſionem ſequentem mixturam ordinavit: ℞ Diaſcord. Fracaſt. ʒiß Pulv. mirab. Secund. fil. primog. matr. Perlar. ana ʒß Sal. liq. Tinct. anodyn. ana ʒj Laud. Opiat. gr. iij. Decoct. Menth. Meliſſ. Artemiſ. ℥vj Extr. arund. q. ſ. M. Hiervan eenige lepels gebruikt hebbende, kwamen de Lochia weder te voorſchyn. In mola ſequentem pulverem non inutilem ſe eſſe expertum, ait Benjamin Scharffius *de Juniper. Cap. 24. pag. 322.*

℞ Caſſ. lign. Teſticul. Equor. Pulv. Secundin. ana ʒij.
Borrac. Venet. Croc. ana ʒj Sacchar. ℥j.
Olei Sabin. Juniper. ana ℈ß M. f. Pulvis.

Inquit etiam Emanuel Kœnig *Select. Remed. e tripl. Regn p. 36.* aqua e ſecundina primiparæ deſtillata multum mulierum mala ſolari, certo novimus, ut haud abſurde ſtatuerint Ægyptii parvum juvare, ceu & Paracelſus vere ſtatuit, in ſingulis hominis membris balſamum eſſe, qui ex natura homogenea vulnera, v. gr. & fracturas in alio homine ſanet.

§. 18.

Ad uteri ſuffocationem & dolores poſt partum juxta Fri-

ad dolores poſt partum. derici Hoffmanni *Clav. pharmac. Schrœd. Lib. V. Sect. I. pag. 662.* ſtrenuum eſt remedium pulvis ſecundinæ torrefactæ mulieris primiparæ filium enixæ, doſis eſt a ℥ß ad ℈ij in juſculo gallinæ calido. Secundum Mich. Ettmüller. *l. a.* teſte experientia in doloribus poſt partum valde affligentibus uſitatiſſimum & efficaciſſimum medicamentum eſt ſpiritus ſecundinæ humanæ per putrefactionem paratus. vid. etiam Chriſt. Johann. Langii *Oper. Tom. III. Diſput. 44. fol. 594.*

§. 19.

ad vermes. De ſecundinæ uſu contra vermes ita ſcribit Nicolaus Andry *de la Generation des Vers dans le Corps de l'Homme pag. 281.* Pour ce qui eſt de ce remede, qu'une dame de vos amies vous a enſeigné, ce n'eſt point un ſecret ſi particulier, il eſt dans pluſieurs auteurs, mais ils y ajoûtent de l'aloes, & mettent une condition, qui eſt que l'arrierefaix doit être d'un premier accouchement; je ne ſçay point par moy-même, ſi cela reüſſit, car je ne l'ay jamais eſſayés, mais je ſçay bien, que Luc Tozzi, aujour d'huy medecin du Pape, aſſûre avoir guery par là un jeune homme, & luy avoit fait vendre un ver plat fort long.

§. 20.

ad faſcinationem. Contra faſcinationem infantum, *wider das Beſchreyen der Kinder*, eſſentiam hyperici cum ſpiritu ſecundinæ humanæ & quidem primiparæ, aut alia medicamenta a ſecundina prima parata, maxime commendavi, ait Johannes Jacobus *Brenner Theſaur. Sanitat. Section. I. de Morb. Infant. cap. 15. p. 80.*

§. 21.

ad nævos maternos. Externe etiam ſecundina humana, imprimis contra nævos maternos, adhiberi ſolet. Inquit enim Johannes Dolæus *Encyclopæd. Chirurg. Lib. I. cap. 20. pag. 493.* Nævi materni optime abluuntur lochiis & ſecundina matris ſtatim a partu,

vel,

vel, ſi tam cito non fuerint obſervati, medicamentis aliquantum corrodentibus abſumuntur. Juxta Wolffgang. Hœfer. *Hercul. medic. Lib. VII. cap. 6. pag. m. 424.* maculæ in utero contractæ difficilius delentur, quam excreſcentiæ, niſi ſint in ſuperficie tantum cutis externæ: tunc variolæ eas poſſunt tollere, &, præter has, etiam ſecundinæ, ſi iis affecta pars fricetur; ſed debent ſæpius ſumi recentes: ſic referente obſtetrice quadam Viennenſi, nec repugnante experientia. Secundum Corn. Stalp. van der Wiel *Obſerv. rarior. Cent. poſt. Obſerv. 36. Schol. pag. 384.* Mulierculæ ad nævos tollendos ſecundinarum utplurimum utuntur ſanguine, quo etiamnum calido eosdem oblinunt ſanguine, deinceps menſtruo uſuræ. Et Samuel Hafenrefferus *de Cutis affect. Lib. I. cap. 6. pag. 50.* inquit: Licet hoc vitium incurabile habeatur, experientia tamen compertum habemus, calentibus adhuc ſecundinis deterſos hoſce nævos quandoque disparuiſſe: nec caret hoc ratione: ſi enim ſanguis, ex quo formatus fœtus, eundem etiam repurgare valens eſt, majoris efficaciæ dicitur, quando deterſio fiat clandeſtina. Rubri ſi fuerint, & in tubercula elati, non modo ſecundina abſtergendi, ſed etiam litu frequenti ſanguinis menſtrui utendum. Circa hunc Hafenrefferi locum ita judicat Lucas Schrœckius Additament. ad Johann. Helwigii *Obſerv. 35. pag. 128. ſeq.* Verum neque ratio iſta ſufficiens eſt, quæ calori potius ſecundinæ, inque ea contenti cruoris & ſuperſtitum ſpirituum virtuti humorem vel ſanguinem illum in cute hærentem rarefacienti & diſcutienti, præcipue ſi confidentia in remedium illud firmior in adultioribus accedat, ſicque imaginatio macularum effectrix, earundem etiam auxiliatrix evadat; adſcribenda videtur; neque clandeſtinæ deterſionis ulla neceſſitas eſſe poteſt, quam rectius frivolam, & anilis delirii figmentum cenſebimus &c.

§. 22.

interdum noxia. Hanc tamen nævorum per ſecundinæ ſanguinis applicationem curationem interdum noxiam fuiſſe, refert Georgius Segerus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſervat. 197. pag. 372.* Sub finem ſcilicet Februarii anni 1672. nupta eſt Thorunii Scoto cuidam virgo, e Scoticis quoque parentibus orta, cujus ſiniſtræ manus dorſum fere totum rutilus occupavit color, a matre gravida, incendium ſubito ortum advertente, atque ex terrore ſiniſtram ſuam contrectante, ei impreſſus. Hæc ante paucos annos ex conſilio cujusdam vetulæ ſanguine ſecundinæ affectum locum obleverat, ſed tantum abeſt, ut nævum abſterſerit, ut potius ingentem inflammationem, cum inſigni tumore ac dolore excitarit, quam tandem chirurgus, non ſine multo labore & induſtria, compeſcuit, remanente nihilominus nævo. De ſecundinarum in nævis maternis delendis noxa aliud exemplum annotavit Johannes Henricus Hottingerus ſequentibus verbis: Pro maternorum nævorum extinctione univerſus fere practicorum chorus, ſecundinam vel propriam, vel ſanguine propinqui cujusdam pueruli primipari in ſcenam producit, ſatisque extollit. Sed quod nuperrime accidit, fideliter communicabo. Femina, nobili ſtirpe nata, a glire prætereunte, & hujus manum cauda ſua tangente, maxime perterrefacta prolem, cætera ſaniſſimam, ſed caudæ gliris ſtigmate in manu cum pilis exactiſſime ſignatam, in lucem produxit. Anxia mater ad deformitatem hanc tollendam, plurimorum ſuaſu, ſecundinam cognatæ cujusdam calidam adhuc applicuit. Sed quo ſucceſſu? ſane ſiniſtro. Vix enim cum appoſuiſſet, totum ipſius brachium tumefactum, imo inflammatum, infantem debilem ac febricitantem deprehendit, ita ut ſphacelus jamjam immineret. Animadvertens hæc ſecundinam ſtatim removit, ſanguinem abluit, brachiumque convenientibus fovit, majus hinc evitavit damnum, reſtitante hæreditarie illo cha-

charactere impreſſo & poſtea vitam optatiſſimam egit. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſervat. 131. pag. 249.*

§. 23.

Quandoque etiam a ſecundinis temere rejectis puerperas varias experiri noxas, teſtantur autores, quale exemplum refert Jacobus Auguſtinus Hünerwolffius *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſerv. 90. pag. 152.* inquiens: Secundinas quisquiliis locisque impuris & ſuſpectis mandare, quantum ſæpe noceat puerperis, non ignotum eſt. Emaciatæ primiparæ in noſtra vicinia exemplum, cujus lochia cum ſecundinis paludi putidæ injecerat ancilla levis, obſtetrices officii admonet. Feminæ fullonis Arnſtadienſis poſt partum validæ, ſecundinas cum lochiis projiciunt in foſſam extra mœnia, ubi ſolent hoſpitari ſerpentes & bufones; ex quo puerpera cordis anxietatem percipit, noctes inſomnes ducit, tacitaque exæſtuat ira, naturaliter ad hanc non prona. De conſilio rogatus, quia propenſio aderat ad vomitum, porrexi emeticum, antimoniatum, quod eduxit abunde bilioſam amurcam, cum ſupernatante quadam pinguedine, & ſana evaſit femina. *rejecta noxia.*

§. 24.

Ratione ſecundinæ Fredericus Ruyſchius *Theſaur. anat. VI. pag. 59.* monendos eſſe exiſtimat illos, qui medicinæ ſtudiis incumbunt, quod plurimi olim fuerint decepti, cum vocati ad puerperas, quæ a duobus menſibus uterum geſſerant & abortum paſſæ erant; poſtquam in partu ejusmodi rudimenta placentularum expulerant, quæ magnæ molis videbantur, fœtus expectabant, talibus placentulis reſpondentes, ita ut medicamenta adhibuerint, ad fœtus expellendos, idque in puerperarum detrimentum, cum interim placentulæ, per ſe conſideratæ, minutiſſimæ & multo cruore obſitæ eſſent; quarum embryones in nihilum redacti ſunt, aut in liquorem diſſoluti. *cautela.*

CAPUT IV.
De
Fœtu poſt partum & puerpera.

§. 1.

fœtus perfectus. Circa fœtum cum ſecundina a matre recens editum interdum oritur quæſtio, 1) an talis partus ſeu fœtus ſit perfectus? 2) an ſit vivus? 3) an vitalis, & 4) an legitimus? Ad quas quæſtiones reſpondetur, quod ad fœtum perfectum requiratur, ut non ſolum ordinarie & a natura deſtinato tempore, de quo ſupra *Sect. IV. Cap. 1.* egimus, ſcilicet circa finem noni & principium decimi menſis, vel finitis novem menſibus ſolaribus, vel decem lunaribus, ſive 280. diebus natus, ſed etiam quoad partes integrantes perfectus, atque tam ratione roboris, quam conſiſtentiæ corporis, pro externis regiminibus ſubeundis habilis, edendisque actionibus animalibus par ſit.

§. 2.

vivus. Partus ſeu fœtus vivus vocatur, qui vivus in mundi theatrum ex utero materno progreditur, atque poſt talem excluſionem per aliquot momenta, horas, dies & ſeptimanas vita equidem fruitur, ob aliqualem vero debilitatem vel immaturitatem poſt paucum temporis interſtitium vivere deſinit, uti nonnunquam in fœtibus abortivis annotatur.

§. 3.

vitalis. Vitalis vero ille dicitur fœtus, qui non modo revera vivus a puerpera editur, ſed etiam majori virium robore atque perfectiori partium ſeu organorum ſubſtantia valet, ut ob eorum ſoliditatem per aliquot menſes & annos ſanam & floridam vitam continuare queat. De vitalitate fœtus ſequentia refert Henricus Salmuth Commentar. in Guidon. Panciroll. *Rer. memorabil. Lib. II. Tit. 10. pag. 197.* ante ſeptimum menſem negat Plinius,

Plinius, partum unquam vitalem eſſe, quanquam Renatus Choppinus, curiæ Pariſienſis advocatus, ſenatus conſulto Pariſienſi patrem pronunciatum dicat hæredem filii, quinto menſe, matris exſecto ventre, editi ac ſpiraſſe viſi. Ad hæreditatem hanc quippe capeſſendam ſatis fuit patri, eum, qui exſectus eſt, cum ſpiritu fuiſſe editum, atque ita vivum ad orbem totum proceſſiſſe, & vel momento matri ſuperſtitem fuiſſe filium, licet illico, poſtquam in terram cecidit, vel in manibus obſtetricis, ille deceſſerit; quibus verbis Juſtinianus haud dubie alluſit ad priſcum illum morem, quo puer ſimul ac ſublatus erat ab obſtetrice, ſtatuebatur in terra, ut auſpicaretur rectus eſſe, ut eſt apud Varronem. Quæ pueri in terram conſtitutio Stationæ deæ, utpote pueritiæ præſidi, ſacra erat &c.

§. 4.

De partu legitimo utplurimum tractant domini juriſconſulti, eſtque talis partus, juridice ſumptus, juxta Hermann. Frider. Teichmeieri *Inſtitut. medic. legal. cap. 9. pag. 52.* is, qui ex juſto matrimonio, vel juſtis nuptiis, tempore ad vivendum apto, quo hæreditatem adire poteſt, atque in alios transferre, monſtri abortioniſque expers, perfecte in lucem eſt editus. Apud Romanos olim uſitatum fuit, liberos tollere, quo ipſo partus adgnoſcebatur legitimus, ut enim cognoſcerent partum recentem eſſe legitimum, infans in lucem emiſſus & in terram de matre cadens, non habitus eſt legitimus, neque omnino educatus eſt, niſi pater præſens, vel abſentis loco procurator, vel etiam obſtetrix infantem de terra levaſſet. Unde nata formula, puerum, tollere, id eſt domi educare; cujus contrarium erat, puerum exponere. Hoc ipſo adgnoſcebatur, recentem partum eſſe legitimum, nec adulternium, nec ſuppoſitum, verum a patre agnitum atque alendum, juxta Burcard. Gotth. Struv. *Sched. de Partu ſuppoſit. §. 13. pag. 17.* Quot diebus conſtare debeat legitimus & vitalis fœtus? vid. Paul. Zacch. *Quæſt. med.* *Legitimus.*

med. legal. Lib. I. Tit. 2. Qu. 2. n. 25. ſeq. fol. m. 52. ubi plura de vitali & legitimo partu. Medicis tamen etiam partus legitimus vocatur ille fœtus, quem paulo ante perfectum diximus, quique non modo ab honeſta uxore ordinario atque legitimo tempore, ſed etiam omnibus partibus perfectus & abſolutus naſcitur. Ad quæſtionem, an, ſi femina gravida lapſum paſſa fuerit, partus ſex menſium vitalis & legitimus ſit, ita reſpondit facultas medica Lipſienſis in Pauli Ammanni *Medicina Critic. Caſ. 1. pag. m. 12.* Perlegimus rationes & argumenta zythopeptorum apud vos in Neapoli, quibus probare conantur, quod nullus infans ſexto menſe vivus & legitimus naſci poſſit; & quoniam ſimilis caſus apud vos exiſtit, quo mulier triduo ante ſeptimum menſem vivum fœtum enixa, eundemque adhibita diligentiſſima cura usque in decimam ſeptimam ſeptimanam educavit, oritur quæſtio: an hoc ita naturaliter fieri, & fœtus prædictus legitimus ſalutari queat? Concludimus ergo ſecundum ſcientiam medicorum ac phyſicorum: quamvis ejusmodi partus pauci & admodum rari ſint, fiunt tamen, & fiunt naturaliter, prout exempla hinc inde affatim hoc comprobant, quod vitales permanſerint, quamvis quidam longiori, quidem breviori vitæ termino, cujus rei cauſa juxta diverſum effectum rerum non naturalium (uti nos medici illas vocamus) examinandæ, & quia uxor Martini N. lapſum quendam perpeſſa, atque ſic quodammodo partum acceleravit, exinde filius ejusdem nequaquam illegitimus dici debet, ob rationes, quæ prolixe in defenſione fuerunt adductæ. Lipſiæ d. 26. Octobr. anno 1564. Ibidem etiam *pag. 11. in Diſcurſu 1.* inquit Ammannus, vitalem non eſſe non denotat privationem vitæ omnimodam, multo minus infert illegitimitatem.

§. 5.

Gœlickii ſententia.

Sic Andreas Ottomarus Gœlicke *in Medicin. forenſ. Specim. I.* quo demonſtrat, fœtum octimeſtrem vitalem eſſe atque legiti-

legitimum §. *21. pag. 37. ſeq.* inquit: operoſa ſane probatione non eget, partum trimeſtrem, quadrimeſtrem, imo & quinquemeſtrem incipientem vivum quidem, non tamen vitalem, nec proinde legitimum eſſe, quod eo tempore integram & perfectam organorum ſuorum conformationem, talem ſaltem nondum habeant, ut aura hac vitali, & alimentis frui, atque adeo in vivis permanere poſſint. Atque hac in re univerſalis quaſi medicorum, tam veterum quam modernorum eſt conſenſus, unanimiter affirmantium, partum trimeſtrem, quadrimeſtrem & quinquemeſtrem incipientem, vivum quidem, non tamen vitalem nec legitimum eſſe. Aliter ſentiendum eſt de quinquemeſtri completo & magis adhuc de ſemeſtri; hiſce enim menſibus partus omnibus ſuis numeris abſoluti & perfecti, atque adeo vere vitales & per conſequens legitimi ſunt. Hanc tamen ſuam ſententiam dictus autor ibidem *Specim. legal. Sect. prior.* §. *7. pag. 9.* emendavit, inquiens, ſententiam noſtram de vitalitate partus quinque- & ſemeſtris, quam ante aliquot jam annos in diſputatione de partu octimeſtri vitali & legitimo Halis Magdeburgicis ad ventilandum publice propoſita adſtruximus, nunc re penitius expenſa, revocare non veremur; quia, etſi quoad organorum ac partium ſuarum conformationem abſolutus ſit, durabilem tamen eundem fore, & vitalibus æque ac animalibus actibus edendis aptum, adfirmare non audemus: quia multum differt, perfectam partus humani ſubſtantiam obtinuiſſe ejusmodi fœtum & ea pollere organorum diſpoſitione, ut iis ſeorſim vivere alique per naturam posſit. Quare abortuum potius, quam verorum partuum nomen merentur. Proindeque ſi fœtus quinquemeſtris omnibus modis atque numeris abſolutus in lucem prodeat, ſuſpicione furtivorum annorum eundem non vacare, ultro confitemur. Iisdem plane difficultatibus ſemeſtrem quoque partum ſubjacere, vix amplius dubito, quanquam aliter olim ſenſerim. Licet enim vivus prodeat, ob debilitatem tamen organorum

corporeorum & imperfectiorem eorundem elaborationem vitæ durabilis capax non eſt.

§. 6.

fœtus immaturi ſuperſtites.

Obſervantur tamen etiam quandoque exempla fœtuum immaturorum, qui ante ſextum menſem editi non ſolum aliquot menſes, ſed etiam annos ſupervixerunt, qualia apud Paulum Ammannum *l. a. pag. 8.* recenſentur. 1. Uxor ſcilicet Philippi Fabri, in Neapoli peperit infantem immaturum, quem in pelle ovina ad baptiſterium deferri curarunt, vixit annum unum & tres ſeptimanas. 2. Uxor Petri Frœlichii intra viginti tres ſeptimanas gemellos excluſit, alteruter unum & dimidium, alteruter quatuordecim dies ſuperavit. 3. Uxor Cuſtalli intra ſex menſes etiam gemellos produxit, qui ſuperſtites manſerunt. 4. Poligraphi uxor diem fuit experta. 5. Johannis Krunau uxor intra tres & viginti ſeptimanas filiam feliciter peperit, quæ vixit quinquennium. 6. Uxor Grundiſchii intra hoc temporis ſpatium filium edidit, qui diu in vivis fuit, & 7. Poſenhammeri uxor etiam excludit fœtum immaturum, qui decennium vivendo attigit. Refert etiam Hiernoymus Montuus *Anaſcev. Morbor. Tom. IV. cap. 41. pag. m. 519.* ſe noviſſe pincernam Chriſtianiſſimi regis Henrici, qui menſe quinto natus erat, qui etiamnum in ætate conſiſtentiæ, trigeſimo ſcilicet anno vixerit. Inquit etiam Franciſcus Valleſius *de Sacr. Philoſoph. cap. 18. pag. m. 116.* noſtro ſeculo nata fuit puella quinquemeſtris, quæ adhuc vivit, plus quam duodecim jam annos nata, cujus gracilitas ac tenuitas major, quam mulieribus eſſe conſuevit, indicat, certam eſſe de ejus ortu fidem, præterquam quod multis domeſticis, neque inevidentibus argumentis conſtitit.

§. 7.

In quinquemeſtribus fœtibus interdum ungues & capilli

li apparent, quale exemplum refert Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſerv. 84. pag. 180.* de tinctoris Regiomontani uxore, cujus fœtus ſpithamæ longitudine erat, feminini ſexus, cujus ungues in digitis manuum pedumque diſtincte viſu tactuque dignoſcebantur; caput lanuginoſis pilis hinc inde erat conſperſum; pili tam in ſuperciliis, quam ciliis comparebant; quem fœtum dictus autor quinquemeſtrem judicat, atque *pag. 181.* ex pilis & unguibus legitimum partus tempus probari nequire addit. Alium fœtum ſequioris ſexus recens natum ob ungues in digitis manuum pedumque valde molles & teneros, criniumque in capite abſentiam, non ultra quintum menſem in utero geſtatum reputat D. Glockengiſſerus, *Actor. Medic. Berolinenſ. Dec. I. Vol. IV. Obſervat. 5. pag. 82.* *embryonis ungues & pili.*

§. 8.

Neque etiam ex embryonis magnitudine ejusdem ætatem cognoſci poſſe ſtatuit Fredericus Ruyſchius *Theſaur. anatom. VI. pag. 92.* Quicunque, inquiens, examinaverit omnes embryones, quos hic repræſentavi, calculum facile apponet aſſertioni meæ, ſcilicet, quod arduum atque difficile ſit determinare ex embryonis magnitudine, ut ex relatione, a quo tempore conceperint mulieres; præſertim cum perpaucæ reperiantur, quæ juſtum temporis punctum graviditatis obſervare valent. Præterea vitalitatem ſæpiſſime per aliquot tempus amiſerunt embryones, & nihilominus in utero ad tempus remanent, ita ut exiſtimem, impoſſibile fere eſſe juſtum tempus deſignare ex embryonis magnitudine. Circa fœtum humanum trium, quatuor, quinqueve menſium paulo certius illud dijudicari poteſt, cum ſæpiſſime vitales in lucem prodeant, & majori quoque numero ad noſtras perveniant manus. Itaque cautius agere volui, quam alii, qui incaute affirmant, ſeſe hoc poſſe videre ex illorum magnitudine. *magnitudo.*

§. 9.

Partus ſuppoſitus. Quandoque etiam tam meretrices quam uxores pro decipiendis amantibus & maritis ſuis graviditatem & partum ſimulant & loco veri & legitimi fœtus alienum & illegitimum ſupponunt, de qua fraude & partu ſuppoſito ita ſcribit Paulus Zacchias *Quæſtion. med. legal. Lib. III. Tit. 2. Quæſt. 8. fol. m. 299. n. 3.* nonnullæ mulieres, ut maritos vel amantes in ſui amorem alliciant, filios ex eis ſuſcepiſſe ſe ſimulantes, cum ipſæ per ſe ſteriles exiſtant, aut ſaltem ex marito, vel amante prolem habere non poſſint, non ſecus ac aves alienis ſe pennis exornantes partus alienos ſibi ſupponunt, atque ea malitia & fraude marito aut amanti imponunt, prolemque non ſuam, tanquam ex ſe ſuſceptam alere, atque in poſterum pro ſua habere cogunt. Interdum etiam matres fraudulentæ ob cauſas politicas & alias, tales fœtus vel in partu ficto obtrudunt, vel cum fœtu ſuo revera edito ſubdole transmutant, uti ſecundum Gabrielis Clauderi verba *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſervat. 207. pag. 515.* non ita pridem toti orbi expoſuit ſtatiſtica nonnullorum curioſitas per hæreditarium magnæ Britanniæ principem, Wallifium, de cujus genuino parente ſub judice lis eſt, & adhuc, dum hæc ſcribo, tot ac tot millia terra marique brachiis armatis controvertunt. Hujus Prætendentis apud Anglos, tanquam partus ſuppoſititii nativitatem ex Gilberto Burneto, qui potiores ſuppoſitionis circumſtantias aperuit, prolixe deſcriptam communicavit Burcardus Goth. Struvius *Schediaſmat. de Part. ſuppoſit. §. 25 pag. 34. usque ad p. 51.* quo in tractatu dictus autor varia ejusmodi fraudulentæ ſuppoſitionis indeque in regnis ſucciſivis ortorum malorum exempla adducit, talesque partus alienos patribus per adulterium, vel per ſuppoſitionem ſubſtitui demonſtrat. v. g. Alexandrum Magnum equidem matre Olympiade in lucem fuiſſe progenitum ſatis conſtat, de patre vero admodum dubitatur,

ipſe-

ipſeque potius partus adulterinus eſſe creditur. Ferdinando IX. Luſitaniæ regi liberos ab uxore Eleonora Meneſia fuiſſe ſuppoſitos, ex Mariana refert *§. 4. pag. 6.* Henricus Caſtellæ rex, qui procreationi impotens habebatur, ex indignatione, ne ſoror ipſi ſuccederet, Hiſpanum quendam juvenem, decora quidem facie, ſed humili fortuna natum, nomine Beltrandum Cucuam, in regiam acceptum, ducem Albucherchenſem creavit, egitque ut cum regina concumberet, itaque anno 1461. filiam edidit, cui Johannæ nomen inditum eſt, quæ magnorum in Caſtiliæ regno motuum cauſa exſtitit. Sic Carolus VIII. rex Gallorum, filius Ludovici XI. a quibusdam partus ſuppoſitus fuiſſe creditur. Canutus I. qui ex Danis apud Anglos imperabat, ex Albina concubina, quam Olao, Norwegiæ regi, præripuerat, filium naturalem habebat Suanum, quem Norwegiæ regem præfecit; quem tamen presbyteriſſa recens natum ſibi decubanti ſuppoſuiſſe, & Canutum regem ad id credendum ſub dolo induxiſſe dicunt: Alter Albinæ filius dicebatur Heraldus, quem tamen filium cujusdam ſutoris fuiſſe ajunt, & Albinam illam, rege neſciente, in filium ſibi adoptaſſe, & quaſi regis filium nutriri feciſſe. Tancredus apud Gallos in domo Rohanea per ſententiam pro ſuppoſititio & adulterino fuit declaratus ſubque pœna capitis, nomine aut inſignibus Rohaneis uti, prohibitus fuit.

§. 10.

Sic Guidoni duci Urbinati partus fuit ſuppoſitus, priusquam enim conjugem ex Columnenſi familia duceret, cum proles ei nulla virilis eſſet, anxius, quonam pacto in gente ſua imperium propagaret, concubinam ex ſe prægnantem asſimulavit, & in Bernhardini Cardenſis agnati ſui, præclari copiarum ducis, filium tunc forte natum ſupponi pro ſuo nutririque jusſit, Friderici nomine indito. Sed conjugio deinde contracto, cum filium legitimum ſuſtuliſſet, converſa in eum cura *alia exempla.*

Fridericum adhuc puerum militiæ tradidit, in qua ille ad ætatem usque virilem perſeveravit. Deinde, Ottone mortuo, vocatus a populo Urbinatium factus eſt princeps. Item Actio vicecomiti Mediolanenſi conjux partum ſuppoſuerat, unde ille, ſubita concitatus iracundia, amatam nobilem feminam apud Roſatum in profunda arcis foſſa demerſerat, quod illa lenitate muliebri mentita partum ſibi alieni ventris puerum ſuppoſuiſſet. Et Bertha, Adelberti Italiæ Marchionis uxor, viro ſuo nullum filium peperiſſe, ſed ab aliis mulieribus clam acceptos ſimulato partu Widonem & Lambertum ſibi ſuppoſuiſſe dicitur, quo poſt mortem Adelberti Berthæ non deeſſent filii, quorum adjutorio omnem viri ſui potentiam poſſideret. Falſum quoque partum ſubſtituiſſe Eutropiam Syram, uxorem Maximani Herculii imperatoris ajunt; nam cum mariti animum ſibi cuperet devinctum retinere, ſubjeciſſe ſibi fertur Maxentium. vid. Bened. Carpzov. *Pr. Rer. criminal. Part. II. Qu. 93. n. 27. fol. 368.*

§. II.

Exempla plura.

His ex ſupra allegato autore adductis exemplis annectere etiam liceat ſuſpicionem ejusmodi partus ſuppoſiti Conſtantiæ Normannæ, matris Friderici II. quæ antea monialis, poſtea extracta clauſtro unica hæres fuit regni Siciliæ; ideoque ut ſuſpicionem partus ſuppoſiti averteret, in præſentia nobilisſimarum feminarum Sicularum, in urbe Eſtorum, ſub tentorio in foro, parere publice voluit; quamvis non defuerint, qui hunc partum in dubium revocare conati ſunt, inter quos fuit Marquardus Anconæ Marchio, qui teſtibus probaturum ſe pollicebatur, Fridericum nequaquam ex Henrico atque Conſtantia, ſed ſuppoſititio quodam partu natum eſſe, ut Pandolphus Collenucius in ſua Hiſtor. Neapolitana refert. vid. Phil. Camer. *Horar. ſubciſiv. Cent. II. LXXXVIII. p. m. 276.* ubi ſequentia addit: Hoc forte Johannem Michaelem Brutum movit, quod omnino neget,

get, Conſtantiam illam initiatam ſacris, & per omnem ætatem collegio virginum præfuiſſe, a Cœleſtino pontifice ſolutam legibus, nubere viro permiſſam, cum ex illius computatione regnante illo pontifice eam ſexagenariam fuiſſe oporteat &c. De hoc vero Friderico II. imperatore ex Alberto Stadenſi ſequentia refert Struvius §. *20. p. 24.* Quondam Conſtantia, filia regis Siciliæ, ſic imperatori fuit in matrimonio copulata, ut, ſi patruus ejus, qui regnum Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ poſſidebat, ante quam Conſtantia moreretur, regnum ad Conſtantiam hæreditario jure volveretur. Conſtantia autem, cum imperatorem duceret, ſexagenaria videbatur. Timebatur autem ſterilis permanſura. Unde imperator medicorum uti conſilio nitebatur, ut ſterilitate repulſa fœcunda fieret, ne ſine hærede regnum Siciliæ permaneret. Et medici ei ad tale propoſitum & opem & operam ſpoponderunt. Fecerunt autem uterum ejus per medicinas paulatim intumeſcere, ita ut imperator eam vehementer crederet impragnatam. Medio autem tempore phyſici ſibi de infantulo providerunt, ita, quod de diverſis mulieribus imprægnatis, & tempore partus Conſtantiæ parere debentibus, ſecretiſſimo conſilio unus infantulus raperetur in palatium, ad lectum Conſtantiæ partus tempore deferendus, ut ſic alius natus, tanquam de Conſtantia naſceretur, & filius alterius pro imperatoris & imperatricis filio haberetur. Vicit tamen dubium eſſe, utrum ille puerulus phyſici, aut molendinarii aut aucupitrarii filius fuerit, ſed vere ajunt, eum unius ex his tribus filium extitiſſe. Ratio autem, cur partus eſſet ſuſpectus, exinde ſumebatur, quod Conſtantia eſſet annoſa, jamdum ſexagenaria. Romæ ſub Tiberio Lepida, cui ſuper Æmiliorum decus L. Sulla ac Cn. Pompejus proavi erant, defertur ſimulaviſſe partum ex P. Quirinio divide atque octo. vid. Cornel. Tacit. *Annal. Lib. III. c. 22. pag. m. 57.*

§. 12.

Item. Ante non multos adeo annos, & quidem poſt ſuppoſiti partus Walliſiani tempus, generoſiſſimi quoque cujusdam viri uxor, non admodum juvenis, ἄπαις tamen, ob pinguiorem procul dubio poſt mariti mortem, adipiſcendam hæreditatem, ſibi prolem exoptans ad ejusmodi partus ſuppoſitionem confugiebat, hinc primo graviditatem ſimulabat, demumque vetulæ obſtetricis conſilio & auxilio paupérculæ cujusdam mulieris recens natum vixque a ſanguine ac ſordibus mundatum infantem, loco proprii partus ſuppoſitum, marito ſuo tanquam legitimum & unicum hæredem magno cum gaudio offerri curabat; quem ipſe etiam ſublætabundus equidem ulnis excipiebat, paulo tamen poſt, detecta hac fraude, animum mutabat. Unde non ſolum obſtetrici fuſtigationis pœna, (a qua tamen per celeberrimarum atque primiceriarum mulierum interceſſionem ex gratia fuerat liberata) dictabatur, ipſa autem fraudulenta ſeu pſeudo-puerpera per aliquot annos a mariti facie arcebatur, donec tandem per crebriores cognatorum aliorumque amicorum ſollicitationes in aliqualem mariti gratiam reſtituta ad menſam equidem, non autem torum admitteretur.

§. 13.

Signa. Circa ſuſpicionem autem partus ſuppoſititii varia, & quidem tam ratione antecedentis, quam præſentis ſeu inſtantis, & ſubſequentis temporis ſunt obſervanda. Ante partum primario examinanda ſunt ſigna partum ordinarium antecedentia; & an talis perſona ſuſpecta revera ſit gravida nec ne; id quod tam per viſum, quam tactum, imprimis ex abdominis vel uteri tumefactione, levi vel vehementiore fœtus in utero motu & calcitratione, item ex lacte in mammis & aliis ſupra *Sect. VI. cap. 1.* allegatis graviditatis ſignis, quamvis talia

lia non ſemper ſint infallibilia, judicari poteſt. Quid itaque mirum, quod olim etiam illuſtres feminæ, hoc in paſſu ſuſpectæ, pro confirmanda ſua graviditate, & avertenda ejusmodi ſuppoſitionis fraude, ventris inſpectionem tolerare non erubuerint, quale exemplum recenſet modo allegatus Struvius §. *14. pag. 18.* ſcilicet Henricus I. Miſnenſis Marchio, qui anno 1103. moriebatur, relicta uxore ſua, Gertrude, Ecberti I. Misniæ Marchionis filia gravida. Fucum vero cum ſubeſſe crederet adgnatus ipſius, Conradus, Budſetienſis & Wettinenſis comes, dicta Gertrudis coram altari nudum alterum oſtendit, vel, ſecundum alios, univerſis mariti ſui miniſterialibus convocatis, in medio ipſorum, in loco eminenti adſtans, devoluto ex humeris ad nates pallio, nudam ſe oſtendit, ut, an vere eſſet gravida, judicarent. Partum tamen enixa. Nihilominus Conradus comes, qui mortui Marchionis hæres futurus erat, ſi ille filium non reliquiſſet, dicebat, coqui eſſe filium proque femella recens nata fuiſſe ſuppoſitum.

§. 14.

Quandoque etiam feminis illuſtribus, ſi quando ejusmodi in caſu graviditatis ſuſpicio vel ſimulatio ſubſit, obſervatores ſeu cuſtodes corporis ordinari ſolent, ne qua ſequatur ludificatio, hinc Johannis III. Arragoniæ Regis anno 1395. defuncti vidua, Violanta, quæ prægnantem ſe eſſe relictam ſimulabat, cuſtodes igitur adhiberi ſancivit, v. Struv. §. *17.* & ſecundum §. *26. p. 31.* hoc mirum non eſt, dum univerſa Europa hactenus Parmenſis ſucceſſionis eventum expectavit, quod ipſa ſereniſſima vidua Parmenſis, ut omnem ſuppoſitionis ſuſpicionem removeret, præſentibus paciſcentium legatis, aliisque proceribus, tam viris, quam feminis partum edere voluerit, idque ut eo facilius procederet, in palatii ſui magno aulæo diverſa parari fecerit receptacula. Plures ejusmodi caſus refert adhuc inſuper allegatus autor, quos ejusdem pace etiam annectere

ſuſpicio cautelæ ante partum.

liceat, cum non ubivis occurrant. Obſervatum autem fuit, dum Alberti II. imperatoris & Ungariæ regis poſthumus Ladislaus in lucem prodiret, gravida enim relicta vidua, cum ex Hungaria Poſonium verſus deſcenderet, tempore partus accelerante, in caſtello Comarum, octavo Kalendarum Martii, quadrageſimo poſt milleſimum quadringenteſimum peperit poſthumum, Ladislaum filium; Fores cubiculi patulas palatino regni, qui tum caſtrum poſſidebat, cuſtodiente, contra pudorem femineum, ne ſuppoſititius partus Hungaros falleret. Et Maria, Petri II. Arragoniæ regis conjux dum partui eſſet vicina, ut omnes ſuppoſitionis ſuſpicionem a ſe averteret, Mompellerium ingreſſa, in præclara Tornamirenſium domo, ipſo tempore partus, cunctos civitatis optimates cum uxoribus ſibi adeſſe juſſit; ubi divino opem ferente numine natus eſt infans fauſtus ac perelegans. Imo Vladislai Hungariæ regis conjugi, Annæ Candaliæ, parturienti proceres adſtiterunt. Idem etiam apud Anglos obtinere, docet non ſolum hiſtoria nativitatis Angliæ principum, ſed etiam Prætendentis; & Anglorum lex Fleta de partu ſuppoſito a noſtro autore §. *24. pag. 30.* communicatur.

§. 15.

cautela in Gallia.

Modum, quo in Gallia circa partum Delphini ſeu principis & hæredis regii præcavetur, ne forte fœtus illegitimus ſupponatur, Jobus Ludolffus *in der allgemeinen Schaubühne der Welt-Geſchichte Tom. I. Lib. I. cap. 5. n. 45. fol. 34.* ita deſcribit: *Wir achten nicht undienlich dem Leſer die groſſe Vorſichtigkeit zu hinterbringen, welche bey der Geburt eines Dauphins in Franckreich, allen Verdacht eines Wechſel-Kindes zu vermeiden, gebraucht wird. Da darff ſich die Kœnigin nicht ſchæmen, Beyſeyns der Fürſten vom Kœniglichen Geblüte nieder zu kommen. Womit es alſo gehalten wird: In dem Saal, der zu der Geburt beſtimmt, werden zwey Gezelte aufgerichtet. In dem groſſen, ſo faſt*

zwan-

zwanzig Ellen im Umkreiß hælt, und mit Vorhængen an denen vier Enden verſehen iſt, ſetzet ſich der Kœnig neben denen Fürſten ſeines Geblüts ſamt etlichen Fürſtinnen. In der Mitten deſſelben iſt ein ander kleiner Gezelt, in welches ſich die Kœnigin mit der Hebamme begiebt. Vorher aber und ehe die Kœnigin hinein gehet, werden die Vorhænge und die Flügel der Gezelte aufgethan, daß iederman ſehen kœnne, daß kein ander Weib noch Kind darunter ſey. Nach der Geburt wird das neugebohrne Kind, wie es aus Mutterleibe kommen, gedachten Fürſtlichen und andern hohen Perſonen gezeigt, und damit aller Argwohn einer Verwechſelung oder Suppoſition *benommen. Welches, wenn es in einem andern Erb-Kœnigreiche alſo gehalten worden, vielem Streit und Kriege in unſerer Zeit hætte vorbauen kœnnen.*

§. 16.

Conſtat itaque ejusmodi cuſtodes utriusque ſexus pro hoc ſcopo adhiberi vel ordinari, ut, cum partus tempus, ob incertum conceptionis momentum ſeu principium, vel etiam ob plures alias rationes admodum ſit dubium, tales obſervatores mature ante inſtantem partum ſint præſentes, ſicque ipſo inchoante bene attendant, an dolores ſeu niſus, ad partum ſint vehementes, & diuturni, partusque difficilis, an vero facilis; hoc enim modo adſtantes non ſolum de vera matre, ſed etiam de fœtu, an ſit legitimus, & qualis, an mas, an femella, an ſanus, vel debilis, item an revera a tali puerpera editus, an ejus loco alius, & quidem vel recens, ſeu eadem hora & die, vel etiam aliquot ante dies ab alia matre natus atque malitioſe ſuppoſitus fuerit, cognoſcere, atque de legitimo inque ſua præſentia ex utero prodeunte infante, bona conſcientia certum teſtimonium ferre poterunt; imprimis autem obſtetrix, ſine cujus conſilio & auxilio vix aliqua femina ejusmodi partus ſuppoſitionem ſibi proponet vel tentabit, rigoroſe examinanda erit. *in ipſo partu.*

§. 17.

poſt partum. Tertio etiam variis conjecturis & præſumtionibus partus ſuppoſitionem probari poſſe, docet Joſephus Maſcard. *de Probation. 1152. f. 56. ſq.* inquiens: Partus ſuppoſiti præſumtio eſt, *Vol. III. Concl.* ſi probetur, mulierem, quæ criminis ſuppoſiti rea eſt, id ætatis fuiſſe, ut veriſimile non ſit, eam partum illum nunc edidiſſe, Mulier enim excedens quinquaginta annos, raro aut fere nunquam concipit, & ſi pariat, mirabilis eſſe partus cenſetur, & mas major annis ſexaginta facile nequit procreare. Item partus ſuppoſiti præſumptio eſt, ſi mater diu ſterilis fuerit, & usque ad illud tempus, in quo ſe peperiſſe dicit, partus ſuppoſiti præſumptio eſt, ſi mulier poſt mortem mariti ſe nunquam prægnantem dixerit per longum temporis ſpatium. Partum fuiſſe ſuppoſitum matri aſſerenti credendum eſt, quando aliæ conjecturæ ſimul cum matris confeſſione concurrunt. Item partus ſuppoſitio probatur ex confeſſione matris, etiamſi teſtes in ea probanda eſſent ſingulares quoad locum & tempus. Et partus ſuppoſiti præſumtio eſt, ſi filius, quem ſe modo peperiſſe mulier aſſerit, utrique parenti fuerit diſſimilis. Ad quæſtionem, quibus ſignis partus dignoſcatur ſuppoſitus? ita reſpondet Hermannus Frid. Teichmeyerus *Inſtit. Medic. legal. cap. 7. pag. 43.* partum ſuppoſitum dignoſcere, adeoque filiationem probare ipſi JCti pro re habent ſi non plane impoſſibili, admodum tamen difficili. Interim a Maſcardo & Farinacio ut ſignum primarium commendatur partus ſuppoſiti vel ficti cum patre diſſimilitudo. Quod argumentum quidem notatu dignum eſt, non tamen infallibile. Nam ſimilitudo quidem filiationem probat veriſimiliter, ſed diſſimilitudo filiationem plane non negat. De ſimilitudine liberorum cum parentibus varia in Syllepſilog. noſtr. *Sect. V. cap. 9. §. 152. pag. 646. ſeqq.* reperies. De variis partus ſuppoſiti præſumptionibus tam ex parte viri, quam mulieris, videri poteſt Paul. Zacch. *Quæſt. med. legal. Lib. III. Tit. 2. Qu. 8. fol. m. 299. ſeqq.*

§. 18.

§. 18.

Quia vero hoc delictum crimen falſi atque capitale eſt, juxta modo allegatum autorem *f. 300.* leges illud jure puniendum jubent; hujus tamen criminis pœnam alii autores capitalem, alii vero fuſtigationem judicant. Unde inquit Benedictus Carpzov. *Criminal. Part. II. Qu. 93. n. 29. ſeq.* pœna hujus delicti erit fuſtigatio, non habito reſpectu perſonæ, quæ partum alienum ſuppoſuit, an parens fuerit, nec ne, modo ſupponens damnum per id intulit alteri, & ſic cum injuria & noxa alterius quicquam extorſerit, vel torquere atque aſſequi voluerit, veluti ſic a ſcabinis reſponſum percepi: *Hat eine Weibs-Perſon, genannt Regina, einer andern Frauen, der Alexin, junges Kind zulegen laſſen, als ob ſie das gebohren, und hat des Kindes rechte Mutter, als für eine Amme ums Geld das Kind zu ſtillen gebraucht, und daſſelbe darum, daß ſie von dem Manne zu Dœbeln, der ſich mit ihr der entſatzten Jungfrauſchafft halben zuvor hat vertragen müſſen, mehr Geldes ſchætzen mœchte, wie ſie denn denſelben Ehemann gefænglich einziehen laſſen, als ob er ſie, die Reginen, geſchwængert haben ſolte &c. So mœget ihr die beyden Weibs-Perſonen ſolches betrüglichen Falſches halber zur Staupen ſchlagen, und ewig verweiſen laſſen, V. R. W. An. 1562.* Memini etiam, pergit Carpzovius, dominos Scabinos meo tempore fuiſſe conſultos ſuper caſu, quo alienam filiam ſuam eſſe affirmaverat, eo fine, quo hæreditatem opulentam lucraretur, cui ob id fuſtigationis pœnam dictavimus. Ad conſultationem judicis & ſcabinorum Lipſienſium M. Majo anno 1625.

poſt partum.

§. 19.

Non autem ſolummodo in partu ſuppoſito, de quo hactenus egimus, ſed aliis quoque caſibus, tam de futuri ſeu inſtantis, quam præteriti partus ſeu puerperii ſignis ab obſtetricibus & medicis judicium requiritur, ſiquidem nonnullæ fe-

ſigna partus præteriti.

minæ malitioſæ ac meretrices partum ſeu prægreſſam fœtus excluſionem ſummo ſtudio celare penitusque pernegare ſolent, quo in caſu ante omnia antecedentis graviditatis ſigna, v. g. menſium ſuppreſſio, uteri vel abdominis intumeſcentia, motus fœtus in utero, lac in mammis &c. ab ipſa ſuſpecta, vel aliis ipſi familiaribus perſonis ſunt expiſcenda, & quamvis talia ſigna non ſemper infallibilem prægnantiæ notam præbeant, quod ſi tamen collective ſumantur, & in majori numero & gradu appareant, magnam ſane graviditatis & inſtantis partus præbent præſumptionem. Ad partum autem præteritum atque diſſimulatum evidentiora ſigna, v. g. a ventris rugoſitatibus, fiſſuris & vibicibus, a lacte in mammis, a laxitate partium genitalium, a frenulo labiorum vulvæ, ab inteſtini recti amplitudine, a lochiis fluentibus &c. deſumi ſolent, item ſi papillæ in utraque mammilla ſolita rotunditate & magnitudine, ut & rubedine gaudent, uti in mulieribus ad lactationem aptis, apparent, vide Joh. Caſp. Weſtphali Relationem in Mich. Bernh. Valentini *Noveu. Medic. legal. Caſ. 46. pag. 843. ſeq.* & Mich. Albert. *Jurisprud. med. legal. Part. poſter. Caſ. 14. p. 148. ſeq.* quæ tamen ſubinde pariter impugnantur, uti ex ſequentibus autoribus liquet.

§. 20.

Sententia Arniſæi.

Inquit enim Henningus Arniſæus de judicio de lactis & rugarum ſignis apud Thomam Bartholinum *de Ciſta medic. Locul. 33. pag. 375. ſeq.* ſi mulier perſtitiſſet in prima inficiatione, negaſſetque, ſe vel gravidam fuiſſe, vel peperiſſe, potuiſſet duobus illis ſignis, in quibus hodie ſumma totius probationis conſiſtit, puta, lacte albo & copioſo in mammis, nec non rugoſo & collapſo ventre, convinci, lacte quidem, quod concepiſſet, rugis vel fiſſuris, quod peperiſſet: quanquam probatio per illa ſigna non fuiſſet evidens & ad condemnandum ſufficiens, ſed præſumtiva & conjecturalis. Lac enim in mammis

mis non præbet indicium partus neceſſarium, ſicut nec fiſſuræ ventris, ſed præſumtionem tantum vehementem, quia etiam non prægnantibus, alicubi viris quoque, ubera lacte profluxiſſe deprehenſa ſunt, eoque probo & inculpato, quod de rugis item ventris notat Pinæus, oriri ſcilicet eas poſt quemcunque magnum abdominis tumorem diſſipatum.

§. 21.

De partus ſignis hæc habet Hermannus Fridericus Teichmeyerus *Inſtit. med. legal. Cap. 10. Qu. 2. p. 66. ſeq.* Signa mulieris recenter enixæ plurima & minus fallacia obſervantur, 1) ventris flacciditas & rugoſitas admodum conſpicua, 2) cruoris vel ſanguinis per pudenda muliebria effluxus, 3) dilatatio vaginæ uteri extraordinaria, 4) regionis pubis intumeſcentia, tumor pudendorum œdematoſus, 6) lactis in mammis præſentia, 7) durities mammarum, a tactu doloroſa. Quæ ſigna ſimul obvenientia ſatis probant, mulierem peperiſſe, ſeparata, vero ſumta fallere poſſunt. Poſt infanticidium in matris abdomine vibices introrſum in cute ſpectabiles, impreſſæ atque ſugillatæ deprehendebantur, quæ ſine dubio originem a faſciis ligaturis, quibus nimis arcte ſe conſtrinxerat, ne graviditatis ſuſpecta fieret, duxerant, juxta Medic. Berolin. Act. *Vol. IV. p. 98.* *Teichmeyeri.*

§. 22.

De pudendi labiorum frenulo inquit Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib. II. cap. 25. fol. m. 186.* Pudendi labiorum inferiorum cutis ligamentoſa frenum labiorum dicitur, in virginibus tenſum, in puerperis valde relaxatur, quæ cutis laxitas ſumma depreſſio partus jam facti ſignum eſt certiſſimum. Sed hujus membranæ tenſio & erectio poteſt deprehendi indito digito, vel paulum diductis & divaricatis cruribus. Secundum Philipp. Verheyen. *Anat. Tr. II. cap. 29. p. m. 200.* hoc frenum in virginibus primo pubeſcentibus maxime tenſum, in puerperis laxiſſimum eſſe conſuevit. Juxta Caſp. Bauhin. *Theatr.* *ex frenulo labiorum.*

anat.

anat. Lib. I. cap. 40. pag. m. 137. frenum ſeu labiorum commiſſura in virginibus tenſa, conſtricta, in corruptis laxa, in puerperis valde relaxata eſt, quare ex hujus cutis laxitate fœturæ ſignum certiſſimum aſſerunt. Gallis hoc frenulum dicitur la fourchette, & Jean Palfyn *des Part. dela femme Part. I. pag. 4.* ſcribit: il y a des autheurs, qui croient, que le ſigne veritable, qu'une femme a enfanté, ſe connoit par ce que les ſages femmes appellent le dechirement dela fourchette, qui eſt une dilaceration de l'entrée de l'orifice du vagina vers l'anus, qui ſe fait toujours à la ſortie du premier enfant, & qui par conſequent eſt marque indubitable de l'accouchement, qui a precedé. Sic etiam Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. Cap. 2. pag. m. 170.* inquit: Frenuli hujus laxitas ſummaque depreſſio vel abolitio inter alia perditæ virginitatis ſignum quodammodo exhibere creditur.

§. 23.

ex partibus genitalibus. Virginum illæſarum partes genitales adeo arctas eſſe, ut ſine doloroſa ſenſatione atque cruentatione in primo congreſſu vix mentulam virilem admittere queant, poſtea tamen in partu ita dilatari, ut fœtus craſſus & muſculoſus illas pertranſire poſſit, ſatis notum eſt, cumque tales viæ non niſi fraude & ſophiſticatione ad priorem anguſtiam coarctentur, & tali partium genitalium laxitate, facillime ſtatus virginum e puerperarum differentia dignoſci poterit. Interim tamen bene obſervandum, talem dilatationem non perpetuo tantam permanere, ſed poſt aliquot ſeptimanas vel menſes aliquatenus iterum corrugari atque coarctari. Mirandum itaque, quod Philippus Zieglerus *in Deſcriptione Americæ fol. 20.* de Americanorum uxoribus recenſet: *Sie ſeynd ſehr fruchtbar, und ſcheuen der Arbeit nicht, ob ſie gleich ſchwanger gehen, und gebæhren leichtlich und mit wenig Schmertzen, alſo daß ſie des andern Tages wiederum friſch und geſund umher gehen, ſonderlich pflegen ſie ſich nach der*

Geburt

Geburt in einem Fluß zu waſchen, und kommen wiederum friſch und geſund herfür, wie die Fiſche. Und iſt hœchlich zu verwundern, daß ſie nach der Geburt vollkommen, wie zuvor erſcheinen, als ob ſie nie gebohren hætten, und die Frauen von denen Jungfrauen nicht zu unterſcheiden ſeyn.

§. 24.

Quod de imprægnatione præterita obſtetrices nihil certi deponere ſciant, his rationibus confirmat Andreas Ottomarus Gœlicke *Medicin. forenſ. Specim. V. §. 5. pag. 83. ſeq.* quia recentis puerperii ſigna atque indicia ſucceſſu temporis oblitterantur, nec ullum ſui veſtigium relinquunt. Quod enim de rugis ſeu plicis in ventre inferiori poſt partum relictis garriunt aniculæ, faſciatione plerumque præpediri ſolet, qua quippe abdomen in ſeſe denuo contractum rugoſitatis expers redditur. Taceo, multa hodieque artificia coſmetica pleriſque mulierculis innotuiſſe, ventrem æquali in planitie ac nitore ſine plicis ac rugis conſervandi. Majoris temeritatis ac præcipitantiæ reas ſeſe reddunt, dum de oſſium pubis dehiſcentia, etiam poſt aliquot menſes, imo integrum plane annum reſidua, multa incondita ſine ulla ſolida ratione & experientia deblaterant: cum, craſſo ſenſu rem æſtimando, non neceſſarium ſit ullo in partu, ſive facili, ſive difficili, oſſa pubis ſemper dehiſcere, quæ quippe per ſynchrondoſin tam arcte inter ſeſe mutuo juncta & unita ſunt, ut, qui ſemel tantum in anatomicis ſectionibus illa ſeparari vidit, vix amplius ſibi perſuadere queat, a capite fœtus tranſeuntis divelli ipſa a ſe mutuo tam facile poſſe, quæ, quod potius viarum anguſtiis ſeſe accommodent, ovalis, qua plerumque prodire ſolent, capitis figura demonſtrat, ut ab obſtetricibus demum in rotundam ſeu globoſo-ſphæricam formam conformanda ſit. Quod inſuper de ſigno muliebri ſub umbilico reperiundo temere effutiunt, ad fabuloſas mulierum iſtarum delirantium narratiunculas relegamus. Æque abſurdum eſt,

dicta ſigna ſunt fallacia juxta Gœlickium.

quod de ingenti amplitudine inteſtini recti, ut pugnum admittere queat, impudenter deblaterant: quia muſculus ſphincter dicti inteſtini tam arcte connivet, ut vix pollicem ſine ingentibus cruciatibus admittat; quanquam hanc pollicis immiſſionem in inteſtinum rectum, & excitatam hac encheireſi oſſium coccygis reclinationem multis obſtetricibus, ad partum facilitandum, valde ſolemnem eſſe, non ignorem, quæ tamen operatio, violentius imprimis inſtituta, plerumque nihil aliud, quam paralyſin harum partium & conſequenter involuntarium fæcum alvinarum profluvium pediſſequum habere ſolet. Multo vero minus ex ipſarum partium genitalium præſenti conſtitutione certi quippiam de præcedenti puerperio hariolari poteſt obſtetrix, quia non modo ſecundum naturam vaginæ uterinæ diſpar in diverſis ſubjectis amplitudo eſt, ſed & exacto poſt unum vel alterum menſem puerperio, illa eodem modo ad priſtinam ſuam arctitudinem vel ſponte revertitur, vel artificialiter reducitur, ſicuti fundus uterinus, qui, licet ſub ultimis graviditatis menſibus in immenſum dilatatus eſſet, ſenſim tamen ita contrahitur, ut miraculo proximum ſit, tantæ molis & amplitudinis corpus ad tantam arctitudinem reduci denuo potuiſſe.

§. 25.

juxta Bohnium.

Quod autem ex hactenus recenſitis partus præteriti ſignis, poſt aliquot temporis intervallum infallibile judicium ferendum non ſit, confirmat etiam Johannes Boh. *Medicin. Forenſ. Specim. III.* §. *46.* inquiens: haud infrequens eſt, feminas, quo impudicitiam ſuam celent, partum perpeſſum negare: ita pro conjectura hujus criminis firmanda, vel diſcutienda obſtetrices ac medici deponere a magiſtratu jubentur. Qualis depoſitio in illis quidem, quæ recens ſeu modo pepererunt, primis nempe decem diebus, res non adeo difficilis videtur: olim vero, v. g. ante totidem ſeptimanas vel menſes tale quid contigiſſe, aſſerere per conjecturas medicas vix conceditur. Et quæ

vulgo

vulgo a ventris rugoſitate atque flacciditate, ac genitalium laxitate & amplitudine petitur, inculpationis ſuſpicio diverſimode fallit in his, quas olim & ante diſſimulatum partum jamdum quoque peperiſſe conſtat, v. g. viduis aut proſtibulis notoriis; ubi dubii diſcedimus, an a priſtino, an nupero enixu illa hypogaſtrii flacciditas ſit: ſed in ejusmodi tantum caſu alicujus momenti eſt, ubi, quem diſſimulat, partus primus cenſetur. Accedit, quod quævis alia cauſa, abdomen aliquandiu præter modum diſtendens, v. g. hydrops, menſtruorum retentio, ſublata ſeu evaneſcens, ſubſidentiam & rugoſitatem ejusmodi quoque inferre ſoleat: contra quædam, primiparæ imprimis & obeſiores, parum aut nihil flacciditatis hujus experiantur, aut longius a partu eandem iterum deponant. Neque in his, quæ pluries pepererunt, pudendorum laxitas, pro partu, longius abhinc facto, evincendo quadrat, ambiguos pariter dimittens peritos, an prioris ſeu certi, an poſterioris, ſeu dubii, partus effectus illa exiſtat: ut taceam, illam latitudinem tractu temporis aut ſponte deleri, ſeu fraudibus variis corrigi poſſe. vid. etiam idem Bohnius *de Offic. medic. duplic. Part. II. cap. 6. pag. 671. ſeq.*

§. 25.

Huc pertinet etiam reſponſum facultatis medicæ Lipſienſis *ad Caſum XXXVII. Cent. IV. pag. 918.* Medicin. forenſ. Johann. Frid. Zittmanni: An ſola inſpectione ventris partus determinari poſſit? quod ſic ſonat: *Als uns dieſelbe die* Inquiſition-Acta *S. M. M. ſelbſt angegebenen Kinder-Mord betreffend zugeſchicket, und über die von 4. Kinder-Müttern, dem Stadt-* Phyſico *und Amts-Barbierer, gethane Beſichtigungen, diſsfalls verfertigte Auſſage und erſtatteten Bericht, unſer Gutachten gebeten, nehmlich: Ob aus denen hierbey angemerckten Umſtänden gewiß zu ſchlieſſen ſey, daß gedachte* Inquiſitin *vormals ſchwanger, und eines vollkommenen Kindes geneſen ſey? So geben wir denenſelben zu verlangter Antwort: daß 1) wir nicht abſehen kön-* *item.*

nen, wie 5. 6. 7. Monat nach der Geburt, als welche bey gegenwærtiger Perſon im Octobr. geſchehen ſeyn ſoll, ſelbige aber allererſt den 18. Martii, 24. April und 28. Maji folgenden Jahres hernach beſichtiget worden) in und bey allen Subjectis primiparis *genugſame Zeichen und* certa indicia *einer ſo lang vorhergegangenen Geburt gefunden und angemercket werden mœgen; maſſen* abdominis aliqualis mollities & flacciditas, *deſſen Falten oder* plicaturæ *auſſer dem, und von andern Urſachen*, aliqualis latitudo orificii vaginæ, *auch vom* Coitu frequentiori *œffters herkommen. Hingegen zuweilen bey* primiparis *ſo lange Zeit nach der Geburt eine ſolche* Diſpoſitio corporis, partiumque conſtitutio *gefunden wird, woraus man, als ob ſie noch nie gebohren, wohl ſchlieſſen ſolte.* 2) *Nebſt dieſem aber und wenn es ſich ſo verbielte, wie die beyden Wehmütter* atteſt*iren, daß* vagina uteri *ſo weit, und nahe gegen den Maſtdarm aufgeriſſen, auch* mammæ molliores & flaccidiores, *und* ſynchondroſis oſſium pubis *wieder mit Knorpel bewachſen befunden worden, lieſſe ſichs zwar vermuthlich ſchlieſſen, daß dieſe M. ein Kind getragen, und zur Welt gebracht hatte: alldieweil aber hingegen 2. andere Kinder-Mütter gedachte* latitudinem vaginæ *und* flacciditatem mammarum per avtopſiam *beſtændig verneinen, und nebſt M. L. des Knorpels am Schloßbeine nicht gedencken: der* Medicus *und* Chirurgus *in ihrem Berichte etwas* obſcur *und zweiffelhafft ſcheinen: als vermœgen wir, ob dieſe Perſon vormahls ſchwanger geweſt, und gebohren, nicht gewiß und beſtændig* determin*iren. L. den 6. Jun. 1686.*

§. 26.

Partus ſimulatus. Aliquando etiam feminæ, ſecundum Johannis Bohn. *de duplic. Medic. Offic. l. a. pag. 675.* ſe peperiſſe fingunt, ut tormenta & pœnas corporis afflictivas, ultimum imprimis ſupplicium ſubterfugiant, vel alio forſan conſilio: aſt eum in finem quandam tale quid fingere, ut infanticidii quaſi perpetrati ſe accuſet, rarioris forſan deprehenditur obſervationis, hincque veritatem ejusmodi partus determinare difficillimum, potiſſimum

mum cum nec ventris inſpectionem illius explorandæ cauſa legibus commendatam, Maſcardus *de Probat. Concl. 1147. n. 16.* per nonnullas rationes omni exceptione majus teſtimonium præſtare putet. Triennium, pergit Bohnius, & quod excurrit eſt, cum in Saxonia inferiore quædam, malitioſe ſatis, ſe uterum geſtare, poſtmodum filiolum peperiſſe, huncque narium compresſione enecaſſe, ultro aſſereret, eandemque nonnulli teſtes criminum horum ſuſpectam redderent: in ſpecie obſtetrices hanc, quamdiu gravidam adhuc ſe fingebat, impraegnationem illam nec affirmare, nec negare auderent, imo poſt partum ſimulatum adhuc dubiæ hærerent; donec tandem ex actis hinc inde, & ex variis ſermonibus ac geſtis animus illius deſperabundus pateſceret, tempus ſimulati partus tempori aſſertæ impraegnationis haud concordaret, abdomen ac genitalia perinde, ac in non geſtante, ſe haberent, nullum fœtus motum manibus ventri impoſitis perciperent contrectantes, nec poſt partum indigitatum phænomena in hoc ſolennia adverterent, nihil lochiorum obſervarent &c. hinc collegium noſtrum negotium hoc omnimode ſimulatum pronunciaret.

§. 27.

Simile, ob infanticidium ſeipſam accuſantis pœnamque capitalem a magiſtratu expetentis feminæ exemplum mihi quoque notum eſt, de quo ſequentem relationem cum judicio ratione officii requiſitus exhibui: *Auf geſchehenes Erſuchen derer Wohllœbl. Stadt-Gerichte in Alt-Dreßden habe ich endes geſetzter Stadt-*Phyſicus *heute* dato *Annen Catharinen Grübelin, welche ſich ſelbſt als eine Kinder-Mœrderin angegeben, wegen derer bey ihrem Schwangergehen, ingleichen vor und nach der Geburt vorfallenden* Symptomatum *genau befraget, und hierauf von ihr zur Antwort bekommen, daß ſie bald nach dem* Congreſſu, *ſo ſie mit einem* Conditor-*Geſellen gehabt, ſich ſehr übel befunden, Kopffſchmertzen, Bangigkeit und Erbrechen, nebſt einer groſſen Trægheit* *Observatio.*

gefühlet, dahero ſie auch ihren Dienſt nicht recht verrichten kœnnen. Und als es auf die letzt, und zum termino partus *gekommen, habe ſie hefftig Stechen gegen die Schooß, Schmertzen und Reiſſen im Rücken und Leibe, nebſt einem Schauer empfunden; Worauf ein Waſſer von ſie geſchoſſen. Nachdem aber die Schmertzen wæren heftiger geworden, hætte ſie ſich vor Angſt in dem ſogenannten Weidichte niedergeleget, und immer in die Erde gekratzet, bis endlich ein Kind nebſt allerhand Zeuge und Geblüte von ihr gegangen, als wenn ihr alles aus dem Leibe falle. Darauf habe ſie die Nabelſchnure mit ihrem Meſſer entzwey geſchnitten, wüſte aber nicht, ob nahe oder weit von des Kindes Leibgen; die Nabelſchnure nicht verbunden, ſondern das Zeug alles mit einander in ihre Schürtze genommen, und in die Elbe geworffen. Dem Kinde, welches ein Knæbgen geweſen und gewetnet, habe ſie ihr Meſſer in die Kehle geſtochen, und gleichfalls in die Elbe getragen, und nach verrichteter Mordthat habe ſie ſich wieder in die Stadt begeben, iedennoch einige Zeit darauf Schmertzen, als Nachwehen und groſſe Mattigkeit empfunden. Dieweil denn nun dergleichen Umſtände bey denen* Gravidis *und* Puerperis, ante & poſt partum *vorzukommen pflegen, und ſonſt niemanden, ſo nicht ſelbſt darbey geweſen, ſo gar bekannt ſeyn kœnnen, ſo verurſachet dieſe Auſſage, daß ich ihrem eigenen Angeben wegen des Kinder-Mords gar wohl Glauben zuſtellen mœchte. Nachdem aber bey der Beſichtigung, ſo in meiner Gegenwart von denen Wehmüttern geſchehen, weder* externe *von* rugis *oder* flacciditate, *noch in* partibus genitalibus *eine gar groſſe* dilatation *verſpüret worden, auch das* Puerperium, *nach dieſer Grübelin Vorgeben, allbereits vor drey Jahren geſchehen ſeyn ſoll; ſo iſt meines Erachtens diſsfalls wieder* affirmative *noch* negative *etwas gewiſſes zu* judiciren. *Welches, nebſt Beyfügen, daß dieſes Menſch bey dem* Examine *gantz ſtille,* ſimple *und melancholiſch ausgeſehen, ich nach meinen Pflichten hiermit* atteſtiren *ſollen. Dr. den* 14. *Aug.* 1696. Cum vero dicta femina, paulo poſt a judice iterum examinata, ſe

fœtum

fœtum recens natum in Albim fluvium projeciſſe negaret, ſed eundem in ſylvæ proximæ certo quodam loco infodiſſe affirmaret, tunc cum quibusdam perſonis, inveniendi fœtus gratia, ipſa ad deſignatum locum emittebatur, nullibi vero, nec carnis nec ſceleti ſeu oſſium quicquam reperiebatur. Quapropter ob defectum corporis delicti ipſa a pœna capitali, quam anxie efflagitabat, tanquam ſimplex ſeu melancholica, liberabatur, carcerique per tempus incluſa ad ſaniorem mentem rediens abſolvebatur.

§. 29.

Aliud etiam ſimulati partus præteriti de femina furti rea exemplum notum eſt, de quo ita ſcribit Paulus Ammannus *Irenic. pag. 109.* Sabina Lindneria anno 1684. d. 18. Martii furti rea in loco torturæ, ad evitandam illam ultro fatetur, ſe ante annum enixam fuiſſe fœtum vivum, illumque interfeciſſe, adjiciendo, quod hic vel iſte locus, in hac vel iſta domo corpus delicti ſit manifeſtaturus: Verum enim vero, quoniam corpus delicti reperiri non poterat, indagandæ veritatis ergo, advocatur obſtetrix, Margaretha Dietrichin, & quæſitum ex ea: 1) an ſcire poſſit, quod Sabina Lindneria ante annum fuiſſet gravida & puerpera? & 2) quibus indiciis hoc ſcire posſit? reſpondet utrobique affirmative, & inſpecto ventre, refert, Sabinam ante annum fuiſſe gravidam & peperiſſe filium vivum, quia 1) inteſtinum rectum adeo amplum reperit, ut pugnum recipere potuiſſet, 2) abdomen ejusdem eſſe rugoſum & flaccidum, 3) ipſaque oſſa pubis diducta adhuc & aperta fuiſſe conſpecta. Aſt quam futilis ſit hæc obſtetricis relatio, cuilibet medico cordato liquet. Nam 1) ſigna recentis puerperii in partibus genitalibus, intra terminum puerperii, ſcilicet intra ſex ſeptimanas evaneſcunt iterum, adeo ut nihil de puerperio facto poſt annum elapſum videri queat. Hinc 2) obſtetrix de puerperio ante annum facto nihil ſcire *Aliud exemplum.*

tunc

tunc valuit, 3) amplitudo inteſtini recti merum eſt figmentum, & ſine intolerabili violentia & dolore pugnum non recipit unquam, 4) Rugoſitas hypogaſtrii de puerperio ante annum facto nihil certi, imo plane nihil comprobat: nam in noviter factis puerperis abdomen quidem rugoſum & flaccidum apparet, ſed ſtatim in tonum priſtinum brevi temporis ſpatio redigitur, 5) apertura & amplitudo osſium pubis, eſt inſomnium Lucinæ &c. quo loco *pag. 112. ſeqq.* plura reperies. De eadem Lindneria ſcribit etiam Andreas Ottomarus Gœlicke *l. a. §. 6. pag. 85. ſeq.* quod furti accuſata, ut torturam evitaret, callide finxerat, & in ipſo torturæ loco ſponte faſſa fuerat, ſe ante annum fœtum enixam eſſe eumque interfeciſſe, indicando ipſum plane locum in hac vel illa domo, ubi corpus delicti inventuri eſſent. Cum vero cadaver nati in locis indicatis inveniri non poſſet, obſtetricum cuidam a prætore commiſſum eſt, ut inquiſitæ corpus inſpiceret, quæ dicto audiens illam utique olim imprægnatam fuiſſe & peperiſſe, ſine ullo certo aut ſaltem probabili indicio depoſuit, ſuæ inſuper renunciationi varias adjiciens ineptias. Quibus abſurdis & fabuloſis narratiunculis ſi ſtetiſſet judex, nec medici prudentioris cenſuræ ſubmiſiſſet, hæc Lindneria, ſecundum regulas artis juridicæ methodice, h. e. tanquam confeſſa & convicta, capitis ſine dubio damnata fuiſſet, etiamſi de puerperio nunquam vel ſomniando cogitaſſet. Secundum verba Johannis Bohnii *Medicin. forenſ. Specim. I. §. 31.* finxerat hæc Sabina Lindneria, furti rea, & ad polletra damnata, ſe ex ſcorticatione conceptum fœtum, ante undecim menſes, peperiſſe atque enecaſſe: cum vero, quia cadaver nati ſeu corpus delicti non reperiebatur, aniculæ tali committeretur, hæc, illi annuens, eam olim gravidam peperiſſe, minus caute deponebat, ſui aſſerti varias adjiciens rationes, modo adductas. Qualis præcipitantiæ atque amentiæ pecus hoc rude a medico prudenti convictum, nihil

oggrun-

oggrunnire audebat, niſi hoc, quia præter Lindneriam peperiſſe aſſeruiſſet, neque hæc idem negaſſet, ipſammet quoque idem ſibi perſuaſiſſe. vid. etiam Joh. Bohn. *de Medic. Offic. duplic. Part. II. pag. 568.*

§. 29.

De cura puerperarum ſeu quomodo poſt partum ſint tractandæ, ſcribit Michael Alberti *Introduct. in Univ. Medicin. Cap. II. §. 131. ſeq. p. 41.* poſt excluſionem ſecundinarum intereſt, quo puerperis cum lata faſcia abdomen colligetur, ut flacceſcens venter eo facilius iterum obrigeſcat & internis flatulentiis non ſubjiciatur. Propterea cavendum eſt, ne puerperæ refrigeriis vel internis, vel externis exponantur, alias legitimo lochiorum ſucceſſui impedimentum accidit. Animi pathemata & diætæ vitia puerperis pernicioſa ſunt. Secundum de Gofey *de Gener. Fœt. pag. 123.* feminæ ab omnibus in utero contentis liberatæ pudendis linteamina calida, ut aër exterior excludatur, applicanda, lectus foculo fovendus ac calefaciendus, femina dorſo, elevatis paululum, pro facilitando lochiorum fluxu, genubus imponenda, vini hauſtus cum ſacháro calidus exhibendus, quies procuranda, alimenta neceſſaria concoctu facilia ſubminiſtranda. Vini tamen hauſtum calidioris temperamenti feminæ non æque commode ferunt, hinc reſpiciendum ad parturientis temperiem, ut circa hæc Goveyana verba admonet Daniel Hoffmannus. Et Eberhardus Gockelius *Gallicin. med. pract. Conſil. Cent. II. Conſ. 14. pag. 424.* inquit: Statim poſt partum puerperæ olei amygdalarum dulcium recenter expreſſi unciæ duæ, & non multo poſt, juſcula gallinarum cum gelatina caponis permixta exhibeantur. Genitalibus ovum cum butyro frixum ac linteo involutum calide applicetur, vel oleo e vitellis ovorum, vel unguento appropriato calide inungantur. Ad dolores poſt partum mitigandos, *curapuerperæ.*

potio dolorem ſedans bibenda, totaque ventris regio oleo chamomillæ, anethi & verbaſci, vel unguento aliquo anodyno calide illiniatur, corium ex pelle canina imponatur, & venter faſcia latiori circumvolvatur & arcte contrahatur. Feſſa brachia & pedes quotidie bis vel ter, vino calido, cui rosmarinus, majorana & lavendula incocta ſunt, calide foveantur atque fricentur. Plura vide in Joan. Junckeri *Conſpect. medicin. Tab. 114. pag. 719.* Joh. Sam. Carl *Prax. med. p. 95.*

§. 30.

Coitus poſt puerperium. Poſt puerperium feminis coitum eſſe noxium atque prohibitum, docet Chriſtianus Warlizius *de Morb. biblic. cap. 12. p. 375.* olim, inquiens, a Lycurgo, Spartanorum duce, lege inviolabili ſancitum erat, ut mulieres ſtatim a partu virorum commercio ſegregarentur, & peculiari quodam xenodochio, puerperis deſtinato, per biennium & amplius degerent. Apud Indos quoque laudabilis mos viget, ut, ubi pepererunt feminæ, confeſtim a maritis ſejungantur, & in locis ad hoc exſtructis degant per triennium, quousque filii ablactentur. vid. etiam Joh. Bened. Sinibaldi *Geneanthr. Lib. VII. Tr. 1. cap. 4. p. 40.* ubi addit: O quam ſatius abſolute foret, mulieres omnes non ſolum poſt conceptum, verum etiam poſt partum a venere abſtinere, quamdiu prolem lacte nutricant. v. item *Lib. VIII. Tr. 1. cap. 5. pag. 687.*

§. 31.

item Ad quæſtionem: Num maritus ab uxore puerpera debitum conjugale exigere poſſit? ita reſpondet Conradus Philippus Hoffmannus *de Puerper. Tempor. Cap. 3. §. 27. p. 92.* quamvis *Cap. 1. §. ult.* concubitum cum vicina partui non periculoſum, atque ita non prohibendum exiſtimaverimus magna, tamen hic ſubeſt differentia inter gravidam & puerperam, cum peri-

pericula, quæ prægnanti ex coitu imminent, quoad partum in puerpera ceſſant; nihilominus periculum hic imminet infectionis & ſanitatis ipſis coëuntibus, cum mulier nullatenus puerpèriis fluentibus concipere poſſit, & licet conciperet, multo majus tamen periculum, tum monſtruoſitatis, tum infectionis proli inde immineret: Nam omne inutile ac nocivum, quod tum mater, tum partus, tempore conceptionis & graviditatis non acceptaverunt, purgatur intra quindecim vel viginti poſt editum partum dies. Et hinc ſi maritus ante hocce tempus amori nimis indulgeat, uxorem vitæ exponit periculo, aut conceptio infelix evadit, ſi mox poſt editum partum de novo concipiat. Omnes enim tunc ſordes, quæ per loca effluxum ſuum habere tenentur, in corpore remanent, & tum matrem, tum partum futurum inficiunt. Melius igitur ſibi & proli in futurum conjuges conſulunt, abſtinendo a coitu tempore puerperii. Uti enim tempore menſtrui concumbere conjugibus periculoſum, niſi eo ceſſante, ita & durante puerperio per totum tempus abſtinendum a venere, quo periculum imminet, quod ad ſummum per triginta dies in partu feminæ, in maſculino vero partu per viginti imminet.

§. 32.

Majus periculum imminere coeunti cum puerpera, quam cum menſtruata, ſcribit Paulus Zacchias *Quæſt. med. legal Lib. VII. Tit. 3. Quæſt. 3. n. 13. ſeq. fol. 640.* inquiens: Mihi peculiariter de puerperio conſiderandum videtur, quia ex puerperio magis imminet infectionis & ſanitatis periculum ipſis coëuntibus, proli autem forte nullum, cum neque ulla ſpes utplurimum eſſe poſſit, ut fluentibus puerperiis mulier concipiat. Quodſi forte fortuna conciperet, tunc etiam multo majus periculum, & monſtruoſitatis & infectionis inde proli immineret. Ratio autem eſt, quia etiamſi nonnullæ mulieres *juxta alios.*

Zzz zz 2 ſan-

ſanguinem talem, tamque benignum ſortiantur, ut euntibus menſibus nihil damni viris, cum ipſis congredientibus, communicent, tamen puerperium nunquam absque variorum humorum colluvie procedit; & idcirco multo evidentius imminet periculum mulieri ex puerperii retentione, quam ex retentione menſtrui: unde cum ex concubitu immineat mulieri periculum retinendi puerperium, certum eſt, majori periculo ſeſe exponere exercendo coitum eunte puerperio, quam euntibus menſtruis &c. Et Nicolaus Venette *de la Generation de l'Homme Part. II. Chap. 3. Art. 5. p. 141.* inquit: Cela que la mere & l'enfant ont refusé comme inutile pendant la groſſeſſe, cela meſme ſe purge peu à peu 15. ou 20. jours après les couches. Si un homme careſſe ſa femme avant ce temps là, il la met en danger de perdre la vie, ou de paſſer malheureuſement la groſſeſſe, ſi elle devient groſſe peu de temps après eſtre accouchée; car les ordures, qui doivent coûler par ſes lieux, demeurant dans ſon corps, infecte & la mere, & l'enfant à venir. C'eſtoit ſans doute ſur cela qu'eſtoit fondée la loy de l'ancien teſtament, qui ne permettoit à aucun homme de toucher une femme, que 30. jours après avoir fait un garçon, & 60. jours après avoir fait une fille. vid. Levit. *Cap. 12. v. 2. ſeq.* Item Mr. Dionis des Accouchemens *Liv. IV. chap. 8. p. 353.* donne aux femmes ce conſeil, de ne point s'abandonner ſi-tôt aux careſſes de leurs maris, parceque cette action mettant en mouvement la matrice, qui n'eſt pas encore affermie, peut cauſer des péſanteurs & des deſcentes de matrice; & de plus, c'eſt que ſi elle devenoit groſſe, n'éſtant pas parfaitement purifiée, l'enfant, qu'elle feroit, auroit le ſort de ceux, qui ſont formez dans le tems des ordinaires, qui eſt d'être infirme & galeux, c'eſt pourquoi toutes les femmes, tant pour leur propre interêt, que pour celui des enfans, qui pourroit venir, doivent s'eloigner de leurs maris jusqu' à ce qu'elles ſoient entiérement quittes de leur

vui-

vuidanges. Id quod etiam confirmat Johannes Franciſcus Lœw *Theat. Medic. Jurid. Cap. 11. §. 65. pag. 554.* inquiens: per totum puerperii tempus abſtinendum, quo periculum imminet; imminet autem ad ſummum per triginta dies in partu feminæ, in maſculi per viginti & non ultra, ut antiquitus obſervabant, quia, ut obſervatur, pluribus ante vigeſimum ceſſat. Interim ſecuriſſimum eſt abſtinere, quousque mulieres a puerperii reliquiis mundæ ſint.

§. 33.

Ad quæſtionem, an puerpera terreri debeat, ita reſpondet Paulus Zacchias *l. a. Lib. VI. Tit. 2. Qu. 2. n. 8. fol. 524.* cum dixerimus, prægnantem terreri non poſſe, num & puerpera, hoc eſt, quæ de recenti peperit, terreri debeat? a juriſconſultis intactum video: Dicamus ergo nos, diſtinguendo, aut enim puerpera eſt in primis diebus ſui puerperii, & tunc nullo modo eſt terrore afficienda, qui terminus erit decem, aut ad ſummum quindecim dierum. Ratio eſt, quia ex terrore & timore maxima fit ſanguinis commotio; de directo contraria ei, quæ fit in puerperio. In puerperio enim ſanguinis motus tendit ad exteriora per uteri venas: in timore ſanguinis motus recurrit ad interiora, & maxime verſus cor, & ſic puerperia facili negotio retinentur, quæ retentio quam diſcriminis plena ſit, noverunt medici. Sequentibus vero diebus cum terror incuſſus tanto periculo hominem non exponat, erit, dummodo neque magnus ſit, neque repentinus, magis tutus. De puerperarum tortura ſcribit Gottfridus Suevus *Synopſ. Rer. criminal. Part. III. Quæſt. 118. pag. 364.* Mulier puerpera poſt partum intra quadraginta dies torqueri non debet, ſed poſtea *nach gehaltenen 6. Wochen*, & quidem moderate, *daß, uffn Fall ſie ihr Kind ſelbſt nehret, demſelben an der Nahrung kein Abbruch geſchehe;* quod & in muliere, partum lactante obſervatur. De quæſtione, an & quatenus

an puerpera poſſit terreri?

an torqueri?

nus feminæ prægnantes atque puerperæ a tormentis ſint exemptæ? vid. Bened. Carpzovii *Pract. Rer. criminal. Part. III. Quæſt. 118. n. 61. fol. 165.* Fortun. Fidel. *de Relat. medic. Lib. II. cap. 4. p. 233. ſeq.* Paul. Zacch. *l. a. Qu. 4. n. 20. fol. 532.* Herm. Frid. Teichmeyer. *Medicin. legal. cap. 25. Qu. 2. pag. 148. ſeq.* Erneſt. Mich. Ettmüller. *de Ovar. Nab. p. 12.*

§. 34.

Puerperarum diæta. Circa puerperas etiam ſecundum Eberhardi Gockelii *Gallicin. med. pract. Cent. II. Conſ. 14. pag. m. 425.* notandum, ut non ſolum toto puerperii tempore aër temperate calidus eligendus corpusque contra frigus muniendum, ſed etiam juxta Joh. Jacobi Waldſchmidii *Monit. medic. de Puerper. Prax. pag. 326.* optimum præſervativum eſt, ſi puerpera corpore exiſtente quieto & mente tranquilla ad diem undecimum usque in lecto detineatur. De paſſione hyſterica a refrigeratione & motu in puerpera obſervationem refert Thomas Sydenham *Diſſert. de Curat. Variol. & Affect. hyſter. pag. 152.* femina, inquiens, teneriori atque infirmo corporis habitu infantem parit, cui omnia feliciter & ſecundum naturam cedunt. Obſtetrix, ſive rudis & imperita, ſive jactabunda, & quam præclare ſuo illa munere functa palam oſtentans, ſuadet ut puerpera paucis a partu diebus ſurgat & ſe aliquandiu a lecto abſtineat; hæc morem gerens, ſtatim a primo corporis motu affectione hyſterica corripitur. Et *pag. 154.* inquit idem: Diu eſt, a quo mihi ſubiit in mentem, quod ex eis, quæ moriuntur puerperis, vix decima quæque, ut modeſte computemus, vel ex eo perit, quod vires partui neceſſariæ eam defecerint, vel ex doloribus partum laborioſiorem comitantibus; at eo maxime nomine, quod debito citius lecto exſurgat, excitatis a motu illo paroxysmis hyſtericis, a quibus cum ſiſtantur lochia, mox ingens ineluctabilium ſymptomatum

tum turba ingruit. Quamobrem iſtis, quæ me audiunt, autor ſum, ut ad diem ſaltem decimum usque in lecto ſe contineant, ſi modo natura paulo debiliores ſint. Præterquam enim quod iſta, qua in lecto fruuntur, quies a malis commemoratis eas immunes præſtet, non interruptus lecti calor ſpiritus pariter reficit tum a pariendi doloribus, tum ab evacuationibus in hoc caſu ſolennibus exhauſtos fractosque; quinimo & naturæ ſuppetias fert, atque omnes,quas geſtationis tempore mulier congeſſerat, cruditates digerit & amolitur. Quam ægre etiam puerperæ, ſtatim poſt partum, externum frigus perferre poſſint, cuilibet notum eſt, ita ut multoties ingenti horrore, ceu paroxyſmo febrili concutiantur, imo, ut tempori ſuccurras, de vita periclitentur, quale exemplum haud ita pridem in civitate noſtra habuimus, inquit Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 151. Schol. pag. 338.*

§. 35.

Quodſi tamen puerperæ non adeo fuerint debiles, ſed robuſtiores, ſtatim poſt partum aëri ſe exponunt operaque ſua ordinaria peragunt, vel etiam in aqua frigida ſe lavant; mulieres enim villicanæ tempore belli Suedici Noribergæ poſt levem partus nixum ſtatim e lecto ſurgentes vitulum vel porcum propriis manibus mactarunt, cubiculum mundarunt demumque ſe lecto commiſerunt, referente Johanne Helwigio *Obſervat. medic. 142. pag. 384.* Militis cujusdam uxor maritum in caſtris concomitans, ingruente jam partu ad arbuſta & vepreta proxima ſeceſſit, ſolaque ſibi relicta duos infantes peperit, quos ad flumen deferens aqua viva proluit,ſeque ipſa lavit, poſteaque cum gemellis nudis pedibus exercitum comitata duodecim mille paſſuum iter eodem die ſine valetudinis diſpendio fecit, teſte Guilielmo Harveo *de Part. pag. 535.* Juxta relationem Philippi Ziegleri *in Deſcriptione Americæ fol. m. 20. ſind*

die

die Americaniſchen Weiber ſehr fruchtbar und ſcheuen der Arbeit nicht, ob ſie gleich ſchwanger gehen, und gebæhren leichtlich und mit wenigen Schmertzen, alſo daß ſie des andern Tages wiederum friſch und geſund umher gehen, ſonderlich pflegen ſie ſich nach der Geburt in einem Fluſſe zu waſchen, und kommen wiederum, wie die Fiſche geſund herfür. Apud Braſilienſes maritus tempore puerperii uxoris loco decumbit primis a partu diebus, & puerperæ inſtar bellariis & epulis fruitur, ſubindicans neceſſitatem lapſas vires reſtaurandi, uti refert Guilielmus Piſo *Hiſtor. nat. & medic. Lib. I. in Caſp. Barlæi Reb. Braſilic. p. 610.* vid. etiam Thomæ Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt. 79. pag. m. 156.* ubi inquit: Tibareni olim poſt uxorum partum, tanquam puerperæ eſſent, ipſi in lecto cubabant, quibus uxores ægræ miniſtrabant.

SYLLABVS AVTORVM.

A.

ACademiæ regiæ Scientiarum Pariſienſis hiſtoria 1699. ſeq. Lipſiæ 1715
Acerra philologica 8. Francof. & Lipſ. 1694
Acta Anglicana philoſophica 4. Lipſ. 1674
Berolinenſia 8. Berolin. 1717. ſeq.
Eruditorum Lipſienſium 4. Lipſ. 1682. ſeq.
Hafnienſia 4. Hafniæ
Phyſico-medica 4. Norib. 1727
Æliani, Claud. Opera fol. Tiguri
Alberti, Mich. Introductio in univerſam medicinam 4. Halæ 1718
Syſtema Jurisprudentiæ medicæ 4. - 1725
Amati Luſitani Curationes medicæ fol.
Ammanni, Paul. Irenicum Numæ Pompilii 8. Fr. & Lipſ. 1689
Manuductio ad materiam medicam 8. Lipſ. 1678
Medicina Critica 4. Stadæ 1677
Paræneſis ad diſcentes 12. Lipſ. 1677
Praxis Vulnerum lethalium 8. Lipſ. 1690
Andry, Nicol. de la Generation des Vers 8. à Amſterdam 1676
Apulejus de Aſino aureo
Aquapendens vid. Hier. Fabric. ab Aquapendente
Ariſtotelis Opera fol. Baſil. 1542
Arniſæus, Henning. de Partus humani legitimo tempore 12. Francof. 1644
Augenius, Horat. de febribus fol. Francof. 1605
de Sanguinis miſſione fol. Fr. 1598
Auli Gellii Noctes Atticæ 12. Genev. 1621
Axtius, Joh. Conr. de Partu ſeptimeſtri Jenæ 1679

B.

Baglivi, Georgii, Epiſtola ad Andry v. Andry des Vers
Barbette, Pauli, Chirurgia & Praxis v. Opera 4. Genev. 1682
Baricelli, Jul. Cæſ. Hortulus genialis 12. Colon. 1620
Barlæi, Caſp. Hiſtoria rerum in Braſilia geſtarum 8. Cliv. 1660
Bartholdi, Greg. Theod. Opera medica tripartita 4. Franc. 1717
Bartholini, Caſp. de Ovariis mulierum 8. Norimb. 1679
Specimen Hiſtoriæ anatomicæ 4. Hafn. 1701

Bartholini, Thomæ, Anatomia renovata 8. Lugd. 1673
Acta Hafnienſia 4. Hafn. 1663
Ciſta medica 8. Hafn. 1662
de inſolitis partus humani viis 8. Hafn. 1664
Epiſtolæ medicinales 8. Hafn. 1663 ſeq.
Hiſtoriæ anatomicæ 8. Hagæ & Hafn. 1657. ſeq.
de Luce hominis & brutorum 8. Franc. 1669
de Unicornu 12. Amſtelod 1678
Bauhini, Caſp. Theatrum anatomicum 4. Baſil. 1621
de Hermaphroditis 8. Oppenh. 1614
Appendix ad Roſſetum, v. Roſſet.
Bauſchius, Laur. de Ætite & Hæmatite 8. Lipſ. 1665
de Cœruleo & Chryſocolla 8. Jenæ 1668
Bausnerus, Barthol. de Conſenſu partium humani corporis 8. Amſterd. 1656
Bayle, Thom. Diſſertationes phyſicæ 12. Hagæ 1678
medicæ 12. - -
Bayri, Petri Veni mecum, ſeu Enchiridion de medendis humani Corporis partibus 12. Franc. 1572
Beckeri, Joh. Conr. Pædioctonia inculpata 4. Gieſſæ 1729
Beckheri, Danielis, Medicus microcosmus 4. Lugd. 1633
Behrens, Conr. Barth. Selecta diætetica 4. Fr. Lipſ. 1710.
de Bell'hoſte Chirurgien d'Hoſpital 8. à Amſterd. 1707.
Benivenius, Anton. de abditis morborum cauſis, v. Rembert. Dodon. Obſerv.
Bergeri, Joh. Gothofr. Phyſiologia medica 4. Witeb. 1702
Beverland Hard. de Peccato originali 8. Elevtheropoli 1678
Beverwyk, Joh. van, Quæſtiones Epiſtolicæ 8. Roterod. 1665
Schatz der Ungeſundheit fol. Franc. 1674
Bibliotheca anatomica fol. Genev. 1688
Bickheri, Joh. Hermes redivivus 8. 1612
Bidloo, Gotfr. Anatomia fol. Amſterd. 1685
Bierlingii, Caſp. Theoph. Theſaurus theoretico-practicus 4. Jenæ 1690
Adverſaria 4. Jenæ 1679
Billingeri Diſſertatio de Nutritione v. Act. Erudit. 1718. p. 8
Binningeri, Joh. Nicol. Obſervationes & Curationes 8 Montbelg 1673
Birckens Spiegel des Hauſes Oeſterreich fol.
Blancardi, Steph. Opera medico-theoretico-practica 4. Lugd. 1702

Blan-

Blancardi, Steph. Collectanea medico-phyſica 8. Lipſ. 1690
Kunſt-Kammer der Chirurgie 8. Hanov. 1700
Blaſii, Gerardi, Obſervationes medicæ 8. Amſterd. 1674
Obſervationes medicæ 8. Amſterd. 1674
Commentarii ſ. Annotationes in Vesling. Anat. 4. Patav. 1677
Blegny, Nicolai, Zodiacus Medico-Gallicus 4. Genev. 1680
Bodini, Joan. Theatrum Naturæ univerſæ 8. Hanov. 1605
de Magorum Dæmonomania 4. Baſil. 1581
Boerhave, Hermann. Inſtitutiones medicæ 12. Franc. 1710
Bohnii, Joh. Circulus anatomico-phyſiologicus 4. Lipſ. 1686
de duplici medici officio 4. Lipſ. 1704
de Vulnerum lethalitate 8. Lipſ. 1681
de Renunciatione Vulnerum 4. Lipſ. 1711
Diſſertatio de Infanticidio. 4. Lipſ.
Specimina medico-forenſia 4. Lipſ.
Bonaciolus, Ludov. de fœtus formatione vid. Sever. Pinæus de Virginitate
Boneti, Theoph. Sepulchretum ſeu Anatomia practica fol. Genev. 1679
Medicina ſeptentrionalis fol. Genev. 1686
Polyalthes fol. Gen. 1691.
Borelli, Petri, Hiſtoriæ & Obſervationes medico-phyſicæ 8. Francof. & Lipſ. 1676
Boſelli, Franc. Amaltheum medico-hiſtoricum 4. Patav. 1668.
Bourgeois, Louyſe, *Hebammen Buch* 4. *Oppenheim* 1619
Boyle, Roberti, de Utilitate Philoſophiæ experimentalis 4. Emdæ 1692
de vi aëris elaſtica 4. Genev. 1680
Experimenta Phyſico-Mechan. 4. - 1682
Bräuners, Joh. Jac. Theſaurus Sanitatis 8. Franc. 1612
Bravo de Sobremonte Caſp. Conſultationes & Tyrocinium 4. Colon. 1671
Brendelii, Adami, Obſervationes anatomicæ 4. Witemb. 1716.
Broen, Joh. Animadverſiones in Regii P.
Broewn, Thom. Pſeudodoxia 4. Franc. & Lipſ. 1680
de Bry, Joh. Theodori, Americæ *Beſchreib.* fol. *Franckf.* 1617
Burneti, Thom. Theſaurus medico-practicus 4. Gen. 1698

C.

Cælii, Rhodig. Ludov. Lectiones antiquæ fol. Baſil. 1550
Camerarii, Eliæ, Diſſertationes epiſtolico-phyſ. medicæ 8. Tubin. 1714
Medicina conciliatrix 4. Franc. 1714
Joh. Rudolphi Memorabilia Medicinæ 8. Tubin. 1683

Camerarii, Philip. Horæ ſubciſivæ 4. Franc. 1658
Campanellæ, Thom. Medicinalia 4. Lugd. 1635
Cardanus, Hieron. de Rerum Varietate 8. Baſil. 1581
Carl, Joh. Sam. Praxeos medicæ Theoria generalis & ſpecialis 4. Halæ 1718
Carpzovii, Bened. Praxis Rerum criminalium fol. Franc. & Witteb. 1658
Caſe, Joh. Compendium Anatomiæ 12. Amſtelod. 1696
a Caſtro, Roder. de Natura mulierum 4. Colon. 1689
de Morbis Mulierum 4. Colon. 1689
Charleton, Gualt. de Catameniis & Fluore albo 12. Lugdun. 1686
Oeconomia animalis 12. Hagæ 1681
Chriſtini, Bernard. Prattica medicinale 4. Vineg. 1680
Clerc, Daniel, de l'Hiſtoire de la Medecine 4. Amſterd. 1702
Cockburn, Gvilh. Oeconomia Corporis animalis 12. Aug. 1696
Collectanea de diuturna Graviditate 24. Amſtelod. 1662
Columbus, Realdus, de Re anatomica 8. Franc. 1593
Conferences ſur les ſciences 12. à Bruxell. 1673
Cordæus de Morbis mulierum v. Iſrael Spachii Gynæc. fol.
Cornacis, Hiſtoriæ de fœtu mortuo v. Fr. Roſſetus
Cornarii, Diomed. Hiſtoriæ admiranda 4. Lipſ. 1599
Cornelii, Conſentini Thom. Progymnasmata phyſic. med. 12. Franc. 1665
Cornelius Tacitus, Editio Lipſ. 4. Antwerp.
Cosmopolitæ Hiſtoria naturalis 12. Lugdun. 1686
Coſteri, Joh. Theoria & Praxis 4. Francof. 1664
Courtial, Jean Joſeph, Obſervations anatomiques ſur les Os 8. à Leide 1709
Craan, Theod. Diſſertatio de Homine 4. Lugdun. 1689
Oeconomia animalis 8. Amſtelod. 1703
de Generatione Hominis
de Exortu Hominis
Cypriani, Abrah. Epiſtola de fœtu tubario exciſo 8. Lugd. 1700

D.

Dedekenni, Georg. Conſilia fol. Hamburg. 1623
Dekkers, Frider. Exercitationes practicæ 4. Lugdun. 1694
Delrio, Martini, Diſquiſitiones magicæ 4. Colon. 1679
Deodati, Claud. Pantheum hygiaſticum. 4. Brunrut. 1628
à Deventer, Henric. Operationes Chirurgicæ ſeu de Arte Obſtetricaria 4. Lugd. 1701
Deuſingii, Ant. Vindiciæ fœtus Muſſipontani v. Sinibaldi Geneanthropologia

Deuſingii, Anton. Faſciculus Diſſertationum 12. Grœning. 1660
de Diemerbroc, Isbrandi, Anatomia fol. Ultrajecti 1685
Dionis, Petri, Anatomia Corporis humani 8. Genev. 1696
des Operations de Chirurgie 8 à Bruxelles 1707
Traité des Accouchemens 8. à Paris 1724
Dioſcorides de Materia, Jani Cornarii fol. Baſil. 1557
Diverſus, Petrus Salius, de febre peſtilenti 8. Hardervic. 1656
Dodonæi, Remberti, Praxis 8. Amſterd. 1640.
Obſervationes medicinales 8. Colon. 1581
Dœringi, Mich. Epiſtola ad Hildan. v. Hildani Opera
Dolæi, Joh. Encyclopædia medica 4. Francof. 1684
Chirurgica 4. Francof. 1689
Donatus, Marcellus, de hiſtoria medica mirabili 8. Franc. 1613
Drelincurtius, Carolus, de Conceptione Conceptus 12. Lugd. 1685
de Conceptione adverſaria 12. - 1686
de Tunica fœtus Allantoid. 12. - 1685
Chorio 12.
de fœtus membranis 12. - 1685
de humani fœtus Umbilico
Meletemata
Opuſcula anatomica 4. Hagæ 1728

E.

Entii, Georgii, Opera medico-phyſica 8. Lugdun. 1687
Ephemerides Academiæ Naturæ Curioſorum 4. Cent. VI
Erndl, Chriſt. Henr. de Itinere ſuo Batavo-Anglicano 8. 1710
Ettmülleri, Mich. Opera fol. Francof. 1695
Everhard vid. Coſmopolita

F.

Faber, Honorat. de Plantis & Generatione animalium 4. Norimb. 1677
Fabricius, Hildanus, Gvilh. Opera omnia fol. Francof. 1646
de Lithotomia Veſicæ 4. Baſil. 1638
Hieron. ab Aquapendente Opera anatomica & Phyſiologica fol. Lipſ. 1702
Fauſti, Joh. Caſp. de Fœtu Muſſipontano v. Sinibaldi Geneanthrop.
Feltmann, Gerh. de Cadavere inſpiciendo 4. Bremæ 1692
Fernelii, Joh. Opera cum Notis Heurnii 4. Trajecti 1636
Ferrarius, Omnibonus, de Arte medica infantum 8. Lipſ. 1605
Fidelis, Fortunatus, de Relationibus Medicorum 8. Lipſiæ 1674

Fieni, Thomæ, Libri XII. Chirurgici 4. Francof. 1669
Finckii, Joh. Vinc. Enchiridion dogmatico-Hermeticum 12. Lipſ. 1626
Florus Polonicus Paſtorii 12. Gedan. 1679
Fontanus, Nicol. de Morbis mulierum 12. Amſtelod. 1644
Foreſti, Petri, Opera ſeu Obſervationes fol. Francof. 1609
Franci, Georg. Satyræ medicæ 8. Lipſiæ 1722
Annotationes in Pauli Zacchiæ Quæſt. med. legal. fol.
Frauendorfferus, Philipp. de morbis mulierum 12. Norimb. 1696
Freind, Joh. Emmenologia ſeu de fluxu muliebri menſtruo 8. Lugd. 1711
Frommannus, Joh. Chriſt. de Faſcinat. 4. Norimb. 1675

G.

Gabelchoveri, Wolffg Curationes & Obſervationes 8. Tubing. 1611.
Galeni, Cl. Opera fol. Venet. 1562 ſeq.
Garmannus, Chriſt. Frid. de Miraculis mortuorum 4. Dresdæ & Lipſiæ 1709
Epiſtolæ 8. Roſtoch. & Lipſ. 1715
Oologia curioſa 4. Cygneæ 1709
Diſcurſus phyſ. medic. de Gemellis 4. Lipſ.
Gaſſendus, Petrus, de Vita Peireſcii 12. Hagæ 1651
Gaſſeri, Hier. Obſervationes vid. G. H. Velſchii Epiſagm. 4.
Gellii, Auli, Noctes Atticæ 12. Genev. 1621
Gerbers Hiſtorie der wiedergebohrnen Sachſen 8. *Dreſden*
Gerbezii, Marci, Chronologia medico-practica 4. Francof. 1713
Intricatum extricatum 4
Giſeleri, Laurent. Obſervationes de Peſte Brunſuicenſi 4. Brunſu. 1663
Gœckelius, Eberhard. Gallicinium ſeu Conſilia & Obſervat. 4. Ulmæ 1700
Eyer-legender Hahn 8. *Ulm* 1697
Von Beſchweren, Beſchreyen und Bezaubern 8. *Franckfurt und Leipzig* 1644
Gœlicke, Andr. Ottom. Hiſtoria anatomiæ nova, 8. Halæ 1713
Medicina forenſis 4 Francof. 1723
Exercitationes Francof. 8. Halæ 1713
Gofey de Generatione fœtus, vid. Daniel Hofmann
Gorræi, Joh. Definitiones medicæ, fol. Lutet. 1564
Gottfriedi, Joh. Ludov. Chronica fol. 1674
Graaf, Regneri de, Opera de Organis Virorum & Mulierum 8. Lugd. 1677
Grandii, Ludov. Epiſtola ad Ludolf. de Stibio

Grembs, Franc. Oswald. Arbor integra & morboſa 4. Franc. 1671
Grimberg. Nicolai, Obſervationes medicæ 4. Hafn. 1695
a *Güldenklee*, Bald. Tim. Opera medico-practica 4. Lipſ. 1677

H.

Hafenrefferus, Samuel, de Cutis affectibus Tubing. 1630
Hagendornii, Ehrenfr. Hiſtoriæ medico-phyſicæ 8. Rudolphſt. 1690
de Terra Catechu 8. Geræ 1679
Hamel, Joh. Bapt. Hiſtoria regiæ ſcientiarum Academiæ 4. Lipſ. 1700
Harderi, Joh. Jac. Apiarium ſeu Obſervationes 4. Baſil. 1687
Hartmanni, Joh. Opera medico-chymica fol. Francof. 1687
Harvæus, Guil. de Generatione animalium 12. Hagæ 1680
Havers, Clopton, Oſteologia nova 8. Franc. & Lipſ. 1692
Heer, Henr. ab, Obſervationes medicæ 12. Lugd. 1685
Heidfeldii, Joh. Sphinx Theologico-philologica 8. Herborn 1604
Heiſteri, Laur. Compendium anatomicum 8. Altdorf. 1718
Oratio de Incremento Anatomiæ 8. Wolffenb. 1720
Chirurgie 4. Nürnberg 1719
Helmont, Joh. Bapt. van, Opera fol. Lugd. 1667
Hellwigii, Joh. Obſervationes phyſico-medicæ 4. Auguſt. 1680.
Hemſterhuys, Siboldi, Meſſis aurea anatomica 8. Heidelb. 1659
Henckelius, El. Henr. de Philtris eorumque efficacia 8. Francof. 1690
Herold, Joh. Frid. Crocologia 8. Jenæ 1671
Herveld, Jacob van, Genees-kindige Anmerckingen 8. Amſt. 1693
Heurnii, Joh. Praxis medica 4. Lugdun. 1689
Hildani, Guil. Opera omnia fol. Franc. 1646
Highmori, Nathan. Anatomia fol. Hag. 1651
Hippocratis Opera fol. Baſil. 1536
Aphoriſmi
Hiſtoria Academiæ regiæ ſcientiarum Pariſienſis 8. Lipſ. 1715
Hiſtoria Morborum Vratislavienſium 4. Vratislav. 1701. 1702
Hobockenus, Nicol. de Secundina humana 8. Ultrajecti 1675
Hœchſtetteri, Phil. Obſervationes medicinales 8. Franc. Lipſ. & 1674
Hœferi, Wolffg. Hercules Medicus 4. Norimb. 1675
Hofmannus, Conrad. Phil. de Puerperii temporibus 4. Regiom. Lipſ. 1723
Danielis, Annotationes in Hypotheſes Goveyanas 8. Franc. 1719
Frid. Clavis Schrœderia 4. Halæ 1681
Medicina rationalis ſyſtematica 4. Halæ 1718
Conſultatoria

Hoſ-

Hofmanni, Joh. Mauric. Idea Machinæ humanæ anatomico-phyſiologica 4. Altdorf. 1703.
Hollerius, Jac. de morborum internorum curatione 8. Pariſ. 1567
Honuphrii, Franciſci, Abortus bicorporeus monocephalus 4. Romæ 1691
Hoppii, Joach. Commentationes ad Inſtitutiones Juſtin. 4. Franc. 1709
Horn, Joh. van, Microcoſm. & Microt. ſ. Opera 8. Lipſ. 1707
Hornungii, Joh. Ciſta medica 4. Norimb. 1625
Horſtii, Gregor. Opera medica fol. Norimb. 1660

I.

Jackſon, Joſeph. Enchiridion medicum 12. Amſtelod. 1697
Jaſon a Pratis de Uteris 12. Amſtelod. 1637
Joëlis, Franciſci, Opera medica 4. Roſtoch. 1630
Jonſtoni, Joh. Thavmatographia naturalis 12. Antwerp. 1633
Journal des Sçavans 12. à Amſterdam 1711
Junckeri, J. Helfr. Medicus præſentis Seculi 8. Franc. 1693
Juncker, Joh. Conſpectus Medicinæ 4. Halæ 1718

K.

Kanold, Diſputatio de Abortu 4.
Keckermanni, Barthol. Syſtema phyſicum 8. Hanov. 1617
Kerckringii, Theod. Spicilegium anatomicum 4. Amſtelod. 1670
Oſteogenia - - -
Kircheri, Athanaſ. Scrutinium Peſtis 4. Romæ 1658
Kœnig, Eman. Regnum animale 4. Baſil. 1687
Selectus Remediorum in Regno Vegetabili
Kornmannus, Henr. de Miraculis Vivorum vid. Opera curioſa 8. Francof. 1698
Kozack, Joh. Sophron. de Sale 4. Franc. 1663
Kramers, Theod. Valent. Medicina docens & ducens 8. Lipſ. 1710

L.

Lamzweerde, Joh. Bapt. a, Appendix ad Joh. Sculteti Armamentarium 8. Amſt. 1671
Anatomia Molarum Uteri 8. Lugd. 1686
Langii, Chriſt. Joh. Opera medica fol. Lipſ. 1704
Joh. Epiſtolæ medicinales 8. Hanov. 1605
Lanſii, Thomæ, Conſultationes 8. Tubingæ 1678
Lanzoni, Joſeph. Annotationes in Moinichen Obſervationes
Laurenbergii, Petri, Acerra Philologica 8. Franc. 1684
Laurentii, Andr. Hiſtoria anatomica fol. Franc. 1600

Leh-

Lehmann, Chriſtoph. Chronicon Spirenſe fol.
Lemnius, Levinus, de Miraculis Naturæ occultis 12. Francof. 1604
Lentilii, Roſini, Miſcellanea medico-practica 4. Ulmæ 1686
Eteodromus medico-practicus 4. Stuttg. 1711
Iatromnemata theoretico-practica 8. 1711.
Licetus, Fortunius de Monſtris 4. Amſtelod. 1665
Linden, Joh. Ant. van der, Meletemata Medicinæ 4. Francof. 1672
Linſing, Petr. Ern. Inſtitutiones medicæ 8. Erlang. 1701
Lipſii, Juſt. Commentarius in Cornelium Tacitum 4. Antwerp. 1600
Liſter, Martinus, de Humoribus 8. Amſterd. 1711
Livius, Titus
Lommii, Jodoci, Obſervationes medicinales 12. Lipſ. 1688. 8. Amſt. 1715
Lotichii, Joh. Petri, Obſervationes medicinales 4. Ulmæ 1644
Commentarius in Petronii Arbitri Satyricon 4. Franc. 1629
Ludolffs, Job, Schaubühne der Welt fol. *Franckfurt* 1699
Ludovici, Joh. Fr. Doctrina Pandectarum 8.

M.

Majoli, Simonis, Dies Caniculares fol. Francof. 1672
Mandelsloo, Albrecht, Epiſtel an Olearium, fol. vid. Olearii *Reiſe-Beſchreibung*
Marchette, Dominicus de, Anatomia 12. Patavii 1656
Marggravi, Chriſtiani, Prodromus Medicinæ pract. 4. Lugd. 1685
Martius, Joh. Nic. de Magia naturali 4. Lipſ. 1715
Maſcardus, de Probationibus fol.
Matthæi, Joh. Quæſtiones medicæ 8. Franc. 1603
Matthiæ, Chriſtiani, Theatrum Hiſtoricum 4. Francof. & Lipſ. 1692
Matthioli, Petr. Andr. Opera in Dioſcoridem fol. Baſil. 1674
Mauriceau, François, Obſervations ſur la Groſſeſſe, 4. à Paris 1695
Von Kranckheiten ſchwangerer Weiber 8. *Nürnb.* 1687
Maximus, Valerius, 8. Lugd. 1554
Mayerne, Theodori de, Praxis medica 8. Auguſt. 1691
a Meekren, Jobi, Obſervationes Medico-Chirurgicæ, 8. Amſterd. 1682
Meibomii, Henr. Diſputatio de Suppreſſione Urinæ 4. Helmſt. 1667
Mercklinus, Georg. Abrah. de Transfuſione Sanguinis 8. Norimb. 1679
Mercurio, Scipione, della Commare 8. in Milano 1618
Mercurialis, Hieron. Prælectiones Patavinæ fol. Venet. 1627
Piſanæ fol. 1597
de Morbis Mulierum, vid. Iſr. Spachii Gynæc.

Mermann, Thomæ, Conſultationes, fol. Ingolſtad. 1675
Mezleri, Diſputatio de Abortu, 4. *Erfurt.*
Michaelis, Joh. Opera medico-chirurgica 4. Noriberg. 1688
Miſcellanea Naturæ Curioſorum 4. Lipſ. 1670
Mizaldus, Joh. Redivivus 12. Noriberg. 1681
Mœbii, Gothofr. Fundamenta Phyſiologiæ 4. Jenæ 1661
Mœllenbroccius, Valent. Andr. de Varis 8. Lipſ. 1672
Moinichen, Henr. a, Obſervationes medico-chirurgicæ 12. Dresd. 1691
Montani, Arnoldi, *Japaniſche Geſandſchafft*, fol. *Amſterdam* 1700
Montui, Hier. Anaſceve Morborum 8. Lugd. 1560
Mülleri, Petri, Diſputatio de Jure Prægnantium 4. Jenæ
Munnicks, Joh. Anatomia 8. Lugd. 1699
Muralti, Joh. Vademecum ſeu Clavis Medicinæ 12. Tigur. 1672
Hippocrates Helveticus ſeu *Haus-Arzt 8. Baſel* 1692
Anatomiſches Collegium 8. *Nürnberg* 1697
Kinder- oder Hebammen-Büchlein, 8. Baſel 1697
Chirurgiſche Schrifften 8. Baſel 1691
Muſitani, Caroli, Trutina Chirurgica 4. Colon. 1698
- - de Morbis mulierum 4. Colon.
Mylii, Joh. Danielis, Baſilica Chymica 4. Franc. 1628

N.

Needham, Gualt. de Formatione fœtus, vid. in Bibliotheca anatomica
Nenteri, Georg. Philippi, Phyſiologia ſ. Theoria hominis ſani 8. Argent. 1714
Neymannus, Greg. de Vita fœtus, v. Plazzon de Partib. genital.
Nitzſchii, Frid. Journal, ſ. Ephemerides Eruditorum 8. Lipſ. & Fr. 1671
Nova Literaria Germaniæ 4. Hamburgi
Novellæ Ordinariæ Noribergenſes

O.

Obſequentis, Julii, Prodigiorum Liber 8. Baſil. 1552
Ortlobii, Joh. Frid. Hiſtoria Partium ſeu Phyſiologia 8. Lipſiæ 1697
Oſtentum Dolanum 24
Ovidius

P.

Palfyn, Jean de, des Parties de la femme 4. à Leyde 1708
Panaroli, Dominici, Obſervationes medicinales 4. Hanov. 1654
Pancirollus, Guil. de Rebus memorabilibus ſeu deperditis 4. Franc. 1660
Paræi, Ambroſ. Opera, ſeu Theſaurus Chirurgiæ fol. Franc. 1610

Paſcha-

Paſchalii, Petri, Methodus curandi cum Petri Pauli Peredæ Scholiis 8 Lugd. 1587
Paſtorii, Joach. Florus Polonicus 12. Gedan. 1679
Pauli, Joh. Guil. Annotationes in Joh. van Horne Opera 8. Lipſ. 1707
Paullini, Chriſt. Franc. Obſervationes medico-phyſicæ 8. Lipſ. 1706
Cynographia curioſa 4. Noriberg. 1685
Lagographia 8. Francof. 1694
de Bufone 8. Norimb. 1686
de Talpa 12. Francof. & Lipſ. 1689
de Theriaca cœleſti 8. Francof. 1701
de Morte verminoſa 8. Franc. & Lipſ. 1703
Zeitverkürtzend-erbauliche Luſt 8 Franckfurt 1695
Pechey, Joh. Promtuarium Praxeos Medicæ 12. Amſt. 1694
Pechlini, Joh. Nicol. Obſervationes phyſico-medicæ 4. Hamb. 1691
de Aeris & Alimenti defectu 8. Kiloni 1676
Pecqueti, Joh. Experimenta nova anatomica de Chyli receptaculo 12. Amſterd. 1667
Peireſcii, Vita a Gaſſendo deſcripta 12. Hagæ 1658
Peredæ, Petri Pauli, Scholia in Mich. Paſchalii Methodum curandi 8. Lugd. 1587
Pfizerus, Joh. Nic. *von der Weiber Natur und Kranckheiten 8 Nürnb.* 1673
Pierii, Joh. Hieroglyphica 4. Francof. 1678
Pinæi, Joh. Severin. Opuſcula de Virginitatis notis 12. Amſtel. 1663
Piſonis, Caroli, Obſervationes de Morbis ſeroſis 8. Lugd. 1650
Guilielmi Hiſtoria naturalis Braſiliæ fol. Lugd. 1688
Plateri, Felicis, Praxis medica 4. Baſil. 1621
Obſervationes 8. Baſil. 1661
de Corporis humani Structura fol. Baſil. 1599
Plempii, Vopiſci Fortun. Fundamenta Medicinæ fol. Lovanii 1644
Plinii, C. Hiſtoria Mundi fol. Baſil. 1594
Pomerel, Obſervationes v. Riverii Obſervat. 8
Portæ, Joh. Bapt. Magia naturalis 12. Amſterd. 1669
Posneri, Joh. Caſp. Geneanthropologia fol. Jenæ
Poterii, Petri, Obſervationes vid. Opera omnia medico-chymica 4. Francof. 1698.
Prætorii, Joh. *Welt-Beſchreibung 8. Magdeburg* 1688
a Pratis, Jaſon, de Uteris 12. Amſt. 1657
Primeroſius, Jacobus, de Vulgi Erroribus 12. Amſterd. 1639

R.

Ralſius, Georg. Frid. de Generatione animalium 12. Stetin. 1669
Rattray, Sylveſt. Theatrum Sympathiæ 12. Tubing. 1660.
Regii, Praxis medica 8.
a Reies, Caſp. Campus Elyſius jucundarum Quæſtionum 4. Franc. 1670
Relationes Berolinenſes 1731
Francofurtenſes, Lipſienſes, Noribergenſes, Ratisbonenſes
Ratisbonenſes 1730
Remigii, Nicolai, Dæmonolatria 4. Lugd. 1596
Reusneri, Obſervationes v. G. Hier. Velſch. Obſ. 4.
Rhodii, Joh. Obſervationes v. Petri Borelli Obſervat.
Riedlini, Viti, Parentis Obſervationum Cent. III. 12. Auguſt. 1691
Parentis, ars bene medendi 8. Pariſ. 1601
Filii, Obſervationum Centuria 12. Auguſt. 1682
Lineæ medicæ 8. Auguſt. 1705
Millenarius Curar. med. 4. 1691.
Riolani, Joh. Anthropographia ſ. Opera anatomica fol. Lutet. 1649
Commentarius in Veslingium
in Fernelium 8. Montpeſſ. 1588.
Riverii, Lazari, Obſervationes medicæ 8. Hagæ 1656
Praxis 8. Lugd. 1660
Romain, Saint, Phyſica 12. Lugd. 1684
Rommelii, Obſervationes, vid. Velſch. Obſervationes 4.
Rondeletii, Guil. Methodus curandorum morborum 8. Pariſ. 1574
Ronſæi, Balduin. Opuſcula medica 8. Lugd. 1618
Roonhuyſen Obſervationes *oder Heil-Curen,* 8 *Nürnberg* 1674
Roſſetus, Franciſc. de Partu Cæſareo 8. Francof. 1601
Ruffus, Gualter de, de Morbis Mulierum vid. Spachii Gynæceum
Rum, Joh. Udalr. Obſervationes vid. G. Hier. Velſch. Sylloge Curationum
Ruyſchii, Frederici, Obſervationes anatomico-chirurgicæ 4. Amſt. 1691
Theſaurus anatomicus 4. Amſtel. 1701. ſeq
Dilucidatio Valvularum in Vaſislymphaticis 12. Lugd. 1687

S.

Saar, Joh. Jacob, Oſt-Indiſche Reiſe-Beſchreibung fol. *Nürnberg* 1672.
Saint Romain Phyſica 12. Lugd. 1684
Salmuth, Henrici, Commentarius in Pancirollum
Philippi, Obſervationes medicæ 4. Brunſuic. 1648

Salz-

Salzmanni, Joh. Rudolf. Obſervata anatomica 12. Amſtel. 1669
a Sanden, Henricus de Prolapſu uteri inverſi 4. Reg. 1722
Scharffius, Benj. de Junipero 8. Jenæ 1679
Schelhammerus, Günth. Chriſt. de Natura 4. Kiliæ, 1697
Schenckii, Joh. Obſervationes medicæ, fol. Francof. 1665
Joh. Georg. Hiſtoria Monſtrorum 4. Francof. 1609
Joh. Theod. Schola partium Corporis humani 4. Jenæ 1664
Schmidii, Tobiæ Chronicon Zwiccavienſe 4.
Schœnfelderi, Phil. Jac. Hiſtoriæ, Enarrationes & Curationes 8. Ratisb. 1681
Schraderi, Juſti, Obſervationes & Hiſtoriæ 12. Amſtel. 1674
Schrœderi, Joh. Theſaurus pharmacevticus 4. Ulmæ 1685
Schulzens, Walther, Oſt-Indianiſche Reiſe fol. Amſterdam 1676
Schurigii, Mart. Spermatologia 4. Francof. 1720.
Sialologia ſeu de Saliva 4. Dresdæ 1723
Chylologia 4. Dresdæ 1725
Muliebria 4. Dresdæ & Lipſiæ 1729
Parthenologia 4. Dresdæ & Lipſiæ 1729
Gynæcologia - - 1730
Syllepſilogia 4. Dresd. & Lipſ. 1731
Scipione, Mercurio, della Commare 8. in Milano 1618.
Scriptura Sacra
Sculteti, Joh. Armamentarium chirurgicum 4. Francof. 1666.
Sengverdus, Arnoldus, de Oſtento Doletano 24.
Sennerti, Daniel. Inſtitutiones medicæ 4. Witteb. 1667
Practica medicinæ 4. Witteb. 1654
Paralipomena - - 1642
Severinus, Marc. Aurel. de recondita Abſceſſuum natura Francof. 1643
Siegemundin, Juſtina, *Brandenburgiſche Weh-Mutter* 4. *Cœlln an der Spree* 1690
Simonis, Joh. Georg. de Impotentia conjugali 4. Jenæ 1718
Sinibaldi, Joh. Bened. Geneanthropœia 4. Francof. 1669
Slevoigt, P. Programma de Partu
Smetii, Henrici, Miſcellanea 8. Francof. 1611
Snellen, Henrici, Delineatio Theoriæ mechanicæ 8. Lugd. 1705
Solenandri, Reineri, Conſilia medica fol. Hanov. 1605
Solingen, Cornelii, Ampt ende Plicht der Vrœdvrouwen 4. t'Amſterdam 1684

Solingen, Cornelii, Embryulcia ofte Afhalinge eenes toden Vruchts 12. t'Graven-Haag 1673
Spachii, Iſrael. Gynæciorum liber fol. Argent. 1597
Sperlingius, Joh. de Formatione fœtus in utero 8. Witteb. 1641
Spigelius, Adrian. de Lumbrico lato 4. Patav. 1618.
de incerto partus tempore v. Plazzon de Part. genital.
Spindleri, Pauli, Obſervationes medicinales 4. Francof. 1691
Sponii, Jac. Aphoriſmi novi ex Hippocratis Operibus 12. Lugd. 1684
Sprengeri, Jac. Malleus Maleficorum 8. Francof. 1580
Stahl, Georg. Ern. Diſputatio de Abortu 4
Stalpart, Cornel. van der Wiel, Obſervationes rariores 8. Lugd. 1687
Petrus de Nutritione fœtus ibidem
Stockhammeri, Franc. Microcosmographia 12 Viennæ 1682
Strauſſius, Laur. de Fœtu Muſſipontano vid. Sinibaldi Geneanthrop.
Struvii, Burc. Gotth. Schediasma de Partu ſuppoſito 4. Jenæ 1732
Suevi, Gottf. Synopſis Rerum criminalium Carpzovii 8. Lipſiæ 1703
Sulzbergeri, Sigism. Rupert. Diſputatio de Abortu
Sylvii, Franciſci, Opera medica fol. Avenione 1680
4. Amſtelodami
Sydenham, Thomæ, Diſſertatio de Curatione Variolarum & affectione hyſterica 12. Francof. 1683

T.

Tacitus, Cornelius, cum Commentario Juſti Lipſii 4. Antwerp. 1600
Taranta, Valeſci de, Philonium pharmacevticum 4. Francof. 1680
Tauvry, Dan. Anatomia 8. Ulmæ 1694
de Generatione vid. Acta Eruditorum
Teichmeyeri, Herm. Frid. Inſtitutiones Medicinæ legalis 4. Jenæ 1723
Tertre, Marguer. de, Inſtruction de Sagefemmes 12. à Paris 1677
Tertulliani, Septimii Flori, Opera fol. Baſil. 1521
Thevenot, *Reiſen in Europa, Aſia und Africa 4. Franckfurt* 1693
Thruſton, Malachias, de Reſpiratione 8. Lugd. 1671
Timæi, a *Güldenklee* Bald. Opera medico-practica 4. Lipſiæ 1677
Torreblanca, Franciſcus, de Magia 4. Lugd. 1678
Tulpii, Nicol. Obſervationes Medicæ 8. Amſtelod. 1652

U. V.

Valentini, Mich. Bernh. Novellæ medico-legales 4. Francof. 1711
Pandectæ medico-legales 4. Francof. 1701
Chirurgiæ Praxis infallibilis 4. - 1715

Valentini, Mich. Bernh. Noſocomium in Praxi medicinæ 4. Franc. 1711
an Machiavellus 4.
Valerius Maximus 8. Lugd. 1654
Valleſii, Franc. Philoſophia ſacra 8. Francof. 1608
Valleriolæ, Franc. Obſervationes medicinales 8. 1588
Varandæi, Joh. Opera omnia fol. Lugd. 1658
Varolii, Conſtantii, Anatomia 8. Patav. 1591
Vateri, Chriſtiani, Phyſiologia experimentalis 4. Witteb. 1701
Vateri Diſputatio de Mola
Vega, Chriſt. Opera ſeu de arte medendi fol. Lugd. 1587
Velſchii, Georg. Hier. Sylloge Curationum, Epiſagmata 4. Auguſtæ 1675
Conſilia medicinalia 4. Auguſt. 1698
Velthuyſii, Lamberti, Opera omnia 4. Roterodam. 1680
de Liene & Generatione 12. Traject. 1657
Venette, Niclas de la Generation de l'Homme 12. à Cologne 1696
Venus Minſiecke Gaſthuis 8. t' Amſterd. 1687
Verduc, Jean Bapt. des Operations de Chirurgie 8. à Paris 1694
Editio Germanica 4. *Leipzig*
de l'Uſage des Parties 12. à Paris 1696
Verheyen, Philipp. Anatomia Corporis humani 8. Lipſiæ 1699
Verzaſchæ, Bernh. Obſervationes medicæ 8. Baſil. 1677
Veſalii, Andreæ, Anatomia fol. Venet. 1614
Veslingii, Joh. Syntagma anatomicum 4. Patav. 1677.
Obſervationes anatomicæ v. Bartholin. 8.
Veſti, Juſti, Diſputatio de Abortu 4. Erfurt.
Viardel, Coſmus, *von der weiblichen Gebuhrt 8. Franckfurt* 1676
Vicarii, Joh. Jac. Fr. Baſis univerſæ medicinæ 8. Ulmæ 1700.
Vieuſſens, Raymundi, Novum Vaſorum Corporis humani Syſtema 8. Amſtelod. 1705
Ulmi, Marci Anton. Phyſiologia Barbæ fol. Bonon. 1603
Völters, Chriſtoph, Hebammen-Buch 8. Stuttgard 1679

W.

Waldſchmidii, Joh. Jac. Praxis medicinæ 8. Francof. 1690
Warlizius, Chriſtian. de Morbis biblicis 8. Witteb. 1714
Valetudinarium ſenum Salomoneum 4. Lipſiæ 1708.
Wedelii, Georg. Wolfg. Phyſiologia medica 4. Jenæ 1682
Pathologia medico-dogmatica 4. Jenæ 1692
Exercitationes medico-philologicæ 4. Jenæ 1686

Wedelius, Georg. Wolfg. de morbis infantum 4. Jenæ 1717
Weinrichius, Martinus, de Monſtrorum ortu 8. 1595
Welſchens, Gottfried, Hebammen-Buch 8. Leipzig 1657
Rationale Vulnerum lethalium Judicium 8. Lipſiæ 1674
Weſtphali, Joh. Caſp. Pathologia dæmoniaca 4. Lipſiæ 1707
Wieri, Joh. Opera omnia 4. Amſtelod. 1660
Wolffii, Jac. Scrutinium Amuletorum medicum 4. Lipſiæ & Jenæ 1690
Ido, Obſervationes Chirurgico-medicæ 4. Quedlinb. 1704
Joh. Lectiones memorabiles fol.
Wormii, Olai, Muſæum ſeu Hiſtoria Rerum naturalium fol. Lugdun. 1655

Z.

Zacchiæ, Pauli, Quæſtiones medico-legales fol. Francof. 1688
Zacuti, Luſitani, Opera omnia fol. Lugdun. 1649
Zeidleri, Sebaſt. Somatotomia ſeu Anatomia fol. Viennæ 1692
Zeileri Geographia
Zelleri Diſputatio de Vita humana a fune pendente 4.
Ziegleri, Philippi, America fol. Francof. 1617
Zittmanni, Joh. Frid. Medicina forenſis 4. Francof. 1706
Zwelfferi, Joh. Pharmacopœa Auguſtana fol. Norib. 1675
Zwingeri, Theodori, Theatrum Praxeos medicæ 4. Baſil. 1711
Zypæi, Franc. Fundamenta medica 8. Bruxellis 1684.

INDEX RERUM.

A.

Abactio eſt periculoſa 430. 435
putatitia 414
Abactionis pœna 132. 416. ſeqq. 426
per Abdomen oſſa fœtus excreta 229 ſq.
in Abdomine fœtus 240. ſq. 642
Abelis ſanguinis vox 43
Abortivi fœtus jus 411
Abortus quid ſit? 341. ſq.
bicorporeus 414
in brutis 382
cerebro carens 410
denatus 208. 410
fabæ magnitudine 361
frequens novies 352. 362. 370 377. 383. ſeq. 395
Abortus undecies 348
gemellorum 372. 412
hydropicus 204
in membranis 407. 503. 505
menſibus ſingulis rejectus 384
minimus 407
in mola 345. 408
nefandus 376
in placenta 345
repoſitus in uterum 411
ſimulatus 413
trigeminorum 412
veſicularis 346
per vomitum rejectus 409. 618
an interdum licitus? 419. 426. 427. ſeq. 433

Abortus baptiſmus 414
Abortus cauſa 346. ſq.
aconiti ſemen 373
alapa 366
alvi conſtipatio 360
arſenicum 374
artemiſium 374
aſſulæ 380
bombardæ ictus 367
brevitas funiculi umbilicalis 370
cacochymia 372
calcitratio 364
calculus 362
camphora 355
candelarum fumus 353. 424
cantharides 376
carbonum fumus 353
coitus adverſus 371
compreſſio 363
conculcatio 363. 364
conſtitutio epidemica 375
contuſio 363. ſeq.
dyſenteria 355
elevatio ponderoſa 368
ebrietas 372. 375
euphorbium 433
faſcinum 376. ſeq.
fœtor candelæ 353. 424
frigus 369
funiculus umbilicalis 370 ſeq.
fumus candelæ 353. 424
carbonum 353
gravidarum morbi 358
hæmorrhagia 346. 356
halitus 378
horror 351. 379
hydrops 359
icterus 359
ictus bombardæ 367
in clunes 365
ira 352
lapis porcinus 374
ligatura ventris 379
lini oleum 372
Abortus cauſa: manna 355
mœror 350
mola 369
morbi gravidarum 358
motus corporis vehemens 367
obſtructio alvi 360
odor roſarum 354
oleum lini 372
oneris elevatio 368
percusſio ſuper renes 362
pica 375
planchette 381. ſeq.
plethora 346. 356
renum imbecillitas 362
roſarum odor 354
ſaltatio 367
ſelago 373
ſemen aconiti 373
ſerpens 377
ſingultus 368
ſternutatio 367
ſtylus 378
tenesmus 359
terror 347. ſeq.
timor 351
tonitru 349
tusſis vehemens 296. 359. 367
vaſorum umbilicalium ruptura 371
venenum 374
ventris tactus 377. ſq.
veſica circa aſperam arteriam 372
vomitoria 361
urinæ ſuppresſio 361
uteri anguſtia 346
læſio 374
Abortus definitio 340
præſervatio 383. 386
per ætitem 397
per amuleta 397
per fontanellam 397
per venæſectionem 386. ſeqq.

Abortus inſtantis ſigna 399. ſeq.
hæmorrhagia 403
pediculi 402
prægreſſi ſigna 404. ſeq.
inſolita exempla 407
pœna 416. 436
in Abortus placenta embryo 345. 408
Abortum medici evitare debent 431
præſervat ætites 397
Abortu febris quartana curata 413
Abſceſſus uteri vid. Uteri abſceſſus.
Aconiti ſemen cauſa abortus 373
Adulter ſenex decollatus 577
Æſculapius ex utero exſectus dicitur 833
Ætas partus inſolita 590
Ætites præſervat abortum 397
Agnus a vacca natus 686
Alapa cauſa abortus 366
mortis 367
Alimentum fœtus 1. 8. ſeq.
Alimenti penuria an cauſa partus? 453
Allantois membrana 65. ſeq.
an in homine reperiatur? 65
ex Allantoide feneſtræ parantur 67
Alvi conſtipatio cauſa abortus 360
obſtructio diuturna 758
per Alvum partus 244. 642. ſeq.
Amnios eſt membrana fœtus 34. ſqq.
Amnii liquor an fœtus nutrimentum? 9. 23
croceus 64
ſalſus 64
liquoris ortus 46. 48. 53. 55
Amnii abuſus 38
ad fortunam 39
ad impotentiam 59
ad ſympathiam 40. 48
ad veneficia 40
uſus 61. ſeq.
vaſa ſanguinea 243
ex Amnii ſudore diagnoſis 41
in Amnio nulla aqua 60. 532
ſanguis 64
Amuleta contra abortum 397. ſq.
vaſorum umbilicalium 866
Anaſtomoſis an detur 3. 5. 22. 103. ſeq. 105
Anima an per traducem propagetur, an a Deo infundatur 134. 136. 417
Animæ operatio in conceptione 135
Animatio fœtus 132. 423
Animationis tempus 133. ſeq. 137. 423
Anſer in ferinæ utero generatus 678
Aphonia in gravida 185
Aquæ amnii intempeſtiva effuſio cauſa partus difficilis 444. 528
Artemiſia cauſa abortus 374
Aſcarides per uterum ejecti 672 ſq.
Aſelli circa pedes prodeunt 645
Aſinæ pariendi tempus 337
Aſina filiam pariens 653
Aſſulæ cauſa abortus 380
Atreſia cauſa partus difficilis 524
Attila a cane genitus 646
Aves per vomitum & uterum excretæ 677. ſq.
Avis cum fœtu edita 671

B.

Baba, comes habuit 32. filios & duas filias 620
Balneum fœtus 852
e vino noxium 853
Baptiſmus abortus 414
fœtus in utero 498. 838. 842
in membranis 503
exempla 841. 842
Benjanorum matrimonia 592
Bombardarum ſonitus abortus cauſa 367
Brachium extra vulvam propendens 521. 541
Brutorum oſſa per abdomen excreta 229
partus terminus certus 271. 336
Bufo a femina natus 657
caudatus 661
per alvum excretus 659
ex colli abſceſſu 658
Bufones duo in loculis ſagæ reperti 659
Bufonum vomitus 659. ſeq.

C.

Cacochymia cauſa abortus 372
Cæſareus partus vid. Partus Cæſareus.
Cæſones, qui appellati fuerint? 833. 843
Cainus cur factus profugus 43
Calcitratio cauſa abortus 364
prolapſus uteri 756
fœtus an cauſa partus 463
negatur 464
Calculi cauſa abortus 362
prolapſus uteri 765
Calculorum partus. 704. ſeq.
Calculus partum promovens 705
Camelus poſt duodecim menſes parit 278. 337
Campanarum ſonus partum facilitat 554
Camphora cauſa abortus 355
Cancer a femina natus 672
Candelarum fumus cauſa abortus 353 424
a Cane homo natus 646
puella nata 647
Canes per vomitum rejecti 629
cum feminis congredientes 655. ſeq.
a Canibus fœtus per os rejectus 629
Caniculo ſimile animal per vomitum rejectum 630
Canis oviparus 684
a femina natus 654. 655
pariens felem 686
leporem 685
lupum 685
a Canis rabidi morſu catelli rejecti 630
Cantharides cauſa abortus 376
Canum terminus pariendi 277. 337
ex Capillis an ſignum abortus ſumi queat 407
Capillorum ſympathia 42
Capitis fœtus extrahendi modus 803
Capra a coitu cum viro puerum caprinis cruribus pariens 648. ſq.
fœtum humanum pariens 649
poſt quintum menſem parit 278. 337
Caput fœtus in utero remanens, 499. 500. 501
magnum impedit partum 538
Carbonum fumus cauſa abortus 353
Catella a lepore imprægnata 686
Catulus ſine capite & ore natus 29
Catuli a ſartore per vomitum rejecti 630. 656
Catuli a femina nati 654. ſq.
a ſcropha nati 685
a vacca nati 684. ſqq.
a viro & femina rejecti 630. 656. ſeq.
Catti ex femina nati 666
Cautela circa partus tempus 331. 805. 897. 899
in Gallia 898
Cerebro carens abortus 410
Ceremoniæ Judæorum circa partum 573
Cerva octo menſes fœtum gerit 278. 337
Chirurgia infuſoria per umbilicum 878
Chorion eſt membrana fœtus 35. 38. 116
Cinirus quid ſit 686
Circulatio ſanguinis in fœtu 96. ſq. 107
triplex 108
Clericus feminæ caput abſcidit
Clyſteres partum facilitant 552. ſeq.
uterini contra aſcarides 673
Coalitus vaginæ uteri 772
Cœcitas a partu difficili 564
Coitus adverſus cauſa abortus 371
a tergo 654
per os 625
cum vacca 647
impeditus a prolapſu uteri 766
an partum facilitat 553
Colli veſicæ dilaceratio 567
Color croceus in embryone 165
Columbæ ſingulis menſibus fœtus edunt 337
Cometæ an malum ſignificent 172
Compreſſio eſt cauſa abortus 363
Conceptio nova remanente priore fœtu in homine 225
in vacca 511
ſalvo manente hymene

Conceptio ſine præcedente menſtruatione 511
Conjugia fœcunda 605
Conſumptio fœtus a vermibus 221
Contractio uteri poſt partum 514
Contractura embryonis in utero 186
Contuſio cauſa abortus 363
Convulſio uteri partum difficilem efficit 518
Corruptio fœtus in utero 214
cur non ſemper fiat 252
Corvus pullos vivas pariens 688
Cranii ſuturarum diſceſſus 564
Crepitus in partu 700. ſeq.
a Crepitu lupi inverſio uteri 745. 277
Crocodili a feminis nati 681
Cuniculorum terminus pariendi 337
Cuticula vel epidermis nulla in Ludovico rege Hungariæ 201

D.

Dæmonem repræſentans fœtus 680
Deligatio funiculi umbilicalis 854
Dentes in abortu 582
fœtus 701
Dentitio in embryone in partu 207. 312. 582
Diæta puerperarum 918
Diaphragma promovet partum 473
Differentia inter partum animatum & inanimatum 417. ſeqq.
Dilaceratio colli veſica 567
Diſruptio labiorum pudendorum in partu difficili 558
perinæi 560
vaginæ uterinæ 566
venarum 559
Divortium ob prolapſum uteri 767. ſq. 770
Dolores partus 440. ſeq.
Dyſenteria cauſa abortus 355

E.

Ἐκπολὴ quid ſit? 343
Ἐκτρωμα quid ſit? 343
Ebrietas cauſa abortus 372
Eduardus rex Angliæ ex utero exſectus 833
Ejulatio fœtus recens nati 412. 460. 844
cauſæ 846
Elephas a femina natus 679
Elephantis terminus geſtationis 337
Elevatio ponderis cauſa abortus 368
Embryo vide Fœtus.
mortuus per ſemiannum in utero remanens 783. ſeq.
in placenta 346
Enfant de troiz mois appellatus fuit princeps de Conde 312
Enterocele in embryone
Epidermis nulla in Ludovico rege Hungariæ 201
Epilepſia fœtus in utero 185
horrenda in partu 518
per ſecundinam curatur 879
Equa leporem pariens 684. 686
vitulum 685
puellam pariens 652. ſq.
vulpem 684
Equæ tempus pariendi 337
Equus a femina Judaica per uterum ejectus 679
Euphorbium abortum cauſatur 433
Excoriatio in embryone 200
Exſectio fœtus viri ex matre mortua 126. 814. ſeq.
e matre viva 820
ex utero 822
mortui e viva matre 128. 816
ex mortua matre 827
in brutis 826
ex abdomine 824
ex ovario 824
e tubis Fallopianis 825
uteri 776. ſeqq.
Exſectus fœtus an eodem cum liberis legitimo tempore natis jure fruatur 843
Exſectionis fœtus exempla 123
Exſiccatio fœtus in utero 214
Extractio fœtus vivi ex matre mortua 123
immaturi 804
reiterata 800

Extractio infelix 803

F.

Faſcinum cauſa abortus 376. ſq.
Faſcinatio per ſecundinam 882
Febris in embryone 191
Feles ex femina natæ 666
Felis canem pariens 686
  catellos per os evomens 630
Feminarum fraus ratione partus 329. 331
Feneſtræ ex allantoide vaccina 67
Filii duodecim unico partu 612
Flatus ex utero 690. 693
Fœcunditatis exempla 601. ſq. 618. ſq. 621
Fœtus animatus & inanimatus 416. 423
  perfectus 886
  maturus 276
  maturus & magnus an pelvis anguſtias penetrare poſſit? 493. ſqq
  immaturus 890
  magnus cauſa partus difficilis 538
  corruptus 214. ſeq. 222
  exſiccatus 214
  excoriatus 200
  putrefactus 216. 218 581
  putridus 129. 218
  petrefactus 234. 237
  petroſus ex pica 238
  gypſeus 229. 235
  a fulmine occiſus 233
  conſumtus a vermibus 221. 676
  croceus 195
  niger 198. 368
  Muſſipontanus 236
  vivus 342
  vitalis 280. 342. 418
  an in utero reſpiret? 18. 138
    negatur 146. ſeqq.
  an in utero ſugat 158. ſeq.
  an in utero ſudet 46. 49
  in utero an vita propria vivat 117. ſeq.
  an ſemper cum matre mortua moriatur? 118. neg. 122
  poſt matris mortem natus 125
    574. ſeqq. 701. 702
  extra uterum 239. 240. 248
Fœtus extra uterum mortuus 828
  cum uteri ruptura 236. 242
  in inguine 256
  in mola ſeu polypo 257
  in placenta 259
  in ſtruma 253
  in tumore ad genua procedente 253
  ex utero prolapſo exſectus 736
  in veſica urinaria 255
  in utero ſupervivens 588. ſeq.
  in membranis extra uterum 156
  membranis incluſus natus 502
  ſuffocatus in partu 702
  poſt ejulatum in uterum reverſus 168. 506. ſeq.
  in partu evaneſcens 510
  per os editus 409. ſeq. 625
    in canibus 629
    in felibus 630
  reviviſcens clamat 846. 850
  loquens 848
  exciſus ex abdomine 824
    ex ovario 824
    ex utero prolapſo 736
    ex tubis 825
  vivus exſectus e matre mortua 123
    e viva matre 820. ſeq.
  mortuus e viva matre 129. ſeqq. 816
    ex mortua matre 126. 827
  vivi ex mortuo lepore exemti 125
  in utero nutritio 1
  nutrimentum an ſanguis 1
    an liquor 83
  circulatio ſanguinis 97
  formatio 30. ſeq.
  animatio 132. ſeq.
  membranæ 30. 33
  vita in utero 117
  ploratus in utero 162. 166. 168
  vagitus 161. ſeqq.
  mors in utero a variis cauſis 211. ſqq.
  morbi in utero 184
  motus in utero matris mortuæ 816
  magnitudo in utero 260

Fœtus ſitus 261
mora in utero 783
in utero mortui ſigna 370. 789
vivi ſigna 789
excluſio 797
vivi extractio 123. 797
extractio reiterata 800
exſectio 806
recens nati ejulatus 841
loquela 183. 847. ſeqq.
in utero riſus 183
mortui mora ſine putredine cur 63. 143
caput in utero relictum 499. 501
Fœtuum in utero adhuc viventium ſepultura prohibita 835. ſeqq.
ſtrangulatio 558
ſuffocatio in utero 525. 558
cum Fœtu vermes excluſi 673. 676
Fonticulus ſeu fontanella contra abortum 397
Formatio fœtus 30
Fortuna ab amnio 39
Fragor in partu 127. 250. 492. 655. 700. 701. ſeq. 704
in abortu 373
Frigiditas in embryone 211
Frigus cauſa abortus 369
Fulmen fœtum in utero occidens 283
Fulgur ex utero 700
Funiculus umbilicalis 69
in nodum contortus 90
brevis & contortus 70. 92
cauſa abortus 370
duplex 95
nullus 94. 868
a corpore abruptus 861
diſruptus 371. 863
Funiculi vaſa 67. 68. 537
brevitas 370. ſeq.
procidentia 865
ligatura 86. 859
releɛtio 860. ſeq.
longitudo 85
circa collum 87. 89. 370. 536
a Funiculo umbilicali mors in utero 211. ſeq. 370. ſeq 537
a Funiculo brevi partus difficilis 535
longo partus difficilis 536
non bene deligaro mors 856. 859
in Funiculo an vaſa ſuccifera 81
lymphatica 81
an nervi 82
nodi quid indicent? 82. ſeq.

G.

Galea quid ſit? 34
Galeæ abuſus 38. ſeqq.
mador 45
Gallina loco ovorum vivos pullos pariens 687. 688
Gallinæ an vermes vel ſerpentes pariant 687
an cum viperis coeant 687
Gallus oviparus 684
Gangræna vulvæ 713. ſeq. 715
a balneo vini 853
Gemelli poſt matris mortem excluſi 637
partum reddunt difficilem 539
a vacca nati 648
mares ſeptimeſtres 297
Gemellorum abortus 372
Glandula thymi nutrimentum fœtus reddere dicitur 11
Glandulæ amnii 53. 55
Glires a feminis nati 665
Gorgias Epirota poſt matris mortem natus 125. ſeq.
Gravidæ non ſtatim ſepeliendæ 123
Gravida ultra undecim menſes 162
ultra triennium integrum 162
Gutta ſerena a partu difficili 564. ſeq.
non ſemper incurabilis 565
Gypſeus fœtus 235

H.

Hæmorrhagia cauſa abortus 356
ſignum abortus 403
ante partum 513
Hernia in embryone 206
inguinalis a partu difficili 569. 863. 870
umbilicalis uterina 778. 823
Homo an certum naſcendi tempus habeat 273. 276

Homo a cane natus 646
Homicidii voluntarii pœna
Horror cauſa abortus 350
Hybrida eſt animal, ex apro & ſue domeſtica 686
Hydatidum partus 696
Hydrocephalus 205
Hydrops uterinus 694. ſeq.
Hydrops in embryone 202
  cauſa abortus 359
  oleo lini curatus 373
Hymene ſalvo an imprægnatio poſſit fieri?

I.

Japanenſes feminæ fœtus ex utero crudeli modo protrudi curant 382
Japanorum matrimonium 594
Icterus in embryone 197
Ictus bombardæ cauſa abortus 368
  vaccæ cauſa prolapſus uteri 756
  virgarum in embryone 210
  in clunes cauſa abortus 365
Impotentia ex amnio 39
Imprægnationis ſigna 282
Infans a cane natus 646
  a capra natus 648
  a vacca natus 647
  loquens 847. ſeq.
  ex matre mortua natus 123 126
  a ſimio genitus 650
  petræfactus in utero 237
  ex utero prolapſo exciſus 736
Infantum in utero morbi 184
Infanticidii pœna ſuſpendium 481. 483
Infanticidium committitur ſi fœtus in matris mortuæ utero adhuc vivus non exſcinditur 584
in Inguine fœtus 256
Inſula Pines unde nomen habeat 623
Inverſio uteri 740
  vaginæ totalis 744
  a crepitu lupi 745
Inverſionis uteri exempla 742. ſeq.
Irmentrudis, Iſemberti comitis de Altdorf uxor, duodecim mares una vice enixa ſcribitur 612
Julius Cæſar an ex utero fuerit exciſus 833
Jus abortivi fœtus 415
  exſectorum 843
Judæorum ceremoniæ circa partum 573

K.

das Kleidgen vid. Amnios.

L.

Labiorum pudendi disruptio in partu 558
  ſympathia
Lactis ſympathia 43
Lac in viris 447
Lacertæ vomitu rejectæ 668. ſeq.
  per alvum 668
  cum urina excretæ 669
  vividæ 657
Læſio uteri cauſa abortus 374
Lampas vitæ artificialis 41. ſeq.
Lapideſcentes fœtus 237
Lapides in utero 704. ſeq.
Lapis porcinus cauſa abortus 374
a Lapſu matris mors embryonis 213. 252
Latronum familia in Hiſpania unde nomen accepit 124. 834
per Latus exiens fœtus 579
Leo a cane natus 685
  a femina natus 679
  ab ove natus 684
Lepus catellam imprægnas 686
  natus a cane 685
  ab equa 684
ex Lepore mortuo vivi fœtus exſecti 125. 826
Lepores extra uterum 251
  e catella exciſi 826
Lex regia de ſepultura fœtus vivi in utero 835. 836. ſeq.
Liberorum numerus falſo ex ſecundinis & nodis in funiculo umbilicali præſagitur 82. 84. ſeq.
Ligamenta uteri an cauſa prolapſus uterini 720
Ligatura funiculi umbilicalis 86. 856
Ligaturæ an cauſa abortus 379
a Ligaturæ laxatione mors 856. ſq.

Liquor

Liquor amnii an ſit excrementitius 56
nutritius embryonis 3.ſeq.38
Liquor ovuli an nutrimentum fœtus 9. ſeq.
Liquoris amnii ortus 46. ſeqq.
uſus 44
Lochia nulla 511. ſeq.
Loquela fœtus in utero 183
poſt partum 847. ſq.
Ludovicus rex Hungariæ non habuit epidermidem 201
Lues venerea in embryone 193
Lupus canem pariens 685
a cane natus ibid.
Lyciſca quid ſit 686

M.

a Magia impedimentum partus 571
ad Magiam ſecundina adhibetur 882
per Magiam fœtus in partu evaneſcens 516
Magnitudo fœtus in utero 260
ex Mammillis fœtus an liquor amnii oriatur 49. ſeq.
Manlius ex utero fuit exſectus 123. 833
Manna cauſa abortus 355
Manus fœtus exſertæ in partu retractio 508
Margarita, Florentini comitis Hollandiæ filia, 364. infantes una vice peperiſſe dicitur 613
in Mariti abſentia diuturna partus ſuſpectus 310. 325. ſeq. 329
Martyres duodecim 618
Matres mortuæ parientes 574. ſq.
Matrimonia præcocia 591. ſq.
fœcunda 623
Mazarini tunica quadam circumdatus in vitam introiit 157
Meconium quid ſit 18
an cauſa partus 468
Medici abortum evitare debent 431. 433
Membra fœtus a terrore matris confracta 350
Membrana craſſa in vulvæ vagina 525
vaginæ uteri prolabitur 709. ſq.
Membranæ fœtus 30. ſeq. 35
Membranis incluſus fœtus extra uterum vivit 156. 461. ſeq. 503
in Membranis abortus 503. 505
natus fœtus 502. ſeq.
Menſes nunquam apparentes 511
verminoſi 677
in puella trienni 592
Menſis ratione partus eſt duplex, lunaris vel ſolaris 283. 334
Meretrix ſeptem uno partu natos infantes in lacum projicit 617
Meretrices cur facilius pariant 555
Meretricum fraus 335. 892
Millepedes ex utero 677
circa pedem prodeunt 645
Modus partus 477
Mœror cauſa abortus 350
Mola cauſa abortus 369
prægnans 345
in virgine 689
in Mola abortus 251
fœtus 257. 345
gemelli 258
Molæ aquoſæ 693 695
ventoſæ 690. 693
viventes 689
vitales 688
volaticæ 688
Mora fœtus mortui in utero 783
Morbi infantum in utero 184. ſeqq.
Morbilli in embryone 186
a Morſu canis rabidi catelli rejecti 630
poſt Mortem matris fœtus natus 125
viri partus ſerotinus ſuſpectus 331
Motus corporis vehemens cauſa abortus 367
fœtus in utero matris mortuæ 119. 588. ſeq.
Mulæ partus terminus 337
Mulier ſuſpenſa gemellos peperit 258
Mures per alvum rejecti 663 ſeq.
ex cadaveribus enati 664. ſeq.
a femina nati 662. 663 664
vomitu expulſi 663
Muris vagitus in utero 181
Muſica partum facilitat 554

Muſculus vomitu rejectus 631
Muſtela ſimul cum femina nata 667
per uterum rejecta 667
an ore pariat 632

N.

Nævi curantur ſecundina 882. ſq.
Naſus artificialis per ſympathiam 43
Noctuarum clamor an quid ſignificet 172
Nodi funiculi umbilicalis 90. 92
ex Nodis funiculi prognoſis 82. 94. ſeq.
Nutrimenti fœtus via 8. 14
Nutrimentum fœtus an ſanguis 1
liquor lactiferus 4. ſeq.
Nutritio fœtus in utero 1. 8. 20
an fiat per os 5. ſeq. 23
an per os & umbilicum 24
an per umbilicum 18. ſeq. 26. ſeq.
an per poros 14. ſeq.
an per thymum 11
an ex ovuli liquore 9
an per uteri membranas 13
Nutritionis viæ 8. ſeq.
Nympharum tumor a partu 559

O.

Obſtructio alvi cauſa abortus 360
diuturna cauſa prolapſus uteri 758
Odor roſarum cauſa abortus 354
Oleum lini abortus cauſa 373
ad tumorem abdominis 373
Operatorum in partu cæſareo ignorantia 831
Orificium uteri anguſtum cauſa partus difficilis 523
in prolapſu apparens 722
ex Orificio uteri ſignum partus 444
per Os an fœtus nutriatur in utero materno 15. ſeq. 18. ſeq.
abortus rejectus 409
natus, infans 628. 632
coitus 625
Oſſa fœtus per abdomen 229
per alvum 222
per os 227
Oſſa fœtus per varias vias 2:2
per umbilicum 2:6
per uterum 224. ſeqq.
pubis an in partu diducantur 480. ſeq. 702
negatur 485. ſeq.
arcta partus difficilis cauſa 481
Oſſicula cum urina excreta 222
Ova a feminis excreta 409. 681. 683
deglutita 677
in bovis ventre reperta 684
a cane edita 684
a gallo edita ibid.
magica 683
in Ovario fœtus 824. ſeq
Oves partum quinque menſes gerunt 337
Ovis leonem pariens 684
in Ovis pulli pipientes 182
ex Ovo genitalibus virginis indito pullus proveniens 677. ſeq.
Ovuli in ovario liquor eſt primum fœtus nutrimentum 9

P.

Partus bimeſtris 288
cæſareus 806. ſeq.
an exercendus 808
in catella a lepore imprægnata 826
calculorum 704. ſeq.
decimeſtris 305. 316. 325
difficilis 315
duodecimeſtris 309. 322
facilis 315. 548
falſus 690
impoſſibilis 546
incruentus 511
inſolitus 646
legitimus 280. 283
maturus 288
mirabilis 698
mortuus ſalva matre 574. ſq. 701
multiplex 601. 609. ſeq.
nonimeſtris, an & quando ſuſpectus 315. ſeq. 337

Partus novendecimeſtris 315
numeroſus 601
octimeſtris 300
an ſit legitimus 302
octodecimeſtris 315. 331
ordinarius 287
perfectus 886
per os 625
per umbilicum 633
poſt matris mortem 123 ſeqq.
præmaturus 288
præmisſis pedibus 497
prono capite 495
puellarum 590
quadrimeſtris 290
quatuordecimeſtris 312
quindecimeſtris 313
quinquemeſtris 292
ſedecimeſtris 313
ſeptendecimeſtris 315
ſeptimeſtris 297
ſerotinus 305. ſeq.
ſextimeſtris 295
ſimulatus 908
ſine aqua 446
ſuppoſitus 892. ſeqq.
tredecimeſtris 311. 326
trimeſtris 289
vetularum 596
vitalis 886. ſeq.
undecimeſtris 307. 318. 320. 322
unius menſis 288
Partus ætas inſolita 590
Partus cæſarei operatio 830
exempla 817. ſeqq. 833. ſeq.
Partus cauſæ 450. ſeq.
dolor 440. ſeq.
difficilis cauſæ 515. ſeqq.
ſymptomata 556. ſeq.
inſtantis ſigna 438. ſeq. 444
modus 477
præteriti ſigna 901. ſeqq.
Partus tempus an certum homini 266. 272. 282. 284
an diverſum 267. 273
brutis ordinarium 271
Partus tempus cum latitudine 280. 282. ſeqq.
in catella 686
viæ inſolitæ 625
ad Partum concurrit mater & fœtus 471
fœtus nihil confert 464
facit uterus 472
diaphragma 473
totius corporis convulſi o474
Patres Ceylonenſes filias ſuas ſtuprant 592
Pediculi ſignum abortus 402
Peguſianorum ortus a cane 647
Percusſio ſuper renes cauſa abortus 362
Perforatio vulvæ 567
Perinæi ruptura in partu 560. ſeq. 563
Peſſaria varia 773
Petræfactio fœtus in utero 234
contra Philtra ſecundina 880
Pica cauſa abortus 375
Pinguedo cauſa partus difficilis 520
ſerpentis contra bufones 660
Pines, Georgii, rarum fœcunditatis exemplum 623
Piſces a femina nati 669
vivipari 688
Placenta uterina 69. ſq.
extra uterum 116
potius pulmonis, quam epatis uterini nomen meretur 113
Placentæ uterinæ denominatio 109
deſcriptio 97
duæ 116
figura 110
membranæ 114
ortus 110
ſubſtantia 111. 113
vaſa 114
uſus 112
uſus medicus 112. 879
in Placenta abortus 259. 345
Planchette cauſa abortus 381. ſq.
a Plethora abortus 346. 356
partus difficilis 533

Ploratus

Ploratus fœtus in utero 166.168.169.309
recens nati 844
Pœna abortus 416. 436. ſeqq.
partus ſuppoſititii 901
Popielus rex Poloniæ parricida 664
Poplitis in alterum genu poſitio 571
Prægnantiæ tempus an certum 273. 276
Primogenitura partium in fœtu 31. ſeq.
Procidentia uteri 706
falſa 775
imperfecta 726. 775
ad capitis magnitudinem 473. 730
in virginibus 761. ſeqq.
Procidentiæ uteri cauſæ 751. ſeqq.
cauſæ occaſionales: abortus 755
calcitratio 756
calculi 760
elevatio ponderis 757
flatulentia 757
graviditas 760. 761
hydrops 758
hydrops uteri 759
ictus vaccæ 756
labor 755
obſtructio 758
ſaltus 756
terror 755
tuſſis 758
differentia 707
effectus 763. ſeqq.
exempla 709. 713
ſpecies 708. ſeqq.
Prolapſus uteri defenditur 721. ſeq. 727. 729
negatur 718. ſeq. 720
lethalis 763
ſalutaris 763. ſeq.
ſimulatus 775. ſeq.
non ſemper conceptionem impedit 713. 730. 764. 766
interdum conceptionem impedit 730
Prolapſus uteri quandoque matrimonium impedit 766. ſeq.
coitum impedit 766
abortum cauſatur 713. 730 757
exempla 722. ſeq. 732. ſeqq.
cura 772
nonniſi in gravida 760
a Prolapſu uteri divortium 767. 707
Protoplaſti an umbilicum habuerint 869. ſeq.
Pudendi labiorum laxitas 559
disruptio 558
Pudicitia elephanti 679
Puella a cane nata 647
Puellæ parientes 590. ſeq.
Puer a capra natus 648. ſeq.
a vacca natus 647
Puerpera an poſſit terreri & torqueri 917
a Puerpera num maritus debitum conjugale exigere poſſit 914. 915. 916
Puerperarum cura 917
diæta 918. 919
poſt Puerperium coitus noxius & prohibitus 914. ſeqq.
periculoſus 915. 916. 917
Pullos in ovo pipire 151. ſeq. 182. 618
Pullus gallinaceus e ventriculo & vulva excluſus 677. 678
Putrefactio embryonis 216. ſeq.

Q.

Quadrimeſtris fœtus 290
Quaſſatio corporis matris mortuæ 589
Quatuordecimeſtris, quinquemeſtris, quindecimeſtris fœtus vide Partus.
Quinquagenariæ partus an ſit legitimus 601

R.

Ranæ ex utero prodeuntes 661
per vomitum rejectæ 661. ſeq.
Ranarum partus 661
Renum imbecillitas cauſa abortus 362
Reſpiratio in utero an detur 18. 138. ſeq.
repetita 158

Reſpirationis defectus an cauſa partus 459. ſeq.
negatur 461
Retardationis partus cauſa 326
Rigiditas in embryone 211
Riſus fœtus in utero 183
Roſarum odor cauſa abortus 354
Ruptura colli veſicæ 567
perinæi a partu difficili 560. 561. 562
pudendi labiorum 558
ſuturarum cranii 564
vaginæ 568. ſeqq.
uteri 240. vid. Uteri ruptura.
vulvæ ſine ſutura ſanata 561. ſeqq.

S.

in Sagæ vulva bufones reperti 659
Sagittæ quo veneno inficiantur 38. 286
Salamandra vomitu rejecta 662
a Saltu abortus 367
prolapſus uteri 756
Salvatoris noſtri partus tempus 273. ſqq.
Sanctius rex Navarræ ex matre trucidata extractus fuit 124. 834
Sanguis an ſit nutrimentum fœtus 1. ſq.
per umbilicum 872
Sanguinis circulatio in embryone 96. ſeqq.
e Sanguine hominis lampas vitæ paratur 42
Sceleton diu in utero remanens 230. ſq.
Scipio Africanus ex utero exſectus 814. 833
Scirrhus uteri 521. ſeq.
Sciurus a fele natus 686
Scrofa catulos pariens 685
monſtrum pariens 653
Secundina rejecta noxia 885
Secundinæ devoratio 879
uſus medicus contra dolores poſt partum 881. ſeq.
epilepſiam 879
faſcinationem 882
maniam 880
nævos maternos 882, ſeqq.
partum difficilem 880
Secundinæ uſus medicus contra philtra 880
vermes 882
a Secundinæ extractione inverſio uteri 747
circa Secundinam cautela 885
ex Secundinis præſagia vana 84
Selago cauſa abortus 373
Semen aconiti cauſa abortus 373
Semina quævis aliquid alimenti in ſe continent 9. 11
Sepultura infantum adhuc in utero viventium prohibita 834
pœna 837
Sergius papa ab infante defenſus 848
Serpens cauſa abortus 377
adoleſcentem interfecit 671
fœtus dorſo affixus 671
Serpentes partu editi 670. ſeq. 672
Sianitas a canis cum muliere coitu originem habere 647
Sibilus in partu 700
Signa abortus 399. ſeqq.
fœtus vivi & mortui in utero 789
Signum maſculi in utero prolapſus 761
a Simio mulier infantem peperit 650
Singultus in embryone 206
cauſa abortus 368
Situs fœtus in utero 261. ſeq.
vitioſus cauſa partus difficilis 540
Sonitus circa partum in ventrem 251. 701
Sternutatio partum facilitat 474. 554
ad caput fœtus in utero relictum 500. ſeqq. 803
Stigmata virgarum in abortu 414
in embryone 209
Suctio fœtus in utero an detur? 158. ſq.
per Suctionem papillæ in ſiniſtra mamma fœtus reviviſcit 850
Sues poſt quartum menſem pariunt 278. 337
Suffocatio fœtus a partu difficili 525
Suſpendium infanticidii pœna 481. 483
Suturarum cranii in partu diſſciſſio 364

Sympathia

Sympathia per amnium 40. 44
per capillos 41. ſeq.
per lac 43
per variolas 43
Sympathiæ variæ miraculoſæ 41. ſeq.
in diſtans 43. ſeq.
per Syringam baptismus fœtus in utero 842

T.

Tactu ventris abortus 377
Talpa ab homine nata 667
Tapujæ nunquam menſtruatæ 511
Tempus partus an certum? 266. ſeqq. 272. ſeq. 280. 283
Tenesmus cauſa abortus 360
Territio cauſa abortus 350
Teſtes equini ad partum difficilem 500
Thymus an nutrimentum præbeat 11
Timor cauſa abortus 351
Tonitru cauſa abortus 349
Trimellorum funiculi umbilicalis ſtructura 96
Trigemini 602. 605. 606. 607
Trigeminorum abortus 412
Tusſis cauſa prolapſus uteri 758

U.

Umbilicus fœtus 69. 81. ſeq.
an in Protoplaſtis 869. ſeq.
Umbilici defectus 94. 862. ſeq. 868
vaſa 69. ſeq.
uſus medicus 866
hernia 870
per Umbilicum aqua 874
inteſtina prolapſa 862
excrementa 871
an fœtus nutrimentum 18
oſſa fœtus 633. 635. ſq.
osſiculum gallinæ 877
pus 875. 876
ſanguis 872
vermes 876
urina 873
Uncus ad partum difficilem 540
Ungues embryonis 407. 890
ex Unguibus an ſignum abortus peti poſſit 407
Urachus 69. ſeq.
an ſit pervius in homine 70. ſeq. 72. 75. 76
Urina per umbilicum 724
Urinæ incontinentia a partu difficili 568. 801
a prolapſu uteri 568
ſuppresſio cauſa abortus 361
ab Urſo impraegnata puellam peperit 651
Uterus ad partum facit 472. ſeq.
monſtroſus 527
extra corpus propendens 473
prolapſus & ſimul inverſus 740
reſectus 777. ſeq.
Uteri abſceſſus impedit partum 526
inverſio ab aliis negatur 740
affirmatur 741
contractio poſt partum 514
exciſio infelix 700. 782
exſectio 776. ſeq.
læſio cauſa abortus 375
reſectio 249. 522. 556. 777
ruptura 242. 244. 556. ſeqq.
a lapſu 251
vaſa vermicularia 13
per Uteri rupturam fœtus in abdomen prolapſus 242. ſeqq.
de Uteri prolapſu reſponſum 768
Uteri ipſius prolapſus 717. ſeqq.
negatur 718. ſeqq.
defenditur 721
ſcirrhus 521. 723
extra Uterum fœtus 239. ſeq. 241
in Uterum reverſus fœtus 168
ex Utero prolapſo fœtus exciſus 736
aſcarides prodeuntes 672. ſq.
varii vermes excluſi 675
aves 677
absque Utero viventes feminæ 777

V.

Vacca pariens agnum 686

Vacca pariens catulos 684. ſeq.
gemellos 648
puerum 647
vitulum ſemihominem 648
a Vaccæ ictu prolapſus uteri 756
Vaccarum terminus partus 337
Vagina uteri dilacerata & coalita 566. 569
a chirurgo inciſa 568
monſtroſa 527
Vaginæ exciſio 782
inverſio cum uteri prolapſus 717. 722. 724. 739
procidentia à teneſmo 360
cum urinæ incontinentia 568
magna 716
Vagitus fœtus in utero 161
an portentum affirm. 169
negatur 170. ſeq.
in brutis 181
in catellis 182
in mure 181
in pullis 182
Vagitus uterini cauſa 174. ſeqq.
exempla 161. 163. 165
Variolæ in embryone 186 189
Vaſa umbilicalia extracta 804
an habeant anaſtomoſin 104. ſeq.
uteri vermicularia 13
Venæ in partu difficili disrupta 559
Venæſectio contra abortum 386. ſeq. 391
exempla 387. ſeq. 389. 390
in gravida quadragies & novies inſtituta 394. 694
novies 693
trigeſies ac ſexies 394
in gravidis quo loco inſtituenda 387. 389. 393. 396.
VSctio partum facilitat 552. ſeq. 396
ad Veneficia adhibetur amnios 40. ſeq. 566
Ventoſitas in utero 693
Verberum ſigna in embryone 209
Vermes in fœtu 674. 675
cum lochiis 674. 676
ex utero 673. ſeq.
per umbilicum 876
bipes ex ovo 684
a Vermibus conſumptus fœtus 221
in Veſica fœtus 255
Veſicæ colli dilaceratio 567
Veſiculæ copioſæ in embryone 202
Vetulæ parientes 596
Viæ partus inſolitæ 625
Virago 512
Virgarum ictus in embryone 210
Virgines procidentia uteri laborantes 761. ſeqq.
Vita fœtus in matre extincta 120
Vita fœtus in utero propria 117. ſeq 816
Vitalitas fœtus 132
Vitta quid ſit 38
Vitulus putrefactus per os & vulvam fruſtillatim rejectus 215. 644. ſeq.
ab equa natus 685
Vituli oſſa in vacca mactata 644
Vomitorium cauſa abortus 361
Vomitus lacteus fœtus poſt partum 27
per Vomitum rejectus abortus 409. 628
canes 629. 630
feles 630
fœtus 629
muſculus 631
Vox ſanguinis Abelis 43
Vulnera in embryone 194
Vulvæ gangræna 567
perforatio a partu difficili 567

W.

Wœlſi vocantur catuli 612

ERRATA.

Pag. 1. l. 1. lege Embryologiæ. §. 2. in margine: an ſanguis p. 14. l. ult. poſt Wiel adde: de Nutrition. fœt. §. 6. p. 23. l. ult. per os p. 31. §. 2. l. 3. non ad p. 32 l. 15. ſtatuentes p. 37. §. 8. l. 9. apem p. 42. l. 21. parare l. 25. Rattray p. 51. l. 21. terminantes ibid. chyliferos p. 53 l. antep. ſtructuram p. 58. §. 21. l. 11. allantoidem p. 61. l. 23. les eaux p. 77. l. 28. egeris p. 84. l. 10. ou p. 85. l. 4. motum p. 103. l. 20. aptatum p. 106. l. 9. vaſa p. 108. l. 3. poſt cum adde comma p. 113 l. 7. lævi p. 114. l. 26. per ſe p. 115. l. 8. ſanguinea, placentam p. 122. l. 17. ſupervivere p. 129. l. 2. lege 687. ibid. l. 21. Hannæus ib. l. 31. puſio p. 131. l. 24. les eaux. p. 134. l. 16. conceptionis p. 136. l. 2. elle p. 140. l. 3. canaliculus p. 142. l. 23. organa p. 154. l. 20. eveniat p. 155. l. 29. delibavit p. 158. l. 25. avenacearum p. 166. in margine de ploratu p. 169. in marg. an portentum? negatur ibid. l. 2. uterino p. 174. l. 12. loquitur p. 175. l. 11. fœtui p. 183. l. 24. auditus p. 184. l. 7. Sectio III. p. 190. l. 23. Samuel Ledelius M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 61. p. 147. Juvencula, ruſtici uxor, dum hoc anno variolæ in his oris Gorlicienſibus &c. ad l. antepen. in margine add. Obſervatio p. 197. l. 22. Cummenius l. ult. Panarolus p. 199. l. 18. extrahebatur p. 207. l. 12. Mery p. 218. l. antepen. Guilielmus Rondeletius p. 219. l. 4. interni p. 239. §. 1. l. 1. fœtus p. 141. l. 24. s' étoit p. 242. l. 7. pût reſter p. 247. l. 14. ipſius p. 264. l. 16. Manus ejus - - ampleƈtuntur. Brevi p. 280. l. 2. octava p. 283. l. ult. ovulis p. 286. l. 20. ou. l. 28. comptons p. 291. l. 24. quæ p. 297. l. 14. ex his p. 299. l. 24. legitimus - edidit p. 300. l. 10. Hofmannus p. 304 l. 15. quid. l. 21. Hortul. p. 322. l. 1. conſtituit p. 339. l. 10. pepererit p. 340. l. 23. a partu p. 342. l. 2. p. n. p. 345. l. ult. ipſo p. 355. l. 15. Schulzius p. 360. l. 31. Fabricius p. 364. l. 20. Jackelii p. 377. l. antep. maleficæ p. 378. lin. ult. congreſſu p. 383. l. 21. liceat p. 391. l. 3. muco l. 21. femina quum p. 398. l. 20. videbat 419. l. 15. concepti l. 31. loco poſtea lege poſt p. 425. l. 11. adr. p. 429. l. 15. procurationem p. 430. l. 11. violentam p. 436. l. ult. Vir ad p. 437. l. 9. poſt Chriſtianus adde Henricus p. 440. l. 21. uvam p. 441. l. ult. urgeant p. 443. l. 10. ſignes p. 446. l. 2. contenti p. 451. l. 13. moram p. 455. l. 2. avelluntur ib. l. 27. om ſich te voeden p. 459. l. 15. infitmum p. 467. l. 4. uterove p. 474. l. 8. juvenculam p. 476. l. 16. ſingularem p. 485. l. 19. caudam p. 488. l. 31. ce fait p. 497. l. 10. præmittat p. 504. l. 7. quidam p. 506. l. 4. paſcuis l. 10. proſtravit l. 17. delatus p. 518. l. 22. vicinum p. 519. l. 20. ſed ſine effectu p. 522. in margine fœtus in p. 523. l. 25. matricis p. 532. l. 23. pepererint p. 533. l. 13. fore p. 536. l. pen. funiculus p. 537. l. 14. collo lin. pen. collum p. 542. l. 14. loco & lege eſt p. 549. l. 15. ſemihoræ p. 556. l. 27. ob p. 557. l. 13. ſphacelo l. 14. Raygerus p. 562. l. 31. coaleſcerent p. 563. l. 16. derivatur p. 582. l. 20. ſeq. nati l. 26. laboraſſe p. 583. lin. pen. ſpirituum motuque p. 585. l. 12. mulierem p. 588. l. 25. dele per p. 594. l. 14. *dreyſſigſten Jahre* p. 610. l. 24. Italiamque p. 613. l. 10. ſuæ l. 25. partus exempla p. 618. l. 20. matrique p. 629. l. 8. ovum & l. antep. dele inquit p. 635. l. 1. ex naturalibus p. 645. lin. pen. pedunculos p. 649. l. 24. utero erat p. 666. l. 6. quæ p. 671. l. 3. & 4. faſcia p. 682. l. 7. humanos & l. 11. exhibetur p. 684. l. pen. in marg. vacca catulos p. 691. l. 7. pepedit 692. l. 26. l'accident p. 699. l. 25. nonnullæ p. 700. l. pen. vulvæ p. 703. l. 9. luculenta p. 706. l. 5. oblaturam p. 708. l. 5. exterieur p. 712. 20. lateralem p. 731. l. 6. allongé p. 744. l. 8. Cummeni p. 764. l. 29. m'eſtant p. 765. l. 6. pour lors lin. 7. ſur la face lin. ult. à la partie p. 777. l. 21. ac p. 778. l. 26. ſcribit p. 781. l. 10. adde qui nullis argumentus Heerii, qui aliam p. 784. l. 21. Fiefs l. 23. ſpatio p. 786. l. 18 fœtum p. 787. l. 26 Sylleptilogia p. 790. l. 18. nares l. ult. pro mortis p. 793. l. 14. peu p. 794. l. 13. veritatis eſſe negat l. 15. dele tamen p. 807. in margine §. 3. partu ordinario? p. 812. l. 16. cæſarea p. 813. l. 6. nitatur p. 824. l. 1. Martini p. 825. l. 1. conceptum evectas p. 838. l. 10. ipſam p 846 l. 27. mari & navibus naſcentes p. 847. l. 22 animali virtute p 850 l. 12. obſtetricum p 856. l. 2. les tenir l. 14. l'on p. 857. l. 17. ſtatim a baptismo p. 860. l. 15. juxta cutem erant p. 863. l. 2. vidi p. 864. l. 1. ſterven p. 868. l. 4. rarisque l. 12. *abſchneiden* p. 869. l. 4. umbilici p. 880. l. 8. Corthummius p. 881. l. 27. ſeq. partum.

[illegible]

[illegible]

N.° 11 — lire 10

I
Schurig
1732